This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

WIDENER LIBRARY
HX K2FG H

Lt6.185.9

Harvard College Library

FROM THE ESTATE OF

JAMES BRADSTREET GREENOUGH

PROFESSOR OF LATIN IN HARVARD COLLEGE
1883–1901

RECEIVED JULY 12, 1910

P. TERENTII

CARTHAGINIENSIS AFRI

COMŒDIÆ SEX

EX RECENSIONE

FRID. LINDENBROGII

CUM EJUSDEM

MSTORUM LECTIONIBUS ET OBSERVATIONIBUS

ATQUE

ÆLII DONATI, EUGRAPHII ET CALPURNII

COMMENTARIIS INTEGRIS.

HIS ACCESSERUNT

BENTLEII ET FAERNI

LECTIONES AC CONJECTURÆ OMNES, SED IN COMPENDIUM REDACTÆ

ITEM

WESTERHOVII IN SCHOLIASTAS LECTIONES AC CONJECTURÆ

QUIBUS ET SUAS ADSPERSIT

M. JO. CAR. ZEUNIUS.

Adjecto indice in Donatum et Terentium locupletissimo.

INSUPER ADDITA SUNT

CEL. RUHNKENII DICTATA IN TERENTIUM

NECNON

SELECTISSIMÆ VIRORUM DOCTORUM ANNOTATIONES.

TOM. I.

Londini:

TYPIS EXCUDEBAT J. F. DOVE;

PROSTANT VENALES APUD R. PRIESTLEY.

MDCCCXX.

Lt 6.185.9

HARVARD COLLEGE LIBRARY
JUL 12 1910
CAMBRIDGE, MASS.

From the estate of
Prof. J. B. Greenough

BOUND APR 27 1911

PRÆFATIO.

UT lector melius intelligat, quæ quantaque subsidia huic novæ editioni principis comicorum accesserint, in limine paullum insistendum arbitror. Textum Zeunii religiosissime secutus, ejus quoque commentariis annotationibusque, diligentia nunquam satis laudanda congestis, ne verbum quidem detrahendum putabam. Lectorem tamen fortasse non pigebit, si loca quædam difficiliora, hic fusius explicata, aut emendationes nonnullas virorum doctorum acumine sagaciter excogitatas, ante oculos propositas invenerit. Excerpta igitur ex editionibus superioribus Westerhovii et Farnabii, et recentioribus Böthe, Schmiederi et Magnæi æquo animo accipiat. Addita sunt *Dictata* Ruhnkenii, a Bruns anno 1811 primùm vulgata: de quibus ipse audiatur:

"Inter auctores Latinos, quos in scholis suis Ruhnkenius tractavit, primo loco ab elegantissimo vitæ Ruhnkenii scriptore Wyttenbachio (v. Vitæ T. Hemsterhusii et D. Ruhnkenii Lips. MDCCCI. p. 127.) adducitur Terentius et *Terentianas scholas se magno cum doctrinæ fructu audivisse* testatur, *ut tum demum in hoc genere discere sibi videretur, quantum aera distarent lupinis* &c. Quam autem rationem in his, quæ nunc prodeunt, annotationibus Ruhnkenius inierit, idem Wyttenbachius indicavit, p. 126. *Ad locos vel difficiles vel memorabiles* auctorum latinorum a Ruhnkenio in prælectionibus illustratorum *dictabat annotationes breves quidem illas, sed bonæ frugis plenas.* Atque hæ annotationes *dictata* vocantur ab ipso Ruhnkenio ad Heaut. III. 3. 23. Hec. I. 2. 73. Multum igitur differunt a notis, quas auditores ex ore professoris calamo currente excipere solent et quibus minus pretium statuendum est. Tempus scriptionis incidit in annum MDCCLXXXVI. vel non multo post, certe non superiorem. Laudatur enim in nota ad Eun. II. 1. 14. Oudendorpii editio Apulei, quæ anno memorato prodiit, teste Wyttenbachio l. c. p. 176."

" Ruhnkenii notæ in Terentium geminæ sunt earum, quas scripserunt Westerhovius et J. F. Gronovius i. e. grammaticæ sunt, quæ vim usumque verborum tum ex ipso Terentio tum ex aliis scriptoribus, inprimis Plauto in eodem genere scribendi comico versato explicant, et rem, de qua agitur, ex antiquitate et historia illustrant. Non tam viris eruditis quam tironibus scriptæ sunt. Nullæ ad metrum constituendum spectant, nullæ conjecturas criticas hujus vel aliorum auctorum veterum proferunt, nullæ artificium poëticum sive œconomiam comœdiarum evolvunt. Sed latinitatem auctoris enodant, quid inter usum loquendi hujus aliorumque auctorum diversitatis, quid similitudinis reperiatur, explicant, quam lucem alii scriptores locutionibus Terentianis afferant, et quam istæ ipsæ aliis fœnerare possint, qui interpretes recentiorum temporum definiendæ latinitati exquisitæ egregie operam navarint, pulchre ostendunt. Omnes illi, apud quos sermo vere latinus in honore est, magnum inde fructum percipient, si non obiter illas legerint, sed loca et antiquorum et recentiorum scriptorum a Ruhnkenio laudatorum accurate perpenderint. Sed non opus est, ut multus sim in prædicandis annotationibus hisce. Ruhnkenii nomen earum dignitatem et pretium satis tuebitur."

Hactenus ille. Restat monendum, me tomo secundo *Diatribas* quasdam virorum eruditorum de metris Terentii præmisisse, quas adjicere, cum Lipsianæ editioni ob causas Zeunio memoratas deficerent, operæ pretium fore sperabam. De typorum concinnitate totiusque operis summa judicet, qui in his paginis versabitur. Valeas, nostrisque qualibuscunque laboribus fruaris.

ED.

Dabam Londini. Kal. Jan.
An. MDCCCXX.

COMPENDIA SCRIPTURÆ, QUIBUS HIC SUMUS USI.

B. Bentleius	E. Eugraphius	M. Magnæus
Bo. Böthe	Far. Farnabius	R. D. Ruhnkenii Dictata
C. Calpurnius	Faer. Faernus	S. Schmiederus
D. Donatus	L. Lindenbrogius	W. Westerhovius
	Z. Zeunius.	

VIRO MAGNIFICO

SUMME VENERABILI

JOANNI AUGUSTO ERNESTI

THEOLOGIÆ DOCTORI ET PROFESSORI ORDINARIO, EPISCOPATUS CITICENSIS
CANONICO, CONSIST. LIPS. ASSESSORI, EPHORO STIPENDIATORUM
ELECTORALIUM, VILLARUM ACADEMICARUM PRÆPOSITO,
SOCIETATIS GŒTTINGENSIS LITTERARIÆ SODALI
ETC.

VIR MAGNIFICE

SUMME VENERABILIS

PATRONE AC PRÆCEPTOR

OMNI PIETATE COLENDE,

NON diu dubitavi et hæsitavi, cui hanc Terentii editionem dedicarem. Etenim cum in TE, VIR MAGNIFICE, præter multas alias easque summas animi ingeniique virtutes, quibus ornatum TE esse satis inter omnes constat, summam in scribendo elegantiam et perspicuitatem, exquisitam in judicando disserendoque subtilitatem et acumen, atque in locis scriptorum corruptis emendandis et castigandis diligentiam cautionemque plane admirabilem, et TUA doctrina dignam, omnium consensu maximopere et verissime laudari meminissem: statim decrevi, judicio subjicere TUO quicquid hic mea effectum sit opera, adhibuerimne aut in notis Bentleji Faernique in compendium redigendis satis perspicuitatis cum justa brevitate, aut in scholiis, quæ interdum vel aliunde compilassem, vel ipse addidissem, idoneam diligentiam, aut in locis scholiastarum, quæ corrupta et manca viderentur, restituendis, justam cautionem et prudentiam; ut adeo quicquid TIBI, VIR DOCTISSIME, displicere intellexissem, in posterum corrigeretur evitareturque, vel si quid forte TIBI probari audivissem, TUA, VIR GRAVISSIME, auctoritate, quæ apud omnes maxima est, satis defenderetur ac confirmaretur. Huc accessit alia causa, mea quidem sententia haud levis, quæ me ad hoc invitaret consilium. Cum enim olim TUA, PRÆCEPTOR FIDELISSIME, disciplina essem usus, et usque posthac prudentissimis TUIS consiliis et patrocinio adjutus et sublevatus: animi grati esse (et hunc inprimis spectes velim) duxi, hunc TUÆ in-

stitutionis fructum, qui fere primus a me edi existimandus est, offerendum esse TIBI, ut, si bonus esset, TUÆ fidei acceptus referretur, aut, si immaturus, a TE castigaretur. Quod si vero et in posterum TUA cura, PATRONE OPTIME, me dignum judicaveris: profecto non frustra in litterarum curriculo alsisse ac sudasse me existimabo. Equidem, sanctissime confirmo et polliceor, omnem curam ac diligentiam adhibebo, ne TUA disciplina et cæteris beneficiis indignus reperiar; atque si non re et palam gratum animum declarare potuero, certe precibus pro TUA, SENEX SUMME VENERABILIS, valetudine recta et senectute placida clam faciendis deo me TUI studiosissimum et reipublicæ amantissimum probare studebo. Vale, et in litterarum bonarum salutem vale diutissime,

Vir magnifice, atque summe
venerabilis tibi addictissimus
JO. CAR. ZEUNIUS.

LECTORI ERUDITO

S. P. D.

JO. CAR. ZEUNIUS.

QUOD in mercatoribus forte non valde reprehenditur, si laudant, quas cupiunt extrudere merces, aut etiam ab editoribus librorum interdum recte fieri potest, ut libros suos commendent, et omni ratione hominum animos ad lectionem invitent et alliciant; id sane hic quam alienissimum et ineptissimum puto. Etenim quis quaeso est ab omni humanitate ita remotus, ut sibi Terentii laudari desideret fabulas, quas pueri avide legunt, magnopere admirantur adulti, et senes ipsi non sine magna animi laetitia relegunt? Igitur agamus potius, quod jure a nobis postulatur, ut quam rationem in hac editione curanda secuti simus, aperiamus. Cum bibliopola mihi consilium, quod dudum cepisset de *Lindenbrogii* editione, quam adhuc optimam et usui discentium accommodatissimam esse ex viris rerum peritis audivisset, typis repetenda, mihi significasset, petiissetque, ut exemplar a vitiis operarum purgarem, in suum quodque locum redigerem, et, si quid haberem, quod commode accedere posse existimarem, adderem: occasionem a me minime quaesitam, sed ultro oblatam Terentium, quem semper summo habueram in pretio, edendi et curandi dimittere nolui. Itaque exemplar, quod operis tradendum erat, editionis Lindenbrogii, quae Francofurti anno superioris seculi tertio et vicesimo prodiit, cum inscitia et negligentia correctorum, inprimis in Observationibus, satis corruptum et interdum etiam mutilum intellexissem: ubique omni diligentia, non sine magno taedio, cum Westerhoviana editione, cujus usum Cl. Clodius benignissime mihi concesserat, contuli, et inde omissa restitui; loca auctorum vel laudavi, vel male laudata correxi; vitia typographica, quae inprimis in Graecis irrepserant, nec ab ipso Westerhovio sublata, emendavi; inter-

punctiones et distinctiones ita constituere studui, ut quædam constantia, a Lindenbrogio aut ejus correctoribus neglecta, servaretur; orthographiæ denique rationem cum in singulis litteris, veluti *Set*, *aput*, *accersivi*, &c. tum in compositionibus verborum, ubi Lindenbrogium aliosque fluctuasse videbam, stabiliorem, et rei naturæ Græcæque linguæ analogiæ convenientiorem reddere sum conatus, adeo ut v. c. pro *inridere* reponerem *irridere*, &c. sed salvis archaismis, quos profanis manibus attingere nefas putabam; atque omnino omnem curam diligentiamque adhibui, ne hæc editio conspurcaretur vitiis, quæ per vulgares mercede et lucello fere parvo conductos correctores, ubi fides quædam, quæ requiritur et diligentia, ne quid gravius dicam, admodum rara deprehenditur, interdum committuntur, et adeo virtus editionum, quam primam judico, tollitur. Hactenus de iis, quæ fere omnia non nisi ad repetitionem Lindenbrogianæ editionis pertinent. Explicemus nunc deinceps, quæ tanquam nova illi accesserunt. *Faernum* quidem olim, et postea *Bentlejum* cum intellexissem multam Terentiano textui emendando et lectionum auctoritate confirmando operam dedisse; ab usu hujus editionis critico, præsertim cum multæ Lindenbrogii notæ eundem spectent, non alienum duxi, ubique utriusque viri sententiam adjungere; sed, ne liber magnitudine et scholiorum nube molestus lectoribus, et forte pretio emtoribus incommodus existeret, hoc temperamento sum usus, ut fere verbis meis, ad rem brevius, salua perspicuitate, significandam, utriusque viri sententiam in compendium redigerem, et uni nomini tribuerem Bentleji; adeo ut copia locorum omissa, et verborum formularumque ambagibus detractis et crebris ejusdem rei repetitionibus vitatis, nihil nisi sententiæ argumentorumque, sive a codicum auctoritate, sive metri legibus, sive loquendi usu, et elegantia sermonis sumtorum, summam spectandam sequendamque mihi esse existimarem. Etsi igitur non negaverim, Bentlejum cum alias tum in Terentio corrigendo interdum paulo audaciorem videri, adeo ut nonnunquam vix mihi temperarem, quin contradicere auderem: cum tamen ille et magna copia librorum scriptorum eorumque antiquissimorum, quibus Angliam in omni genere abundare dudum inter omnes constat, fuerit instructus, et ipsis Faerni lectionibus haud contemnendis mirifice adjutus, et præterea ipse ingenio acutissimo elegantissimoque ornatus, non ingratum lectori docto me fecisse spero, quod illas conjecturas et lectiones hic exhibuerim; præsertim cum eam brevitatem ubique spectarem, qua

ad summam rei cognoscendam lectoribus non opus esset universas paginas, sæpe cum magno tædio, perlegere, et inde colligere, quid sibi auctor vellet. Satis de Bentlejo. Dicendum est, quid acciderit *Donato*, qui sane, ob antiquitatem et doctrinam, primum tenet inter scholiastas locum. Verum sane dolendum est, ejus scholia, qualia quidem hodie extant, inprimis duplici laborare vitio, interpolationis et corruptionis. Illa enim esse interpolata accessione nonnullorum aliorum scholiorum, quod fatum quoque in Aristophanem scholiis evenit, ita clarum est, ut non nisi levi inspectione sit opus. Hoc vitium autem cum tolli sine summa temeritate, aut inani disputatione non posse videretur, a nobis intactum relictum est, nec attulimus notatiunculas supervacuas, quas Westerhovius interdum adjunxit. Verum alterum vitium, quantum in nobis fuit, inprimis post Actum primum fabulæ primæ, (quoniam ab initio hoc consilium nobis nondum erat captum) tollere sumus conati. Igitur primum interserui et signo ( ) a textu scholiastæ distinxi conjecturas et lectiones, quas Westerhovius vel debet Abr. Wielingio, viro consultissimo, vel ipse collegit non modo ex codice Sam. Hulsii Haganæ civitatis viri consularis, codice Theod. Boendermakeri Canonici S. Martini apud Ultrajectinos, et codice edito Cardinalis Du Bois, (posteriores nos compendii causa interdum diximus *Librum utrumque*), sed etiam ex editionibus antiquissimis Venetis. Deinde ego ipse locis corruptis, a Westerhovio neglectis, manum admovi, eaque vel corrigere vel supplere sum conatus; atque ne mea conjectura aliis forte invitis obtruderetur, eam addita littera Z notavi. Post Donatum et tempore et dignitate sequitur *Eugraphius*, qui, quantum ex Gerberti, seu Sylvestris, ad Airardum epistola colligitur, sub finem seculi decimi, Othone III imperante, vixit, homo pro ratione illorum temporum haud indoctus. Hujus commentarii in Terentium, qui apud Lindenbrogium admodum corrupti et mutili deprehenduntur, hic partim ex editione Westerhovii, qui duobus codicibus, sed his ipsis corruptis et mutilatis, bibliothecæ Leidensis est usus, et veteres editiones contulit, partim nostris conjecturis qualibuscunque aucti prodeunt. Cum Donati in Heautontimorumenon scholia videantur periisse, in locum illorum *Calpurnii* Brixiensis, qui seculo quinto decimo Laurentii Vallæ ætate vixisse videtur, substituimus scholia, ut non modo ubique esset haud ingrata fabularum æqualitas, sed etiam quoniam illa lectu haud indigna existimabamus, quæ sæpe ad similitudinem Donatianorum quam proxime accedunt.

In hoc scholiaste, fateor, ut brevitati consuleretur, interdum loca aperte corrupta, et facillima emendatu tacite correxi, duorum vel editionibus antiquis, vel legibus linguæ et contexti. Quoniam *Diatribas* virorum eruditorum, quæ et in Westerhoviana editione reperiuntur, intelligebamus lectori haud injucundas fore, et usui hujus libri accommodatissimas, hic quoque eas repetere placuit. Cæterum si quid præterea adjiciendum visum fuerit, ad tomum alterum differendum esse censemus. Vale igitur, lector erudite, et si quid humani passi sumus, ignosce. Scripsi Lipsiæ, in nundinis vernis, CIↃIↃCCLXXIV.

PRÆFATIO LINDENBROGII.

PUB. TERENTIUM Afrum, Commœdiæ Latinæ scriptorem undecunque elegantissimum, atque ingenii festivi, curatiore studio recensitum bono publico exhibere visum fuit. Quem enim pueri amavimus, ejusdem amœnitate ac venere vel hac quoque ætate nos capi, non erubescimus: a cujus lectione etiam ipsos Romani eloquii principes, eosque gravissimos viros, non abhorruisse constat: quorum sane elogia suo loco digessimus, ut omnium oculis, qualenam æstimium veterum doctissimi quique de eo semper fecerint, velut in tabula exponeremus. Nam recentiorum ea, omnia colligere, aut commendatitiam illius novam conscribere, insuper habendum duximus; ne laudatum ab omnibus concelebrare si vellemus, actam rem agere potius, quam novi aliquid dicere videremur. Quippe cujus ea gloria est, ut nullius laudibus crescere, nullius minui possit. Ergo igitur id mihi in hac editione potissimum curæ fuit, ne ad nitelam ejus et splendorem quod faceret, quicquam scienter omitteretur. Non denegarunt nobis hac in re operam suam amici nostri, viri litterati. Inprimis vero multum adjuti sumus favore celeberrimi jurisconsulti Franc. Pithœi Tricassinensis, qui duo nobis Terentii exemplaria suppeditavit; alterum fratris B. M. alterum manu sua emendatum; adscriptis interdum Menandri, Apollodori, aliorumque versibus; quos Terentium exprimere voluisse putamus. His accessit *Ms.* codex qui in bibliotheca regis Galliæ observatur; cujus ea visa est antiquitas, nec minor bonitas, ut vel solus sufficeret, cujus fidem sequeremur. in quo etiam Terentii imago, plane ut eam ex Vaticana bibliotheca Fulvius Ursinus V. C. edidit, antiqua manu depicta erat. Usi sumus et aliis scriptis libris, sed qui perparum profuerunt: nam et recentiores erant; et si quid variarent, id levidense admodum atque exigui momenti.

Donati duo exemplaria habuimus, et illa Pithœorum accurata

diligentia ad Mss. codd. Antonii Contii et Jacobi Cujacii Antecessorum Bituricensium collata; quorum auxilio in hoc commentario plurimæ lacunæ suppletæ, aliaque infinita errata integritati suæ restituta sunt. Juverunt etiam nonnihil collectanea quædam, quæ in bibliotheca regia Parisiensi, et schedæ vett. Pet. Danielis Aureliani, viri humanissimi. Sed nescio qui veluti de compacto factum, ut Græca fere omnia in omnibus libris adeo vitiose scripta, ut raro quid inde boni extricare licuerit, vel indagare, quod specie recti placeret. Itaque non nostro saltim, sed aliorum quoque judicio, characteres vitiosos proponere voluimus, ut cuilibet pro captu ac lubidine emendandi causa relinqueretur integra.

Eugraphium non uni debemus. Præter pauca enim illa, quæ hujus scholiastæ Faernus vir diligentissimus olim in Italia provulgavit, alia longe plura ex antiquissimo libro Ant. Loiselli I. C. nunc primum edita: et quæ huic deerant, ex nobiliss. Franc. Olivarii codice suppleta sunt. Cætera vero quæ desiderantur, si tanti videbuntur, a felicioribus meliori seculo fors fuat an in lucem proferri poterunt: nam ut nos hic Italis plura præstitimus, sic alii diligentiam nostram si supplebunt, non invidebimus. laus est publica. Extat quidem Parisiis in bibliotheca regia commentum in hunc comicum, Eugraphii titulo insignitum: sed adeo ineptum, adeoque nugis plenum, ut vere quis ex Luciorum schola detonsi cujusdam tenebrionis dixerit blatteramentum. idcirco etiam ejusmodi affaniis editionem hanc contaminare nobis religio fuit.

Postremo: observationes quasdam adjecimus, breves illas, et nostro more modoque factas; magis ut de varietate lectionis et fide veri constaret, quam ut prolixe hic omnia explicarentur. Quod rectius hercle vero facient magistri in ludo et umbra, ne publice *τὴν ἀκρισίαν ἐκθεατρίζειν* necessum habeamus, aut cum insanientibus furere; qui nullum amplius librum prodire patiuntur, nisi ingentibus commentariis oneratum, *ὡς ἂν ἄχθος εἶναι ἡμιόνων πολλῶν*. Proinde, lector, si probus es, laus nobis tribuenda est quod egimus, venia danda quod reliquimus. Feliciter.

ELOGIA VETERUM

DE PUB. TERENTIO.

Varro, Parmenone; Nonius in Poscere.

IN argumentis Cæcilius poscit palmam; in ethesin Terentius; in sermonibus Plautus.

Cicero, de optimo genere oratorum.

In re quod optimum sit quæritur: in hominibus dicitur, quod est. Itaque licet dicere, et Ennium summum epicum poetam, si cui ita videtur; et Pacuvium tragicum; et Cæcilium fortasse comicum. Unum vero est genus perfecti, a quo qui absunt, genere differunt, ut ab Accio Terentius, sed in eodem non sunt pares.

Et infra.

Iidem et Andriam et Synephebos, nec minus Terentium et Cæcilium, quam Menandrum legunt. Quod est igitur eorum in orationibus e Græco conversis fastidium, nullum cum sit in versibus.

Lib. VII. Epist. 3. ad Attic.

Secutus sum, non dico Cæcilium, Mane ut ex portu in Piræeum, (malus enim auctor latinitatis est,) sed Terentium, cujus fabellæ, propter elegantiam sermonis putabantur a C. Lælio scribi: Heri aliquot adolescentuli coimus in Piræeum.

In Lælio.

In Andria familiaris meus Terentius dixit.

Horatius, lib. Epist. ad Augustum,

Dicitur Afrani toga convenisse Menandro:
Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi,
Vincere Cæcilius gravitate, Terentius arte;
Hos ediscit, et hos arte stipata theatro
Spectat Roma frequens.

Ovidius, lib. II. Tristium.

Nec liber indicium est animi; sed honesta voluntas
Plurima mulcendis auribus apta refert.
Accius esset atrox: conviva Terentius esset;
Essent pugnaces qui fera bella canunt.

Volcatius Sedigitus, apud A. Gell. lib. XV. cap. 24.

Multos incertos certare hanc rem vidimus,
Palmam poetæ comico cui deferant.
Eum, me judice, errorem dissolvam tibi:
Ut contra si quis sentiat, nihil sentiat.
Cæcilio palmam Statio do comico.
Plautus secundus facile exsuperat cæteros.
Dein Nævius qui servet, pretium tertiu'st.
Si erit, quod quarto, dabitur Licinio.
Post insequi Licinium facio Atilium.
In sexto sequitur hos loco Terentius.
Turpilius septimum, Trabea octavum obtinet.
Nono loco esse facile facio Luscium.
Decimum addo causa antiquitatis Ennium.

Vellejus Paterculus, lib. I.

Dulcesque Latini leporis facetiæ per Cæcilium, Terentium que, et Afranium suppari ætate nituerunt.

Fab. Quinctilian. lib. X, cap. 1.

In comœdia maxime claudicamus; licet Varro dicat, musas Ælii Stolonis Plautino sermone locuturas fuisse, si Latine loqui vellent: licet Cæcilium laudibus ferant: licet Terentii scripta ad Scipionem Africanum referantur: quæ tamen sunt in hoc genere elegantissima, et plus adhuc habitura gratiæ, si intra versus trimetros stetissent.

Idem Declamat. IX. sive Gladiator.

Terentium, quem inter cæteros captivos, secundo Punico bello, Scipio Africanus vinculis exsolverat, memoriæ tradidere majores, insigne receptæ libertatis pileo testantem in triumpho ducis esse conspectum.

Plinius, lib. I. Epist. 16.

Legit mihi nuper epistolas, quas uxoris esse dicebat, Plautum vel Terentium metro solutum legi credidi.

A. Gellius, lib. VII. cap. 14.

Vera autem et propria hujusmodi formarum exempla in Latina lingua M. Varro esse dicit, ubertatis Pacuvium, gracilitatis Lucilium, mediocritatis Terentium.

Idem, lib. VII. cap. 21.

Neque magno intervallo postea Q. Ennius, et juxta Cæcilius et Terentius, ac subinde Pacuvius: et Pacuvio jam sene Accius, clariorque tunc in poematis eorum obtrectandis Lucilius fuit.

Ausonius, in protreptico ad Nepotem.

Tu quoque qui Latium lecto sermone Terenti
Comis et adstricto percurris pulpita socco,
Ad nova vix memorem diverbia coge senectam.

Lactant. de falsa sap. cap. 4.

Nemo potest de se recte judicare, quod nobilis poeta testatur, Ita enim comparatam esse hominum naturam, &c.

Hieron. in Chronico, Olymp. 155. ann. 3.

P. Terentius Carthaginiensis comœdiarum scriptor ob ingenium et formam libertate donatus, in Arcadia moritur: qui primam Andriam antequam Ædilibus, Cæcilio multum se miranti legit.

Idem: de optimo genere interpretandi.

Terentius Menandrum, Plautus et Cæcilius veteres comicos interpretati sunt: numquid hærent in verbis? ac non de-

corem magis et elegantiam in translatione conservant, quam veritatem interpretationis.

Idem, ad Suniam et Fretellam.

Hanc esse regulam boni interpretis, ut idioma alterius linguæ, suæ linguæ exprimat proprietate: quod quidem et Tullium in Protagora Platonis, et in Œconomico Xenophontis, et in Demosthenis contra Æschinem oratione fecisse convincimus, et Plautum, Terentium, Cæciliumque, eruditissimos viros in Græcis comœdiis transferendis.

Idem, ad Paulinum.

Habet unumquodque propositum principes suos. Romani duces imitentur Camillos, Fabricios, Regulos, Scipiones: philosophi proponant sibi Pythagoram, Socratem, Platonem, Aristotelem: Poetæ æmulentur Homerum, Virgilium, Menandrum, Terentium.

Paulus Orosius, lib. IV. cap. 19.

Scipio jam tunc cognomento Africanus, triumphans urbem ingressus est, quem Terentius, qui postea comicus, ex nobilibus Carthaginiensium captivis pileatus, quod indultæ sibi libertatis insigne fuit, triumphantem post currum secutus est.

Livius, lib. XXX, non comicum hunc intelligit, sed ad Terentium Culleonem senatorem Rom. refert, qui pileo capiti imposito secutus est Scipionem triumphantem. certe de alterutro Quinctiliani etiam locus ex declam. IX intelligendus est.

Sidonius Apollinar. Carm. XX.

Quid vos eloquii canam Latini,
Arpinas, Patavine, Mantuane,
Et te comica qui doces Terenti,
Et te, tempore qui satus severo,
Grajos, Plaute, sales lepore transis.

Rufinus Grammaticus Antiochensis.

Agnovit metrum servatque Terentius artem;
Nam prologos trimetro didicit componere versu,
Scenarumque actus primos pede claudit eodem.

Servius in illud, lib. I. Æneid. talibus incusat.

Sciendum est Tarentium, propter solam proprietatem, omnibus comicis esse præpositum; quibus est, quantum ad cætera spectat, inferior.

Fl. Sosipater Charisius, lib. II.

Ἦθη, ut ait Varro de Latino sermone, lib. v. nulli alii servare convenit quam Titinnio et Terentio. Πάθη vero Trabea, inquit, et Attilius, et Cæcilius facile moverant.

Isidor. Origin. lib. I. cap. 39.

Fabulas poetæ quasdam delectandi causa finxerunt, quasdam ad naturas rerum, nonnullas ad mores hominum interpretati sunt. Delectandi causa fictas, ut eas quas vulgo dicunt, vel quas Plautus et Terentius composuerunt.

Ex antiquo cod. Ms. in bibliotheca regis Gall.

Natus in excelsis tectis Carthaginis altæ
Romanis ducibus bellica præda fui.
Descripsi mores hominum, juvenumque, senumque,
Qualiter et servi decipiant dominos:
Quid meretrix, quid leno dolis confingat avarus;
Hæc quicunque legit, sic, puto, cautus erit.

DE ÆLIO DONATO.

Hieronym. in Chronico Olymp. 284.

Victorinus rhetor et Donatus grammaticus, præceptor meus, Romæ insignes habentur: e quibus Victorinus etiam statuam in foro Trajano meruit.

Idem Apolog. advers. Rufinum.

Puto quod puer legeris Aspri in Virgilium et Sallustium commentarios: Vulcatii in orationes Ciceronis: Victorini in Dialogos ejus, et in Terentii Comœdias præceptoris mei Donati, æque in Virgilium, et aliorum in alios; Plautum, Lu-

cretium, Flaccum, Persium, atque Lucanum. Argue interpretationes eorum, quare non unam explanationem secuti sint, et in eadem re quod vel sibi, vel aliis videatur enumerent.

Hieronym. in Eccles. cap. I.

Comicus ait: Nihil est dictum, quod non sit dictum prius: unde et præceptor meus Donatus, cum ipsum versiculum exponeret, pereant, inquit, qui ante nos nostra dixerunt.

DE EUGRAPHIO.

Gerbertus quondam scholasticus ad Airardum, Epist. VII.

Petitionibus tuis annuimus: nostra ut exsequaris negotia, velut propria, monemus. Plinius emendetur, Eugraphius recipiatur.

Gerbertus hic postea PP. factus, Sylvester dictus fuit, vixitque sub Othone III. imp. circa a. C. DCCCCXCVIII. Vid. Fascicul. tempor. Onuphrius Panuin. in chron. Eccles. et alii.

PUB. TERENTII AFRI

CARTHAGINIENSIS VITA.

[1] Auctore Ælio Donato V. C.

PUBLIUS Terentius Afer, Carthagine natus, servivit Romæ Terentio Lucano senatori; a quo ob ingenium et formam, non institutus modo liberaliter, sed et mature manumissus est. Quidam captum esse existimant; quod fieri nullo modo potuisse, Fenestella docet: quum inter finem secundi belli Punici, et initium tertii natus sit, et mortuus: nec si a Numidis aut Getulis captus sit, ad ducem Romanum pervenire potuisset, nullo commercio inter Italicos et Afros, nisi post deletam Carthaginem, cœpto. Hic cum multis nobilibus familiariter vixit, sed maxime cum Scipione Africano, et C. Lælio: quibus etiam corporis gratia conciliatus existimatur. Quod et ipsum Fenestella arguit, contendens utroque majorem natu fuisse. Quamvis et Cornelius Nepos æquales omnes fuisse tradat, et Porcius suspicionem de consuetudine per hæc faciat:

[2] Dum lasciviam nobilium et fucosas laudes petit:
Dum Africani [3] voce divina inhiat avidis auribus:
Dum ad Furium se cœnitare et Lælium, pulchrum putat:
Dum se amari ab hisce credit, crebro in Albanum [4] rapi
[5] Ob florem ætatis suæ: ipsus sublatis rebus ad summam
Inopiam redactus est.

1 Alii hanc vitam tribuunt Suetonio Tranquillo. Cæterum quas hic additas vides, lector benevole, notulas Tan. Fabri, excerpsimus ex edit. Westerh. Z.

2 *Lascivia* hic significat lusus liberiores, jocos, convivia, et alia, quæ tenuioribus hominibus sunt denegata; sed summis viris, qui eleganti ingenio sint præditi, et concessa sunt, et bene succedunt. *Fab.*

3 Alii legunt *vocem divinam*, quod præferendum esse videtur. Z.

4 *Rapi* est rheda aut equo vehi. Sic Horat. Serm. I, 5. *Quatuor hinc rapimur viginti et millia rhedis. Fab.*

5 Hunc et sequentem versum Westerh. duce Fabro, in unum contractum edit sic: *Ob florem ætatis suæ: ad summam inopiam redactus est.* Z.

Itaque e conspectu omnium abiit in Græciam, in terram ultimam.
Mortuus est in Stymphalo, Arcadiæ oppido: nihil Publius
Scipio profuit, nihil ei Lælius, nihil Furius;
Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillime.
Eorum ille opera ne domum quidem habuit conductitiam:
Saltem ut esset, quo referret obitum domini servulus.

Scripsit comœdias sex: ex quibus primam Andriam cum ædilibus daret, jussus ante [6]Cærio recitare. Ad cœnantem cum venisset, dictus est, initium quidem fabulæ, quod erat contemtiore vestitu, subsellio juxta lectulum residens legisse: post paucos vero versus invitatus, ut accumberet, cœnasse una; deinde cætera percurrisse, nón sine magna Cærii admiratione. Et hanc autem, et quinque reliquas æqualiter populo probavit; quamvis Volcatius de enumeratione omnium ita scribat, *Sumetur Hecyra sexta ex his fabula.*

Eunuchus quidem bis die acta est; meruitque pretium, quantum nulla antea cujusquam comœdia, id est, octo millia nummum; propterea summa quoque [7]titulo adscribitur. Nam Adelphorum principium Varro etiam præfert principio Menandri. Non obscura fama est, adjutum Terentium in scriptis a Lælio et Scipione, quibuscum familiariter vixit. Eandem ipse auxit. Nunquam enim, nisi leviter, se tutari conatur, ut in prologo Adelphorum:

Nam quod isti dicunt malevoli, homines nobiles
Hunc adjutare, assidueque una scribere:
Quod illi maledictum vehemens existimant,
Eam laudem hic ducit maximam: cum illis placet,
Qui vobis universis, et populo placent:
Quorum opera in bello, in otio, in negotio,
Suo quisque tempore usus est sine superbia.

Videtur autem se levius defendisse, quia sciebat Lælio et Scipioni non ingratam esse hanc opinionem; quæ tamen magis et usque ad posteriora tempora valuit.

Q. Memmius in oratione pro se ait: *Pub. Africanus, qui a Terentio permanem mutuatus, quæ domi luserat ipse, nomine illius*

6 Westerhovius recte edidit Cærilio, ut paulo post Cærio. *E.*

7 *Titulus*, h. l. Didascaliam significat. Ergo, ut hodie editur, mutila est. *Fab.*

in scenam detulit. Nepos auctore certo comperisse se ait, C. Lælium quondam in Puteolano [8]Kal. Martiis admonitum ab uxore, temporius ut discumberet, petiisse ab ea ne interpellaretur: serius tandem ingressum triclinium dixisse, non sæpe in scribendo magis successisse sibi. deinde rogatum ut scripta illa proferret, pronunciasse versus, qui sunt in Heautentimorumeno,

Satis pol proterve me Syri promissa huc induxerunt.

Santra Terentium existimat, si modo in scribendo adjutoribus indiguerit, non tam Scipione et Lælio uti potuisse, qui tunc adolescentuli fuere: quam C. Sulpitio Gallo homine docto, [9]et qui consularibus ludis initium fecerit fabularum dandarum: vel Q. Fabio Labeone, et M. Popilio, consulari utroque, ac poeta. Ideo ipsum non juvenes designasse, qui se adjuvisse dicerentur: sed viros, quorum operam, et in bello, et in otio, et in negotio populus sit expertus. Post editas comœdias nondum quintum atque trigesimum egressus annum, causa evitandæ opinionis, quia videbatur aliena pro suis edere: seu percipiendi Græcorum instituta moresque, quos perinde exprimeret in scriptis, egressus urbem est, neque amplius rediit. De morte ejus Volcatius tradit:

Sed ut Afer sex populo dedit comœdias,
Iter hinc in Asiam fecit. [10]navim cum semel
Conseendit, visus nunquam est. sic vita vacat.

[11] Q. Cosconius redeuntem a Græcia periisse in mari dicit cum centum et octo fabulis, conversis a Menandro. Cæteri [12]mortuum esse in Arcadiæ Stymphalo, sive Leucadia tradunt, Cn. Cornelio Dolabella, M. Fulvio nobiliore Coss. morbo

8 *Kalendis Martiis*] Quia hoc die regnum matronarum erat. *Fab.*

9 *Et qui consularibus*] Ms. R. *Cujus consularibus.* L. Muretus conjicit *Consualibus ludis:* sed Faber vult legi *Cerealibus.* Z.

10 *Navim cum semel*] Ms. Danielis. *Navim ut semel.* L.

11 *Qu. Cosconius*] Ita ex Mss. edidimus, vulg. hactenus fuit *Consentius.* Cosconium laudat Varro, de Ling. Lat. lib. v. L.

12 *Mortuum esse in Arcadiæ*] Alii *in Arcadia Stymphali sinu.* Ausonius ad Ursulum de senario numero: *Protulit in scenam quot dramata fabellarum, Arcadiæ medio qui jacet in gremio.* L.

implicitum acri, dolore ac tædio [13]amissarum sarcinarum, quas in navi præmiserat, ac simul fabularum quas novas fecerat. Fuisse dicitur mediocri statura, gracili corpore, colore fusco. Reliquit filiam, quæ post equiti Romano nupsit. Item hortulos xx jugerum, via Appia ad Martis villam: quo magis miror, Porcium scribere,

——————————— nihil Publius
Scipio profuit, nihil ei Lælius, nihil Furius;
Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillime.
Eorum ille opera ne domum quidem habuit conductitiam:
Saltem ut esset, quo referret obitum domini servulus.

Hunc Afranius quidem omnibus comicis præfert, scribens in compitalibus, *Terentio non similem dices quempiam.*

Volcatius autem non solum Nævio, et Plauto, et Cæcilio, [14]sed Licinio quoque postponit. Cicero [15]in Limone hactenus laudat:

Tu quoque, qui solus lecto sermone Terenti,
Conversum expressumque Latina voce Menandrum
[16]In medio populi sedatis vocibus effers;
[17]Quicquid come loquens, ac omnia dulcia dicens.

Item C. Cæsar.

Tu quoque tu in summis, o dimidiate Menander,
Poneris, et merito, puri sermonis amator,
Lenibus atque utinam scriptis adjuncta foret vis
Comica, ut æquato virtus polleret honore
Cum Græcis, neque in hac [18]despectus parte jaceres!
Unum hoc maceror, et doleo tibi deesse, Terenti.

Hæc Suetonius Tranquillus. Nam duos Terentios poetas fuisse scribit Metius, quorum alter Fregellanus fuerit Terentius Libo, alter libertinus Terentius Afer patria, de quo nunc

13 *Amissarum sarcinarum*] Nil verius hac lectione, quam omnes scripti codd. præferunt, excepto uno, in quo *fabularum* erat. Vulgo hactenus legitur *satyrarum*; sed id ne titivilitii quidem. L.

14 *Sed Licinio*] Ms. *sed Livio*. L.

15 Puto hunc Ciceronis librum nihil continuisse, nisi epigrammata in varios claros, quocunque in genere præstantiæ sibi nomen parassent. *Fab.*

16 *In medio populi*] Ms. Dan. *In medium nobis sedatis*, &c. L.

17 *Quicquid come*] Ms. Dan. *Quiddam come*. al. *Quicquod*. L.

18 *Despectus parte*] Ms. Dan. *despecta parte*. L.

loquimur. Scipionis fabulas edidisse Terentium, Valgius in Actæone ait.

> Hæ, quæ vocantur fabulæ, [19]cujæ sunt?
> Non has, qui jura populis, [20]end' ibus dabat *
> Honore summo affectus fecit fabulas.

Duæ ab Apollodoro translatæ esse dicuntur comico, Phormio et Hecyra: quatuor reliquæ a Menandro. ex quibus magno successu et pretio stetit Eunuchus fabula: Hecyra sæpe exclusa, vix acta est.

19 *Cujæ sunt?*] Sic libr. Dan. al. *cujus sunt?* L.

20 *Populis, end' ibus dabat*] Ita Mss. Danielis. vulg. *petentibus dabat* al. *recensentibus.* L.

cretium, Flaccum, Persium, atque Lucanum. Argue interpretationes eorum, quare non unam explanationem secuti sint, et in eadem re quod vel sibi, vel aliis videatur enumerent.

Hieronym. in Eccles. cap. I.

Comicus ait: Nihil est dictum, quod non sit dictum prius: unde et præceptor meus Donatus, cum ipsum versiculum exponeret, pereant, inquit, qui ante nos nostra dixerunt.

DE EUGRAPHIO.

Gerbertus quondam scholasticus ad Airardum, Epist. VII.

Petitionibus tuis annuimus: nostra ut exsequaris negotia, velut propria, monemus. Plinius emendetur, Eugraphius recipiatur.

Gerbertus hic postea PP. factus, Sylvester dictus fuit, vixitque sub Othone III. imp. circa a. C. DCCCCXCVIII. Vid. Fasicul. tempor. Onuphrius Panuin. in chron. Eccles. et alii.

PUB. TERENTII AFRI

CARTHAGINIENSIS VITA.

[1] Auctore Ælio Donato V. C.

PUBLIUS Terentius Afer, Carthagine natus, servivit Romæ Terentio Lucano senatori; a quo ob ingenium et formam, non institutus modo liberaliter, sed et mature manumissus est. Quidam captum esse existimant; quod fieri nullo modo potuisse, Fenestella docet: quum inter finem secundi belli Punici, et initium tertii natus sit, et mortuus: nec si a Numidis aut Getulis captus sit, ad ducem Romanum pervenire potuisset, nullo commercio inter Italicos et Afros, nisi post deletam Carthaginem, cœpto. Hic cum multis nobilibus familiariter vixit, sed maxime cum Scipione Africano, et C. Lælio: quibus etiam corporis gratia conciliatus existimatur. Quod et ipsum Fenestella arguit, contendens utroque majorem natu fuisse. Quamvis et Cornelius Nepos æquales omnes fuisse tradat, et Porcius suspicionem de consuetudine per hæc faciat:

[2] Dum lasciviam nobilium et fucosas laudes petit:
Dum Africani [3] voce divina inhiat avidis auribus:
Dum ad Furium se cœnitare et Lælium, pulchrum putat:
Dum se amari ab hisce credit, crebro in Albanum [4] rapi
[5] Ob florem ætatis suæ: ipsus sublatis rebus ad summam
Inopiam redactus est.

1 Alii hanc vitam tribuunt Suetonio Tranquillo. Cæterum quas hic additas vides, lector benevole, notulas Tan. Fabri, excerpsimus ex edit. Westerh. Z.

2 *Lascivia* hic significat lusus liberiores, jocos, convivia, et alia, quæ tenuioribus hominibus sunt denegata; sed summis viris, qui eleganti ingenio sint præditi, et concessa sunt, et bene succedunt. *Fab.*

3 Alii legunt *vocem divinam*, quod præferendum esse videtur. Z.

4 *Rapi* est rheda aut equo vehi. Sic Horat. Serm. I, 5. *Quatuor hinc rapimur viginti et millia rhedis.* *Fab.*

5 Hunc et sequentem versum Westerh. duce Fabro, in unum contractum edit sic: *Ob florem ætatis suæ: ad summam inopiam redactus est.* Z.

Itaque e conspectu omnium abiit in Græciam, in terram ultimam.
Mortuus est in Stymphalo, Arcadiæ oppido: nihil Publius
Scipio profuit, nihil ei Lælius, nihil Furius;
Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillime.
Eorum ille opera ne domum quidem habuit conductitiam:
Saltem ut esset, quo referret obitum domini servulus.

Scripsit comœdias sex: ex quibus primam Andriam cum ædilibus daret, jussus ante [6]Cærio recitare. Ad cœnantem cum venisset, dictus est, initium quidem fabulæ, quod erat contemtiore vestitu, subsellio juxta lectulum residens legisse: post paucos vero versus invitatus, ut accumberet, cœnasse una; deinde cætera percurrisse, non sine magna Cærii admiratione. Et hanc autem, et quinque reliquas æqualiter populo probavit; quamvis Volcatius de enumeratione omnium ita scribat, *Sumetur Hecyra sexta ex his fabula.*

Eunuchus quidem bis die acta est; meruitque pretium, quantum nulla antea cujusquam comœdia, id est, octo millia nummum; propterea summa quoque [7]titulo adscribitur. Nam Adelphorum principium Varro etiam præfert principio Menandri. Non obscura fama est, adjutum Terentium in scriptis a Lælio et Scipione, quibuscum familiariter vixit. Eandem ipse auxit. Nunquam enim, nisi leviter, se tutari conatur, ut in prologo Adelphorum:

Nam quod isti dicunt malevoli, homines nobiles
Hunc adjutare, assidueque una scribere:
Quod illi maledictum vehemens existimant,
Eam laudem hic ducit maximam: cum illis placet,
Qui vobis universis, et populo placent:
Quorum opera in bello, in otio, in negotio,
Suo quisque tempore usus est sine superbia.

Videtur autem se levius defendisse, quia sciebat Lælio et Scipioni non ingratam esse hanc opinionem; quæ tamen magis et usque ad posteriora tempora valuit.

Q. Memmius in oratione pro se ait: *Pub. Africanus, qui a Terentio personam mutuatus, quæ domi luserat ipse, nomine illius*

6 Westerhovius recte edidit *Cæcilio*, ut paulo post *Cæcilii*. Z.

7 *Titulus*, h. l. Didascaliam significat. Ergo, ut hodie editur, mutila est. *Fab.*

in scenam detulit. Nepos auctore certo comperisse se ait, C. Lælium quondam in Puteolano [8]Kal. Martiis admonitum ab uxore, temporius ut discumberet, petiisse ab ea ne interpellaretur: serius tandem ingressum triclinium dixisse, non sæpe in scribendo magis successisse sibi. deinde rogatum ut scripta illa proferret, pronunciasse versus, qui sunt in Heautontimorumeno,

Satis pol proterve me Syri promissa huc induxerunt.

Santra Terentium existimat, si modo in scribendo adjutoribus indiguerit, non tam Scipione et Lælio uti potuisse, qui tunc adolescentuli fuere: quam C. Sulpitio Gallo homine docto, [9]et qui consularibus ludis initium fecerit fabularum dandarum: vel Q. Fabio Labeone, et M. Popilio, consulari utroque, ac poeta. Ideo ipsum non juvenes designasse, qui se adjuvisse dicerentur: sed viros, quorum operam, et in bello, et in otio, et in negotio populus sit expertus. Post editas comœdias nondum quintum atque trigesimum egressus annum, causa evitandæ opinionis, quia videbatur aliena pro suis edere: seu percipiendi Græcorum instituta moresque, quos perinde exprimeret in scriptis, egressus urbem est, neque amplius rediit. De morte ejus Volcatius tradit:

Sed ut Afer sex populo dedit comœdias,
Iter hinc in Asiam fecit. [10]navim cum semel
Conscendit, visus nunquam est. sic vita vacat.

[11] Q. Cosconius redeuntem a Græcia periisse in mari dicit cum centum et octo fabulis, conversis a Menandro. Cæteri [12]mortuum esse in Arcadiæ Stymphalo, sive Leucadia tradunt, Cn. Cornelio Dolabella, M. Fulvio nobiliore Coss. morbo

8 *Kalendis Martiis*] Quia hoc die regnum matronarum erat. *Fab.*

9 *Et qui consularibus*] Ms. R. *Cujus consularibus.* L. Muretus conjicit *Consualibus ludis:* sed Faber vult legi *Cerealibus.* Z.

10 *Navim cum semel*] Ms. Danielis. *Navim ut semel.* L.

11 *Qu. Cosconius*] Ita ex Mss. edidimus, vulg. hactenus fuit *Consentius.* Cosconium laudat Varro, de Ling. Lat. lib. v. L.

12 *Mortuum esse in Arcadiæ*] Alii *in Arcadia Stymphali sinu.* Ansonius ad Ursulum de senario numero: *Protulit in scenam quot dramata fabellarum, Arcadiæ medio qui jacet in gremio.* L.

implicitum acri, dolore ac tædio [13]amissarum sarcinarum, quas in navi præmiserat, ac simul fabularum quas novas fecerat. Fuisse dicitur mediocri statura, gracili corpore, colore fusco. Reliquit filiam, quæ post equiti Romano nupsit. Item hortulos xx jugerum, via Appia ad Martis villam: quo magis miror, Porcium scribere,

——————————— nihil Publius
Scipio profuit, nihil ei Lælius, nihil Furius;
Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillime.
Eorum ille opera ne domum quidem habuit conductitiam:
Saltem ut esset, quo referret obitum domini servulus.

Hunc Afranius quidem omnibus comicis præfert, scribens in compitalibus, *Terentio non similem dices quempiam.*

Volcatius autem non solum Nævio, et Plauto, et Cæcilio, [14]sed Licinio quoque postponit. Cicero [15]in Limone hactenus laudat:

Tu quoque, qui solus lecto sermone Terenti,
Conversum expressumque Latina voce Menandrum
[16]In medio populi sedatis vocibus effers;
[17]Quicquid come loquens, ac omnia dulcia dicens.

Item C. Cæsar.

Tu quoque tu in summis, o dimidiate Menander,
Poneris, et merito, puri sermonis amator,
Lenibus atque utinam scriptis adjuncta foret vis
Comica, ut æquato virtus polleret honore
Cum Græcis, neque in hac [18]despectus parte jaceres!
Unum hoc maceror, et doleo tibi deesse, Terenti.

Hæc Suetonius Tranquillus. Nam duos Terentios poetas fuisse scribit Metius, quorum alter Fregellanus fuerit Terentius Libo, alter libertinus Terentius Afer patria, de quo nunc

13 *Amissarum sarcinarum*] Nil verius hac lectione, quam omnes scripti codd. præferunt, excepto uno, in quo *fabularum* erat. Vulgo hactenus legitur *satyrarum*; sed id ne titivilitii quidem. L.

14 *Sed Licinio*] Ms. *sed Livio*. L.

15 Puto hunc Ciceronis librum nihil continuisse, nisi epigrammata in varios claros, quocunque in genere præstantiæ sibi nomen parassent. *Fab.*

16 *In medio populi*] Ms. Dan. *In medium nobis sedatis*, &c. L.

17 *Quicquid come*] Ms. *Quiddam come*. al. *Quicquod*. L.

18 *Despectus parte*] Ms. Dan. *despecta parte*. L.

loquimur. Scipionis fabulas edidisse Terentium, Valgius in Actæone ait.

> Hæ, quæ vocantur fabulæ, [19]cujæ sunt?
> Non has, qui jura populis, [20]end' ibus dabat *
> Honore summo affectus fecit fabulas.

Duæ ab Apollodoro translatæ esse dicuntur comico, Phormio et Hecyra: quatuor reliquæ a Menandro. ex quibus magno successu et pretio stetit Eunuchus fabula: Hecyra sæpe exclusa, vix acta est.

19 *Cujæ sunt?*] Sic libr. Dan. al. *cujus sunt?* L.

20 *Populis, end' ibus dabat*] Ita Mss. Danielis. vulg. *petentibus dabat* al. *recensentibus.* L.

[1] DE TRAGŒDIA ET COMŒDIA.

INITIUM tragœdiæ et comœdiæ a rebus divinis est inchoatum: quibus pro fructibus vota solventes operabantur antiqui. Nam incensis jam altaribus, et admoto hirco, id genus carminis, quod sacer chorus reddebat libero patri, tragœdia dicebatur, vel ἀπὸ τοῦ τράγου [2]καὶ τῆς ᾠδῆς, hoc est, ab hirco, hoste vinearum, et a cantilena. Ejus ipsius rei apud Virgilium plena fit mentio. Vel quod hirco donabatur ejus carminis poeta: vel quod uter ejus musti plenus solemne præmium cantoribus fuerat; vel quod ora sua fecibus pertinebant scenici, ante usum personarum, ab Æschylo repertum. Feces enim [3]dicuntur Græce τρύγες. Et his quidem causis tragœdiæ nomen est inventum. At vero nondum coactis in urbem Atheniensibus, cum [4]Apollini Nomio, vel AFyAΘῶ * id est pastorum vicinorumque præsidi deo, constructis aris in honorem divinæ rei circum Atticæ vicos, vil-

1 Quæ hic de tragœdia et comœdia referuntur, ea non ut alii ex Cornuto vel Aspro desumta, sed ex Evanthii commentario in Terentium selecta esse arbitror. Ejusceque rei evidentissimum argumentum est, quod sub hujus eruditissimi grammatici nomine (quem iisdem cum Donato temporibus, hoc est Olymp. 285. regnante Constantio Fil. Constantini, C. P. floruisse notat Hieronym.) hæc verba afferat Rufinus Antiochensis grammat. lib. de metris Terentianis: *Concinna argumento, consuetudine congrua, utilis sententiis, grata salibus, apta metro.* Et postea sic: *Veteres etsi usi ipsi quoque metris*, &c. Quæ ipsissima in hisce prolegomenis nunc leguntur. L.

2 Καὶ τῆς ᾠδῆς,] Hoc ex Mss. additum. L.

3 Dicuntur Græce ΤΡΥΓΕΣ] Athen. lib. 2. Ἀπὸ μέθη, καὶ ἡ τῆς κωμῳδίας, καὶ ἡ τῆς τραγῳδίας εὕρεσις ἐν Ἰκαρίῳ τῆς Ἀττικῆς εὑρέθη, καὶ κατ' αὐτὸν τὸν τῆς τρύγης καιρόν, ἀφ' οὗ δὴ καὶ τρυγῳδία τὸ πρῶτον ἐκλήθη ἡ κωμῳδία. Vid. Etymol. Magnum in τραγῳδία. L.

4 Apollini Nomio vel AFyAΘῶ] Hæc est scriptura priscorum codd. quæ refingenda videtur hoc modo: *Apollini Nomio vel Agyjeo.* De Apolline Nomio Serv. 4. Georgicor. ad illa verba, *auditque vocatus Apollo.* Ἀγυιὰς autem Elei appellarunt, teste Pausania in Eliacis, τοὺς ὑπ' Ἀθηναίων καλουμένους στενωπούς. Et hinc Apollo Agyjeus, de quo fuse Græci. Horat. Carm. lib. 4. Od. 6. *Lenis Agyjeus* et ibi Prophyr. Macrob. Saturnal. lib. I. cap. 9. Postea sic legitur in Mss. *pastorum vicinorum deo.* ubi in editis est, *vicinorumque præsidi deo.* L.

las, pagos, et compita festum carmen solenniter cantarent: orta est comœdia ἀπὸ τῶν κωμῶν καὶ τῆς ᾠδῆς composito nomine, vel ἀπὸ τοῦ κωμάζειν καὶ ᾄδειν, quod est, comessatum ire cantantes. quod a poetis solemni die, vel amatorie lascivientibus choris comicis non absurdum est. Itaque ut rerum, ita etiam temporum ipsorum cœpto ordine tragœdia primo prolata esse cognoscitur. Nam ut ab incultis et feris moribus paulatim perventum est ad mansuetudinem, urbesque sunt conditæ, et vita mitior atque otiosior processit: ita res tragicæ longe ante comicas inventæ. Quamvis autem retro prisca voluentibus reperiatur Thespis tragœdiæ primus inventor: et comœdiæ veteris pater Eupolis cum Cratino, Aristophaneque esse dicatur. Homerus tamen, qui fere omnis poeticæ largissimus fons est, etiam his carminibus exempla præbuit, et velut quadam suorum operum lege præscripsit: qui Iliadem instar tragœdiæ, Odysseam ad imaginem comœdiæ fecisse monstratur. Nam post illius tale tantumque documentum, ab ingeniosissimis imitatoribus et digesta sunt in ordinem, et divisa ea, quæ etiam tum temere scribebantur adhuc impolita, atque in ipsis rudimentis haudquaquam, ut postea facta sunt, decora atque lævia. At nos ea, quæ proprie de tragœdia dicenda sunt, titulo propositi operis instantes, in alia tempora differamus: et de his fabulis jam loquamur, quas Terentius imitatus est. Postquam demonstrandæ originis causa de utriusque generis initio diximus: quod necesse est jam dicemus.

Comœdia fere vetus, ut ipsa quoque olim tragœdia, simplex carmen (quemadmodum jam diximus) fuit: quod chorus circa aras fumantes nunc spatiatus, nunc consistens, nunc revolvens gyros, cum tibicine concinebat. Sed primo una persona substituta est cantoribus, quæ respondens alternis choro, locupletavit variavitque rem musicam. tum altera, tum tertia, et ad postremum crescente numero, per auctores diversos, personæ, pallæ, cothurni, socci, et cæteri ornatus atque insignia scenicorum reperta: et ad hoc unicuique suus habitus: et ad ultimum qui primarum partium, qui secundarum, et tertiarum, qui quartarum atque quinctarum actores

5 *Festum carmen*] In Ms. Dan. *mœdia vocitata est, ut opinor, a pagis et festivum carmen solenniter cantare- cantilena composito nomine, vel ἀπὸ τῶ tur; ἀπὸ τῶν κωμῶν καὶ τῆς ωδῆς co- κωμάζειν*, &c. L.

essent, distributa et divisa quinquepartito tota est fabula. quæ tamen in ipsis ortus sui velut quibusdam incunabilis, et vix dum incipiens,[6] κωμῳδία ἐτεώνυος καὶ ἀρχαία dicta est: ἀρχαία idcirco, quia est de nobis parum cognitis vitiis: [7] ἐτεώνυος autem, quia inest in ea velut historica fides veræ narrationis, et denominatio omnium, de quibus libere describebatur. Etenim per priscos poetas, non ut nunc, penitus ficta argumenta: sed res gestæ a civibus palam cum eorum sæpe, qui gesserant, nomine decantabantur. Ideo ipsa suo tempore moribus multum profuit civitatis: cum unusquisque caveret, culpa ne spectaculo cæteris esset, et domestico probro. Sed cum poetæ abuti licentius stilo, et [8] passim lædere ex libidine cœpissent plures bonos, ne quisquam in alterum carmen infame proponeret, lege lata siluere. Et hinc deinde aliud genus fabulæ, id est satyra sumsit exordium: quæ a satyris, quos illotos semper ac petulantes deos scimus esse, vocitata est. etsi aliunde nomen traxisse prave putant alii. Hæc, quæ satyra dicitur, ejusmodi fuit, ut in ea quamvis duro et veluti agresti joco, de vitiis civium tamen sine ullo proprii nominis titulo carmen esset. Quod item genus comœdiæ multis obfuit poetis, cum in suspicionem potentibus civibus venissent, illorum facta descripsisse in pejus, ac deformasse genus stilo carminis. quod primo Lucilius novo conscripsit modo, ut poesin inde faceret, id est, unius carminis plures libros. Hoc igitur, quo supra diximus modo, coacti omittere satyram, aliud genus carminis τὴν νέαν κωμῳδίαν, hoc est, novam comœdiam reperere poetæ; quæ argumento communi magis, et generaliter ad omnes homines, qui mediocribus fortunis agunt, pertineret: et minus amaritudinis spectatoribus, et eadem opera multum delectationis afferret: concinna argumento, consuetudine congrua, utilis sententiis, grata salibus, apta metro. Ut igitur superiores illæ suis quæque celebrantur

[6] κωμῳδία ἐτεώνυος καὶ ἀρχαία] Mss. ἀρχαία κωμῳδία et EPONOMATOS. L.

[7] Ἐτεώνυος autem] Mss. EPONOMATOS autem. L.

8 *Passim lædere ex libidine*] Veteris comœdiæ scommata et maledicta eleganter indicat Artemidor. lib. 1. cap. 58. τὸ δὲ κωμῳδῶν ἀκούειν, ἢ κωμικὰ ἔχειν ἀναπλάσματα, ἢ βιβλία, τὰ μὲν τῆς παλαιᾶς κωμῳδίας σπάσματα, καὶ ταφαχὰς, καὶ στάσεις, καὶ αἰσχρολογίας σημαίνει, τὰ δὲ τῆς νῦν ἡμῶν κωμῳδίας, τὰ μὲν ἄλλα ἴσα τῇ τραγῳδίᾳ σημαίνει, τὰ δὲ τίλη χρηστὰ καὶ ἀγαθὰ ἐπαγγελίαι· τοιοῦτα γὰρ αἱ ἐνυπνίσεις τῶν δραμάτων. Vid. Schol. Aristoph. L.

actoribus: ita hæc νέα κωμῳδία cum multorum antea, tum præcipue Menandri, Terentiani est. de qua cum multa dicenda sint, sat erit tamen velut admonendi lectoris causa, quod de arte comica veterum chartis continetur, exponere. Comœdia vetus ut ab initio chorus fuit, paulatimque personarum numero in quinque actus processit: ita paulatim velut attrito atque extenuato choro ad novam comœdiam sic pervenit, ut in ea non modo non inducatur chorus, sed ne locus quidem ullus jam relinquatur choro. Nam postquam otioso tempore fastidiosior spectator effectus, tunc cum ad cantores ab actoribus fabula transibat, consurgere et abire cœpisset: admonuit poetas primo quidem choros prætermittere, locum eis relinquentes: ut Menander fecit, hac de causa, non ut alii existimant, alia. Postremo ne locum quidem reliquerunt: quod Latini fecerunt comici, unde apud illos dirimere actus quinquepartitos difficile est. Tum etiam Græci prologos non habent more nostrorum, quos Latini habent. Deinde θεοὺς ἀπὸ μηχανῆς, id est, deos argumentis narrandis machinatos, cæteri Latini instar Græcorum habent: Terentius non habet. Ad hoc προτατικὰ πρόσωπα, id est, personas extra argumentum arcessitas, non facile cæteri habent: quibus Terentius sæpe utitur, ut per harum inductiones facile pateat argumentum. Veteres, etsi ipsi quoque in metris negligentius egerunt jambici versus, duntaxat in secundo et quarto loco: tamen a Terentio vincuntur resolutione hujus metri, quantum potest, comminuti ad imaginem prosæ orationis. Tum personarum leges circa habitum, ætatem, officium, partes agendi, nemo diligentius Terentio custodivit. Quinetiam solus ausus est cum in fictis argumentis fidem veritatis assequeretur, etiam contra præscripta comica meretrices interdum non malas introducere: quibus tamen, cur bonæ sint, et voluptas per ipsum et causa non desit. Hæc cum artificiosissime Terentius fecerit: tum illud est admirandum, quod et morem retinuit, ut comœdiam scriberet: et temperavit affectum, ne in tragœdiam transiliret. quod cum aliis rebus minime obtentum et a Plauto, et ab Afranio, et Accio, et multis fere magnis comicis invenimus. Illud quoque inter Terentianas virtutes mirabile, quod ejus fabulæ eo sunt temperamento, ut neque extumescant ad tragicam celsitudinem, neque abjiciantur ad mimicam vilitatem. Adde, quod nihil ab-

strusum ab eo ponitur: aut quod ab historicis requirendum sit, quod sæpius Plautus facit, et eo est obscurior in pluribus locis. Adde, quod argumenti ac stili ita attente memor est, ut nusquam[9] non caverit, aut curaverit ea, quæ obesse potuerunt: tum quod media primis atque postremis ita nexuit, ut nihil additum alteri, sed aptum ex se totum, et uno corpore videatur esse compositum. Illud quoque mirabile in eo primo, quod non ita miscet personas quatuor, ut obscura sit earum distinctio. Et item quod nihil ad populum facit actorem, velut ex tragœdia loqui: quod vitium Plauti frequentissimum est. Illud etiam inter cætera ejus laude dignum videtur, quod locupletiora argumenta ex duplicibus negotiis delegerit ad scribendum. Nam excepta Hecyra, in qua unius Pamphili amor est, cæteræ quinque binos adolescentulos habent. Illud vero tenendum est, post νέαν κωμῳδίαν Latinos multa fabularum genera protulisse: ut togatas, a scenicis atque argumentis Latinis: prætextatas, ab dignitate personarum, et Latina historia: Attelanas, a civitate Campaniæ, ubi actitatæ sunt plurimæ: Rhyntonicas, ab actoris nomine: tabernarias, ab humilitate argumenti et stili: mimos, ab diuturna imitatione vilium rerum et levium personarum. Inter tragœdiam autem et comœdiam cum multa, tum in primis hoc distat: quod in comœdia mediocres fortunæ hominum, parvi impetus periculaque, lætique sunt exitus actionum. At in tragœdia, omnia contraria, ingentes personæ, magni timores, exitus funesti habentur. Et illic turbulenta prima, tranquilla ultima. In tragœdia contrario ordine res aguntur. Tum quod in tragœdia, fugienda vita; in comœdia, capessenda exprimitur. Postremo, quod omnis comœdia de fictis est argumentis: tragœdia sæpe ab historica fide petitur. Latinæ fabulæ primo a Livio Andronico scriptæ sunt, adeo, ut ad has res etiam tum recentes idem et poeta et actor fabularum suarum fuisset. Comœdiæ autem motoriæ sunt, aut statariæ, aut mistæ. Motoriæ, turbulentæ: statariæ, quietiores: mistæ, ex utroque actu consistentes. Comœdia per quatuor partes dividitur, prologum, protasin, epitasin, catastrophem. Prologus est velut præfatio quædam fabulæ: in quo solo licet, præter argumentum aliquid ad

9 *Non caverit, aut curaverit*] Ms. Dan. *non aut caverit, aut curaverit.* L.

populum, vel ex poetæ, vel ex ipsius fabulæ, vel ex actoris commodo, loqui. Protasis primus est actus, initiumque dramatis. Epitasis incrementum processusque turbarum: ac totius, ut ita dixerim, motus erroris. Catastrophe conversio rerum est ad jucundos exitus, patefacta cunctis cognitione gestorum.

[10] *Comœdia* est fabula diversa instituta continens, affectumque civilium ac privatorum: quibus discitur, quid sit in vita utile, quid contra evitandum. [11] Hanc Græci sic definiere, *κωμωδία ἐστὶν ἰδιωτικῶν, καὶ πολιτικῶν πραγμάτων ἀκίνδυνος περιοχή*. Comœdiam esse Cicero ait, *imitationem vitæ, speculum consuetudinis, imaginem veritatis*. Comœdiæ autem a more antiquo dictæ: quia in vicis hujusmodi carmina initio agebantur, apud Græcos: ut in Italia compitalitiis ludicris, admisto pronunciationis modulo, quo, dum actus commutantur,[12] populus detinebatur. Aut *ἀπὸ τῶν κωμῶν*, hoc est, ab actu vitæ hominum, qui in vicis habitabant, ob mediocritatem fortunarum: non in aulis regiis, ut sunt personæ tragicæ. Comœdia vero, quia poema sub imitatione vitæ atque morum similitudine compositum est, in gestu et pronunciatione consistit. Comœdiam apud Græcos dubium est quis invenerit primus: apud Latinos certum est. Comœdiam et tragœdiam togatam primo Livius Andronicus reperit: aitque, *comœdiam esse quotidianæ vitæ speculum:* nec injuria. Nam ut intenti speculo veritatis lineamenta facile per imagines colligimus: ita lectione comœdiæ imitationem vitæ, consuetudinisque non segerrime animadvertimus. Hujus autem originis ratio ab exteris civitatibus, moribusque pervenit. Athenienses namque Atticam custodientes elegantiam, cum vellent male viventes notare, in vicos et compita ex omnibus locis læti, alacresque veniebant: ibique cum nominibus singulorum vitam publicabant: unde nomen compositum, ut comœdia vocaretur. Hæc autem carmina in pratis primum mollibus agebantur. Nec deerant præmia, quibus ad scribendum

10 *Comœdia est fabula*] In Mss. sic est *de comœdia. Comœdia est f.* Adeo ut quæ sequuntur, non Evanthii amplius, sed alterius auctoris esse videantur. L. Westerhovius nomine *Fragmenti Donati* edidit, satis audacter. Z.

11 *Hanc Græci sic definiere*] Diomed. Gram. lib. 3. ubi eadem definito habetur, *καὶ πολιτικῶν* non addit. L.

12 *Populus detinebatur*] Ms. *Populus attinebatur*, ut et inf. L.

doctorum provocarentur ingenia: sed et actoribus munera offerebantur, quo libentius jucundo vocis flexu ad dulcedinem commendationis uterentur. Caper namque pro donis his dabatur, quia vitibus noxium animal habebatur: a quo etiam tragœdiæ nomen exortum est. Nonnulli autem ex amurca olei fece, quæ est humor aquatilis, tragœdiam dici vocarique maluerunt. Qui ludi cum per artifices in honorem liberi patris agerentur, etiam ipsi comœdiarum tragœdiarumque scriptores hujus dei, velut patris numen colere veneraríque cœperunt. Cujus rei probabilis ratio extitit. Ita enim carmina inchoata proferebantur, ut per ea laudes ejus, et facta gloriosa celebrari, proferrique constaret: tum paulatim fama hujus artis increbuit. Thespis autem primus hæc scripta in omnium notitiam protulit. Postea Æschylus secutus exemplum, publicavit. de quibus ita Horatius in arte poetica loquitur:

Ignotum tragicæ genus invenisse camœnæ
Dicitur, et plaustris vexisse poemata Thespis,
Quæ canerent, agerentque peruncti fecibus ora.
Posthunc personæ, pallæque repertor honestæ
Æschylus, et modicis instravit pulpita tignis:
Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno.
Successit vetus hic comœdia non sine multa
Laude: sed in vitium libertas excidit, et vim
Dignam lege regi. lex est accepta: chorusque
Turpiter obticuit sublato jure nocendi.
Nil intentatum nostri liquere poetæ:
Nec minimum meruere decus, vestigia Græca
Ausi deserere, et celebrare domestica facta,
Vel qui prætextas, vel qui docuere togatas.

Fabula generale nomen est, ejus duæ primæ partes sunt, tragœdia et comœdia. Si Latina argumentatio sit, prætexata dicitur. Comœdia autem multas species habet. Aut enim palliata est, aut togata, aut tabernaria, aut attellana, aut mimus, aut Rhintonica, aut planipedia. Planipedia autem dicta, ob humilitatem argumenti ejus, ac vilitatem actorum, qui non cothurno aut socco utuntur in scena, aut pulpito, sed plano pede: vel ideo quod non ea negotia continet, quæ personarum in turribus, aut in cœnaculis habitantium sunt, sed in plano et humili loco. Personati primi egisse dicuntur co-

mediam Cincius et Faliscus: tragœdiam [13]Minutius et Prothonius. Omnium autem comœdiarum scripta ex quatuor rebus omnino summuntur; nomine, loco, facto, eventu. Nomine, ut Phormio, Hecyra, Gargulio, Epidicus. Loco, ut Andria, Leucadia, Brundusina. Facto, ut Eunuchus, Asinaria, Captivi. Eventu, Commorientes, Adelphi, Heautontimorumenos. Comœdiarum formæ sunt tres, palliatæ, Græcum habitum ferentes: quas nonnulli tabernarias vocant. Togatæ juxta formam personarum habitum togarum desiderantes. Attellanæ, salibus et jocis compositæ, quæ in se non habent, nisi vetustam elegantiam. Comœdia autem dividitur in quatuor partes, prologum, protasin, epitasin, catastrophen. Prologus est prima dictio, a Græcis [14]dicta πρόλογος, id est, antecedens veram fabulæ compositionem elocutio. Ejus species quatuor sunt. ζυστατικὸς, commendatitius: quo fabula vel poeta commendatur. [15] ἀναφορικὸς, relativus: quo aut adversario maledicta, aut gratiæ populo referuntur. [16]ἀποθετικὸς, argumentativus: fabulæ argumentum exponens. μικτὸς, mistus: omnia hæc in se continens. Inter prologum et prologium quidam hoc interesse voluerunt: quia prologos est velut præfatio quædam fabulæ, in quo solo scilicet præter argumentum, aliquid ad populum vel ex poeta, vel ex ipsius fabulæ, vel actoris commodo loquitur. Prologium autem est, cum tantum de argumento dicitur. Protasis est primus actus initiumque dramatis, quo pars argumenti explicatur, pars reticetur ad populi exspectationem tenendam. Epitasis est incrementum processusque turbarum, ac totius, ut ita dixerim, nodus erroris. Catastrophe est conversio rerum ad jocundos exitus, patefacta cunctis cognitione gestorum. In plerisque fabulis ipsarum nomina priora ponebantur, quam poetarum: in nonnullis poetarum, quam fabularum. Cujus moris diversitatem antiquitas probat. Nam cum primum aliqui fabulas ederent, ipsarum nomina pronunciabantur ante, quam poetæ pronunciarentur, ne aliqua invidia a scribendo deterreri possent. Cum autem per editionem multarum poetæ jam esset auctoritas acquisita, rursus priora poetarum

13 *Minutius et Prothanius*] Ms. *Minutius et Prothimus*. L.

14 *Dicta πρόλογος*] Ms. *Dicta πρῶτος λόγος*. L.

15 Ἀναφορικὸς] Ms. ἐπιτιμητικός. L.

16 Προθετικὸς] Ms. δραματικός. Quæ mox sequuntur, ex collectaneis regii exemplaris immutata sunt. L.

nomina proferebantur: ut per ipsorum vocabula fabulis attentio acquireretur.

Actas diversis ludis manifestum est inscribi. Nam ludorum quatuor sunt species, quos curules ædiles munere publico curant: Megalenses, magnis diis consecrati, quos Græci [17]μεγαλεσιους appellant: Funebres, ad retinendum populum instituti, dum pompa funeri decreta in honorem patricii viri plene instruitur: Plebei, qui pro salute plebis eduntur: Appollinares, Apollini consecrati. In scena duæ aræ poni solebant, dextra liberi, sinistra ejus dei, cui ludi fiebant: unde Terentius in Andria ait, *Ex ara hac sume verbenas.*

Hinc Ulyssem palliatum semper inducunt: sive quod aliquando insaniam simulavit: quo tempore tectum se esse voluit, ne agnitus cogeretur in bella prodire; seu ob singularem sapientiam, qua tectus munitusque plurimum sociis profuit. Hujus enim virtutis erat, animi semper decipientis ingenium. Nonnulli Ithacæ incolas, sicut Locros, palliatos fuisse commemorant. Achillis et Neoptolemi personæ diademata habent: quamvis regalia sceptra nunquam tenuerint: cujus argumenti probatio talis inducitur, quod nunquam cum reliqua Græciæ juventute ad gerenda cum Trojanis bella, sacramenta conjurationis inierunt, nec unquam sub Agamemnonis imperio fuerunt.

Comicis senibus [18]candidus vestitus inducitur, quod is antiquissimus fuisse memoratur. Adolescentibus discolor attribuitur. Servi comici amictu exiguo conteguntur, paupertatis antiquæ gratia, vel quo expeditiores agant. Parasiti cum intortis palliis veniunt. Læto vestitus candidus: ærumnoso obsoletus: purpureus diviti: pauperi phœniceus datur: militi clamis purpurea: puellæ habitus peregrinus inducitur. Leno pallio varii coloris utitur. Meretrici ob avaritiam luteum datur. Syrmata dicta sunt ab eo, quod trahuntur: quæ res ab scenica luxuria instituta est. Eadem in luctuosis personis incuriam sui per negligentiam significant. Aulæa quoque in scena intexta sternuntur, quod pictus ornatus erat, [19]ex Atta-

17 Μεγαλεσιους *appellant*] Ms. Μεπογcιογc. Videtur legendum (ut et in Pith. lib. emendatum erat) μεγάλους σιούς. Vult Megalenses ludos nomen invenisse ἀπὸ τῶν μεγάλων σιῶν. hoc est, dis magnis. Nam Doribus, ut et Plato et Aristoteles testantur, σιὸς est deus. L.

18 *Candidus vestitus*] De vestitu comico vid. Pollucem. L.

19 *Ex Attalica regia*] Sil. Italicus lib. 14. — *quæque Attalicis variata per artem Aulæis scribuntur acu.*—

lica regia Romam usque perlatus: pro quibus siparia ætas posterior accepit. Est autem [20] mimicum velum, quod populo obsistit, dum fabularum actus commutantur. Diverbia histriones pronunciabant. Cantica vero temperabantur modis non a poeta, sed a perito artis musicæ factis. Neque enim omnia iisdem modis in uno cantico agebantur, sed sæpe mutatis. Ut significant qui tres numeros in comœdiis ponunt, qui tres continent mutatos modos cantici illius. Qui hujusmodi modos faciebant, nomen in principio fabulæ et scriptoris et actoris superponebant. Hujusmodi adeo carmina ad tibias fiebant, ut his auditis, multi ex populo ante discerent, quam fabulam acturi scenici essent, quam omnino spectatoribus ipsis antecedens titulus pronunciaretur. Agebantur autem tibiis paribus aut imparibus, et dextris aut sinistris. Dextræ autem tibiæ sua gravitate seriam comœdiæ dictionem pronunciabant. Sinistræ et sarranæ acuminis levitate jocum in comœdia ostendebant. Ubi autem dextra et sinistra acta fabula inscribebatur, mistim joci et gravitates denunciabantur.

PUB. TERENTII VITA,

QUAM E CODICE MS. OXONIENSI DESCRIPSIT ABR. GRONOVIUS.

Comicus genere quidem exstitit Afer, civis vero Carthaginiensis: Scipione autem remeante victore Carthagine ad urbem Romam post interfectionem Hannibalis, iste qui cum aliis multis Carthaginiensibus comprehensus fuerat, ante currum Scipionis ligatis retro manibus minatus est, ut captivus, sed currum illius pileatus prosequutus est in urbem, quod erat in signum libertatis. Nam quicunque captivorum a victore libertate potiretur, pileum in capite habens currum illius prosequebatur; ut enim a Scipione agnitus est liberali ingenio, sapientia florere, in tanto honore, tanta gratia apud eum habitus est, præsertim cum liberis genitoribus ortus esset, ut

20 *Mimicum velum*] Hæc vera est lectio. Apul. *Siparium mimicum dimoveto.* Quinctilian. lib. 6. cap. 4. *Cum ejus accusator in siparii omnibus locis, aut nudum eum in nervo, aut ab amicis redemtum ex alea pinxisset.* Hæc eadem vox restituenda est Servio in Georg. Virgil. Vid. Fest. et Juvenal. Scholiast. ad Satyr. 8. et alii. L.

ei eandem libertatem concederet, atque inter domesticos suos præcipuam familiaritatem ei donaret. Romæ autem dum moraretur, et videret frequenter populum in theatrum ad spectaculum convenire; ea ratione atque intentione exorsus est comœdiam scribere, ut populo recitationem fabularum suarum conferret, sibique eum conciliaret: sed quum cœpissent fabulæ ejus recitari, longe aliter visum est, quam speraverat, quia multos æmulos propter hoc contra se excitavit, qui ejus dicta reprehendebant. Scripsit autem nitidissimo stilo sex fabulas, ex unaquaque unum librum determinans; quas licet multi negent, mentiuntur, teste Prisciano, qui de metris Terentianis loquitur, et insuper in libro grammaticæ sæpe dicit, cujus genere metri constat exemplum, quod ponit; nec non etiam teste Ruphino in eo libro, quem de metris scripsit: ipse quoque nihilominus in prologis se poetam vocat. Omnes quidem ejus libri permaxime jambico metro constant, licet non uniformi. Prologi vero omnium librorum ternario jambico catalectico compositi sunt, sex pedibus pro tribus computatis. Nam diversa sunt genera jambici metri. Est enim monometrum, quod constat duobus jambis: est dimetrum, quod quatuor: est trimetrum, quod sex: est tetrametrum, quod octo: est pentametrum, sed raro invenitur: in quibus ista lex observatur, ut semper duo jambi pro uno pede computentur, ob celeritatem temporis, quam occupant, teste Horatio in libro poeticæ. Imitatur autem Nævium, Plautum, Ennium, veteres comicos, præcipueque Menandrum, qui longe ante ipsum duas fabulas descripsit, in quas transtulit quædam ex Perinthia illius, quæ convenere tam in sensu, quam in stilo: idcircoque graviter reprehendebatur ab æmulis. At tamen notandum, inter omnes comicos istum Terentium ab hoc principalitatem possidere, quum proprietatem verborum præ omnibus observavit. Illud etiam animadvertendum, has fabulas non ab ipso recitatas esse in senatu (scena Z.), sed a Calliopio clarissimo viro, satisque erudito, cui ipse præcipue adhærebat, cujusque ope sustentabatur, et auctoritate audiebatur. Modulator autem harum fabularum fuit Flaccus, quotiescunque enim recitabantur, erat modulator, et alii, qui gestu corporis eosdem affectus agebant. Comœdia enim ita constat, ut non res gestas more historiarum narret, sed ex colloquutione personarum res gesta compre-

hendatur, quasi inter eos tunc agatur. Hoc quoque notandum, quia non absque re imagines Terentianæ turgido et inflato ore pinguntur. Facundia enim et affluens eloquentia comicorum per hoc innuitur, quia fastuosi loquuntur, ut Horatius,

Iratusque Chremes tumido delitigat ore.

Nomina autem fabularum, sive librorum hujus comici sunt ista: Andria, Eunuchus, Heautontimorumenos, Adelphœ, Hecyra, Phormio.

PUB. TERENTII VITA,

DE DICTIS D. F. PETRARCHÆ,

QUÆ EST IN EDITIONE MEDIOLANENSI ANNI MCCCCLXXVI.

De Terentii vita in antiquis libris multa reperiuntur; plura etiam in modernis, scripta per varios scholasticos rerum ignaros: eoque veris falsa miscentur. Illud primum rei totius fundamentum. Multi ponunt Carthaginiensem patria fuisse Terentium. Quod haud dubie verum est, sicut epitaphium ejus clare indicat. Quamvis hoc ipsum quidam negent, ut inferius patebit. Cæterum et qui hoc dicunt, vero huic falsum illud implicant. Dicunt enim Scipione Romam revertente eversa Carthagine, interfecto Annibale, hunc Terentium inter cæteros captivos solutum et pileatum incessisse post triumphalem Scipionis currum. Quæ res multipliciter a veritate semota est. Nam in primis Scipio Carthaginem quidem vicit, et tributariam fecit, non evertit tamen ipsam Carthaginem; sed nepos ejus adoptivus, Africanus minor. Annibalem præterea bello vicit, fugavitque, sed nequaquam interfecit. Nempe qui victus in Asiam profugit, et sub Antiocho rege Syriæ militans consilio atque opera sua et regis potentia novum cum Romanis bellum denuo gessit. Quæ historia omnibus, qui in talibus ingenium exercent, planissime nota est. Deinde Scipionis triumphantis currum non hic Terentius pileatus prosecutus est, sed alter hujus nominis, Romanus civis: et ut Valerius Maximus testatur, prætoria familia ortus, et inter pauces senatorii ordinis splendidus. Qui etiam post

id tempus, tunc scilicet, quum Scipionis frater accusatus est Romæ, prætura gessit. Hic ergo triumphantis currum Scipionis prosecutus est, pileo capiti imposito, quod donatæ libertatis signum erat. Quatuor millia siquidem Romanorum civium, qui bello Punico capti erant et in servitutem redacti, victor Scipio liberatos in patriam reduxit. Inter quos fuit hic Terentius, de quo dixi, et tam memor beneficii accepti, tamque singulariter ante omnes gratus, ut per omnem vitam liberatorem suum Scipionem omni obsequio ac patrociniis debita veneratione coluerit. Triumphi autem die post eum pileatus incessit, hoc est liberti habitu: quasi per illius viri virtutem se libertati redditum populo Romano pileo testante denuncians. Quæ omnia apud Titum Livium celeberrimum historicum nota sunt. Sed minus miror scholasticos hoc errore deceptos, cum Paulus Orosius hoc scripserit: de quo admodum mirarer, nisi quod interdum magna quidem ingenia et in multis occupata et inter difficultates erecta equorum instar propter incautam securitatem in plano cespitant. Identitas nominis, ni fallor, errorem fecit, quod scilicet uterque Terentius. Sed circumspectus homo non vidit, quod se oculis ingerebat, in primis diversitatem cognominum, quæ ad discretionem nominum sunt inventa, quod scilicet ille Terentius Culeo, hic Terentius Afer, ut tituli hujus operis indicant; ille Romanus, iste Carthaginiensis: ille e servitute in libertatem, iste autem contra e libertate in servitutem ductus; ille senator, hic poeta; ille jam senior eo, hic puer eo tempore, quo a Romanis ducibus captus est: in qua captivitate ob elegantiam morum ad magnorum venit amicitias; utque ait Eusebius libro de temporibus, ob ingenium et formam libertate donatus est. Inter tot diversitates fallere una non debuisset identitas. Hic sane Terentius a principio juventutis suæ fertur a Terentio quodam Lucano emtus, a quo et nomen ipsum fortasse potuit accipere, aliter antea dictus apud suos. De hoc tamen præter conjecturam habeo nihil. Id quod constat, litteras Latinas Romæ didicit, ad poeticam pronus, et præcipue comœdiam; quo in genere facile, ut mihi videtur, omnes ante se vicit. Nam sequentes etiam a scribendo deterruit, nec fere, quem noverim, comœdiæ scriptor clarus post Terentium fuit. Scripsit comœdias forsan plures; sed quæ habentur in manibus, sex sunt, quæ per ordinem hoc volumine continentur:

quamvis ipse ordo non in omnibus voluminibus unus sit. Utcunque vero sint aliæ, ubique prima omnium est Andria: quam comœdiam priusquam ædilibus venderet, ut Eusebius idem ait, Cæcilio multum se miranti legit. De materia comœdiarum loqui prolixum est: de expositione prolixius. Sed cujusque materiam in argumento ejus perbreviter comprehensam lector inveniet; expositionem studio et ingenio molietur. Genus poematis carmen jambicum, sed varium. Jambi enim materiæ comicæ apti sunt. In comœdiis quidem nusquam auctor loquitur, sed introductæ personæ: quem morem hic ad prologos transferre nititur; quibus scribendis æmulorum invidia causam dedit. Respondendum enim erat, ne forte procacitas gloriam mereretur, infamiamque modestia. Horum vero stimulis ac vocibus agitatus fertur Athenas petiisse, ut Græcorum penitus ingenia moresque pernosceret: et cum multis in Latinam linguam translatis, post aliquod tempus voti compos Romam remearet cum sarcinulis et comœdiis, quas ibi scripserat, in navim impositis, ipse terrestri itinere patras perrexisse: unde brevi transitu in Italiam navigaret. Ubi exspectate navis audito naufragio, quæ circa sinum Illyricum periclitata erat, tantæ jacturæ dolore permotus Stimphalim in Arcadiam decessisse: ibique defunctus ac sepultus publice fuisse. Periisse eum in Arcadia, ipso eodem teste Eusebio notum est. Et inprimis quidem quatuor comœdiis, scilicet Andria, Eunucho, Heautontimorumeno, Adelphis, Menandrum comicorum principem Græcorum imitatus creditur; quod et rubricæ vetustissimorum codicum innuunt. Quin partem scripturæ, quia plus confusionis, quam lucis habere visa est, sciens omisi. Innuunt et prologi quidam in reliquis duabus Apollodorum Corinthium. Vendidisse eum Eunuchum suum, fama est, viginti millibus nummum: quod pretium ante eum nullus acceperat. Ad summum, suo genere poetandi tantus vir fuit, ut Hieronymus inter quatuor poetarum, duos scilicet Græcorum, et totidem Latinorum duces quartum hunc nominare non dubitet, hoc ordine, Homerum, Virgilium, Menandrum, Terentium: quam sibi excellentiam non stili attribuit altitudo, qua a multis non dubie et Menander apud suos vincitur, et Terentius apud nostros, et quæ in comœdiis non modo non necessaria, sed plerumque etiam vitiosa est. Quid ergo humanorum morum

exacta notitia et ordo narrationis ab ipso Cicerone laudatur, et stili jucunditas ac gratia? Sed super omnia, ut quibusdam placet, sola proprietas hæc facit; ut enim primo Æneidis commento ait Servius, sciendum est Terentium propter solam proprietatem omnibus comicis esse prælatum: quibus est, quantum spectat ad cætera, inferior. Quod ultimum omnibus, quos legere potui, commentatoribus excussis, Servii salva pace non approbo. Hæc vel ad notitiam habendam, vel ad errorem declinandum, breviter de Terentio dicta sunto.

DANIELIS HEINSII

AD HORATII DE PLAUTO ET TERENTIO JUDICIUM.

Dissertatio.

> At nostri proavi Plautinos et numeros et
> Laudavere sales; nimium patienter utrumque,
> Ne dicam stulte, mirati; si modo ego et vos
> Scimus inurbanum lepido seponere dicto,
> Legitimumque sonum digitis callemus et aure.

Durum equidem judicium, et quod non nemo hac ætate de leporum omnium parente, summo critico ac maximo poeta excidisse nollet: cujus tamen vernæ melius de Plauto judicabant, quam qui nunc familiam in litteris tueri hac ætate creduntur. qui nec seculi, quo vixit, et quo, cum poesis, tam Latina lingua, ad supremum culmen ac fastigium evecta fuit, ignorare potuit judicium; vir tantus, et quod rei caput arbitror, principibus, qui inter se quotidie de iis judicabant, intime familiaris ac amicus. Augusto autem, optimo ingeniorum judici tam gratus atque acceptus, ut non raro lepidissimus homuncio ab eo diceretur, et quem, si antiquitati habenda hic fides, etiam habere ab epistolis optavit. Qui cum contra tanti Terentii fecerit fabellas, ut et integras ex iis *ῥήσεις* descripserit, et ubique accommodet, soli denique artem tribuat; hominis *ἀνθάδους* potius quam eruditi esset, ita dissentire a tanto viro, ut ne causam prius cognoscendam crederet. Quare videamus saltem, quid afferri pro utroque possit. Ne vel Flacci judicium in posterum, ut solent, aut Terentium secure nimium damnare quidam pergant in comœdia. Omnia au-

tem pro Horatii judicio, qui Plautum sic amamus, ut e manibus rarissime putemus deponendum, dicentur potius quam nostro. Ac de numeris quidem nonnulla Donatus qua etiam in parte haud parum veteribus nonnullis placuit Terentius. Rufino quidem grammatico, cum inquit:

> Agnovit metrum, servatque Terentius artem:
> Nam prologos trimetro didicit componere versu,
> Scenarumque actus primos pede claudit eodem.

Quamquam certe Fabius, non stetisse intra trimetros deplorat. De quo forte alias dicturi sumus. Ad alterum priusquam veniamus, quædam præmittenda erunt. Cum eædem comœdiæ propemodum sint partes ac tragœdiæ, finis quoque ex parte idem, ex parte diversus, multa esse utrique communia necesse est. Delectare enim ac docere est comœdiæ: neque minus comici διδάσκαλοι et κωμῳδιδάσκαλοι, quam tragici, a Græcis dicuntur. Nec movere risum sane constituit comœdiam, sed plebis aucupium est et abusus. nam ridiculum, ut recte Aristoteles, *vitium est et fœditas, doloris expers; quæ partem in homine aliquam corrumpit absque morbo.* Sicut fœda et detorta facies, si nullo cum dolore hoc fiat, risum movet. Unde ipsum quoque risum, omnes fere antiquissimi philosophi indignum sapiente judicarunt. Adeo ut Plato, tanquam sacrilegum, traducere non dubitet Homerum, qui ridentes introduxit deos: quod in homine non τῆς κατὰ λόγον, verum τῆς κατ' αἴσθησιν, quemadmodum philosophi loquuntur, διαθέσεως sit signum; a qua longe abest deus: αὐτὴ ἡ οὐσία λόγου, καὶ αὐτόνους. Unde Thespis:

> Ὁρᾷς ὅτι Ζεὺς τῷδε πρωτεύει θεῶν,
> Οὐ φόβος, οὐδὲ αἰδώς, οὐ μαλὸν γέλων
> Ἀστῶν, τὸ δ' ἡδὺ μεῖνος οἷα ἐπίσταται.

Quare divinitus ab Aristotele dictum est, partem turpitudinis esse, id quod est ridiculum. Diserte enim ait, ὅτι τὸ γελοῖον, μόριον τοῦ αἰσχροῦ ἐστιν. Ita quæ vel in verbis auctorum vel sensibus, vel in sermone hominum et factis, aut detorta sunt aut depravata, animos plebejos vehementer movent, et hoc ipso risum ut plurimum excutiunt. Ideoque inusitata dicta et obscœna, optimorum cavillationes, singulorum con-

tumelias, sententias perversas, ideoque inexspectatas, aliaque id genus (qualis imitatio dictorum vel factorum, et inprimis improborum) risum maxime in comœdia, quam veterem dicebant, expressisse constat. Quod intelligunt, qui genium ridiculi intelligunt atque indolem. Cujus segetem largissimam vel unus Aristophanes suppeditat. Qui non modo Plautum, sed quoscunque hac in parte superavit, omnesque τοῦ γελοίου modos ac figuras lepidissime expressit. Denique ut acetum, nisi vinum sit corruptum, bonum nunquam erit; ita quæ sincera sunt et vera, risum nunquam excitabunt. Apposite Quinctilianus, ubi de ridiculo: *Et hercule omnis falsa dicendi ratio in eo est, ut aliter quam est rectum verumque dicatur.* Quare et compositus ad risum sermo, ab oratione recta, quam πολιτικὴν magistri vocant, quam longissime abeat necesse est, cujus propriæ virtutes, ἡ σαφήνεια, ἡ ἐπιείκεια, ἡ ἀλήθεια, perspicuitas, *æquitas, simplicitas, veritas*, ponuntur. Qua in parte supra admirationem omnium Menander apud Græcos, Terentius Romanis fuerit necesse est: qui ut viris sapientibus ac eruditis voluptatem potius afferrent, quam quacunque ratione risum extorquerent, duplici jucunditate utilitatem (imitatione vitæ scilicet humanæ, et inimitabili lepore) condierunt. Metu enim Macedonicæ potentiæ, licentia antiquæ, ut observant critici, defecit. Cujus locum occupavit nova. Cujus et formam nondum penitus vidisse absolutam, sed jam concepisse animo, putatur Aristoteles. Ejus vero unicum propositum, humanos nosse atque imitari mores. Quo et D. Hieron. Epistola ad Furiam, de viduitate servanda respicit, cum inquit: *Nec mirum, hoc figulum sensisse de vasculo, quod ipse fabricatus est, cum etiam comicus, cujus finis est humanos mores nosse atque describere, dixerit:* SINE CERERE ET LIBERO FRIGET VENUS. Omnis autem imitatio, ut postea dicemus pluribus, natura placet et delectat. Hoc enim proprium est hominis, ut recte Aristoteles, qui et μιμητικώτατος τῶν ζώων, merito ab eo dicitur. Joci vero, si petantur undique, molesti ac frigidi, aut theatrales fiunt, si a vita sint alieni: qui ut plebi forte, ita doctis placere ac sapientibus non possunt. Constantis enim viri ac sapientis animus, laxari vult, non solvi. Illam autem constitutionem, καὶ τὴν, ut cum Stoicis hic loquar, ἐν ταυτῷ τοῦ ἥθους μονὴν, risus solvit. Quem præclare τῆς περιχαρείας ὑπερέκχυσιν τῆς ψυχικῆς antiqui vocant. Ideoque

et Socratici, quorum libri penuarium leporum omnium fuerunt, ac facetiarum, quod e Xenophonte et Platone etiam hoc tempore apparet. χαριεντίζεσθαι, non γελωτοποιεῖν, solent. Ac ne ipsi quidem Siculi, ad festivitatem nati, et qui primi omnium comœdiæ putantur inventores, alium illius finem, quam τὸ χρήσιμον, id est, utilitatem posuerunt. De Epicharmo Theocritus:

Πολλὰ γὰρ ποττὰν ζωὰν τοῖς παισὶν εἶπε χρήσιμα,
Μεγάλα χάρις αὐτῷ.

Id quia secus in comœdia antiqua, statim defecit; in qua omnia, a veritate et consuetudine aliena, hoc est, vere γελοῖα, et ad risum erant comparata. Quis non ridet, cum exemplum vitæ, pater omnium virtutum, ipsa innocentia, probitas, ac virtus, Socrates ridetur? Cum in corbe festivissime philosophatur? cum, quot pedes pulex saliat, subtiliter ac geometrice metitur? Pleraque enim falsa de sententiis opinionibusque veterum philosophorum, et ad risum facta aut excogitata sunt, quæ præcipue hunc excitare solent. Ideo nec omnes Plauti, tantam materiam ridendi, quantam unaquævis ex Aristophanicis suppeditat. Alteri enim omnia, alteri pauca per leges licebant. Cæterum, ut modo dicebamus, quicquid maxime ab agendi consuetudine aut dicendi alienum est, risum maxime movere solet. In sententiis, qualis illa comici Nebulis,

Καί τοι πρότερον τὸν Δι' ἀληθῶς ἥμην διὰ κοσκίνου οὐρῶν.

In verbis, ut cum furacissimus servus, κλεπτίστατος a domino vocatur, qui laudare taciturnitatem in eodem videtur:

Ἀλλ' οὔ σε κρύψω· τῶν ἐμῶν γὰρ οἰκετῶν
Πιστότατον ἡγοῦμαί σε καὶ κλεπτίστατον.

Quod ipsum aliquando castigatius Nero extulit, qui de tali servo, *nulli apud se plus fidei habere* diecebat: *nihil enim ei neque inclusum neque signatum esse.* *Vox enim* κλεπτιστατος, tantum abest, ut sermoni convenire possit, ὥστε οὐδὲ αὐτοῦ τὴν διάλυσιν (dicerent subtiles harum rerum judices) πολιτικὴν εἶναι, hoc est, ut ne quidem voce alia, quæ eam exprimat, consuetudini aut usui accommodari possit. Itaque corrumpit vocem, plane ut faciem, qui sic movere risum cogitat: qualia prope

infinita Aristophanis. Exemplo sint diminutiva, quæ tam diligenter tertio rhetoricorum in illius Babyloniis rex criticorum Aristoteles notavit: *χρυσιδάριον, λοιδορημάτιον, ἱματιδάριον, καὶ νοημάτιον.* Quod et in sermone ejus passim et in sensibus observes, quos non raro risus causa effert corruptissimos; sæpe tamen cum illudit aliis. Quare voces, phrases, sensus, etiam structuram, novæ, ut imitari cuivis tutum est, ita antiquam si quis imitari velit, maximo delectu ac judicio est opus: quod si quisquam, recte Aristoteles notavit. Atque hæc causa, cur ut multo perfectior utiliorque, ita minus ridicula, sit nova, in qua omnes, ut jam absoluta, acquiescunt. Cum antiqui comici, iis pariter quæ dicunt, et dicendi ratione, urbanitatem, quia nihil aliud spectarunt, quam ridiculum, plerisque in locis, imprudenter excedant: ideoque et vitium plerumque, quod *βωμολοχίαν* dixit Aristoteles, incurrant. Qui vir magnus Ethicorum quarto, ubi de urbanitate agit, quæ in primis locum in his habet, eosdem et urbanos et honestos vocari ait: *εὐτραπέλους* enim, quasi *εὐτρόπους*, dici. Sicut autem de corporibus ex motu, ita ex urbanitate judicari de animo: utrum nempe honestus sit, an turpis. Qui de corporibus locus, cum obscurus nobis videretur, neque quicquam in recentibus scriptoribus, qui interpretati eum sunt, præsidii ad manum esset, ad Andronicum Rhodium, cujus paraphrasin in illos libros plane admirandam, primi et edidimus, et in Latinum convertimus sermonem, ut sæpe alias, confugimus. Qui hoc modo: *Ἡ δὲ μεσότης, εὐτραπελία, καὶ οἱ ἔχοντες, εὐτράπελοι, οἷον εὔτροποι· καὶ γὰρ τοῦ ἤθους δοκοῦσι τοιαῦται κινήσεις, οὗτοι δὲ εἰσιν οἱ παίζοντες ἐμμελῶς, καὶ ὡς δεῖ, καὶ ὅτε. ὥςπερ γὰρ αἱ κινήσεις τὰ σώματα χαρακτηρίζουσιν· οἷον πῦρ μὲν ἡ εἰς τὸ ἄνω κίνησις καὶ πᾶν κοῦφον· βαρὺ δὲ ἡ εἰς τὸ μέσον, καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ὁμοίως· οὕτω καὶ ἀπὸ τῶν ἔξω καὶ φαινομένων τοῦ ἀνθρώπου κινήσεων, αἱ ἕξεις τῆς ψυχῆς φαίνονται καὶ τὰ ἤθη.* Quod est ex interpretatione nostra: *medium vero εὐτραπελία, id est, urbanitas, quique in eo excellunt, εὐτράπελοι, quasi εὔτροποι, hoc est, bene morati, dicuntur. Etenim potissimum a moribus videntur esse hi motus. Hi autem sunt, qui concinne, et quemadmodum, et cum oportet, jocantur. Sicut enim corpora distinguunt sui motus, ut exempli gratia, ignem et quicquid leve est, motus qui in altum fertur, grave contra, motus, qui ad medium, eodemque modo in aliis; ita ex iis, qui extra sunt, et qui in oculos*

incurrunt hominum motibus, habitus quoque apparent animi et mores. Quia autem risus iis, ut plurimum, qui minus sunt honesti, quales homines plebei sunt aut scurræ, gratus esse solet; hinc fit, inquit idem Aristoteles, ut, qui scurriles sunt, urbani etiam dicantur. Addit autem, quod spectare huc propius videtur: *Discrimen vero ex antiqua comœdia apparet et nova. Nam in illa id quod obscœnum, in hac autem, quod suspicionem tantum ejus movet, risum quoque exprimit; quæ non parum differunt ad venustatem.* Idem de cavillis quoque addit et conviciis. Quibus abstinuisse Plautum constat, cum obscœnitate nemini concedat. Hujus autem in utroque ex Aristotelis judicio discrimen videamus. Byrrhia apud Terentium Andria:

> Ego illam vidi virginem: forma bona
> Memini videre. Quo æquior sum Pamphilo,
> Si se illam in somnis, quam illum, amplecti maluit.

Vides in his, non obscœnitatem, sed suspicionem rei parum verecundæ, καὶ ὑπόνοιαν, quæ tam est honesta, ut a quavis virgine id, urbanitate salva, dici possit. Quid enim suavius, quam *in somnis amplecti?* Et quidem si de viro et formosa conjuge dicatur! Non enim dicit βινεῖν, quod Aristophanes dixisset, nec quæ in re tali Plautus usurpare solet, qui nec honeste ea dicit, et obscœne circumloquitur. Nam qualia sunt ista Casina!

OL. Ubi locus sumtus porro est, continuo stricto gladio, atat! papæ! papæ!
CL. Quid id papæ?
OL. Flagitium oh erat maximum. gladium ne haberet metui: id quærere occepi.
Dum gladium ne habeat quæro, arripio capulum.

Nam cætera in quibus plane loquitur, præsertim cum de Venere ἀῤῥήτῳ agit, ea vero ne commemorare quidem malo. Puto autem satis esse manifestum, etiam cum circumloquitur quæ parum sunt honesta, ne honeste quidem, et cum honestarum aurium fastidio, id fieri. Vides ergo passim veteris imaginem, etiam, de quo mox paullo post, dicacitate ac maledicentia. Quæ Athenis partim leges, partim metus, partim ipsa emendavit ratio: cum tamen sola risum felicissime moverent. Novæ autem rex princepsque Menander fuit: cujus

expressa imago ac effigies Terentius. Quem cum uterque accepisset, Aristophanis virtutes hac mercede expressit Plautus, ut nec omnes posset (quod et linguæ diversitas, et Romanorum leges, et tempora, ac rerumpublicarum ratio vetabat, sublata jam maledicendi libertate, quæ præcipua, quod nemo nescit, τοῦ λελοίου pars est,) et quæcunque in Aristophane Plutarchus a communi consuetudine loquendi abhorrere notat, retineret. Nam et κατὰ τὸν λεκτικὸν, ut critici loquuntur, καὶ τὸν τῆς διανοίας τρόπον θυμελικὸς est, et theatralis, non πολιτικὸς, neque τῇ κατὰ τὴν ἀλήθειαν ἰδέᾳ διαπρέπει· neque pauciora addidit, in quibus dum ridiculus videri vult, frigidus ac odiosus fit, quod non nostrum, sed Horatii judicium est, et Donati; quos utrosque emunctæ naris, utrosque criticorum primos suo tempore fuisse, constat. Sed et in dicteriis, de quo jam dicebamus, ita veterem comœdiam amavit Plautus, ut ad eam sæpe flectat, et quod proprium in illa erat, ἐτεωνύμως, et expresso nomine, aut circumscribendo, non tam vitam hominum, quam hominem perstringat. Ut in illo:

> Etiam Epidicum, quam ego fabulam æque ac me ipsum amo,
> Nullam æque invitus specto, si eam agit Pellio.

Sed et crudelissime infelicem Nævium milite excepit:

> Nam os columnatum poetæ inesse audivi barbaro,
> Cui bini custodes semper totis horis accubant.

Videtur audire κώδιον Κρατίνου, et quæ reliqua in veteri comœdia occurrunt, ὅση κόνις. Nam ad Aristophanis τὸ εὔθικτον frustra sane aspiravit. Quis enim risu von emoritur, cum vinositatem Cratini excepit Irene?

> Ει. Τί δὲ Κρατῖνος ὁ σοφός ἐστιν; Τρ. Ἀπέθανεν,
> Ὅθ' οἱ Λάκωνες ἐνέβαλον. Ει. Τί παθών; Τρ. Ὅ, τι,
> Ὠρακιάσας (οὐ γὰρ ἐξηνέσχετο)
> Ἰδὼν πίθον καταγνύμενον οἴνου πλέον.

Id est: *P.* Sapiens autem Cratinus quid agit? *TR.* Obiit,
Cum Lacones huc irruerent. *P.* Quo morbo? *TR.* Quo?
Misere pallere cœpit (ferre enim hoc non potuit)
Frangi cum videret vino plenum dolium.

Alter enim vitium Cratini ridet: alter Nævii miseriam. Ridiculum autem a miseria prudenter Aristoteles sejungit. Risus

enim cum atroci alicujus malo aut calamitate si conjunctus sit, immanis fit ac barbarus. Illa autem plane extra novæ legem comœdiæ:

> Qui perjurum convenire vult hominem, mitto in comitium;
> Qui mendacem et gloriosum, apud Cloacinæ sacrum.

Et quæ deinde sequuntur. Quod profecto est a pulpito ad plaustrum redire. Legat cætera qui volet. Sed hæc, ὡς ἐν προθεωρίας μέρει, obiter sint dicta. Nunc ingenii exercendi causa ac judicii ad singula eamus, et utrumque paullo quam plerique accuratius inspiciamus. Primum in comœdia tragœdiaque est dispositio. Neque dubitandum, quin cum Aristoteles de dispositione disputat tragœdiæ, etiam comœdiæ ex iis convenire pleraque existimaverit, nisi quod, ut tragicus disponit, ita comicus quoque invenit. Alter enim accipit ab aliis: alter ipse sibi dat, quod disponendum est; nisi si ab alio desumat argumentum, certe apud Græcos. Nam Latini fabulas Græcorum, dispositione aliquantulum plerumque immutata et personis, expresserunt. Ut cum e Menandri Eunucho suam paucis immutatis Terentius expressit. Ea ratione, ut Davus Parmeno, Chrysis Thais, Chærestratus hic esset Phædria. Plautus in tragico-comico Amphitryone, more Tragicorum fabulam accepit et disposuit: sed et nomina retinuit ex parte, quod non solet in comœdia: ex parte, fecit. Unde raro invenisse argumentum tragicus poeta dicitur, (quod aut e relatione aliorum aut e scriptis, ut plerique ex Homero aut Cyclo Epico, petebant) contra autem comici. Aristoteles, τὸ δὲ μύθους ποιεῖν, Ἐπίχαρμος καὶ φόρμις ἦρξαν. Ita eam vocem, non ut quidam, hic accipio. Μῦθος enim, ut ubique fere Aristoteli, non drama est, sed ea actio, e qua drama constituitur, ἡ πρᾶξις, ἡ τῆς πραγματείας σύστασις· quomodo et accipit, cum dixit, μῦθος δ' ἐστὶν εἷς, οὐχ ὥςπέρ τινες οἴονται, ἐὰν περὶ ἕνα ᾖ. Et ipse, πολυμύθους eos vocat, qui vel varias, vel quæ tempore eodem, ab olio, non uno, et eodem gestæ sunt, conjungunt. Ideoque fabulam eligere, et electam recte ac ordine disponere, ut prima virtus, ita primum maximumque opus est. In Amphitryone maneamus. Nam ut argumentum hoc accepit, ita ipse ex animi sententia disposuit. Quare potuit, ut voluit, ligare fabulam ac solvere. In ea igitur divina δέσις: mira enim ratione impeditur fabula

et intricatur actio. At transitio, quæ non est tragica sed comica (*μετάβασιν* vocavit Aristoteles) pars quæ opponitur *τῇ δέσει* (quam et *λύσιν* seu solutionem vocant) ex sententia succedere non potuit. Quare impeditus et oblitus sui, ire cogitur ad deum; hoc est: *ἀπὸ μηχανῆς* finire: quod est ultimum refugium poetæ, cum *τήν δέσιν*, hoc est, nodum, quem ligavit ipse, solvere non potest, et rem parum provide tractavit. Nam ceteræ, quæ ibi adhibentur machinæ, ad scenæ et choragii ornatum, *καὶ τὴν ὄψιν*, ut philosophus de iis loqui solet, referuntur. Quale est brontium, et ceraunoscopium, quorum altero ad tonitru, hoc ad fulmen exprimendum, in Amphitryone opus fuit. Finem vero quæ a machina, lubentius in tragico quam comico excusat Aristoteles; quia argumento tragicus astringitur, quod accipit. Quamquam ne huic quidam eam fecit gratiam, cum inquit: *Φανερὸν οὖν, ὅτι καὶ τὰς λύσεις τῶν μύθων ἐξ αὐτοῦ δεῖ τοῦ μύθου συμβαίνειν, καὶ μὴ, ὥσπερ ἐν τῇ Μηδείᾳ, ἀπὸ μηχανῆς, καὶ ἐν τῇ Ἰλιάδι τὰ περὶ τὸν ἀπόπλουν.* Id est, *manifestum ergo est, etiam exitum fabulæ, e fabula ipsa peti debere, non a machina, ut in Medea, aut quemadmodum in Iliade, in iis, quæ circa reditum Græcorum fiunt.* Medeam autem, non Euripideam, sed alterius intelligit poetæ. Idem et Horatius, e Pariano, credo, Neoptolemo, a quo pleraque præcepta sua in hoc scripto hausit, fugiendum monet:

> Nec deus intersit, nisi dignus vindice nodus
> Inciderit.

Ubi *nodus* est *ἡ δέσις*, quæ interdum ope humana solvi non potest. Qui quidem, nisi præter poetæ voluntatem aut ex argumenti eveniat necessitate, non a deo, quod cujusvis etiam imperitissimi est hominis, verum a poeta solvi debet. Rursus sicut pictor primo ambitum delineat, deinde singula absolvit, ita sapiens poeta actionem suam circumscribit. Primum, ut sit tota: hoc est, ut principium, ut finem habeat et medium: quæ in minimis quoque esse possunt. Minima autem sensum vix admittunt: magna nimium dispergunt. Sic formicam vix videmus: in conspectu elephanti visus vix colligitur. Quare comœdiæ tragœdiæque magnitudo, et periodus, ut cum philosopho hoc dicam, e natura utriusque et ratione peti debent. Et, mutatione prima, hoc est, cum infelicitate ad

solicitatem in comœdia, contra autem in tragœdia mutari potest actio: ita ut ex argumento nihil, quod ad rem spectet, præmitti sit necesse. Summus Aristoteli ambitus unius solis est: potest esse aliquod horarum. Qua in parte admirandus Sophocles Terentiusque. Plautus vero novem menses uno dramate complexus est. Ut vix major ampliorque Homerica Iliados, quam Amphitryonis sit periodus. Alcumena autem concipit et parit. Quod si fieret ubique, nullo episodio jam opus esset: ideoque nec ars esset, scribere comœdiam. Præterquam quod sit monstri instar, et cum ratione ac natura pugnet, ut quæ simul et concipiat et pariat. Qualia nonnulla in scriptore hoc summus criticorum Cæsar Scaliger notavit. Atque hæc vitaverant poetæ Græci, quorum scripta hic tantopere commendat Flaccus: technici Græcorum, quomodo vitanda essent ac cavenda, sæpe inculcarunt suis. Plautus susque deque habuit, ut in captivis. Quam incuriam poeta cum videret, continere se non potuit, quin exclamaret:

vos exemplaria Græca
Nocturna versate manu, versate diurna.

Contra negligentiam suorum et incuriam gravissime taxaret. Quidni enim qui hoc tum agebat, quod ante eum Aristoteles: qui ubique Euripidem et alios in illis reprehendit: nam de comicis quæ scripsit, hodie non exstant. Porro simul ac poeta actionem habet, locum quoque ut actioni det, necesse est, quia sine loco fieri nil potest. Hic autem locus σκηνὴ δράματος a criticis vocatur, cujus finem transilire nefas. Nemo enim tempore eodem, quod a Plauto recte dicitur, alibi atque alibi versari potest: nisi aliquid monstrosum fiat in comœdia. Idem tamen, cum Curculionis scenam Epidauri posuisset, Romam transit in eadem, et in Romanorum mores, scenæ suæ jam oblitus, libere invehitur; et quidem, ut antiqui comici, tributim, ita ut et singula describat loca act. tu, scena ædepol. Jam τὰ ἄλογα in fabulis quam multa? ita voco, quæ nihil verisimile habent. Tale est, Sosiclem Menæchmum, qui veniret e Sicilia, surreptum item qui in Illyria jam habitaret, habitu, eodem tempore, ita simili fuisse, ut dignosci a spectatoribus non possent; cum nihil simile haberent istæ gentes. Quod vitium, ne a chorago quidem emendari potest.

Nam Mercurius Amphitryone et Jupiter, dii sunt: quibus omnia concedi, etiam hic, solent. Quare incurrere τὸ ἄλογον non possunt. Ubi enim dii agunt, cessat ratio. Quidvis enim posse eos, nemo est, qui non intelligat. In Terentio, cui soli artem Flaccus noster assignavit, nihil tale. Omnia cum judicio, cum ratione, circumspecte, ex arte, et cum cura. Nam et fabulæ insignem fere cum agnitione mutationem habent: quæ inter τὰς μὴ ἁπλᾶς sive πεπλεγμένας esse perfectissimas necesse est. Qualis et in reliqua ubique dispositione est. Quod ad dictionem autem, quis negabit, quædam esse in Plauto, quæ nec locum extra scenam, neque usum nisi inter histriones habent? Unde solo et exiguo theatri ambitu circumscribuntur. Nam et ἀγωνιστικὸν in foro, neque minus γραφικὸν, sive usitatum in scribendo characterem, longe excedunt: quo ubique nova, et jam emendata, respicit comœdia. Quare Varro cum sermonis laudem illi tribuit, idem quod ubique in scriptis, quanti faceret antiquitatem, profitetur: ut qui τὰ ἀπηρχαιωμένα, quæ in Plauto partim ævum quo hæc scripsit, partim quæ plerisque placet, ipsa desita excusat antiquitas, commendat. Unde et ipse qui sic judicavit, ut nimium antiquitatis in scribendo studiosus, neque satis ævi sui memor, Varro ab antiquis criticis notatur. Qui cum sentiant sic, judicentque: nobis qui ab illis merito pendemus, equidem tacendum reor. Auctor de causis eloquentiæ corruptæ: *Neminem nominabo; genus hominum signasse contentus: sed vobis utique versantur ante oculos, qui Lucilium pro Horatio, et Lucretium pro Virgilio legant, quibus eloquentia tui Aufidii Bassi, aut Servilii Noviani ex comparatione Sisennæ aut Varronis, sordet.* Quod ex vocibus antiquis patet, quas ex libris ejus critici legerunt, cum non pauca alia ex scriptis ejus peti possint. Ideoque Cicero, qui de ætatis suæ et sermone et venustate maxima cum cura judicabat, laudem hanc Terentio cessisse merito pronunciat. Sic enim ad Atticum: *Secutus sum, non dico Cæcilium;* mane ut ex portu in Piræeum: *malus enim Latinitatis auctor est: sed Terentium, cujus fabellæ propter elegantiam sermonis, putabantur a Lælio scribi:*

Heri aliquot adolescentuli coimus in Piræeum.

Et Servius proprietate cæteris propositum hunc notat. Idem de sententiis, quas διανοίας vocant, judicari potest. Omnes

enim fere Plauti et ἠνμελικαὶ sunt, et ab usu alienæ, quales passim habet. Inprimis cum philosophatur καὶ γνωμοτυπεῖ. Ut ecce:

Insanum est malum, in hospitium divorti ad Cupidinem.

Vere scenicum et illud:

Et postremo, nisi me auscultas, atque hoc, ut dico, facis,
Tute pone te latebis facile, ne inveniat te honor.

Et quis illud extra scenam usurpare ausit?

Benefacta benefactis aliis pertegito, ne perpluant.

Quare nunquam effugient quin sint inepti, qui hæc et alia id genus, ad serium dicendi genus transferunt. Consequuntur enim, quod non vident, ut inviti risum moveant; quod non pauci hodie in scriptis maximo molimine a lectore impetrant. Sequitur τὸ ἦθος, quod, ut docet Aristoteles, in oratione, uniuscujusque institutum indicat et voluntatem. Quod in singulis repræsentare, nisi viri aut prudentis aut philosophi, nullius est. Nam quemadmodum e singulis experientia, ita nemo singulorum mores sine hac exprimit. Quare omnium accuratissime et optime, quid sit facere ut sit ἠθικὴ oratio, philosophus ostendit. Quod vel solum tanti est, ut nihil minus nonnulli, qui ad rhetoricarum suarum leges magnorum quoque et sublimium ingeniorum orationes exigere audent, hac in parte videant: in qua, ad ipsius quoque antiquitatis stuporem, Afer iste regnat. Recte ergo Varro: *In argumentis Cæcilius poscit palmam, in ethesin Terentius.* Significat enim, Cæcilium εὑρητικὸν, aut potius εὐοικονόμητον fuisse: quemadmodum ἀνοικονόμητος nonnunquam præ reliquis videtur Plautus, cui sermonis idem assignavit laudem. Quod, si quicquam sapimus, Terentium est Plauto præferre. Ut cum eum, qui excellit in majori, magis quam qui in minori, dicimus excellere. Neque causa fuit alia, quare, quod observant veteres, idem Varro, etiam Menandro, in quibusdam prætulerit Terentium, exempli causa, Adelphorum initio. Neque immerito. Mirifice enim, cum alibi, tum ibi regnat τὸ ἦθος. Idem Varro, cum tragœdiæ, comœdiæ ac satyræ effingat formas, quid de nostro judicet, diserte expressit. Ubertatem enim tribuit tragœdiæ, quam dat Pacuvio: gracilitatem satyræ,

quam tribuit Lucilio: mediocritatem vero comœdiæ, quam dat Terentio. Ut si quis uberrimo sermonis genere heroicum definiat poetam: et hoc tribuat Virgilio. Aulus Gellius, lib. VII. cap. 13. *Vera autem et propria hujusmodi formarum exempla, in lingua Latina, M. Varro esse dicit, ubertatis Pacuvium, gracilitatis Lucilium, mediocritatis Terentium.* Quæ est de comœdiæ, quemadmodum in scholis loquimur, essentia. Cum Plautus sæpe tragico, nonnunquam quoque serio, utatur. Quamquam ibi sane sermo, ut priore loco a Varrone accipitur. Sermo enim et τὸ ἦθος differunt, ut homo prudentissimus, et femina quæ pure loquitur; qualis dicitur Gracchorum mater. Unumquemque enim recte exprimere, et humanam optime delineare vitam, summus atque extremus viri atque auctoris maximi conatus est. Recte grammatici ad Sophoclem: Ἔστι δὲ τοῦτο μέγιστον ἐν ποιητικῇ, δηλοῦν ἦθος. *Est autem illud maximum in poetica, exprimere ethos.* Dedebat addidisse, *in dramatica præsertim.* Et Horatius tam multis, vitam tragœdiæ τὸ ἦθος esse docuit. Aristoteles vero, etiam in tragœdia, post actionem (quam fabulam plerumque vocat) quæ essentiæ pars prima, partem essentiæ secundam constituit τὸ ἦθος. Mirum est autem, locum Varronis a nemine intellectum. Qui cum palmam in argumentis Cæcilio concedit, principem comœdiæ haud dubio Cæcilium constituit. Quare? Pars tragœdiæ præcipua est argumentum. Aristoteles modo μῦθον, modo τῶν πραγμάτων σύνθεσιν vocare solet. Qui et multis probat, eum, qui hac parte excellit, etiamsi cæteris destituatur, dramaticum poetam dici posse. Pars secunda est τὸ ἦθος, quod cum Terentio assignet Varro, locum illi proximum concedit. Quod non potest ignorare, qui antiquos criticos, inprimis autem Aristotelem, cum cura legit ac intelligit. Sermonis enim laus, quam Plauto tribui ab eo volunt, tantum abest, ut cum reliquis conferri possit, ut postremo loco, et post τὴν διάνοιαν, ponatur. Quare ex sententia Varronis, qui hic Aristotelem expressit, primus est Cæcilius, secundus est Terentius: quos deinde Plautus sequitur. Quod debebat cogitasse Siren ævi nostri Justus Lipsius: qui profecto locum summi Romanorum critici non penetravit. Τὸ ἦθος autem Plauto Horatius abjudicat, cum inquit:

aspice Plautus
Quó pacto partes tutetur amantis ephebi.

Et videtur Charinum habuisse in animo, qui Mercatore τὸ μανικὸν καὶ τὸ ἐρωτικὸν confundit ἦθος, hoc est, ita amat, ut Menæchmus furit. Furere autem pro amore, comœdiæ non ἦθος, sed tragœdiæ est πάθος· ut ex Phædria aliisque patet. Quare? quia πάθος aliquod immane exspectatur. Quod tragœdiam constituit, ut μεταβάσις conveniat furenti. Sed hæc triviales non intelligunt: qui summum virum Aristotelem tam facile contemnunt, quam nos et judicia illorum et magistros merito contemnimus, quibus persuasum est, omnem veram eruditionem ex hoc uno fonte limpidissimo petendam. Charinus autem Plauti, ad frigiditatem usque calet, quam non potuit vitare. Qualia sunt ista, scena *divum atque hominum:*

Jam Cyprum veni. &c.

Item,

Porro proficiscor quæsitum. nunc perveni Chalcidem.
Video ibi hospitem Zacyntho. Dico quid eo advenerim:
Rogito quis eam vexerit, quis habeat si ibi inaudiverit.
Hospes respondit, Zacyntho fiqus fieri non malas.

Vides hominem tam tristem, ut festivus esse quærat. At divinus hac in parte, duos amatores in Eunucho, suo more, Phædriam et Chæream, divinitus utrumque ἠθοποιεῖ. Quare cum poetæ omnes, quorum imitatione constat institutum ac consilium, pictorum instar, teste criticorum rege ac principe, aut similes, aut (quod non raro evenit, vel imperite καὶ ἐξ ἀσθενείας vel captandi risus causa) nunc pejores quam sunt exprimant, nunc meliores; servos pejores Plautus, ut plurimum; Terentius hos semper similes, non meliores; meretrices vero partim similes, partim meliores aliquando introducit. Similes, ut Thaidem; meliores, ut Bacchidem. Parasitos semper deteriores et voraciores Plautus, nunquam meliores. Ut et Dossennus, qui hos solos propemodum curabat, in personis reliquis ἐκπίπτον. Phormio Terentianus plane est admirandus: ut et Gnatho. Plautini quia risum quærunt, veritatem et sermone et sententiis amittunt. Tres virtutes enim sermo, quem non sine causa Ἠθικὸν dixerunt Græci, nos moratum dicimus, æquitatem nempe, veritatem et simplicitatem postulat: quæ τὸ ἐνδιάθετον, hoc est, id quod unicuique est insitum, ob oculos proponit. Cum ridiculum, ut violentum, quia a natura alienum, quod recte de eo Aristoteles pronunciat, cor-

ruptum sit, et a corruptis causis, quod jam dixi, moveatur. Moratum quia simile est naturæ, leniter delectat: quod ætatum singularum, hominum, ac nationum, totiusque vitæ simulacrum quoddam ac imaginem, in scena repræsentat. Plane ut pictura, quæ a vero abit, et vel cubitalem nasum, vel distortum os facete repræsentat, risum movet; similis delectat. Atque hoc est, quod omnes tribuunt Menandro, quem Terentius expressit. Ut Hermogenes: Παρά τε αὐτῷ Μενάνδρῳ ἂν μυρία εὕροις τοιαῦτα καὶ γυναῖκας λεγούσας, καὶ νεανίσκους ἐρῶντας, καὶ μαγείρους, καὶ παρθένους ὀρυπτομένας, καί τινας ἄλλους· ὅλως τε διὰ τὸ ὑποπίπτειν τῷ ἠθικῷ γόγῳ καὶ τῶν ὁμοίων, ταῦτά γε πάντα ἢ τάγε πλεῖστα αὐτῶν, ὑποκεῖσθαι τῇ ἀφελείᾳ δεῖ. Quemadmodum Hieronymus Menandrum et Terentium cum maximo judicio conjungit. Ad Paulinum enim: *poetæ æmulentur Homerum, Virgilium, Menandrum, Terentium.* Audi orationem patris irati. Heaut. Act. V. scena IV:

non, si ex capite sis meo
Natus, itidem ut ajunt Minervam esse ex Jove, ea causa magis
Patiar, Clitipho, flagitiis tuis me infamen fieri.

Et quæ sequuntur. Audi mitis viri potius quam boni:

Ausculta, ne me obtundas de hac re sæpius.
Tuum filium dedisti adoptandum mihi.
Is meus est factus. Si quid peccat, Demea,
Mihi peccat: ego illi maximam partem feram.
Obsonat? Potat? Olet unguenta? De meo.
Amat? Dabitur a me argentum, dum erit commodum:
Ubi non erit, fortasse excludetur foras.
Fores effregit? Restituentur. Discidit
Vestem? Resarcietur. Est dis gratia
Et unde hæc fiant, et adhuc non molesta sunt.

Et divina illa:

credo hercle: nam ingenium non tuum
Liberale. Sed vereor ne indiligens nimium sies,
In qua civitate tandem arbitrare te vivere?

Et quæ sine motu animi et suavissima voluptate legi non possunt Hecyra:

odiosa hæc est ætas adolescentulis:
E medio æquum excedere est. Postremo jam nos fabula
Sumus, Pamphile, senex atque anus.

Et cætera: pluscula sunt enim. Quis, cum illa Phormione legit, non uxorem honestam adulteri agnoscit?

an quioquam hodie est factum indignius?
Qui mihi, ubi ad uxores ventum est, tum fiunt senes.
Hæccine erant itiones crebræ et mansiones diutinæ
Lemni? Hæccine erat, quæ nostros fructus minuebat calamitas?
Quid? Ego æquo animo cupio misera in hac re defungier.
Sed quid sperem? ætate porro minus peccaturum putem?
Jam tum erat senex, senectus si verecundos facit.
An mea forma atque ætas jam magis exspectanda est, Demipho?
Quid mihi nunc affers, quamobrem exspectem, aut sperem, porro non fore?

Et quandoquidem simplicitas, maxima moratæ orationis virtus, si intendatur, suavitatem parit; nemo sine incredibili ac summa voluptate illud Bacchidis leget:

recte amasti, Pamphile,
Uxorem tuam. Nam nunquam ante hanc diem meis oculis eam, quod nossem, videram.
Perliberalis visa est.

Ideoque fabulæ Terentianæ, doctiorem histrionem, quam reliquorum desiderabant. Semper enim quæ morata est oratio, τῇ ὑποκρίσει fulcienda. Nam quæ moribus affectibusque destituitur, teste philosopho, est ἀνυπόκριτος. Neque ulla fere apud eum syllaba exstat, quæ non animi aut affectus alicujus sit index. Jam ut ad lepores, sales, gratias, et venustates veniamus; certum est, fere omnes eas tolli a ridiculo, non secus quam in vita ab excessu morum virtus, ab excessu apparatus in scena tollitur voluptas. Quare Menandro ac Terentio lepores tribuunt antiqui, sales Plauto Horatius concedit: quos nonnunquam inurbanos esse notat. Audi paterculum: *dulcesque Latini leporis facetiæ per Cæcilium, Terentiumque et Afranium suppari ætate floruerunt.* Græci χάριτας et χαριεντισμοὺς vocant. Remissiores sunt enim, quam ut risum violenter moveant: circumspectiores, quam ut frigeant. Absurdum enim sæpe causa est risus, aut inusitatum. Contra autem sermo, qui et usitatus et moratus, quique leniter decorum servat, sicut eo ipso sit venustus et delectat; ita quidam eminere joci possunt. Qui quidem in hoc Afro, (nisi Lælio eos potius ac Scipioni tribuendos putes) e Menandro,

si judicium Horatii et antiquorum sequimur, ex eodem sale, e quo nata Venus est, depromti videntur. Ecce statim Andria, Act. V, Scena IV:

Davo istuc dedam jam negoti. S. Non potest.
P. Qui? S. Quia habet aliud magis ex sese, et majus. P. Quidnam?
S. Vinctus est.
P. Pater, non recte vinctus est. S. Haud ita jussi.

Jam Gnathonem vide. Qui cum putidos Thrasonis mores Phædriæ ac Chæreæ exposuisset, contra autem illi persuasisset, et jam gratias ineptus homo ac ridiculus haberet:

bene fecisti; gratiam habeo maximam.
Nunquam etiam fui usquam, quin me omnes amarent plurimum.

Respondet ad utrumque conversus:

Dixin' ego in hac inesse vobis Atticam elegantiam?

Certe tota scena tertia tertii actus in Adelphis, in qua luditur a Syro Demea, divina est. Qualia enim illa?

mihi quidem non placent,
Et clamo sæpe: salsamenta hæc, Stephanio,
Fac macerentur pulchre.

Plane enim præter exspectationem omnia. Jam cum vetus comœdia, nihil æque ac *παρῳδίαν* amet, quæ plerumque et acerba est, et extra scenam quæritur, urbanissimus virorum rationem, qua ex actione ipsa parodiam lepidam sane et venustam peteret, invenit. Nam cum Demea dixisset,

fit sedulo,
Nihil prætermitto, consuefacio: denique,
Inspicere, tanquam in speculum, in vitas omnium
Jubeo: atque ex aliis sumere exemplum sibi.
Hoc facito.

Et quæ sequuntur; respondet Syrus.

Conservis ad eundem istunc præcipio modum:
Hoc salsum'st, hoc adustum'st, hoc lautum'st parum.
Illud recte: iterum, sic memento. Sedulo
Moneo, quæ possum, pro mea sapientia.
Postremo, tanquam in speculum, in patinas, Demea,
Inspicere jubeo: et moneo, quid facto usus sit.

Ita sane et Plato et Xenophon, omnesque Socratici jocantur. Nunquam frigide, nunquam obscoene, nunquam inepte, nunquam putide. Videamus jam Plautina quædam. Ac Plutarchus quidem illud tanquam frigidum ex Aristophanis Thesmophoriazusis de Euripidis matre adducit :

Ἀγρια γὰρ ἡμεῖς, ὦ γυναῖκες, δρᾷ κακὰ,
Ἂν ἐν ἀγρίοισι λαχάνοις αὐτὸς τραφεὶς.

Cui illud, quamvis non in simili omnino genere, adjungas licet :

Nam mulier olitori nunquam supplicat, si qua est mala :
Domi habet hortum et condimenta ad omnes mores maleficos.

Rhetores θυμελικὸν, sive theatrale, vocarent. Ridiculum enim potius quam festivum est : et ut sit festivum, nemo, vere in his subactus, dixerit venustum esse : ab usu enim quam longissime remotum est. Jam vero cum in verbis frigidum aut in rebus ; de verbis Aristoteles, de rebus alii egerunt. Frigidum autem jam vocamus, non magniloquentiæ vicinum illud vitium (quanquam illud quoque habere hic locum potest) quod discedere ab urbanitate dicitur. Quod, ut nonnihil a dicendi hic magistris abeamus, modis fit pluribus. Vel in frigida translatione : ut cum dentes *calceati* dicuntur. Capt.

Cum calceatis dentibus veniam tamen.

Et cum victus *senteis esitare* et *scruposam viam commeare* dicitur. Quæ sane frigent. Vel in minimis allusiunculis et longe petitis. Ut Poenulo :

MI. Assum apud te eocum. *AG.* At ego elixus sis volo.

Et quod illi placuit non semel :

magis calleo, quam aprugnum callum callet,

Item,

callum aprugnum æque callere non sinam,

Et,

Quanta sumini absumedo, quanta callo calamitas!

Et Curcul.

facite ventum ut gaudeam.

PH. Maxime. *CU.* Quid facitis? quæso. *PH.* Ventum. *CU.* Nolo equidem mihi
Fieri ventulum. *PH.* Quid igitur vis? *CU.* Esse, ut ventum gaudeam.

Quas cum grammatici Latini, qui citius cœlum digito, ut ita loquar, expugnassent, quam ut minimam Horatii oden expressissent, Morologias in Plauto dixerint; nondum video, quare Horatio, ut summo maximoque poetæ, ita critico incomparabili, quem acutum doctumque virum ipse D. Hieronymus ad Pammachium vocavit, idem non licuerit. Ejus sane generis sunt, quæ in Aristophane accusat, quæque trivialia potius, quam ut viris eruditis, etiam in scena placere aut debeant, aut possint, accuratus censor Plutarchus judicavit. Καὶ γὰρ ὁ μὲν ἀπαίδευτος καὶ ἰδιώτης οἷς ἐκεῖνος λέγει ἁλίσκεται· ὁ δὲ πεπαιδευμένος δυσχερανεῖ. Λέγω δέ τὰ ἀντίθετα, καὶ ὁμοίπτωτα, καὶ παρονομασίας. Τούτοις γὰρ ὁ μὲν μετά τοῦ προσήκοντος λόγου καὶ ὀλιγάκις χρῆται, ἐπιμελείας αὐτὰ ἀξιῶν· ὁ δὲ πολλάκις, καὶ οὐκ εὐκαίρως, καὶ ψυχρῶς. Et adducit exemplum: ut cum, τοὺς ταμίας, λαμίας vocat. Nam quæ ille de Menandro, ad Terentium fere omnia referri possunt; in quo nihil putidum est aut ineptum. Quamquam multa quæ notavit, potius antiqui comici virtutes, quam illius de quo ibi judicavit, vitia censenda sunt. Princeps enim inter illos fuit, et ad leges eas plane se composuit. Quod de Plauto nemo dicet. Et est frigidum, quod longe ab eo abest, quod aut esse aut posse fieri putatur. Quale est, *pugno frangere elephanto brachium, horiola in cœlum pervenire.* Et est frigidum, cum ita a familiari sermone oratio recedit, ut ad usum amplius transferri nequeat. Tale est illud ibidem:

> Si ante lucem ire occipias a meo primo nomine,
> Concubiam sit noctis, priusquam ad postremum perveneris.

Crescit tamen frigidum, cum addit alter:

> Opus face est et viatico ad tuum nomen, ut tu prædicas.

Quæ si pedem unum extra scenam feras; protinus putiscent: neque ad usum applicari poterunt. Qualia nec Scipio nec Lælius, flos nobilitatis, vel in scena approbassent. Plutarchus certe, extra liberalium theatra ac doctorum, libere relegat. Ridiculi enim ac inepti sunt, qui plebeis tantum scribi comœdiam existimant; cum non minus eruditis scribatur. Quod et flaccus scivit; qui non sine causa:

> Creditur, ex medio quia res arcessit, habere
> Sudoris minimum; sed habet comœdia tanto
> Plus oneris, quanto veniæ minus.

Deinde autem Plauti et Dossenni utitur exemplo, quos securos de judiciis doctorum ait. Et hæc ad divinum, ut jam dixi, ac subactum in his principem, cujus nec judicium nec cæterorum ignorare ea tempestate potuit. Et cujus judicium vereri debuisset, nisi idem aliorum fuisset. Jam illa Epicharmi imitatio, ut festivissima, ita, si sit frequens, frigore non caret. Quæ fit, cum vel falsa opponuntur, aut subjectum idem est cum prædicato. Ut cum Epicharmus dixit:

Τότα μὲν ἐν τούτοις ἐγὼ ἦν, τότα δὲ παρὰ τούτοις.
Tunc inter illos ego eram, tunc apud illos.

Bis enim idem dicit; quæ est fraus in verbis præter exspectationem. Idem autem est cum prædicato subjectum: ut in illis Curcul. Act. V. Scena IV.

Quoi homini dii sunt propitii, ei non esse iratos puto.

Sticho:

E malis multis, malum quod minimum est, id minimum est malum.

Captivis:

Hos quos videtis stare captivos duos,
Hi stant, non sedent.

Quæ jam docti collegerunt. Unde et istam summi critici censuram meruit:

Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi
Dicitur.

Quanquam sane alibi non invenuste iis usus est. Quæ Menander tamen, et imago ejus, de quo nunc agitur, Terentius, tanquam cum periculo conjuncta, serio fugerunt. Hæc pro viro maximo Horatio; neque adversus Plautum dicta sunt, quem amamus, suspicimus, diligimus, ac veneramur; verum, ut judicium sic acuamus; simul ut acuti isti, quod videntur sibi, ita facetissimum scriptorem ament, legant, tractent atque ediscant (quod et recte et ordine ab iis fieri fatemur: neque enim satis commendari potest) ut nec plane et ubique veteribus probasse se meminerint: et, quod hic præcipue spectamus, de Horatio ejusque crisi, minus libere loquantur: Terentii autem miram, ac prope ineffabilem amœnitatem, elegantiam, judicium ac venustatem, intelligere paulatim discant.

Cujus incredibiles lepores, ut Josephus Scaliger dicebat olim, vix centesimus eruditorum quisque videt. Ne cum illo simul et Afranium, antiquum comicum, condemnent, cujus verissimum atque absolutum extat judicium:

Terentio non similem dices quempiam.

Nobis eruditi ignoscent, quod hæc fusius, si cogitent præsertim, munus veri critici esse ac censoris, non literulam ejicere alibi, aut innocentem syllabam damnare, vocem tollere alibi aut emendare, sed sincere de auctoribus ac rebus judicare: quod et solidæ et absolutæ eruditionis est. Quo, ni fallor, omnes aspiramus. Neque ulla in re magis antiquitas præivit nobis. De auctoribus autem comicis, uter melius judicare potuerit; isne qui ætate illa vixit, qua ad summum culmem poesis pervenit, qui poeta summus, summus criticus, familiariter cum Cæsare Augusto ac Mæcenate vixit, eorumque atque aliorum quotidie de his judicia audivit; an qui hodie harum rerum plane imperiti judicant; ipsi viderint.

PETITUS.

DE ORDINE COMŒDIARUM.

PUB. TERENTII.

Omnia non sunt plana atque liquida. Primam omnium ANDRIAM esse, liquet ex *Donato*, præfatione in Andriam. *Hæc prima acta est Ludis Magalensibus*, &c. *Suetonius Tranquillus* in vita Terentii: *Scripsit comœdias sex, ex quibus primam Andriam, cum Ædilibus daret.* Quod et testantur hi versus in *Andriæ prologo:*

Favete, adeste æquo animo, et rem cognoscite
Ut pernoscatis, ecquid spei sit reliquum:
Posthac quas faciet de integro comœdias,
Spectandæ, an exigendæ sint vobis prius.

Editam testantur cum Didascaliæ, tum Suetonius, M. Marcello, Cn. Sulpitio Coss. hoc est, anno ab urbe condita DLXXXVIII.

HECYRA semel atque iterum exacta, tertio stetit; unde factum, ut quo loco edita primum sit a Terentio, non ex vero proditum sit a *Donato*, præfatione in hanc comœdiam: *Factaque et edita quinto loco, Cn. Octavio et T. Manlio Coss.* Atqui si facta editaque est Cn. Octavio, T. Manlio Coss. non igitur quinto loco: nam Cn. Octavius et T. Manlius consules fuerunt anno ab V. C. DLXXXIX. Ergo facta est post Andriam, quam edidit Terentius anno proxime præcedenti; proinde Hecyra secunda est, ordine fabularum, quas fecit Terentius.

Tertia fuit HEAUTONTIMORUMENOS, ut constat ex Didascaliis, quæ in fronte illius leguntur, in hæc verba: *acta tertia M. Juventio, et M. Sempronio Coss.* Qui consules fuerunt anno ab V. C. DXCI.

Sequitur quarta PHORMIO, de qua *Didascaliæ: Facta est IV. C. Fannio, M. Valerio Coss.* Quod etiam testatur *Donatus*, præfatione in hanc fabulam: *Edita est quarto loco M. Valerio et C. Fannio Coss.* Post phormionem quinta est edita EUNUCHUS, iisdem Coss. iisdem Ædilibus; habes id ex *Didascaliis*, et *Donati* præfatione in hanc fabulam: anno nimirum ab V. C. DXCIII.

Bis eodem die producta in scenam, tertium denique acta: pretium octo millibus sestertium numeratum est poetæ.

ADELPHŒ sexta est comedia a Terentio facta, eaque edita est Lucio Anicio, M. Cornelio Coss. hoc est, anno ab V. C. DXCIV. *Ludis* funebribus L. Æmilii Pauli, ut habes in Didascaliis. Iisdem Ludis funebribus relata Hecyra, sed non placuit, ut est in *Didascaliis*. Prius tamen in scenam producta est Hecyra, quam Adelphœ, ut colligo ex *Donato*, qui dicit: *Factam et editam quinto loco.* Male, ut audivimus; nisi perinde habueris primam illius editionem, Cn. Octavio, T. Manlio Coss. quasi omnino edita non esset, cum neque spectata, neque acta tunc sit; neque tum male dices *quinto loco*, cum producta est his ludis funebribus Æmilii Pauli ante Adelphœ. Quare audiendus non est *Donatus*, qui eam *secundo loco actam dicit, etiam tum rudi nomine poetæ; itaque sic pronunciatum* ADELPHŒ TERENTII, *non* TERENTII ADELPHŒ. *Quod adhuc de fabulæ magis nomine posta; quam de poetæ nomine fabula commendaretur.* Quæ futilis argumentatio est: nam nulla fabularum Terentii pronunciata est TERENTII, exempli gratia, PHORMIO, HEAUTONTIMORUMENOS, antequam ter-

tium edoceretur Eunuchus. Idque observat *Donatus* præfatione in Eunuchum, tertium editam fuisse post Adelphorum editionem.

L. VICTORIS FAUSTI

DE COMŒDIA

LIBELLUS.

Sim brevis usque licet veterum de more libellus,
Meque suum quisquam nequeat asserere:
Nec triviis volgata feram, decerptave passim,
Nec proinde elata fronte superbus eam:
Attamen egregium nihil undique, et undique tersum est.
Nam quod miraris, ridet id alter opus.

Editurus ego libellum de triplici Comœdiarum sectione, Trivisanorum decus, Andrea, tibi, quanquam prætextato, munus dicare decrevi. Non equidem admiratione bonorum corporis aut fortunæ, qua merito Venetiis et in adeo excellenti familia veneraremur: sed quoniam ingenio te singulari adolescentem multis jampridem indiciis ipse cognoveram. Etenim vere, quod de se jactabat Hermogenes, ætatem virtutibus, haud indole prævenisti. Quocirca nemini videatur alienum, si quod ab ingenio proficiscitur, ingenio præstanti adolescentulo nuncupatur. Cæterum arbitror me meis, quotquot potuerunt intendi, viribus consecuturum, ne amplius quid novum aut vetus, quidve medium, et cur in Comœdia dicatur, ullus ignoret. Quod hactenus vel omissum a Latinis, vel abolitum vetustate secula nostra desiderarunt. Multa quidem egregie Donatus, multa Diomedes, et adeo bonis auspiciis protulerunt, ut ea grammatici passim in sua transcribant: sed tamen huc illa parum videntur, immo nihil pertinere. Quædam igitur a Græcis auctoribus et Latinis haudquaquam nominatim pertractata, verum obiter disserta collegimus: quædam ipsi collatis inter se multis elicienda, ac breviter curavimus annotanda, quæ tibi pauca parvus ego devovi, perinde atque suam Virgilianus ille Micondianæ Venationem. Fatemur enim et eorum quæ nos minime præterierint, subticuisse complura. Jam itaque nostram hactenus obligatam

fidem absolvamus. Comœdiæ nomen a Dæmone Como religiose admodum arbitramur esse deductum, quoniam et comessari de nomine dictum Philostratus affirmat, cujus scilicet numinis dexteritate quælibet hominibus fausta comessatio daretur. Quid autem sit comessari, Philostratus imagine Comi facilius tibi, quam ego possim, demonstrabit, ubi fingit eum fervescente mero supinum dormitare, facieque præ nimio potu scintillante, rhonchos ab imo pectore stertere deducentem. Utriusque vero sexus homines, id quod ipse desiderat, gregatim vestibus permutatis, plausuque concinno, quo maxime possunt genio indulgere. Quod ipsum in hac urbe sæpius vidisti, quum mimariæ (ut ajunt) saltationes hybernis noctibus debacchantur, quæ teste Polluce κόρδακες appellari consuerunt. Noli igitur eos audire, qui comessari dictum putant ab esu, quoniam s simplici necessario scriberetur, nec secus eruditi veterum codices haberent. Nam Græcum illud κωμάζω, quemadmodum z litteræ natura desiderat, duplici ss Latine quidem annotatur, sicuti φιλιππιζω, philippisso est. Ita κωμῳδία quasi κωμαζῳδία, videlicet comessantium hominum cantilena. Quæ Græcorum et Donati sententia maxime placet; quum præsertim doctissimus quisque fateatur in Dionysiacis comessationibus id genus poematis a veteribus fuisse celebratum. Ii vero mihi nullo pacto blandiri possunt, qui nomen hoc ἀπὸ τῶν κωμῶν derivare contendunt, quoniam Athenienses (apud quos natam fere, et auctam esse Comœdiam nemo ambigit) δήμους vocarunt, quæ ab aliis κῶμαι fuissent appellatæ. Enimvero illud unum mihi negotium facit, ne scilicet Comum ἀπὸ τῶν κωμῶν Græcia dixerit: quemadmodum Romani Fornacaliam servatis ab incendio coluere fornacibus: et Robigum, sive Rubiginem, atque alios complures, a quibus præessent rebus appellavere. Utcunque tamen sese res habeat, περὶ τὸ κωμάζειν appellari Comœdiam affirmo: quoniam etsi περὶ τὰς κώμας dicatur ὁ κῶμος, tamen ab eo τὸ κωμάζειν, unde κωμῳδία quasi κωμαζόντων ᾠδὴ nominatur. Verum ex ipso jam nomine patuit quænam definitio possit Comœdiæ convenire, poema scilicet demulcendis hominum mentibus, excutiendisque potissimum cachinnis accommodatum. Hoc innuit Virgilius, et illi Græcorum, qui Θάλειαν Musam comicis præsidere cecinerunt. Quæ scilicet festivis pullulans jocis, ad risum usque delectet.

Hoc etiam Aristoteles comprobavit, inquiens, quod in turpitudine ridiculum est, Comœdiam imitari. Quandoquidem illud inprimis poetæ rebus, et verbis efficere conabantur: ipsa quidem re bifariam, videlicet vel opinione sua, vel alterius persuasione deceptas fingendo personas: deinde magna nomina, vel deos mortalium postremis componendo, sicuti Plautus in Amphitryone Mercurium simulat agere Sosiam: vel contra, quemadmodum in Ranis Aristophanis fabula Xanthias vile mancipium Herculem agit. Verborum autem modis septem comici risus excitabant: vel scilicet plura significans verbum usurpantes, quod grammatici dicunt *ὁμωνυμίαν*: vel plura significationis ejusdem, quod vocant *συνωνυμίαν*: vel proprium aliquod ludentes nomen ea quidem ratione, qua nos interdum *oratorem* dicimus *aratorem*, quod illi nuncupant *παρωνυμίαν*, vel eadem sæpius non invenuste repetendo, quod appellant *ἀδολεσχίαν*: cujusmodi est illud Ennianum ab Aulo Gellio citatum, ubi verbum hoc *frustra* et *frustrari*, decies eodem loco inculcatur: vel aspernandi studio diminutiva formantes: vel aliquam haud absurde literam mutantes. Denique per non tritas dicendi figuras elegantiam alicujus, aut rude ingenium exprimentes, theatrum omne risu diffundebant. Verum hæc universa nihili nonnunquam erant, nisi vocem histriones singulis adhibuissent accommodatam: quandoquidem omnis oblectatio Comœdiæ propemodum in actione consistit. Hactenus autem quæ diximus, bono omine procedant: ne (licet huic libello de perplexis adeo quæstionibus propositum non sit disputare) nimis multa esse videantur.

Si funditus Latinæ comœdiæ quæras perspicere conditionem: inprimis ejus originem par esse arbitror non ignorare: quippe cum ad nos e Græco fonte derivata per Latinos quasi traduces emanarit. In veterum itaque fabulis quinque perhibent esse differentias, temporum scilicet, stili, materiæ, numerorum, et apparatus. Nobis igitur tempora considerantibus, tria comœdiarum genera sese offerunt distinguenda. Primum enim est, quod una cum Peloponnesiorum imperio, Susarione, vel Sannirione floruit inventore. Alterum, quod ab impositis per Lacædemonios Atheniensium cervicibus, triginta quasi jugo tyrannis ad ætatem usque Philippi Macedonis est propagatum, videlicet per annos circiter sexaginta. Tertium, quod ab Alexandri temporibus adeo faustum sumsit

initium, ut etiam a Latinis in præsentia celebretur. Verumtamen ego comœdiam Græcum esse inventum minime arbitror: neque (ut Thomas Magister, et eum secuti, videntur æstimare) ab agricolis civium injurias conquerentibus esse derivatam. Hoc nempe causam asperitatis, et jurgiorum in Veteri comœdia reddit: quam mox ipsi longe aliam esse docebimus: neque videtur quicquam, ut reor, ad comœdiæ primordia pertinere: quoniam Orpheus, quem constat per centum amplius annos ante Trojani belli tempora vixisse, sub Laomedonte scilicet, ac Athenis Ægeo imperante, Bacchi mysteria ab Ægyptiis tralata suis Thracensibus indicavit. Atqui comœdiæ, quemadmodum idem asserit Thomas, veris tempore in Bacchanalibus agebantur. Unde etiam apud Romanos ara Libero patri sacra in dextro latere scenæ, quemadmodum ait Donatus, vel orchestræ, ut Pollux, semper erigebatur, quod maximum est argumentum, a Bacchi mysteriis omne fabularum genus esse depromtum. Id Horatius innuit, quum spectatorem et sacris functum, et potum appellat. Par est igitur arbitrari, prima comœdiæ semina per Orpheum ab Ægypto in Græciam fuisse delata: unde complura non Orpheus modo, verum et alii transtulerunt. Celebres enim erant et Phœniciæ literæ nondum Græcis sexdecim a Palamede Nauplii filio configuratis: ac plurimi studia poetices habebantur: proindeque sapientes illi numeris omnia componebant: quæ una cum cæteris apud tum Ægyptios floruisse nemo bene doctus dubitarit. Non defuerunt etiam, qui fabularum initia Siculis adjudicarent, quemadmodum Aristoteles in Poeticis ait, quoniam Epicharmus comicorum antiquissimus poeta illinc esset oriundus. Syracusanus enim revera fuit, duplicesque Græcorum literas ζ ξ χ primus omnium excogitavit, sicut in Iliados *alpha* Grammaticus Johannes solerti vir ingenio mecum sentit: ubi longas η et ω per Simonidem poetam in insula Chio natum scribit esse formatas, aspiratarumque characteres ϑ φ χ Cadmo illi Milesio testatur effictos: licet hæc Plinius quinquagesimo sexto libri septimi capite longe aliter tradat: nisi sit error in codicibus, aut Græci ipsi non satis sibi constent, quos illé potissimum fuerit secutus. Satius tamen arbitror hæc elementa singula singulis inventoribus addixisse. Ea igitur ægrotantium somnia prætermittas. Unum hoc sciens ab Æschylo, et qui eum

secutus est, Cratino, fabulas in suam formam esse tandem redactas. Siquidem ante devictos Persas ad Salaminą, cujus victoriæ fabulam, quæ nunc exstat, Æschylus dedit, nullus in iis ordo poterat reperiri. Comœdiarum itaque prima semina ad Ægyptios referamus, formulam earum et ordinem Cratini temporibus adscribentes, stili cum cæteris scripturis eadem esse differentia videtur, antiqua enim comœdia gravis, et elata semper incedit, ac nonnunquam obsoletiora quædam verba sectatur: at contra recentior perspicuum sermonem affectat, utpote quæ novis ac politioribus utatur atticismis.

Materiæ, quum tres esse nemo ambigat sectiones, quædam altius videntur nobis esse repetenda. Per Atticæ urbis incrementa potissimum vigente republica, quum scilicet omnia populi arbitrio regerentur, poetæ qui fabulis operam dabant, ab insectatione aliena stilum minime poterant continere: seu quoniam Attici suapte natura nasutiores esse dicuntur: sive potius quod plebeii semper innato odio patricios prosequuntur. Etenim præpotenti morem populo gerentes, et judices et prætores maledictis insectari minime dubitabant: ac nihilo secius privatos, si quis vel avarus, vel impurus esse videretur: maximeque dabatur laudi, si poeta quispiam e scena gravioribus, ac plene censoriis verbis id genus homines, veluti jaculis confecisset. Hoc namque multi domestico probro quasi flagello quodam vexati, cum mores præteritos mutare, tum vel esse frugi, vel saltem apparere cogebantur: ne denuo sese male gerentes, male identidem audirent: cujus rei numeros omnes Cratinus dicitur implevisse: quippe cæteris austeritate præstans, acerbissima jurgia procaciter exspuebat. Hac etiam in parte bonus ille Aristophanes non dormitavit. Ejus enim Vespæ fabula, quotquot erat sycophantæ, quos quidem ipse vocat ἠπιάλους, fecit ab incepto desistere, quo inter cætera facinore tantum placuit, ut oleagina, quæ par est aureæ coronæ, donaretur. Deinde labefactis populi viribus, quum scilicet imperium ad paucos omnino recidisset, nulla poetis amplius libere loquendi facultas concedebatur, sed poenas dare potentioribus necesse erat, si quis vel minimum esset obloquutus. Idem enim Aristophanes, quemadmodum in Acharnensibus fabula de se ipse meminit, quinque talentorum multam perpessus est, propterea quod Cleonis cujusdam ex Atheniensum optimatibus impotentiam et pecu-

latum per Equites fabulam detegere conaretur. Etenim illi adeo fuit infensus, ut quoniam ab opificę personam Cleoni similem habere non posset, sibi multo cæterisque id genus fucis concinnarit: histrionibusque præ nimio metu e scena prodire non audentibus, Cleonis personam solus agere non dubitarit. Eupolis vero præceps in mare datus est, eo quod potentiores aliquot in Baptis fabula momordisset. Quum igitur hæc animadverterent poetæ, decreverent sibi fore prorsus a maledictis illis temperandum. Itaque stili nasum ob imminens vitæ discrimen alio converterunt, poema scilicet Homeri, vel alterius in ludibrium sæpe quidem injuriose vertentes: quorum maxime Cratinus scenæ populoque (ut ajunt) servire contendit. Noverat enim (arbitror) id quod in oratione de corona Demosthenes asserit, esse natura comparatum, ut homines libenti animo calumnias aliorum audire videantur. Ulysses itaque plurali numero fabulam dedit, quæ totius Odysseæ calumniaretur historiam. Aristophanes quoque postquam suo malo contra stimulum calces nihil valere didicisset, in alteram se formam quasi Protheus convertit, Æolum scilicet fabulam a tragicis olim celebratam, in comicam *αἰολοσσικῶνα* deridendo permutavit. Ille idem Aristophanes (mirum dictu) novæ etiam initium comœdiæ dedit, quod velim ejus egregia laude dictum arbitreris. Quippe quum unus ipse queat triplicis argumenti poeta reperiri, siquidem et aliam, cui nomen est Cocalo, fabulam commentus esse dicitur, in qua virginum compressiones, agnitæque agitarentur affinitates. Demum Athenis Macedonum petulantia subjugatis, eas continuo fabellas edere studuerunt poetæ, quibus illorum impuritati fatisfactum esse videretur. Quandoquidem vel ex Athenæi monumentis facile possumus conjectare, quod gulæ, ventrisque servitio Macedones fuerint emancipati. Menander itaque suæ tempestati morem gesturus, comœdiam ab Aristophanis Cocalo feliciter admodum est auspicatus: cui sic Ovidius alludit Amorum secundo, nobis obiter quænam fuerint ejus argumenta demonstrans,

> Dum fallax servus, durus pater, improba lena
> Vixerit et Meretrix blanda, Menandros erit.

Quod nos cum Græco carmine ludentes in egregiam Terentii laudem vertissemus, tibi pulcherrimos condendi jambos de-

disse ansam videmur. Cæterum fuit octo tantum annis junior Alexandro, sanguine nobilis et morum integritate præclarus. Alexideque (ut arbitror) præceptore jam adolescens dare fabulas cœpit, quæ centum et octo numero coram dostissimis quibusque steterunt, vel quinque supra centum, ut cecinisse Apollodorum Gellius scribit. Tandem Athenis in patria duos et quinquaginta natus annos obiit mortem, decimo scilicet ante bellum Macedonicum anno, quod Pyrrhus cum populo Romano gessit acerrimum. Nec solæ quidem hæ Menandri fabulæ Macedonum lumbos (ut his utar Persii verbis) intravere, sed et aliæ Diphili Sinopei centum Philemonisque Syracusani Menandrum æmulantis fere totidem accesserunt. Prætereo quas Apollodorus, Posidippus et Philippides addiderunt, ac cæteri, quos nova comœdia celebravit. Profecto mira fuit Aristophanis felicitas: cujus una Cocalus e quinquaginta quatuor (tot enim vidisse se Thomas Magister ait) adeo multas diversorum poetarum fabulas procrearit, quæ cum parente suo reliquisque veterum pene omnibus ab usu nostro suffurante tempore exciderunt. Utinam extarent vel dimidiatæ, non adeo forsan in præsentia fabulas perspiciendo cæcutiremus: nec esset cur ego vos semicæcus ducere conarer. Sed acta ne agamus, vitium hoc et præteritam calamitatem his quasi frugibus, quotquot extant, Aristophanis fabellis compensantes. Duplex esse numerorum differentia videtur: quandoquidem veteres illi comœdiam variis distinguere versibus studuerunt, eo quod laudi maxime daretur, siqui novum carminis genus adinuenissent. Unde Phrynicus in Ionico minori catalecticon tetrametrum excogitavit, Pherecratesque sibi versum e spondeo, dactylo, et trochæo pulcherrimum concinnavit: nec secus Eupolis tetrametrum ex trochæis conglutinavit. Verum Aristophanes, ut in omnibus est ποιητικώτατος, in hoc etiam ulli cedere noluit. Jambicum enim hypercatalecticum monometrum, et brachycatalecticum trimetrum, est mira suavitate modulatus. Insuper ex anapæstis trimetrum acatalecticum, ex choriambis vero monometrum primus omnium temperavit, atque alia complura per Servium, et illius interpretes fabularum annotata, quæ mortalibus adeo placuerunt, ut barbaros etiam Persarum animos potuerint demulcere. Etenim apud eos Aristophanem accepimus præsertim a rege celebratum. Contra vero nova c-

mœdia jambos, ut plurimum solet, usurpat: quemadmodum a Stobæo, Plutarcho, Gellio citata Menandri carmina demonstrant.

Binas apparatu differentias extitisse grammatici tradiderunt, cum scilicet in personis, tum in ipsa serie, comœdiarumque contextu. Platonius enim auctor est veteris comœdiæ poetas e scena solitos esse eos educere personatos, qui statim ex ipsa facie quos essent toto opere carpturi, spectatoribus indicarent: ut si forte quis non audire carmina cogeretur, de persona tamen, quisnam esset deridendus, agnosceret. Sed comici recentiores ad excutiendos potissimum risus, histrionum facies configurarunt. De industria quidem monstrosos hominum vultus effingere conabantur, ne cuipiam forte fortuna Macedoni tunc præfecto similes esse viderentur: proindeque miser ille poeta non secus ac si barbarum principem data opera subsannaret, publice multaretur: adeo nobilis illa Græcorum majestas impuris obtemperabat. Quippe distorta corpora Menander (si Platonio credimus) planeque communem hominum excedentia naturam personis imitabatur, profecto sapienter, quoniam, inquit ille, non solum malum, sed et mali vitanda est suspicio. Quod autem ad fabulæ pertinet contextum, chorus in causa est cur inter se veteres novique non quadrent: quandoquidem illi varia quædam modulamina temperabant, quæ chorus singulis actibus intercinendo plebem sine tædio, quousque novi egrederentur histriones, detineret. Populus enim Atheniensis, quatenus rerum dominus habebatur, quotannis Ædiles creabat, qui sumtus alendis puerorum choris subministrarent. Cæterum chorus quatuor et viginti viris, puerisve aut feminis instruebatur, sicut Aristophanes in Avibus fabula numerat. Si vero promiscue viri feminæque ad explendum chori numerum adhiberentur (quod fecisse dicitur primus omnium Tyrtæus) mares dimidium excedebant. Si pueri, tum feminis illorum major numerus erat. Sin autem viri tantum, juvenes scilicet ac senes, identidem poetæ majores tredecim, minoribus undecim admiscebant, utpote quorum de nomine chorus appellaretur. Quilibet autem ex his chorus in quatuor (ut ajunt) ζυγὰ dividebatur, quorum singula sex continerent saltatores. Comicus inquam hoc pacto chorus apparabatur. Nam sicut Æschylus canit, quinque tantum et decem in tragœdia constabat.

Interdumque dimidiato numero (sicuti Pollux ait) Semichorum induci facile admodum est videre. Idem attamen scribit in veteri tragœdia, chorum saltatores habuisse quinquaginta: verum quoniam Æschylus totidem Eumenidas induxisset, quæ totum præ multitudine theatrum consternassent, cohibente lege ad pauciores esse deventum. Arbitror etiam in comœdia cum Donato longe plures ab initio fuisse cantores, quoniam (ut Aristoteles in naturali quadam sentit questione) multi facilius servare numeros possunt. Quum igitur post fabulæ prologum esset orchestram ingressurus, si rusticis constaret, a dextro latere solebat emitti: sin autem urbanis, a sinistra parte prodibat, quadrataque forma consistens recedentes histriones observabat. Deinde conversus ad spectatores, quorsumcumque septies theatrum intuebatur, totidemque cantilenas moderato gestu pronunciabat: quod omne παράβασις ab Aristophane pluribus in locis nuncupatur. Prima igitur cantilena statim ab histrionum discessu prolata, κορωνὶς communi nomine dicitur. Nam quicquid persona quapiam recedente cantatur, grammatici comicos exponentes κορωνίδα solent appellare. Κομμάτιον vero proprie dicitur, quatenus de choro amputata recisaque particula videtur: id a quibusdam εἴσθεσις χοροῦ nominatur. Secunda, παράβασις, non secus ac tota saltatio dicitur: quoniam illinc, ubi constiterat chorus, populum versus incedit: sive ἀνάπαιστος, eo quod frequenter hujuscemodi cantus anapæstos usurparet. Tertia πνῖγος, aut μακρὸν, cantilena scilicet (ut Pollux ait) una spiritus contentione prolata, quæ tria sejunguntur abinuicem, cum alterum alteri nullam habeat rationem. Quæ vero sequuntur, inter se quadam sunt ratione conjuncta, videlicet στροφὴ vel ᾠδὴ, sive μέλος, ἐπίῤῥημα ἀντίστροφος vel ἀντῳδὴ et ἀντεπίῤῥημα, quod loco septimo cantabatur, στροφὴ enim sive ἀντίστροφος membris et carminum genere quadrat. Rursus ἐπίῤῥημα undecunque sibi conveniens ἀντεπίῤῥημα solet habere. Quoniam utrobique fere semper chorus ex jambis tetrametra sexdecim modularetur, totum hoc simul χορικὸν appellatur, quando comœdiæ partem volumus assignare; quatuor enim sunt, videlicet πρόλογος, qui ad egressum usque chori prorogatur: deinde χορικὸν: et quod interponitur choris, ἐπεισόδιον: postremo ἔξοδος, quæ scilicet a choro in calce comœdiæ pronunciatur, ut Pollux in quarto scriptum

reliquit. Ea igitur παράβασις, auctore Demetrio Triclinio, quæ nullas harum partes omittit, perfecta solet appellari: qualem Aristophanes in Equitibus fabula concinnavit. Verum complures imperfecte pro arbitrio poetarum inseruntur: id quod idem in Nebulis fabula fecit: ubi solum ἐπίῤῥημα, quod esset vitiis carpendis accommodatum, induxit, ac in Ranis quatuor illa tantum conjuncte reposuit. Sed illud est animadversione dignum, quod ἐπίῤῥημα et στροφὴ sive μέλος, quando nullam ἀντεπιῤῥήματος, aut ἀντιστρόφου reditionem exspectant, in fine semper habent παράγραφον, ut non esse κατάσχισιν, id est, obnoxie posita videantur: quandoquidem hæc linea transversa παράγραφος scilicet, tria illa, quæ diximus, inter se discreta continuo claudit. Verum si futuram exspectant reditionem, στροφὴ tum hæc linea, cum non secus ac ἐπίῤῥημα, duabus aliis terminatur, quarum cœuntium angulus vergat introrsum: contra vero ἀντίστροφος lineis clauditur binis, quarum extrorsum utrique anguli vergant, hinc inde finale membrum, carmen scilicet ultimum amplectentes. Verum ex iis duntaxat uno solet ἀντεπίῤῥημα concludi. Quæ plane signa prout anguli sese habent, vel futuram, vel præteritam reditionem ostendunt. Hoc Demetrius ille Triclinius scribens in Aristophanem excogitavit. Veruntamen inter cantus, poetæ nunnunquam personas educere solent, quarum dissertatio σύστημα κατὰ περικοπὴν appellatur: interdum versibus alternis contendentes aliquot proferunt histriones, vel chorum etiam respondentem: quod Hephæstion videtur ἀλλοιόστροφον appellare. Verum has et alias consulto prætermittendas esse arbitror quæstiones, quæ mira poetarum licentia gignuntur: constat enim illis nihil unquam non audendum. Quocirca nobis de choro certiora consectatis, pro materia satis abundeque dictum esse videatur, quomodo præsertim in nova comœdia chorus nullum habeat, vel habere potuerit locum. Siquidem Athenis, quum omnia potentiores ad arbitrium suum revocare cœpissent, nulli amplius creabantur Ædiles: perindeque sumtibus ad alendos juvenum choros institutis populus abuti prohibebatur: quod particulatim a Platonio legimus disputatum. Id itaque animadvertentes poetæ, quemadmodum lata lege de non carpendo nominatim, materia mutabatur, ita etiam cantilenis abstinere penitus decreverunt: quodque sapientes, quum tempori cedendum est, efficere so-

lent, quæ erat necessitas, in virtutem egregiam transtulere. Nam actus fabulæ sic agebant colligatos, ut per intervalla, quæ quidem erant minima, saltem unus histrio relinqueretur, aut frequentius complures alternis inter se versiculis disserentes. Deinque nihil vetusti chori proprium observabant: quemadmodum in Aristophanis Pluto fabula tute jampridem vidisti. Id Horatius ita cecinit,

lex est accepta: chorusque
Turpiter obticuit, sublato jure nocendi.

Miror autem quasi monstrum conspicatus, illum cujus scripta sub Acronis nomine circumferuntur, vel si est ipse Acro, dixisse id lege cautum sub Augusto. Poterat mediusfidius perspexisse (modo Plautum aut Terentium legerit) an ante Augustum actæ fabulæ quemquam momordissent. O quam egregie vetusta novis, Latinaque Græcis non hic modo, verum et alii fortuna similes confuderunt. Quippe hoc Athenis decretum patricii promulgavere vix anno urbis Romæ quadragesimo septimo supra ter centum, videlicet quum tribuni militares imperio consulari crearentur.

Comœdiam itaque tempus et materia, sicut diximus, in tria genera dividunt, antiquum scilicet, et novum, et medium. Stilus vero, numeri, et apparatus duplici tantum sectione partiuntur: diversa tamen ratione: quoniam stilus et numeri vetustiora duo simul componunt, quæ ad Alexandrum usque pervenere: sed apparatus medium illud annectit recentiori. Nam in utroque (si grammaticis credendum est) nulla chori modulamenta reperiuntur.

Non autem esse arbitror alienum in præsentia quædam particulariter considerare, quæ profecto multa non erunt: quoniam facile videtur ex hactenus dictis fere omnes tum Græcas, tum Latinas metiri comœdias, si temporum præsertim ullam habere volueris rationem; quando scilicet in scena floruerit unusquisque fabularum poeta. Primam igitur Romæ fabulam dare Lucius Livius occepit decimo supra quingentesimum urbis anno: qui quidem, Gellio teste, quinquagesimus secundus ab obitu Menandri numerabatur: vigesimo fere postea quam Romani primum Carthaginiensibus bellum indixissent: tunc enim pace composita, quæ populo tanto opere expetebatur, id genus oblectamenti relaxandi animi

gratia receptum est. Deinde spatio novem annorum interjecto, C. Nævius data fabula spectandi copiam fecit. Post eum Plautus, anno fere decimo quinto: subinde seriatim Q. Ennius, Cæcilius et Terentius floruere: postea non multo Pacuvius, qui jam senex Accio cessit. Postremo Lucilius fuit, qui medium illud argumentum, lacerandi scilicet aliorum poemata, sectabatur. Hunc enim Gellius in Accium, et Pacuvium magna laude stilum exercuisse testatur. Fabulas igitur isti de Græco petitas argumento, Latinis salibus condire statuerunt: quemadmodum in Terentii, vel Plauti, quæ circumferuntur, fabulis est videre: novamque penitus comœdiam sunt imitati, nullam chori modulantes cantilenam: sed actus (ut ait Porphyrio) tibiarum concentu dirimentes. Ubi operæ pretium est animadvertere tibias chori proprietatem æmulari. Nam (ut auctor est Donatus) quæ fabulæ graves haberenter et severæ, tibiis dextris agi consueverunt: quæ vero jocis et urbane dictis undique scaterent, continuo sinistris. Pollux enim auctor est quinque olim in scena januas extitisse; quarum media illius omnino domicilium esset, qui primas in fabula partes haberet: altera, dextra scilicet, huic proxima, illius esse consuevit, cui partes darentur secundæ: tertia, sinistra, vel maxime tenuis, aut nullius erat personæ, vel desolatum aliquod simulabat sacellum. At reliquarum dextra eos emittere solebat, qui non ab urbe, sed aliunde proficiscerentur: sinistra vero contra, quotquot venirent, urbanos producebat. Ab hac (ut arbitror) ejus fabulæ chorus prodire consuevit, quas salibus, jocisque referta esse videretur. Quippe, quod facete dicitur, solemus urbanum appellare. Verum ab altera, si rusticos fabula contineret, quadam severa, gravique simplicitate chorus emittebatur. Etenim eos potissimum rusticos vocamus, qui semper obducto supercilio facetias aversantur. Unde Palamedes apud Philostratum ab Achille dicitur ἀγρικώτερος, quoniam ut erat undique severus, in deliciis etiam nihil haberet.

Cæterum, licet multa sint genera tibiarum, tamen duo scenam potissimum frequentabant, videlicet Phrygiæ: quarum nonnullæ modo dextræ, modo sinistræ ponebantur. Dextræ, quæ foramen unicum habèrent: sinistræ, quæ duobus essent foraminibus distinctæ. Quippe Servius Varronem secutus, duas impares cavernas hujuscemodi tibiis fuisse testa-

tur, ac foramina totidem. Unde Virgilius earum biforem cantum appellat, propterea quod graves et acutas emitterent pro tibicinis arbitrio voculationes. Alteræ sunt Serranæ, sic (arbitror) appellatæ, quoniam iis saltatores et proferre et referre pedem continuo juberentur, non secus atque sectores, qui serra adacta partiri ligna conantur. Siquidem Pompeius ait serram id prælium dici quo frequenter acies et accedere et recedere soleret. Hæ semper erant sinistræ, paresque, id est, æquales cavernis: proindeque parem concentum, acutum scilicet emittebant, quemadmodum Servius haud perplexe scriptum reliquit. Veruntamen Diomedes tibias pares et impares videtur numero definire: quod equidem non video cur possit admitti: nam par et impar qualitate fere semper accipitur a Latinis. Exemplo sit hoc Ovidianum,

Par erat inferior versus.

Et illud Virgilianum

Formosum paribus nodis.

Ac illud

Impar congressus Achilli.

Sed quo tandem sum incuriose digressus? Egone et magna nomina sugillarem? Minime, si meum mihi vitæ institutum permanebit. Quocirca ne nobis aliquid Eupolidis infortunio simile contingat, perfecto jam operi paragraphum stilus obducat.

DE FABULARUM, LUDORUM, THEATRORUM, SCENARUM, AC SCENICORUM ANTIQUA CONSUETUDINE, LIBELLUS;

Ex optimis auctoribus collectus, ad comicos facilius intelligendos, præcipue conscriptus in gratiam studiosæ juventutis.

Nunquam existimandum est cuiquam posthac familiarem Plautum aut Terentium futurum; eorumque intimum artificium, orationis characterem, atque venustatem, aliaque id genus plura quemquam plane assequuturum, nisi comicam omnem dignitatem, morem, et agendi consuetudinem, quæ ab antiquis in fabulis ac ludis observari solebant, exacte teneat. Ita fiet, ut postea nihil præter metrorum rationem, ac

versuum mensuras desiderare possit: quas nimirum ex Terentiano, omnium Latinorum grammaticorum cultissimo, et in hac re plurimum exercitato, desumere licebit. Hic itaque libet adolescentulis bonarum literarum studiosis breviter proponere: primum, unde nata sit comœdia, quoque pacto ante comœdiarum usum antiqui poetæ luserint: deinde vero, quomodo comœdiæ agi ac pronunciari solitæ fuerint, ut quid *ludi* sint, quid *theatra*, *scenæ*, *actus*, *personæ*, et id genus cætera, facile intelligantur. Quod opus dum aggredimur, facilem atque attentum lectorem esse cupimus, ut tandem intelligat, quid sit fabula, tragœdia, comœdia vetus, satyra, et nova comœdia.

Quid fabula, tragœdia, satyra, Comœdia vetus et nova.

Fabula generale nomen est, Tragœdiam, Satyram, et Comœdiam in se complectens. Estque fabula narratio quædam conficta, et demissiore plerumque stilo ac versibus conscripta ad oblectationem auditorum. Unde etiam *poemata* inter fabulas a nonnullis connumerantur: quapropter quibusdam visus est Homerus Iliadem instat tragœdiæ, Odysseam ad imaginem comœdiæ conscripsisse.

Tragœdia autem fabula est, qua antiqui reprehendebant, quod in rebus non solum privatis ac civilibus, sed maxime arduis et ad principes attinentibus minus rectum videbatur. In ea scenici amurca, et olei fœcibus (quas Græci τρύγας vocant) perlinebant ora, ante usum personarum: unde Tragœdiæ nomen. Ejus grave argumentum fuit, petitum sæpe ab historica fide: dictio severa, sublimis, sæpe tumida: tranquilla prima, exitus funesti.

Post tragœdiam inventa *Comœdia*, quæ *Vetus* dicta est: in qua (ut in tragœdia quoque) simplex carmen fuit: quod carmen chorus circa aras fumantes nunc spatiatus, nunc revolvens gyros, cum tibicine concinebat: eratque primo una persona cantoribus substituta, quæ respondens alternis choro, locupletabat variabatque rem musicam. Chorus autem in tragœdia, aut *Comœdia Vetere*, dicebatur multitudo coævorum juvenum, aut minorum in sacris, vel scena, cantantium atque saltantium.

Fuit *Vetus Comœdia* Græcis *Archæa* dicta, quia esset de nobis

parum cognitis vitiis: item etiam *Eteonymos*, quia inesset in ea velut historica fides verse narrationis, et nominatio omnium, de quibus scribebatur. Sed cum poetæ in Comœdiis abuti licentius stilo, et passim lædere ex libidine cœpissent plures bonos, lege lata, ne quisquam in alterum infame carmen scriberet, tacuerunt.

Satyra exinde sumsit exordium. Estque genus fabulæ, quæ ex Satyris, quos illotos et petulantes Deos esse scimus, nomen sumsit. Fuit autem ejusmodi, ut in ea, quamvis duro et agresti joco, tamen vitia hominum, sine ullo proprii nominis titulo, carperentur, atque per scirpos, et ænigmata, magnæ res describerentur. Id vero genus fabulæ multis obfuit poetis, quum in suspicionem potentibus civibus venissent, quod illorum facta descripsissent in pejus, ac deformassent fabulæ genus stilo carminis.

Post exoletam Satyram inventum est a poetis aliud fabulæ genus, quæ *Comœdia nova* dicta est. Ea erat fabula, continens imaginem civilium ac privatarum rerum: qua discebatur, quid esset in vita utile, quid evitandum. Unde ait Cicero, Comœdiam esse imitationem vitæ, speculum consuetudinis, imaginem veritatis.

Nomen habet *comœdia*, vel a Como, Deo comessationis, vel ab eo quod primum Athenienses per vicos adhuc dispersi ex omnibus locis læti alacresque conveniebant: ibique rudibus et incultis versibus potentiorum, alioramque item hominum vitia nominatim perstringebant. Nomen autem compositum, *ἀπὸ τοῦ κωμάζειν καὶ ᾄδειν*. In summa, Comœdia est poema sub imitatione vitæ ac similitudine compositum, in gestu et pronunciatione consistens. In ea mediocres fortunæ hominum, parvi impetus, pericula quotidiana, turbulenta principia, lætique fuerunt exitus, et ficta argumenta. Caruit quoque choro nova Comœdia, contra quam Vetus, paulatimque personarum numero in quinque Actus processit: quod tunc quum ad cantores ab actoribus transibat fabula, consurgeret et abiret populus. In ea etiam personarum ornatus alius inventus est, pallia, socci, et id genus cætera.

Post novam Comœdiam Latini multa fabularum genera protulerunt, quæ tamen Comœdiæ dicebantur. *Togatas* vocabant a scenicis indumentis, quæ Romanam togam præ se ferebant, et ab argumentis Latinas; *Prætextatas* a dignitate et vestitu

personarum, et Latina historia: *Atellanas* ab Atella Oscorum civitate, ubi inventæ dicuntur: ea salibus conspersæ erant, ac jocis compositæ, in se non habentes nisi venustam elegantiam: quales sunt Plautinæ: *Rhyntonicæ* Comœdiæ dictæ ab auctoris nomine: *Tabernariæ*, ab humilitate argumenti et stili; *Palliatæ* ab habitu et argumento Græco. *Mimi*, ab inverecunda imitatione vilium rerum, et levium personarum. *Planipedia* quoque Comœdia dicta, ob humilitatem argumenti, ac vilitatem actorum, qui non cothurno, aut socco utebantur in scena, aut pulpito, sed plano pede: vel ideo, quod non ea negotia contineat, quæ personarum in turribus, aut in cœnaculis habitantium sunt, sed in plano et humili loco.

Omnium autem Comœdiarum scripta, quæ dramata Græci vocabant, ex quatuor rebus omnino sumuntur: nomine, loco, facto, eventu. Nomine, ut Phormio, Hecyra, Gurgulio, Epidicus. Loco, ut Andria, Leucadia, Brundusina. Facto, ut Eunuchus, Asinaria, captivi. Eventu, ut Commorientes, Adelphi, Heautontimorumenos. Dividitur nova Comœdia in quatuor partes: *prologum*, *protasin*, *epitasin*, *catastrophen*.

Prologus est veluti præfatio quædam fabulæ, in qua vel poeta excusatur, vel fabula commendatur.

Protasis est primus actus fabulæ, in quo pars argumenti explicatur, pars reticetur, ad populi exspectationem tenendam.

Epitasis incrementum est, processusque turbarum, et involutio argumenti, cujus elegantia connectitur.

Catastrophe est explicatio fabulæ, per quam eventus ejus explicatur, atque approbatur.

DE LUDORUM ANTIQUORUM GENERIBUS.

Verum ut omnis comœdiarum ratio facilius intelligatur, atque adeo ea, quæ omnem comœdiarum actionem spectant: attendendum est primum, quando fierent, quo loco, et qua forma. Hoc autem tum demum lector intelliget, cum pernoverit, quid fuerint apud antiquos ludi, theatra, actus. Scenæ, et hujusmodi cætera.

Vetus itaque comœdia, item etiam tragœdia primum agi solebat a Græcis, in vicis et pratis mollibus, adscriptis et propositis præmiis, quibus ad scribendum poetarum provocarentur ingenia: actoribus quoque munera offerebantur, caper-

que dono dabatur, ut libentius jucundo vocis flexu ad dulcedinum commentationes populum allicerent.

Agebantur comœdiæ et tragœdiæ apud vetustissimos in honorem liberi patris. In Italia primum actæ sunt Compitalitiis ludicris, admisto pronunciationis modulo, quo, dum actus commutabantur, populus detineretur. *Compitalitii* autem ludi dicti, qui per compita fiebant; scenæque ductiles in plostris ob id antiquis excogitatæ. Postea vero factum, ut ludis publicis, et in theatro agerentur novæ comœdiæ apud Romanos.

Ludos vocabant publica spectacula, quæ tum in gratiam populi fieri solerent a senatu, et a principibus instituti, vel ad favorem populi conciliandum (ut nonnullos Cæsares fecisse legimus) vel ad animorum relaxationem et oblectationem. Multo magis ad religionem instituti sunt ludi. Nam diis post sacrificia etiam ludos publicos consecrabant.

Ludi igitur, et *ludicra*, quæ etiam *certamina* vocarunt Latini, Græci *Agonas*, multorum generum fuerunt: neque vero uno tantum spectaculo in publicis ludis detinebatur populus. Erant autem ludi *gymnici* et *athletici*: *ludi circenses*: *ludi gladiatorii*: et *ludi scenici*, de quibus nunc singulatim est paucis disserendum, partim ex Budæo, nostræ Galliæ lumine, partim ex Vitruvio, Luciano, et aliis antiquis auctoribus.

Gymnici et *athletici* ludi in palæstris ac gymnasiis fiebant apud Græcos, quæ loca fuerunt exercendis et corporis et animi viribus accommodata. Nam etiam in iis palæstris aut gymnasiis exedræ fuerunt, in quibus philosophi Græci sedentes disputabant. Sed et *palæstræ* appellatio omnem athleticam artem et exercitationem complectitur, decentiamque: qua status, motus, flexusque corporis, ac omnes omnino habitus venustatem quandam leporemque præ se ferunt: quam qui non didicerant, ii *apalæstoi* ab antiquis dicti sunt. Eam vero artem qui exercebant, aut qui in palæstræ exercebantur, vel decertabant præmiis, *palæstritæ* vel *palæstrici* dicti sunt; gymnicos Græci etiam vocarunt, quod nudi athletæ exercerentur. Cæterum in palæstra *gymnasii* (inquit Plautus) cursu, luctando, hasta, disco, pugilatu, saliendo se exercebant athletæ. Hujusmodi ludi in campo Martio apud Romanos fieri solebant.

Qui currebant in ludis gymnicis, hoc est, cursu corpora

exercebant, vel eo decertabant, Græcis *dromi* appellantur, hoc est, cursores. Quorum alii *stadiodromi* dicebantur, qui stadium percurrebant: alii *diaulodromi*, a circumactu curriculi, id est, duplo curriculo, quod *diaulon* vocabant: nam ii cursores quum ad metam pervenerant, flectentes, eo rursus recurrebant, unde cursum inierant. Erant et *dolichodromi*, qui sexies stadium curriculo obibant: nam *dolichos* longissimus cursus dicebatur.

Lucta, Græcis *pale*, vel in cœno, vel arena, vel pulvere fiebat; unde luctatores in ludis gymnicis, aut *palæstra*, Græcis *palæstæ* appellati. Ii luctaturi, *ceromate*, id est, oleo cerato perfundebantur: unde qui eos ungebant, *ceromatistæ* dicti. *Pulvere* quoque post unctionem inspergebantur, ut corpora ceromate et sudore lubrica mutuas luctantium prehensiones admitterent: unde natum proverbium, *citra pulveris tactum*, de iis, qui facile aliquid assecuti sunt, et citra sudorem, quod et *citra pulverem* dici potest. Eum pulverem Græci *aphen* dicebant. Inter luctatores quidam summis inter se manibus depugnabant, nullo complexu hærentes: eos *Acrochiristas* vocabant Græci. Alii vicissim feriebant arrectaria concertatione, hoc est, arrecti, et pulvere obsiti, alter alterum impetebant procursu calcitratuque: calcibus enim, cubitis, unguibus, non modo pugnis utebantur, omnique impetendi prehendendique modo: *pancratiastæ* vocati, et *pancration* hujusmodi certaminis genus, ex eo quod advocatis omnibus corporis viribus, omniumque nervorem contentione transigeretur.

Qui disco se exercebant athletæ, *discoboli* Græcis appellabantur, hoc est, discum in sublime jaculantes. Erant autem discus lapis rotundus ac pertusus, inquit Ammonius.

Pugilatus quem Græci *pygmen* appellabant, cæstibus exercebatur, quales a Virgilio, lib. V. describuntur: in eo qui exercebantur, *pugiles* Latinis, Græcis *pyctæ* dicti sunt: quod nomen ad gallinaceos pugnaces translatum est.

Saltationum in ludis gymnicis multa genera fuerunt, quemadmodum docet Lucianus. Erat enim saltatio *Pyrrhicha*, a Pyrrho inventa, a qua *Pyrrhicharii* et *Pyrrhichistæ* dicti: quæ eadam saltatio *Enoplia*, id est, armata dicebatur: quod armati saltarent. Erat saltatio *Cordax* obscœna, et comica: et alia saltatio satyrica, quæ *Sicinnis* dicebatur. Fuit item *Emmelia* saltatio, pacata et honesta. Qui vero saltus pernicitate

contendebant in gymnasiis, *Haltici* a Græcis dicebantur, qui autem *Halmate*, id est saltu certabant, apud antiquos utebantur *Halteribus*: sic enim vocabant plumbeas pilas, massulasve, quibus utraque manu se librabant, ut certius assilirent. *Chironomia* quoque erat saltatio gesticulatrix, qualis est, quam Mauricam vocamus: unde *chironomi* hujusmodi gesticulatores dicti.

Circenses ludi certamina erant curulia, quæ in circo fiebant: qui locus erat ovata specie constructus, undecunque spectaculis ornatus: e quibus innoxie patres, equitesque Romani prospectare solebant: cujusmodi quemdam Flaminius Romæ construxit: unde circum Flaminium legimus, et circum Maximum, a Cæsare dictatore extructum, cujus vestigia adhuc hodie visuntur Romæ, juxta ædem D. Sebastiano sacram. Fuit autem longitudine stadiorum trium, latitudine unius, cum ædificiis jugerum quaternum ad sedem ducentorum sexaginta millium hominum. Erant in eo *metæ* depositæ, duarum aut trium pyramidum formam referentes. In ejus summitate carceres erant, e quibus equi curribus juncti, ad cursum emittebantur, et quum ad summum devenissent, revoluebantur, donec ad priorem metam pervenirent. A curribus, hoc est, bigis, trigis, et quadrigis, curules ludi dicti. Unde etiam dictos puto *ædiles curules*, quod iis administrandis essent præfecti: erant enim omnium præstantissimi ludi. Nam in iis se exercebat, et magnis præmiis contendebat nobilissima Romanorum juventus, aptiorque ad bellum reddebatur. Fiebant primum apud antiquos inter enses et flumina, ut ab utraque parte esset ignaviæ præsens periculum.

Agitatores dicti sunt aurigæ in curuli certamine et ludis circensibus, quorum factiones erant a tunicarum coloribus: ut alii dicerentur Russati, Albati, Prasini, Veneti; atque ita insistentes curribus juvenes, velocitate equorum, aut agitatorum arte trahebantur.

Erant et *desultores*, qui duos equos absque ephippiis agitantes, ex altero in alterum subinde mira pernicitate desiliebant: *Amphippos* Græci vocant. Hinc *desultoria levitas* in proverbium abiit: et equi desultorii dicti, ad id certamen accommodati.

Celetes et *Celetizontes*, equites erant in certamine curuli non bigis aut quadrigis utentes, sed equo uno insidentes: cujusmodi certamen hodie quoque nonnullis in locis celebratur.

Ludi gladiatorii plerumque post scenicos fiebant. In iis decertabant gladiis, populumque celeri agitatione gladiorum oblectabant. Gladiatorum autem genera, Retiarii, Secutores, Mirmillones, Hoptomachi, Thraces: quorum exempla apud auctores crebra sunt. Horum institutores ac magistri *Lanistæ* vocabantur. Non enim ignari gladiatoriæ artis prodibant in publicum spectaculum, ad præmia consequenda. Itaque apud Lanistas prius exercebantur in *umbratilibus pugnis*, quas *Scæmachias* Græci vocarunt: quod hujusmodi pugnæ simulacra sub tecto fieri solita erant, non ut vera pugna, in sole et pulvere. Hujusmodi Lanistæ sunt apud nos, qui gladiandi artem privatim profitentur; qui docent omnes numeros impetendi, cedendique, vulnera inferendi, vitandique, aut ubi punctim, cæsimve feriendum. *Ludi* vero *scenici*, qui et *Agones musici* et *Dionysiaci* dicebantur, quasi libero patri dicati, ad comœdiarum, tragœdiarum, aut satyrarum recitationem pertinebant: item ad cantus et poemata: scena ob id in theatro composita atque exstructa ea ratione, quam mox describemus. Qui se in his ludis exercebant, *scenici* etiam dicebantur, et Dionysiaci artifices. *Ludorum*, aut certaminum *diis* consecratorum, quatuor erant apud Græcos genera. Erant enim Nemea, Isthmia, Pythia, et Olympia: quæ omnium erant maxima spectacula. In his ludis proponebantur victoribus magna præmia, quæ qui custodiebant, ludisque præerant, *βραβευταὶ* Græcis, Latinis *designatores* appellabantur, quorum officium erat, multitudinem retinere, obambulare, et spectatores moderari virgarum terriculo. Unde *Mastigonomi*, et *Rhabduchi* etiam dicti, quod virgas gestarent, ut in officio continerent spectatores. Musicis quoque agonibus erant *critæ*, id est, judices, a quibus *critici*, id est, poematum judices dicti sunt. *Ludorum*, qui diis consecrabantur, apud Romanos quatuor erant species. Eos ludos Ædiles curules munere publico quotannis curabant. *Megalenses*, sive magni ludi dicti, quod magnis diis consecrati essent: quibus ludis quatuor actæ sunt. Terentii Comœdiæ: Andria, Eunuchus, Heautontimorumenos, Hecyra. *Funebres*, aut funerales ludi, ad retinendum populum instituti sunt, dum pompa funeris, decreta in honorem patricii viri, plene ac publice instruebatur. His ludis acta est Comœdia Terentii Adelphi. *Plebeii*, sive Romani ludi pro salute plebis edebantur: quibus ludis acta est Phormio.

Apollinares ludi, Apollini consecrati, aut in honorem Apollinis instituti.

De Theatris et Amphitheatris antiquis.

Quo melius et commodius spectarentur comœdiæ, tragœdiæ, aut ludi, sive ii gladiatorii, sive etiam scenici, vel alterius generis essent, instituta sunt ab antiquis, quæ *theatra* vocabantur, a commode videndo ac prospiciendo sic appellata. Nam ante theatrorum usum, scenæ super *plaustris* ductilibus exstruebantur, ac per compita ductæ, populo præbebant oblectationem. Theatra autem erant ædificia, vel apparatus in populi gratiam instructi, ad hemicycli speciem, ad spectandos ludos: *spectacula* Latine possumus dicere. Cum forum institutum fuerit, (inquit Vitruvius) tum deorum immortalium diebus festis, ludorum spectationibus, eligendus est locus theatro quam saluberrimus. Fuerunt autem theatra duorum generum: alia lignea et pluribus tabellationibus exstructa, qualia ludis publicis quotannis fiebant Romæ, atque ea perennia non fuerunt: alia sumtuosa et nobilia, ex solidis rebus, id est, ex structura cæmentorum, lapide aut marmore constituta, quale est quod construxit M. Scaurus in ædilitate sua, item etiam Pompeius, et alii permulti. Ita autem compositum fuit antiquis theatrum, ut eo conveniens, et commode sedens turba, e longinquo facile spectare posset, concavo æqualique parietum circumjectu, ut vel leni sono dicta verba, ad alterum theatri caput facilius ferrentur. Postea vero excogitatum est theatrum in rotundam formam extructum, alio multo excellentius atque capacius, magisque sumtuosum: quod quia veluti ex duobus constaret theatris, rotundamque figuram, non jam amplius hemicyclum referret, ob id *Amphitheatrum* dictum est, quale est, quod hodie Romæ videtur, aliquando ab Antonio Pio ædificatum, et a Gothis devastatum (*Collisæum* vulgus vocat) quod potissimum ad alia spectacula vulgo proponenda factum atque inventum fuit: nam ad scenicos ludos prospiciendos, magis idoneum erat theatrum: ob quos præcipue inventum fuisse credibile est. Unde facile conjecerim, Terentium, quo tempore primum proposuit suam *Hecyram*, egisse in *Amphitheatro:* scena per medium ipsius exstructa, et ad unum tantum hemicyclum spectante: nam ab utroque Amphitheatri semicirculo spectari non poterant comœdiæ: quo factum, ut dum in aliud latus vacuum, alia spec-

tacula confestim proponerentur, veluti pugiles, funambuli, et hujusmodi cætera: populus ante absolutam comœdiam illuc concurrerit, ad loca commodiora occupanda, quemadmodum ipse poeta conqueritur, neque propter strepitum, et mulierum de loco pugnantium clamorem, absolvi potuerit. Quod ne accideret in publicis ludis, existimo potissimum movisse Caium Curionem, qui bello civili in Cæsarianis partibus obiit, ut *theatra duo lignea*, eaque amplissima excogitaret, in quibus etiam duæ essent scenæ, propter spectatorum commoditatem. Erant autem (quod mirum fuit) cardinum singulorum versatili suspensa libramento, inquit Plinius, e quibus utriusque antemeridiano ludorum spectaculo edito inter se aversis (ne invicem obstreperent scenæ) et repente circumactis, ut contra starent; postremo jam die descendentibus tabulis, et omnibus inter se coeuntibus, faciebat amphitheatrum, et gladiatorum spectacula edebat, ipsum magis auctoratum populum Romanum circumferens. Itaque vides, quemadmodum scenici ludi dum agerentur, aversis theatris agebantur, ne turba fieret: dum autem proponebantur, aut producebantur gladiatores, in amphitheatri reducebantur formam, et in unum duo theatra coibant. Sed et novissimo die (ait idem) divisis duabus per medium scenis, athletas edidit Curio, raptisque repente e contrario pulpitis, eodem die, victores e gladiatoribus suis produxit. Vides quemadmodum *pulpitum* etiam auferebatur, dum gladiatores prodirent; nam ipsam aream occupabat: hoc autem factum fuit, fessis turbatisque volubilium theatrorum cardinibus. Nam ante non erat opus eximere pulpitum, cum contra starent scenæ, et locum præberent circumactis theatris in amphitheatri formam, post ludos scenicos absolutos.

Theatri conformatio; ejusque partes.

Sed quo tandem artificio, quave industria ædificatum fuerit apud antiquos theatrum prospiciendis scenicis ludis idoneum, paucis hic vobis proponere libet, ne quid earum rerum prætermisisse videamur, quæ ad hunc sermonem pertinere judicentur. Quod tamen non ita accipiendum erit, quasi ad unguem expressum, sed partim conjectura et ratione natum, partim ex iis descriptum, quæ tum in antiquis ruinis aliquando vidimus, tum etiam ex auctoribus, qui de hac re scripserunt, comprehendimus. Itaque primum intelligendum est (quemadmodum paulo ante

docebamus) theatrum fuisse in semicirculi figuram compositum, atque ita conformatum, ut æque gestus prospicerent, ac voces audirent (sine tumultu tamen) qui ad latera et in summis sederent gradibus, atque ii, qui in imis juxta scenam. *Cáveam* vocare videtur Plinius locum in theatro, gradibus ac sedibus constructum atque compositum, in quo sederet populus. Cavea ipsa (inquit de theatro Scauri) cepit hominum octoginta millia: cum Pompeii theatri (sic enim legendum est: nam nunquam Pompeius amphitheatrum edidit) toties multiplicata urbe, tantoque majore populo, sufficiat large quadraginta millia sedere. Nisi mavis caveam accipere pro tota theatri capacitate, ut etiam scenam ipsam comprehendas, quod tamen minus probaverim. *Gradus* autem dicebantur in ipsa leniter pendente theatri forma, sedes lapideæ, in hemicyclum etiam exstructæ, e quibus commode prospiciebat populus. Super his gradibus (quos non amplius quindecim esse conjecimus) sedebant spectatores, et ad eos undecumque commeabant, nullo inter conscendendum alteri noxam afferente. Illuc autem per cuneos accedebant, qui tum in ima theatri cavea, tum etiam supra ipsam, adeo ingeniose conformati erant, ut ab iis per alios scalares gradus ad quemlibet gradum spectatorium facilis pateret adscensus. *Cunei* spectaculorum (inquit Vitruvius) in theatro ita dividantur, uti anguli trigonorum, qui currunt circum curvaturam circinationis, dirigant ascensus, scalasque inter cuneos ad primam præcinctionem. Supra autem alternis itineribus superiores cunei medii dirigantur. Cunei in imo dirigentes scalaria, erant numero septem. Gradus spectaculorum, uti subsellia composita, erant non minus alti palmo pede, non plus pede et digitis sex, latitudines eorum non plus pedes duos semis, non minus pedes duos constituebantur, ut per id spatium latius, seu per ambulacrum quoddam, nullo negotio, huc atque illuc, ad vacuas sedes deerraret populus, absque eorum incommodo, qui jam consedissent. Post tres quoque singulos gradus, qui quartus in ordinem succedebat, duplo latior erat cæteris, ad leviorem theatri proclivitatem, et ut singulis ordinibus singuli tres gradus relinquerentur. Ac ne petulanti aut insolenti populo propter sedes quantumvis accessu faciles, præberetur rixæ causa, cautum erat ne quilibet in quibuslibet sederent gradibus: sed in tribus primis, qui proximi essent scenæ pulpito, amplissimæ et extremæ dig-

nitatis viri, in sequentibus consulares, in aliis patricii, ac deinceps plebeii in reliquis gradibus sederent. Itaque veteres architecti, naturæ vestigia persecuti, indagationibus vocis scandentes theatrorum perfecerunt gradiationes, et quæsiverunt (inquit Vitruvius) per canonicam mathematicorum, et musicam rationem, ut quæcunque vox in scena esset, clarior et suavior ad spectatorum perveniret aures, ac ne vox impediret, ita compositi erant gradus, ut linea quum ad imum gradum et ad summum extenta esset, omnia cacumina graduum angulosque tangeret. Atque ut vox actorum suavior et delicatior spectatoribus videretur, antiqui Græcorum artifices, inter sedes theatri *Cellas* constituerunt ratione musica, in quibus *vasa ænea*, pro ratione magnitudinis theatri facta collocabantur, quæ ita fabricata erant, ut quum tangerentur a voce, sonitum facerent inter se. Eoque artificio collocata fuerunt, ut nullum parietem tangerent, circaque haberent locum vacuum, et summo capite spatium, ponebanturque et suspensa cernebantur ore declivi, ut in iis vox actorum ingressa, harmoniam efficeret, et gratiam quandam afferret spectatoribus, utque intellectu facilior esset. Tale quiddam audio adhuc hodie extare in quibusdam templis antiquis, quæ nunc quoque supersunt integra, apud nostræ tempestatis Græcos. In quorum fornice inferiore, atque superiore varia sunt foramina hinc inde conspersa, ac sibi veluti ex diametro ab uno ad aliud latus correspondentia, in quibus vasa ænea impacta sunt, quorum os (quod angustius est, quam ipse venter) tantum exterius patet, non etiam prominet. In ea vasa, vox in templo canentium inclusa, incredibilem efficit harmoniam, sonosque distinctissimos, et admodum gratos, atque aditu faciles. Sed in theatris vasa resupina suspendebantur. Tale quid autem Romæ factum fuisse suis temporibus negat Vitruvius, sed in Italiæ regionibus et in pluribus Græcorum civitatibus. Unde Lucius Mummius diruto Corinthiorum theatro ejus ænea vasa Romam deportavit. Multi etiam architecti, qui in oppidis non magnis theatra construxerunt, propter æris inopiam, *fictilibus doliis* ita sonantibus electis, hac ratiocinatione compositis, usi sunt. Quapropter Plinius ait, in theatris vocem optime currere in doliis inanibus. In ligneis autem theatris (ait Vitruvius) quæ Romæ passim fiebant, non erat vasis æneis opus, cum tabulationes haberent

complures, quas sonare necesse erat. *Aditus* permulti et spatiosi dispositi erant circa theatrum, nec conjuncti superiores inferioribus, sed ex omnibus locis perpetui et directi, sine inversuris: uti quum populus dimittebatur e spectaculis, non comprimeretur, sed haberet ex omnibus locis exitus separatos sine impeditione. Reliquum theatri artificium a gradu omnium superiore in altitudinem trium contignationum exporrectum erat, etiam in hemicyclum: atque ita exædificatum, ut porticus efficeret: undecunque patentes, et columnis hinc et inde ornatiores factas, in quas populus se reciperet, si quando propter imbres, aut cœli tempestatem minus commodam, ludi interpellarentur. Eam theatri partem *præcinctiones* videtur appellare Vitruvius: Plinius, *parietem circumjectum*. Sed inferiores et imi theatri porticus duplices erant, mediaque spatia sub divo inter porticus, viridibus adornabantur, quod (inquit Vitruvius) *Hypæthræ ambulationes* haberent magnam salubritatem. Replebantur quoque, auctore Plinio, flore croci sylvestris, propter oculorum oblectationem, ut puto, magis quam ad odorem conciliandum. Quin etiam ne solis ardor aut etiam conspectus populum ab officio deturbaret: utque salubribus spectatores conspicerent (nam porticus propter imbres tantum ædificatæ fuerunt) excogitata sunt *vela* toto *theatro*, atque adeo ipsi theatri caveæ supertensa, quæ spectatoribus umbram facerent: quod primus omnium invenit Q. Catulus, cum Capitolium dedicaret. Carbasina deinde vela primus in theatro duxisse traditur Lentulus Spinther Apollinaribus ludis: mox (ait Plinius) Cæsar Dictator, totum forum Romanum intexit. Nero Cæsar velis, rudentibus superstratis et colore cœli stellati amphitheatrum contexit, ut solem defenderent. Ima theatri sedes vel potius id spatium quod ab ima sede theatri interjacebat pulpito, *orchestra* dicebatur, quasi saltatorum, quod illic apud Græcos et apud Latinos antiquiores, saltantes histriones populo oblectationem afferrent, interea dum actus commutarentur. In eam etiam Thymelici, hoc est, Citharistæ, Citharœdi, Tibicines suas præstabant actiones ipsis Græcis, atque id spatium comprehendebat apud antiquos, quod ceu centrum theatri ab imo gradu ad pulpitum usque scenæ vacuum relinquebatur. In theatrorum orchestris (inquit Plinius) scobe aut arena superjecta vox devoratur, et in rudi parietum circumjectu: quapropter existimo probe

emundatum fuisse, si quando pugilum ludis arena conspersa videretur. Novissime autem apud Romanos orchestra senatoribus dicata fuit, in qua honorificentiorum erant loca designata, propter commoditatem: ut inde, non solum verba et gestus, sed etiam pedum motiones, et vel minima quæque conspicerent: proximus enim hic gradus erat pulpito scenæ, de cujus compositione mox dicendum est.

Positio et constructio scenæ in Theatro.

Ante theatrum, ceu frons quædam ipsius, scena opposita fuit, pro re nata et agenda comœdia aut tragœdia exstructa: uno aut altero tantum die usui futura: nisi fortasse ligneus apparatus in aliquot dies proferretur. Nam de scenis sumtuosis, et præter consuetudinem supra modum luxuriantibus hic non intelligimus. In hunc autem modum disposita erat, quantum ego conjectura assequi possum. *Scena* binis pluribusque contignationibus aut contabulationibus, si mavis, exstructa fuit: circa quas singula ambulacra, aut porticus columnis pluribus distinctæ videbantur. Atque ea frons scenæ appellata fuit. In cujuslibet contignationis frontispicio, quod theatrum respiciebat, portæ ingeniosissime depictæ et exitus varii fuerunt, in quibus præsertim superiorum contignationum, Mimi, Mirmillones, et cæteri Ludii varios gestus ac gesticulationes edebant, unde *scenici* proprie dicti. *Chorus* etiam, mea sententia, in iis superioribus contignationibus referebatur, dum agerentur tragœdiæ, nisi mavis, post scenam in loco destinato fuisse chorum, et cantores ac tibicines, qui locus *odeum*, ut puto, ob id vocabatur a cantibus. Sed in iis quoque locis fiebant et nebularum icones, et deorum descensus, et cætera id genus, ad magnas et sumtuosas comœdias apta. Existimo tamen in humili comœdia non fuisse tantum apparatum. Ima scenæ contignatio prominentiores exerebat columnas, veluti porticus quasdam latiores sub quibus casulæ et rustica domicilia in novis comœdiis, variis scenæ locis constructa erant, urbes quoque, et loca remotissima referebantur in tragœdiis: e quibus prodibant actores, et illuc quoque se referebant ad tempus. In eadem scenæ parte excitatum fuit, quod *podium* appellabant (etsi podium in columnis id significare soleat, quod vocant pœtaste) circa secundæ porticus medium prominebat, ne noceret actoribus. Breve quoque fuit, et paucorum

capax, idque fere videbatur referre, quod in ædificiis nobilioribus circa secundam præcipue contignationem prominere videmus ad fenestras, *perronem* vulgus vocat, post pulpitum exertum videbatur. Opertum erat tentorio quodam insigni, et quod ipsum undecunque ambiret, ut in eo secretius et magis abdite spectarent principes, qui nonnunquam illuc se conferebant. Nam e podio ludos ac comœdias spectasse Neronem scribit Tranquillus. Dictum aiunt, quod in eo spectatores aut etiam tibicines pedibus innixi essent, non sederent: vel quod in eo nonnunquam pedibus gesticularentur histriones in actuum commutatione. *Pulpitum* in scena, (Græci λόγιον vocabant,) locus erat, in quem prodibant actores e casulis aut domunculis suis scenicis, ad recitandum, nostri vocant *Eschaffault*. Fuit exactissime situm ante frontem scenæ, et loco ipsius medio, qui theatri centro responderet, semper ligneum fuit, atque exemtile, etiam si scena structili materia constructa fuisset. Eximebaturque in athletarum et gladiatorum spectaculis, scena nihilominus integra manente. Paullo altius videbatur ima scenæ porticu, in qua actorum domos constitutas esse dicebamus: ad idem leniter adscendebant actores pronunciaturi: haud æque longum fuit atque ipsa scena, altum tantum erat pedes quinque, ut qui in orchestra sederent, facilius pedum motiones et singulos agentium gestus perciperent. Id spatium quod utrinque a pulpito ad extremam scenam vacuum relinquebatur, Græci vocabant *proscenium*, ne quis existimet fuisse scenæ latera. *Periacta* vocarunt Græci in scenis suis turres, aut machinas, trigonas habentes, vel triangulares, miro artificio constructas, in uno atque altero scenæ latere positas, variis coloribus secundum angulos distinctas, versatiles: ut inter spectandum, dum animi ad histriones paullo attentiores essent, paulatim revoluerentur, et modo rubræ, modo virides, aut alterius coloris apparerent: quæ res non parvam oblectationem spectantibus afferebat. Hæ, quum fabularum mutationes erant futuræ, seu deorum adventus cum tonitribus repentinis, versabantur, mutabantque speciem ornationis in frontes. Ex iis projectitios ignes vibrabant, in iis fingebant tonitrua, pluvias, et quicquid in tragœdia admiratione dignum fuit: sed hoc maxime in honorifico et sumtuoso comœdiarum aut tragœdiarum genere. Secundum *περίακτα*, nempe ad scenæ latera, itinera et *versuræ* procurrentes erant, quarum una efficiebat, ut actores a foro, altera, ut peregre pro-

dire, aut illuc regredi viderentur. In media scena *valvæ regiæ* conformatæ erant, circa quas utrimque fuerunt composita *hospitalia* quæ vocat Vitruvius, e quibus actores prodiisse puto. Omnium scenarum, quas Romani in theatro unquam construxerunt, longe nobilissima fuit ea, quam *M. Scaurus* in ædilitate sua construxit. Eam triplicem fuisse refert Plinius, altitudine CCCLX columnarum. *Ima* pars scenæ marmoreos habuit parietes, non facile dixerim sectos an solidis glebis politos. *Media* fuit e vitro, inaudito etiam postea genere luxuriæ. Summæ tabulis inauratis columnæ, imæ duodequadragenum pedum. Signa cerea inter columnas fuerunt, tria millia numero. Sed et reliquus apparatus tantus Attalica veste, tabulis pictis, cæteroque choragio fuit, ut in Tusculanam villam reportatis quæ superfluebant quotidiani usus deliciis, incensa villa ab iratis servis concremaretur ad sestertium millies. *Scenarum* autem (ait Vitruvius) genera sunt tria, unum quod dicitur *tragicum*, atque id omnium sumtuosissimum fuit: alterum *comicum:* tertium *satyricum*. Horum autem ornatus sunt inter se dissimiles, disparique ratione: *tragicæ* enim deformantur columnis, fastigiis et signis, reliquisque regalibus rebus. *Comicæ* autem ædificiorum privatorum et menianorum habent speciem, prospectusque fenestris dispositos, ad imitationem communium ædificiorum. *Satyricæ* vero ornantur arboribus, speluncis, montibus, reliquisque agrestibus rebus, in topiarii operis speciem deformatis. Post scenam *porticus* erant constructæ, quo quum imbres repentini ludos interpellaverant, actores se recipiebant ex pulpito, aut in quibus vestium commutationes, et personarum indumenta adservabantur. Ipsam autem personarum repræsentationem in scena, atque adeo compositionem comœdiæ, Græci *drama* vocarunt. Sed et scenam vocant comici, quicquid duæ aut tres personæ sermonis integri et absoluti colloquuntur, illicque finit scena, ubi aut aliqua persona introgreditur, aut alia ad forum, aut alibi ad vicinam currit. *Actus* autem plures scenas comprehendebat. Estque in comœdia pars quodammodo absoluta et integra, nondum tamen rem omnem finiens: sed ita dimidiatam relinquens, ut respirent spectatores, et facilius commutetur, quicquid in reliquis comœdiæ partibus superest: id autem *actus commutare* dicebant. Interea mimi dicteria et diverbia referebant, recitabanturque nescio quæ jucunda, quæ populum alia oblectatione afficerent. In comœdia vero plures

erant hujusmodi actus, secundum rei gravitatem, aut rationem. Comœdiarum autem recitatio in scena, *actio* dicebatur: unde etiam qui agebant et fabulas pronunciabant, *actores* dicti. Actio quoque ad orationis pronunciationem transfertur; ut etiam ipsa oratio rhetoris vel scripta vel pronunciata actio dicatur.

Scenicorum actorum diversitas.

In scenam non solum comœdiarum aut tragœdiarum *actores* (qui tragœdi et comœdi dicebantur) prodibant in spectaculum, sed etiam mimi, pantomimi, archimimi, ethologi, ethopœi: omnes uno nomine *hypocritæ* (id est, alienæ personæ simulatores) dicti: et eorum actio, *hypocrisis*, id est, alienæ personæ simulatio, Latinis *histriones*, *ludionesque*, aut etiam *ludii* dicuntur. *Mimi* imitatores sunt gestuum, vocum, aut gressuum alicujus personæ inter alias: cujus ridicula sit vox, aut aliud quidpiam. *Pantomimi* omnium personarum imitatores sunt effictoresque: ut et mulieres, et senes, et juvenes, ac cujuscumque ætatis personas confingant; etiam ita ex gestibus, describunt, ut id quod aiunt videre videare. Hujusmodo sunt quos Itali *buffones* vulgo vocant. *Archimimi* principes sunt histrionum, hoc est, inter histriones solertissimi et excellentissimi. *Ethologi* mimi, aut *ethopœi*, morum sunt effictores, affectuumque cujuscumque personæ quam sustinent, aut quam agunt et referunt in scena, unde *ethopœia*, morum alienorum imitatio: et *ethici* pictores ac statuarii dicti, qui suas imagines ita depingunt, aut cœlant, ut sensibus expressis propemodum spirent. *Thymelici* inter scenicos actores sunt, hoc est, citharœdi, citharistæ, lyristæ, tibicines. *Citharœdi*, qui et fidicines dicuntur, citharæ accinebant. *Citharistæ*, citharam tantum pulsabant, non autem accinebant. Hujusmodi thymelici per orchestram præstabant actiones suas. *Ludii* sive *ludiones* (ut jam dictum est) ii erant qui comœdiam recitabant. In ea enim recitanda mirum fuit artificium. Nam cantica temperabantur modis, non a poeta, sed a perito artis musicæ factis: neque enim omnia iisdem modis in uno cantico agebantur, sed sæpe mutatis: ut significant, qui tres numeros in comœdiis ponunt, qui tres continent *modos* cantici illius. Qui hujusmodi modos faciebant, nomen in principio fabulæ et scriptoris, et actoris superponebant. Hujusmodi adeo carmina ad tibias fiebant, ut his auditis, multi ex populo ante discerent, quam fabulam

acturi scenici essent, quam omnino spectatoribus ipsis antecedens titulus pronunciaretur. Agebatur autem *tibiis* paribus, aut imparibus; et dextris, aut sinistris. *Dextræ* autem tibiæ sua gravitate seriam comœdiæ dictionem pronunciabant. *Sinistræ* et *serranæ* acuminis lenitate jocum in comœdia ostendebat. Ubi autem dextra, et sinistra acta fabula inscribebatur, mistim joci et gravitates denunciabantur. *Mimi* aut Ludii, dum agebant, assumebant capiti personas, hoc est, confictas variarum personarum facies: vel reticulo denso facies obvelabant, ne agnoscerentur. Ita etiam instituti erant hujusmodi histriones, aut mimi, ut et corporis motus decentes facerent: denique etiam cantus ac prolationes secundum modos edocti erant, quæ mirum id modum populum afficiebant. Hi simul coacti in quoque genere, aut cantantes, aut saltantes appellabantur *chorus:* divisi in duas partes, *semichoria*, in actione autem comœdiæ, eorum aliqui primas partes, alii secundas tenere dicebantur, pro variis actuum rationibus: eorum enim alii prologum dicebant, alii in nuncios, exploratores, custodes, servos, heroas, deos, senes, amatores, meretrices dividebantur, personasque in orchestra assumebant, pro sua actione ac ludo.

Apparatus scenæ in vicis et theatris.

Apparabatur scena apud antiquos Græcos in agris, verno tempore, cum ædificiis et habitationibus triplicibus, instructis culminibus, peripetasmatis, tapetibus, linteisque candidis. Additæ postea sonantes pelves, ignesque manibus excussi: cavernæ quoque subterraneæ ac putei confingebantur: figuris maris, Tartari, fulminum, tronitruum, noctis, cœli, diei, regiarum, prætoriorum, ingentes aulæ, fornices ad viarum similitudinem. Apud Romanos *aulæa* in scena primum sternebantur quum primum pictus ille ornatus ex Attalica regia Romam perlatus fuit, velabaturque ipsa scena *sipariis*, quæ posterior ætas pro auleis sumsit, ut etiam siparia humi sterneret. Erat præterea velum minutum quod populo obsistebat in scena, dum actus commutabantur. *In vicis* si fiebat scena, arboribus in se cubantibus ac reflexis componebatur: quasi concamerata quædam densatio, ut subterpositos tegere posset, unde ab inumbratione dicta. *In theatro* autem (ut jam dictum est)

fiebat scena, camerato contextu, binis pluribusque contignationibus exstructa. Picta erat undique, suas domunculas habuit, in quas pro ratione actuum alternatim se conferebant actores. Duas aras utriusque habebat: dextram Liberi patris; sinistram ejus Dei, in cujus honorem ludi fiebant. Unde illud: *ex ara hinc sume verbenas.* Atque is demum erat scenæ apparatus in theatro.

De Histrionibus et Mimis scenicis.

Omnis tragœdiarum ac comœdiarum gratia, et scenæ decus, in *histrionibus* consistebat. *Histriones* enim et *mimi* in scena comœdias recensebant secundum suos modos et cantica. Nam cantica, ut paullo ante docebamus, temperabantur modis, non a poeta, sed a perito artis musicæ factis, mutabanturque modi in uno cantico. Fiebant hujusmodi carmina ad tibias: ut his auditis multi ex populo ante discerent, quam fabulam acturi essent scenici. Unde illud est Ciceronis: *non intelligo* (inquit) *quid metuat, quum tam bonos septenarios fundat ad tibiam. Tibicines* appellabantur qui hujusmodi cantica ad tibiam fundebant, antequam ageretur comœdia, vel inter ipsos actus. Unde illud Plauti: *tibicen vos interea hic delectabit.* Ludiones autem et histriones ad tibicinis modos saltabant, et nonnihil etiam diverbiorum pronunciabant. Unde Livius: *ludiones ex Hetruria acciti, ad tibicinis modos saltantes, aut indecoros motus more Thusco dabant.* Proprium enim ludiorum ac morionum erat motus decoros, ac gestus omnino decentes ostendere. Tibicinum autem erat decorum, modos, hoc est, mensuras in cantu observare, remissosque aut acutos, aut etiam graves facere pro arbitrio. In *tragœdia* et *satyra sexdecim* numero interveniebant *moriones* et *histriones;* in *comœdia* etiam *quatuor* et *viginti.* Qui simul coacti in quolibet horum genere, unamque rem agentes, ut jam dictum est, *chorus* vocabantur: divisi in duas partes, *semichoria:* ubi autem gestus et cantus absolverant suos, tum in partes plures dividebantur: ut alii essent qui senes, alii qui amatores, mulierculas, servos luderent, personisque ac vestium varietate induerentur, quemadmodum res exhibebat, ac moris erat apud eos.

Amictus et Personæ Histrionum scenicorum.

Personati *histriones* agebant comœdiam, neque agnoscebantur. Sed ita compositæ ac conflatæ erant personæ, ut referrent id ipsum quod a mimo agebatur; liceretque sub ipsis vocem ejus audire liberam. Nam quod nonnulli dicunt, Histriones tantum gestibus comœdiam egisse, non etiam viva prolatione, id minus mihi probandum esse videtur. Vestiebantur quoque histriones pro ratione eorum, quos referebant, hoc est, vel servorum, vel senum, vel alterius personæ diversis modis. *Senibus* comicis candidus *vestitus* dabatur, qui etiam antiquissimus fuisse memoratur. *Adolescentes* discolori veste contegebantur. *Servi* comici amictu vestiebantur exiguo, paupertatis antiquæ gratia, vel quo expeditius agerent. *Parasiti* cum intortis palliis prodibant. *Milites* chlamyde purpurea utebantur. *Puellæ* habitus erat peregrinus. *Leno* pallio varii coloris vestiebatur. *Meretricibus* dabantur *syrmata*, hoc est, vestes expansæ, et quæ longius trahebantur: erant quoque plerumque lutei coloris, ob avaritiam. Syrmata etiam, seu pulla gestabant luctuosa funeralibus, quæ incuriam sui per negligentiam significabant. Sed si quando variandum in comœdiis erat, vestitusque commutandus pro affectibus, quos ex comœdiæ actibus significabant, lætis vestitus dabatur candidus: ærumnosis obsoletus: diviti quoque purpureus: pauperi phœnicius. Tragici aut tragœdi actores calceamentorum genere a comœdis variabant, eoque discernebantur. Utebantur enim tragici in theatro *cothurnis*, quod tale genus erat calceamenti, ut dextro lævoque pedi conveniret: cæterum altum et prominens, actoresque proceriores efficiens ac referens: varii coloris, et honestum atque elegans: usque ad suram plerumque devinctum, more Punico. Comici actores, aut comœdi, in scenis soccis utebantur: quod calceamenti genus optime sub pallio conveniebat. Quemadmodum enim pauperum ac rusticorum vestimentum fuit Pallium, ita etiam *Soccus* altum fuit calceamentum rusticis proprium, propter imbres et lutum, atque hybernas pruinas. Eo calceamenti genere utebantur tam viri quam mulieres. Quinctilianus: *comœdia in cothurnos non assurgit: nec contra tragœdia socco ingreditur.* Tragœdia enim, quum grave et magnum argumentum, mag-

nasque et ingentes personas præ se ferret, cothurnis uti debuit. Comœdiam autem, quum esset humilis, et rusticos proponeret in scena, palliis et soccis commodius erat ornari. Quod præterea de his rebus dici posse quispiam judicabit, id in aliud tempus exspectet necesse est: non enim hic omnia simul discutere nobis licuit, tum propter rei difficultatem, tum vero quia per negotia minus fuit commodum.

TERENTII AFRI

COMŒDIÆ N. VI.

ANDRIA. EUNUCHUS.
HEAUTONTIMORUMENOS.
ADELPHŒ. HECYRA.
PHORMIO.
FELICITER CALLIOPIO.

ITA IN MS. REGIO.

C. SULPITII APOLLIN.

PERIOCHA IN TERENT.

ANDRIAM.

SOROREM falso creditam meretriculæ,
Genere Andriæ, Glycerium vitiat Pamphilus:
Gravidaque facta, dat fidem, uxorem sibi
Fore hanc; nam aliam pater ei desponderat.
Gnatam Chremetis: atque ut amorem comperit,
Simulat futuras nuptias, cupiens suus
Quid haberet animi filius cognoscere.
Davi suasu non repugnat Pamphilus.
Sed ex Glycerio natum ut vidit puerulum
Chremes, recusat nuptias, generum abdicat.
Mox filiam Glycerium insperato agnitam,
Dat Pamphilo hanc, aliam Charino conjugem.

ÆLII DONATI, V. C. ORATORIS URBIS

ROMÆ, PRÆFATIO IN ANDRIAM TERENTII.

COMŒDIA Andria, cum Palliata sit, de loco nomen accepit, et a Menandro prius, et nunc ab ipso Terentio: qui, cum de Chryside loqueretur, sic ait: *Hei vereor, ne quid Andria apportet mali.* et hoc commune vocabulum est et in Græca, et Latina lingua. Hæc majori ex parte motoria est, continetque actus amatorum adolescentium, et patrum piorum. Sunt ibi callidi servi, astutæ ancillæ, severi senes, adolescentulæ liberales. In hac primæ partes senis Simonis sunt, secundæ Davi, tertiæ Chremetis, et deinceps reliquorum. Prologus in hac acer inducitur, et in adversarios non mediocriter exasperatus, sed tamen id subtiliter, ut omnia lacessitus facere videatur, ac dicere. Hic protasis subtilis, epitasis tumultuosa, catastrophe pene tragica: et tamen repente ex his turbis in tranquillum pervenit. Hæc prima acta est ludis Megalensibus, M. Fulvio, et M. Glabrione, ædilibus Curulibus. Egerunt L. Attilius Prænestinus, et L. Ambivius Turpio. Modos fecit Flaccus, Claudii filius, tibiis paribus, dextris et sinistris. et est tota Græca, edita M. Marcello, et Cn. Sulpitio Coss. pronunciataque est Andria Terentii, ob incognitum adhuc nomen poeta, et minoris apud populum auctoritatis ac meriti. Diverbiis authenticis lepide distincta est: et successu spectata prospero, hortamento poetæ fuit ad alias conscribendas. Initium autem προτατικὸν πρόσωπον, id est, adventitiam personam recepit Sosiæ, propter evolvendam argumenti obscuritatem. Persona autem protatica intelligitur, quæ semel inducta in principio fabulæ, in nullis deinceps fabulæ partibus adhibetur. Adnotandum sane, puellarum liberalium nullam orationem in proscenio induci, in comœdia Palliata, præter invocationem Junonis Lucinæ: quæ et ipsa quoque post scenam fieri solet. (At vero loquitur in Heautont. Antiphila, puella liberalis, in Plauti Curc. Planesium, et aliæ alibi. Westerh.)

ARGUMENTUM.

CHREMES Atticus, pater Pasibulæ et Philumenæ, cum ex his duabus se Pasibulam perdidisse falso crederet, relictam Athenis, nec visam postea multo tempore, tanquam unicam sibi putabat Philumenam, quam Charinus adolescens Atheniensis adamabat unice, et sibi petebat uxorem. Sed pater eam Pamphilo cuidam, Simonis filio, ultro desponderat: qui Pamphilus contra sororem Chrysidis, ac peregrinam tum creditam, Pasibulam supra dictam, alteram Chremetis filiam, sub nomine Glycerii, latenter sic amavit, ut ex ea filium suscepisset inscio patre. Qua re intellecta, commotus Simo pater Pamphili, dum per falsas nuptias tentat animum Pamphili, multis modis a Davo ipse deluditur servo; periculoque Charini et Pamphili motus error in fabula, usque ad eum finem ductus est, dum Athenas veniens Andrius quidam Crito rem aperiat, et nodum fabulæ solvat: per quem agnita Pasibula recipitur a parentibus, et traditur Pamphilo amanti: Philumena vero Charino despondetur, et traditur exoptanti. Perspecto argumento scire debemus hanc esse virtutem poeticam, ut a novissimis argumenti rebus incipiens, initium fabulæ et originem narrative reddat spectatoribus, auctoremque præsentem sibi exhibeat, ubi finis est fabulæ. Hunc enim orbem et circulum poeticæ virtutis non modo secuti sunt tragici comicique auctores, sed Homerus etiam et Virgilius tenuerunt. Divisionem actuum in Latinis fabulis internoscere difficile est. causam jamdudum demonstravimus. Unde autem, aut quomodo, quamvis ægre, tamen intelligi distinguique possint, est operæ pretium dicere. Principio dicendum est, nullam personam egressam quinquies, ultra exire posse. Sed illa re plerumque decipimur, quod personam, cum tacuerit, egressam falso putamus: quæ nihilominus in proscenio tacens loquendi tempus exspectat. Est igitur attente animadvertendum, ubi et quando scena vacua sit ab omnibus personis, ut in ea chorus, vel tibicen audiri possit: quod quum viderimus, ibi actum esse finitum debemus agnoscere. Confundit sæpe lectorem

id, quod persona in superiori scena desinens, et in proxima incipiens loqui, non intelligitur ingressa: quod ipsum experientes statim dijudicant de rerum ac temporum quantitate. potest enim fieri, ut et sit ingressa ac egressa, quam prave credimus de proscenio non recessisse. Posse autem quinto egredi personam, non et necesse esse dicimus, ut appareat ultra exire non posse; in tragœdia et parcius exire, et solere pariter et licere. Primus actus in Andria narrationem Simonis apud Sosiam continet argumenti: quod populus hac occasione perdiscit mox querelam apud se Davi de domino, et ejusdem cum domino verba: et rursus ejusdem servi deliberationem quid rerum gerat. Secundi actus hæc sunt: Charini verba primo cum Byrrhia servo, et post cum ipso Pamphilo de nuptiis Philumenæ: Davi interventus, et cum eo disputatio de nuptiis Pamphili: Pamphili sermo cum patre, dolo consentientis in nuptias: Byrrhiæ verba: Davi callida oratio adversum senem. Tertio actui hæc attribuuntur: Mysidis cum obstetrice colloquium, Davo ac Simone audientibus: partus Glycerii suspectus seni, et Davi apud eum fraudulenta sermocinatio: Simonis verba cum Chremete de nuptiis: Davi perturbatio ac Pamphili. Quartum actum per hæc intelligimus; prima Charini verba sunt indignantis, velut fidem sibi non servatam a Pamphilo: tum Mysidis verba apud Pamphilum, ejusdemque questus: Davi administratio doli adversus Chremetem. In quinto actu: Simonis et Chremetis prope jurgium disputatio: tum detectio fallaciarum Davi: tum indignatio patris adversus filium: tum Critonis interventus: et per eum cognitis rebus in tranquillum res acta, ducentibus uxores, quas concupiverant, Pamphilo et Charino. Illud non commovere nos debet, quod in horum actuum distinctione videntur de proscenio non discessisse personæ quædam; sed tenere debemus, ideo Terentium vicinitatis mentionem fecisse in principio, ut modico receptu et adesse et abesse personam intelligamus. Nihil ergo secus factum est ab antiquis, qui ad hunc modum Terentianas fabulas diviserunt.

FABULÆ INTERLOCUTORES.

BYRRHIA survus.
CHARINUS adolescens.
CHREMES senex.
CRITO hospes.
DAVUS servus.
DROMO lorarius.
GLYCERIUM meretrix.
LESBIA obstetrix.
MYSIS ancilla.
PAMPHILUS adolescens.
SIMO senex.
SOSIA libertus.

IDIOMATA PERSONARUM PRÆCIPUARUM.

Simo, pius in filium, sed natura vehementior. *Pamphilus*, pius in patrem, sed fideliter amans, et cordatus ut adolescens. *Davus*, vafer, ac spei pertinacis. *Charinus*, simplex, ac nullius consilii. *Byrrhia*, Davo dissimillimus, desperandi auctor. *Crito*, pauper, sed ob probitatem impatiens contumeliæ. *Chremes*, pius in filiam, alioqui Simonis dissimillimus, ingenio sedato et placido, componens omnia. *Mysis*, callida et heræ amans.

RATIO NOMINUM.

Simo dictus est a specie. Simi enim fere sunt iracundi. *Chremes*, παρὰ τὸ γρέμπτειν, quod senes tussi expurgent pectus. *Pamphilus* a fideli amore. *Charinus* a benevolentia animi. *Sosias*, quod servatus in bello. *Davus* a patria, opinor et *Byrrhia*, sicut et *Mysis*. Nam Mysi, quemadmodum Phryges, servile genus erat. *Glycerium* a voluptate. *Lesbia* a patria. *Crito*, quod controversiam dirimat. *Dromo* a cursu.

PUBLII TERENTII

CARTHAGINIENSIS AFRI

ANDRIA.

Acta ludis Megalensib. M. Fulvio et M. Glabrione Ædilib. curulib. egerunt L. Ambivius Turpio, L. Attilius Prænestinus. modos fecit Flaccus Claudii Filius. tibiis paribus dextris et sinistris. et est tota Græca. edita M. Marcello, Cn. Sulpitio Coss.

Pub. Terentii Carthaginiensis] Asserere hunc titulum Terentio volui, quem in nonnullis exemplaribus ita conceptum reperi. Itaque sic vocatur a Donato, et a quibuscunque aliis vitam illius descriptam habemus. Fuit alius Terentius Libo, de quo in prolegomenis: cujus forte an fragmenta sunt, apud Varr. de LL. lib. v. *Gaudia sua si omnes homines conferant unum in locum, tamen mea exuperet lætitia.* Et Gellium Noct. Attic. lib. XVIII. c. XI. *Pallium face ut splendeat.* At vero verba illa apud Festum in Summussi: *Quod potes sile, cela, occulta, tege, tace, mussa, mane*: potius Cæcilii, quam Terentii esse puto. Ex Carthaginiensis vero hujus sex, quæ reliquæ sunt, fabulis, quum primum in scenam producta esset Andria, pronunciata fuit *Andria Terentii*, ut et *Adelphæ*: quemadmodum docet Donatus. At in reliquis omnibus nomen auctoris præpositum: quod scire nos, suffecerit. Nam ita nunc quoque edi debere, futilis ratio esset. nec puto quemquam adeo inepte religiosum, ut in hoc me errasse dicat. L.

Acta] Agere comœdiam proprie dicuntur histriones, qui eam in scena exhibent, deinde etiam actores vocantur in prol. Heautont v. 5. *hodie sum acturus Heautontimorumenon* v. Drakenb. ad Liv. Epit. L. et LVI. R. D.

Ludis Megalensibus] Hi ludi instituti sunt in honorem Cybeles, quæ Græce μεγάλη μήτηρ Latine. Dea magna vocabatur v. Ovid. Fastor. IV. 193. a voce μεγάλη formatum est μεγαλήσια vel μεγαλίσια ut promiscue scribi docet Dukerius ad Livium XXXIV. 54. semper autem Latini dicunt, *ludi megalensia*, ut *ludi Olympia, ludi Pythia, ludi Cerealia*, nunquam vel certe rarissime ludi megalienses v. Quinctilian. I. 5. 32. R. D.

Ædilib. curulibus] Ad ædilium curam etiam ludi solennes pertinebant. Scenici ludi si edendi essent, ædiles fabulas emebant a poetis v. prol. Eunuchi v. 20. In hujus et sequentium fabularum didascaliis bini adiles ludos edidisse dicuntur. Cæsar et separatim et cum collega edidit, ut auctor est Sueton. in ejus vita c. 10. R. D.

Egerunt L. Ambivius] De Æsopo comœdo Cicero, lib. VII. epist. 101. ad famil. De Roscio idem lib. IX. ad famil. ep. 173. et pro Archia. Diomedes Grammat. lib. III. De utroque Quinctilian. Institut. lib. XI. cap. 3. *Roscius citatior, Æsopus gravior fuit: quod ille comœdias, hic tragœdias egit.* Horat. epist. I. lib. 2. *clamant periisse pudorem Cuncti pene patres, ea cum reprehendere coner, Quæ gravis Æsopus, quæ doctus Roscius egit.* Symmach.

lib. I. epist 25. *In comœdiis summatim quidem gloriam scriptores tulerunt. Roscio tamen, atque Ambivio, cæterisque actoribus fama non defuit.* Idem lib. X. epist. 2. *Non idem honos in pronunciandis fabulis P. Pollioni, qui Ambivio fuit: neque par Æsopo et Roscio fama processit.* L.

Modos fecit] H. e. leges musicas præscripsit, quas tibicen in cantando, actor in agendo observaret, quæ, quales fuerint, explicat illustris Bentleius in schediasm. de metris Terentianis. Modi proprie dicuntur in musicis. Cic. de Orat. III. 26. *neque id actores prius viderunt quam illi qui fecerunt modos.* Tusc. quæstio. I. 44. *pressi et flebiles modi.* R. D.

Tibiis paribus dextris] In quibusdam vett. *Tibiis paribilibus*, ut Mar. Victor in Genesi cap. I. *Noctem intercisæ parilem fecere tenebræ.* Quæ vero tibiis paribus vel imparibus acta dicatur, explicat Diomedes lib. III. *Cujus rei indicia produnt nobis antiquæ comœdiæ, in quibus invenimus*, acta tibiis paribus *aut* imparibus, *aut* serranis. *Quando enim chorus canebat choricis tibiis, id est choraulicis, artifex concinebat; in canticis autem pithaulicis responsabat. Sed quod paribus tibiis aut imparibus invenimus scriptum, hoc significat, quod, si quando monodio agebat, unam tibiam inflabat, si quando synodio, utramque.* Ex Donati sententia comœdiæ agebantur, tibiis aut paribus dextris et sinistris, aut imparibus videlicet dextris Lydiis, sinistris serranis. *Tibiæ pares* erant, quæ uno spiratu simul animabantur, ut clare nos docet Apuleius Floridor. 1. *Primus Hyagnis in canendo manus discapedinavit, primus duas tibias uno spiritu animavit, primus levis et dextris foraminibus, acuto finitu, gravi bombo, concentum musicum miscuit. Impares* Festus dicit, numero foraminum discretas. De dexteris et sinistris Varro lib. I. cap. II. de Re rust. *Dextera tibia ulia quam sinistra, ita ut tamen sit quodammodo conjuncta, quod est altera ejusdem carminis modorum incentiva, altera succentiva.* Et paulo post: *est inferior, ut tibia sinistra a dextræ foraminibus.* At de Lydiis et Serranis variat Servius a Donato. Ejus hæc verba Æneid. lib. IX. *Biforum dat tibia cantum. Tibiæ aut serranæ dicuntur, quæ sunt pares, et æquales habent cavernas: aut Phrygiæ, quæ et impares sunt, et inæquales habent cavernas. Ergo* Biforem, *dissonum dissimilemque. Non sunt pari modulatione compositæ ut cum ait Varro: tibia Phrygia dextra unum foramen habet, sinistra duo: quorum unum acutum sonum habet, alterum gravem.* Quod si Servii sententia vera est, corrigenda, quæ scribit Donatus in prolegomenis et argumentis ad Adelphos et Phormion. At si hujus præponderat, illius vero inclinat, tum emendanda inscriptio Adelph. et pro *serranis* legendum *imparibus Lydiis.* quamvis exemplaria omnia Terentii, quotquot vidi, repugnent. Lydiarum tibiarum plurimi veterum meminere: etiam Solinus, qui easdem quoque *Tusarias* vocat cap. V. Atque ut hæ comœdiis adhibitæ fuere, sic Ioniæ tragœdiis. Athenæus Dipnos. lib. XIV. pag. 629. διότερ οὐδὲ τὸ τῆς Ἰαστὶ γένος ἁρμονίας, οὔτε ἀνθηρὸν, οὔτε ἱλαρὸν ἐστί, ἀλλὰ αὐστηρὸν καὶ σκληρὸν. ὄγκον δὲ ἴσχον οὐκ ἀγενῆ, διόπερ καὶ τῇ τραγῳδίᾳ προσφιλὴς ἡ ἁρμονία. L.

Tibiis paribus dextr. et sin.] De his tibiis multi multa scripserunt. Scaliger cujus nota perdita est. in Anthol. Lat. T. I. p. 183. sqq. fatetur, se nihil incertius legisse, quam quæ de his tibiis tradantur. R. D.

Tota Græca] Palliata scilicet. In enim, his etiamsi Latinæ sint, Græca omnia servantur. Ascon. Pædian. in Divinat. L.

Tota Græca] H. e. quamvis fabula scripta sit latine, tamen expressit mores Græcorum. R. D.

PROLOGUS.

CUM omnes poetæ virtutem oratoriam semper versibus exsequantur, tum magis duo viri apud Latinos, Virgilius et Terentius. Ex quibus, ut suspitio nostra est, magis Terentii virtus ad rationem rhetoricæ artis accedit: cujus potentiam per singulas comœdias, ut possumus, explicabimus. Ac prima nobis ea sit, quæ et pueris semper est tradita. Andria igitur prologum habet. *Poeta cum primum animum ad scribendum appulit.*] Omnis prologus triplici inducitur causa, vel ut argumentum fabulæ possit exhibere, vel poëtam populo commendare, vel ut a populo audientiam postulet: Sed his omnibus causis Terentius non ita usus est. Habuit enim adversarium, veterem poetam, Luscium Lavinium, cujus comœdiæ cum non placerent, semper maledictis adversus comœdias Terentii pugnabat. Propter hunc igitur Terentius prologum semper inducit, ut ejus maledictis respondeat. Quod si ita est, omnis prologus Terentii habet controversiam. Andria igitur controversiam tenet. Mos est uti ex Græco in Latinum sermonem aliquid transferri liceat. Terentius comœdiam Græcam Andriam cum transferret, adjunxit et Perinthiam, quæ altera Græca est comœdia. Fit ergo reus, quia non debuerat alteram comœdiam contingere, in comœdiæ alterius translatione. Isthæc controversiæ qualitas, an juste fecerit. cujus argumenta sic persequitur, ut per absolutam qualitatem habitus semper sit in disputatione tractatus. Is omnino, ut dixi, duplex est. Si feci, juste feci: et feci, quia licuit per exemplum. Sed prius exordium sumitur, quod propositum ita est, ut poetam populo commendet. aliter enim benevolentiam auditorum non potest comparare, nisi personæ suæ pudorem honestatemque declaret. Est igitur ad comparandam benevolentiam sumtum principium. *Poeta cum primum animum*] Benevolentia rhetorica certe captatur ex nostra persona. Hoc supra positis verbis expositum est, cum docuit sibi pudorem propositum, et certam gloriam captaturum. Unde a persona adversarii, cum ejus impudentia declaratur, hoc subjunxit: *verum multo aliter evenire intelligit. Nam in prologis scribundis operam abutitur · non qui argumentum narret, sed qui malevoli veteris poetæ maledictis respondeat.* Huc usque principium est habitum a nostra persona, et ab adversariorum. sequitur propositio quæstionis: sed primo permissio. *Nunc quam rem vitio vortant*] Hæc dicit quæstionem præmittens. proponit autem ita, ut cum argumento quæstionem solvat. Quæstionem proponere videtur, *Menander fecit Andriam et Perinthiam, qui utramvis, &c.* quæstionem illam supra diximus esse, quia non debuerit ex duabus comœdiis Græcis unam Latinam scribere. Et huic respondit ita, quod liceat: ac primum unam dicit: quamvis duæ sint, quæ inter se quoque quadam cognatione conveniant. Hoc enim dixit. *Menander fecit Andriam et Perinthiam; qui utramvis recte noverit, ambas noverit: Non ita dissimili sunt argumento, et tamen dissimili oratione sunt factæ ac stilo.* licet duæ sint numero, in unam tamen rationem conveniunt. Quod ita est: quæ ex Perinthia in Andriam convenerunt, ad Andriam jure translata sunt,

Poeta quum primum animum ad scribendum appulit,
Id sibi negoti credidit solum dari,
Populo ut placerent, quas fecisset fabulas.

unde non videtur aliter fecisse, quam liceat. nam cum liceat ex una comœdia Græca unam Latinam scribere, hic quodammodo ex Andria Græca Andriam fecit Latinam: et quidem ex Perinthia tulit, quæ in Andriam convenirent. Igitur adversarii id vituperare audent? Adjicit argumentum absolutæ qualitatis, uti supra diximus, quia quæ fecit, per exemplum fecit. *Qui cum hunc accusant, Nævium, Plautum, &c.* Et quoniam semper exemplis laborandum est, nec tamen sumamus: quæ aliquando reprehensa sunt, adjecit: *quorum exoptat æmulari negligentiam potius, quam istorum obscuram diligentiam.* Subjungit postea epilogorum virtutem, ut liberatus a culpa terrere incipiat adversarios: et honeste ostendit, adversarios multa peccare, sed illa se nolle maledicere. Concludit a precibus, ut benevolentiam ab audientia populi petat. *Favete.* simul pollicens quasi quiddam præmium de comœdiis futuris, si fuerit libenter auditus. Hactenus controversia tractata est. E.

1 *Poeta quum primum animum ad scribendum appulit*] Principium factum est a commendatione personæ, quod prudens, quod honestus Terentius. Et honore majore poetam potius, quam Terentium dixit: ut illum hoc ipso, de quo laborat, nomine ornaret. *Poeta quum primum.* Omnis hujus prologi intentio hoc agit, ut novo poetæ veniam paret, et veteri odium: et ut, quam maxime modestum, minimeque errantem Terentium probet. *Poeta quum primum animum ad scribendum appulit.* Sensus hic est: proposuerat quidem poeta noster, ut in prologis argumenta narraret: sed hoc imputat Lucio Lavinio adversario, qui eum facere non permisit, quod proposuerat, maledictis suis ad respondendum eundem provocans. *Appulit. Appellere* proprie dicitur, cum ex pelago aut freto quis ad litus accesserit. Virg., Æn. III. 715. *Hinc me digressum vestris deus appulit oris. Appulit.* In secunda lectione *attulit* fuit: sed *appulit* magis. Nam postea sic, *animum ad uxorem appulit.* D.

Poeta cum primum animum] Sensus hic est; cum primo poeta comœdiam scribere voluit, hoc tantummodo arbitratus est negotii sibi dari, ut placeret populo comœdiæ, quas fecisset. Ergo quod sequitur, *verum aliter evenire multo*, ille sensus est, ut hoc solum sibi crederet propositum, ut comœdiæ suæ placerent. Et illud, ut adversario debeat respondere. Ergo *in prologis scribendis operam abutitur*, hoc est, valde utitur opera prologorum. Non ut argumentum narret, quod prologorum est semper officium: sed ut semper malevoli poetæ maledictis respondeat. Adjecit *veteris poetæ*, quo facilius hominem, ex vetustate notare posset, qui cum vetustate commendatus non sit, et notus per maledicta, invidere videatur. E.

Animum ad scribendum appulit] H. e. scribendi consilium cepit in Andr. Act. II. Sc. 6. v. 15. *animum ad uxorem appulit.* ibi dicit animum ad aliquid adjungere, adplicare, adjicere, adducere. R. D.

2 *Negoti*] Modo pro molestia et cura, non labore. D.

Id sibi negotii] H. e. id solum ipsi curandum credidit, vel. ut Suet. in Cæs. c. 23. loquitur, *in magno negotio habuit.* R. D.

3 *Populo ut placerent*] *Ut* ne non significat: nec est modo conjunctio. *Fabulas.* Ad *fecisset* retulit *fabulas*, non ad *placerent.* et est figura syllepsis. *Fecisset.* Bene *fecisset*, non *scripsisset.* Unde et poetæ ἀπὸ τοῦ ποιεῖν, id est a faciendo dicti sunt. Sic Virg., Ecl. III. 86. *Pollio et ipse facit nova carmina.* D.

Verum aliter evenire multo intelligit.
Nam in prologis scribundis operam abutitur, 5
Non qui argumentum narret, sed qui malevoli
Veteris poetæ maledictis respondeat.
Nunc, quam rem vitio dent, quæso, animum advortite.

Placerent] *Placere* proprium verbum est scenæ et ludorum, cum populus facet plauditque. Cicero in Bruto c. 84. *at placere tamen et in scena esse Roscius intelligat.* Horat. Carm. IV. 3. in fine *Romanæ fidicen lyræ quod spiro et placeo, si placeo, tuum est.* Sueton. in Nerone c. 42. *quondam scenico placenti nuntium misit.* Sic sæpe in inscriptionibus antiquis cantavit, saltavit, et *placuit* v. P. Victorii var. lect. XXXVII. 8. R. D.

Fabulas] Terentius Græcorum more posuit pro *fabulæ* v. 26. *posthac quas faciet de integro comœdias* in Eun. IV. 3. 11. *eunuchum, quem dedisti nobis, quantas dedit turbas.* Ovid. Metamorph. XIV. 350. *cecidere manu, quas legerat, herbas* v. Perizon. ad Sanctii Minerv. II. 9. not. I. Bentl. ad Heautont. IV. 4. 1. R. D.

4 *Verum aliter multo intelligit*] Sic Virg. Æ. VII. 44. *major rerum mihi nascitur ordo.* Et, *majus opus moveo.* Non enim hoc se elegisse dicit, sed quasi ex ordine ipso natum sibi esse. *Intelligit.* Quod credimus, plerumque falsum: quod intelligimus, certum est. *Aliter* autem contra significat. Virg. Æ. II. 428. *Diis aliter visum. Verum aliter multo intelligit.* Adeo nec præparaverat, nec intenderat quenquam lædere, ut spe falsus, lacessitusque hoc faciat. D.

5 *Operam abutitur*] *Utimur* fructibus rei, quæ ab amantibus salvo usu nobis subministratur: *abutimur*, quando deperdimus et rem et fructum. Nam usui est ager, domus: abusui vinum, oleum, et cætera hujusmodi. Cicero, *Non debet* (inquit) *ea mulier, cui vir bonorum suorum usum fructum legavit, cellis vinariis et olearis plenis relictis, putare id ad se pertinere. usus enim, non abusus legatus est; ea inter se sunt contraria.* Hæc in Topicis. cap. 3. D.

Operam abutitur] H. e. operam impendit et consumit. Abuti sæpe etiam in bonam partem dicitur ita tamen ut plus sit quam uti. Vid Gronov. ad Cicer. de nat. Deor. II. 60. Verba autem *uti, abuti, frui* et similia cum accusat. junguntur apud antiquos. v. Sanct. Minerv. III. 3. pag. 296. R. D.

6 *Argumentum narret*] Quod vere prologi est officium. *Qui*, pro *ut*: ergo non est modo pronomen. *Sed qui malevoli veteris poetæ.* Primum a natura, *malevoli*: deinde a tempore, vel ab invidia, *veteris*: a signo simulationis, *poetæ*. *Vetus* plerumque refertur ad laudem: interdum ad vituperationem, ut hic, et alibi, *vetus, veternosus, senex.* D.

Qui] Bene Donatus *qui* accipit pro *ut*. Liv. XXVI. 6. *mittit ad Neronem qui in posterum diem colloquium differret.* v. interpret. ad Liv. I. 43. R. D.

7 *Veteris*] Pro cariosi et quasi rancidi posuit, atque ideo malevoli: non criminibus, sed maledictis. Quid autem inter *maledictum* et *crimen* intersit, docet Cicero in Tusculanis. *Veteris.* Ratio invidiæ. *Poetæ.* Causa insectationis. *Maledictis.* Criminatio adversarii. *Veteris poetæ.* Quia senex Lucius edebat fabulas, adolescentulo tunc Terentio. Et eleganter, *malevoli veteris maledictis*: commendatio poetæ a persona adversarii. *Respondeat.* Excusatio respondentis, quod non obsistat, sed respondeat. D.

Veteris poetæ] *Vetus* hic in vituperationem ponitur de poeta veternoso, in quo vis ingenii defecerat. v. Donat. ad Eunuch. IV. 4. 21. Poeta qui perstringitur est Lucius Lanuvinus. R. D.

8 *Nunc quam rem vitio dent*] Nunc

Menander fecit Andriam et Perinthiam.
Qui utramvis recte norit, ambas noverit. 10
Non ita dissimili sunt argumento, sed tamen
Dissimili oratione sunt factæ, ac stilo.

animadvertite: an nunc vitio dent. Et oratorie quasi multos facit, cum unum supra dixerit. ut Virg. Æ. XII. 60. *Desiste manum committere Teucris. Nunc quam rem vitio.* Propositio est. *Quam*, qualem. *Vitio dent.* Vituperent, culpent. *Vituperare*, est male vitio dare etiam bona. *Advertite.* Legitur et *attendite.* unde manifestum est, et *advertite* et *attendite* non esse plenum, nisi addideris *animum.* D.

Quam rem vitio dent] Hoc est, quam rem culpent et accusent. E.

Vitio dent] I. e. culpent, vituperent. in Adelph. III. 3. 64. *hoc vitio datur.* Sic etiam dicitur *crimini dare* pro tanquam crimen objicere. Liv. VII. 4. *crimique ei tribunus, inter cetera dabat,* ubi v. interpretes. R. D.

Animum advertite] Dicitur pro *animadvertite*, quæ contracta forma frequenter est in Eun. III. 1. 7. *adverti hercle animum.* Rutilius Lupus L. II. p. 77. *diversa studia adolescentium animum adverteramus* ubi v. quæ notavit el. Ruhnkenius; interdum omissa voce *animum*, eodem sensu dicitur advertere. Liv. XLIV. 43. *quam sine causa delectam esse regiam advertit* v. Drak. ad VI. 2. R. D.

9 *Menander fecit Andriam*] Narratio est; et proprie *fecit.* scribit enim Terentius, qui verba adhibet tantum: facit Menander, qui etiam argumentum componit. Sed sæpe ad laudem Terentii, *facit*, pro eo quod est transtulit. D.

10 *Utramvis*] Primo scena Perinthiæ pene iisdem verbis, quibus Andria, scripta est; cætera dissimilia sunt, exceptis duobus locis, altero ad versus XI. altero ad versus XX. qui in utraque fabula positi sunt. *Qui norit unam, ambas noverit.* Omnem rem uno versu noverit. *Utramvis.* Deest *harum.* D.

11 *Non ita dissimili sunt*] Ordo, ita non sunt. Ergo *ita* subdistinguendum. *Non ita dissimili sunt oratione. Ita* pro valde et caste: potuit enim dici, quomodo ergo sunt duæ dissimili oratione? *Ita.* ne Menandrum culpare videatur, *ita* adjunxit, quod laudis est. *Sed tamen.* Discretio est a superioribus, et est ἀναπλασμός. Non enim supra posuit *quidem.* D.

Non ita dissimili sunt] Vult simile esse argumentum duarum comœdiarum, non tamen plurimum dissimile. Et ne Menandrum accusare videatur, qui pene ex uno argumento duas comœdias fecerit: adjunxit, quod ad ejus laudem maxime pertinebat, *dissimili oratione ac stilo.* E.

Pro *sed* requirit metrum elegantiaque *et.* B.

Ita] Tanquam augendi particula ponitur pro *valde, admodum.* Nepos in Pelopida c. 2. *magnæ sæpe res non ita magnis copiis sunt gestæ.* Liv. IV. 12. *haud ita multum frumenti advectum est,* ubi v. Drak. R. D.

12 *Oratione ac stilo*] *Oratio* in sensu est: *stilus* in verbis. *Oratio* ad res refertur: *stilus* ad verba. *Stilus* non est in tempore, sed prolata oratione. *Oratio* autem est et in cogitatione, et in prolatu. Orationem in sententiis dicunt esse, stilum in verbis, argumentum in rebus. Ergo in poemate oratio est. D.

Oratione ac stilo] Donatus orationem in sensu, stilum in verbis explicat. Græci orationem λόγον vocant, stilum λέξιν, sed el. Heusingerus ad Nep. fragmenta Malleo Theodoro de metris subjecta p. 150. orationem accipit de scribendi facultate ac forma, ut hic oratio et stilus. Sic in Phorm. prol. v. 4. junguntur oratio et scriptura. R. D.

Quæ convenere in Andriam, ex Perinthia
Fatetur transtulisse, atque usum pro suis.
Id isti vituperant factum; atque in eo disputant,
Contaminari non decere fabulas.

13 *Quæ convenere in Andriam*] Apparet non de industria, sed casu esse translata ea, quæ ex Perinthia in Andriam eodem sensu, iisdemque verbis perscripta fuerunt. *Quæ convenere in Andriam.* Unam ergo, non duas transtulit. *Quæ convenere in Andrium.* Quæ apta et commoda fuerunt in Andriam Latinam, non Græcam, fatetur transtulisse. Sed quare se onerat Terentius, cum possit videri de una transtulisse? Sic solvitur: quia conscius sibi est, primam scenam de Perinthia esse translatam, ubi senex ita cum uxore loquitur, ut apud Terentium cum liberto: at in Andria Menandri, solus senex est. D.

Quæ convenere in Andriam] Multa enim conveniunt. Hæc igitur Terentius in Andriam transtulit. E.

Post Perinthia pone *hic*, ne Menander, sed Terentius ipse intelligatur. B.

Quæ convenere] H. e. quæ commoda acta fuerunt in Andr. IV. 2. 13. *hanc mihi expeitvi. contigit. conveniunt mores* v. Ovid. Epist. V. 77. *nunc tibi conveniunt* ubi v. Heins. R. D.

15 *Id isti vituperant factum*] *Isti*, ad reprehensionem sumitur personæ: interdum rei reprehensionem significat: ut Virgilius, *quid petis istis? Vituperant.* Vitium rei parant, *Disputant.* Immorantur, calumniantur, argumentatur. D.

Isti] Hoc pronomine fere odium et contemtus exprimitur, mox v. 21. *istorum obscuram diligentiam.* Eun. I. 2. 112. *cum milite isto præsens absens ut sis*, apud Ovid. Metamorph. L. XIII. quoties de Ulysse loquitur, hoc pronomine utitur. Vid. Bentl. ad Ad. I. 1. 18. contra *ille* plerumque in laudem dicitur. vid. Drakenb. ad Sil. Ital. III. 181. R. D.

In eo disputant] H. e. de ea re sermonem serunt, de ea re multum loquuntur. Cic. ad Div. III. 8. *jam non tam mihi videntur injuriam facere illi, si qui hæc disputant, quam si cujus aures ad hanc disputationem patent.* Disputare apud veteres non est contendere verbis cum aliquo, ut nunc in ore est omnium sed disserere sine ulla contentione, sive sermonem habere de aliqua re. v. Græv. ad Cic. de Offic. III. 3. Rarior est structura *disputare in aliqua re*, usitatior vero est *disputare rem, de re* vel *ad rem*, ut et apud Cicer. Tusc. quæst. III. 9. et Lactant. VI. 22. R. D.

16 *Contaminari*] Proprie *contaminare* est, manibus luto plenis aliquid attingere. et *contaminare*, attingere est, et polluere. Virgilius, *linquere pollutum hospitium*, id est contaminatum. *Contaminari.* Tangi et relinqui pollutа manu, ac per hoc velut fœdari aut maculari: ut ipse ait: *ne hoc gaudium contaminet vitam ægritudine aliqua. Contaminari non decere.* Id est, ex multis unam non decere facere. D.

Contaminari non decere] Exemplar Bibliothecæ Regis Galliar. *non debere.* L.

Contaminari] Hoc verbum vulgo inepte ducunt a Græco τύδω, cum derivandum sit ab antiquo *tago*, pro quo posterior ætas dixit *tango*, ut pro *clago, clango; frago, frango, pago, pango.* A *tago* analogice formatur *tagimen*, contracte *tamen*, unde *tamino. Contamino* igitur prima et nativa significatione dicitur pro *tango, contracto, misceo*, sed quoniam miscendo sæpe aliquid corrumpitur et polluitur, etiam corrumpendi et fœdandi potestatem accepit. Contaminari fabulæ dicuntur, cum sic commiscentur, ut ex pluribus fiat una, in Heaut. prol. v. 17. *multas contaminasse Græcas dum facit paucas Lat.* Hoc verbum explicat Burmann. ad *Phædr.* III. 11. 5. sed accuratius et distinctius Gesnerus in Commentar. academ. Götting. T. III. 252. R. D.

Faciunt næ intelligendo, ut nihil intelligant.
Qui cum hunc accusant, Nævium, Plautum, Ennium
Accusant: quos hic noster auctores habet:
Quorum æmulari exoptat negligentiam
Potius, quam istorum obscuram diligentiam.
Dehinc ut quiescant, porro moneo, et desinant

17 *Faciunt ne*] Ne quidam corripiunt, et cum interrogatione pronunciant, quidam producunt. quorum alii *ne* pro *nec* accipiunt, id est, non. alii *ne* pro valde, ut: *ne ego homo sum infelix.* et Cicero. *Ne illi vehementer errant.* Et hoc melius: nam statim infert, *qui cum hunc accusant, Nævium, Plautum, Ennium accusant.* In singulis magna emphasis auctoritatis: sed ordo non est servatus. Ennius namque ante Plautum fuit: sed quod est summæ auctoritatis, Ennium ultimum dixit. *Ne.* Nimis, multum, plurimum. D.

Faciunt ne intelligendo] Hoc est, quasi plurimum intelligendo. E.

Faciunt ne intelligendo] Hieronym. Stridon. Epist. de optimo gen. interp. *Faciunt ne intelligendo, ut nihil intelligant: et dum alienam imperitiam volunt arguere, suam produnt.* Cœl. Sedul. ad Macedon. de opere Pasc. *Si qui tamen istud objiciunt, faciunt nec intelligendo ut nihil intelligant.* Vid. Charis. Sosip. lib. II. Diomed. lib. I. cap. 4. L.

Næ h. e. certe, profecto, cum repugnet sermoni ac sensui, mutandum est in *ne*, et cum interrogatione proferendum. E.

Faciunt næ intelligendo ut nihil intelligant] H. e. profecto dum valde intelligentes et sapientes videri volunt, ostendunt, se nihil intelligere; sed veteres quidam grammatici apud Donatum et magnus Bentleius *næ* sine diphthongo scribunt et locum cum interrogatione proferunt quæ interrogatio habet vim vehementer negandi, et hæc ratio præferenda videtur. Cæterum Terentius hoc ὀξύμωρον expressit ex Menandro, in cujus fragm. pag. 36. est μάταιος ἐστὶ καὶ φρονῖν εἰδὼν φρονῖν. Simile illud in Eun. I. 1. 18. *ut cum ratione insanias* v. Bernard. Martinum var. lat. III. 10. R. D.

18 *Qui cum hunc*] Terentium, inquit, specialiter accusantes, nesciunt se bonis omnibus maledicere, quos ille imitatur: et argumentum est ab exemplo et auctoritate. D.

19 *Auctores*] Auctores sunt, qui exemplum rei faciendæ dant, qui quid facere præcipiunt exemplo suo. Sic Academicor. IV. 2. *nec litterarum Græcar. nec philosophiæ jam ullum auctorem requirunt* scil. cum Africanum et Catonem habeant, qui dedicerunt. Hor. Serm. I. 4. 122: *habes auctorem quo facias hoc* v. interpretes ad Liv. II. 56. R. D.

20 *Exoptat*] Propria significatione dicitur pro *eligit*. Cic. de offic. I. 32. *quæ majori parti pulcherrima videntur ea maxime exoptant* v. Serv. ad Aneid. I. 76. et Donat. ad Andr. IV. 5. 2. R. D.

Negligentiam] Negligere et negligentia non semper sunt vitiosa, sed de iis etiam dicuntur, quæ scientes et consulto prætermittimus. in Prol. Ad. v. 14. *an locum reprehensum qui præteritus negligentia est.* R. D.

22 *Dehinc ut quiescant*] Recte: nam *quiescere* ille dicitur, qui est insolens et inquietus. *Porro.* Porro in futurum dixit. *moneo.* Terribiliter dixit. Cicero, *Moneo, prædico, ante denuncio.* Liberatus culpa etiam terret, alibi etiam criminaturus adversarios. D.

Ut quiescant porro] Hieronym. de vita cleric. *Obsecro ut quiescant et desinant maledicere: non enim ut adversariis, sed ut amicis scripsimus. Ut pernoscatis*] Ms. Reg. *Ut pernoscatis, quid sp.* V. C. *ut et is pernoscat quid*, &c. L.

Maledicere, malefacta ne noscant sua.
Favete, adeste æquo animo, et rem cognoscite,
Ut pernoscatis, et quid spei sit relliquum,
Posthac quas faciet de integro comœdias,
Spectandae, an exigendæ sint vobis prius.

Quiescant] H. e. nullas turbas moveant. Liv. IV. 49. *malum quidem militibus meis, nisi quieverint;* ita *inquietus* est seditiosus. Liv. III. 43. *inquietum hominem et tribunatum etiam nunc spirantem.* v. interpretes ad Liv. XLV. 37. R. D.

Moneo] Hoc verbum comminandi vim habere Donatus observat in Eun. prol. 16. *is ne erret moneo et desinat lacessere.* R. D.

24 *Favete*] Jam ad auditores convertitur, a quibus favorem captat. *Favete.* Quasi dicat, hoc adversarii faciunt. Vos autem, quod in vobis est, favete. Vos ergo favorem facite. Et *adeste*, non ut absentibus dicit, quippe qui corporibus præsto erant: sed, intenti estote, favete, silete. Sic et pontifices dicunt, *favete linguis*, favete verbis. Unde Virgilius. *Ore favete omnes. Adeste.* Animis scilicet auxilium præbete: ut advocatus reo dicitur adesse. *Æquo animo.* Ab honesto. *Et rem cognoscite.* A justo. *Cognoscite.* Pernoscite. Sic dixit, *cognoscite ut pernoscatis*, quemadmodum in Hecyra, *orator ad vos venio ornatu prologi, Sinite exorator sim. Ut pernoscatis.*] Ab utili. D.

Favete] Benevolentiæ signum in sacris signum erat silentii, inde veteres *favere* pro *silere* dixerunt. Sen. de vita beata c. 26. Festus in v. favere. Par ratio est Græci verbi *ἐυφημεῖν*. De formulis animo, mente, ore, linguis favere, v. interpretes ad Sil. Italic. XVI. 295. R. D.

Æquo animo] I. e. a quo absit studium partium. in Phorm. prol. 31. *date operam, adeste æquo animo per silentium.* R. D.

Rem cognoscite] Videlicet tanquam judices. Judex enim, qui litem examinat, proprie dicitur *rem cognoscere.* Justin. II. 10. *certamen concordi animo ad Artaphernem veluti ad domesticum judicem deferunt qui domi cognita causa Xerxem præposuit.* R. D.

25 *Relliquum*] Sunt qui pro *relliquorum* accipiant: ut sit sensus: de hac fabula sumite specimen, ut sciatis an cæteræ vobis spectandæ sint. Non postmodum dictum alio prologo, *alias cognostis ejus, quæso, hanc noscite. Reliquum.* Quasi diceret, postremum. ergo adverbium est, id est *τὸ λοιπὸν*. Sed sive hoc *relliquum* dicit, sive *relliquum* pro *relliquorum*, geminato *u* scribitur. D.

Est casca scriptura *et quid* pro *ecquid:* ita tamen ut *etquid* pro uno verbo veniat, et *quid* sit encliticum. Semel monuisse sat erit. B.

26 *De integro*] Utrum denuo, an ex integris Græcis? *Quas faciet comœdias.* Syllepsis, ut supra. ad verbum enim *faciet* declinavit, non ad *spectandæ sint.* D.

Quas faciet de integro] Hoc est, de integro cum unam Græcam in unam Latinam transtulerit. Nunc enim transtulit quasi duas. atque ex hoc videtur illud Terentius declarasse, quod fecerit, jure fecisse, et per exempla. Verumtamen jam non esse facturum, ut de duabus comœdiis unam comœdiam faciat. E.

De integro] H. e. denuo pro quo apud Sueton. in Aug. c. 31. est *ex integro.* R. D.

27 *Spectandæ*] Proprie, ut fabulæ, id est probandæ. *Exigendæ.* Excludendæ. D.

Spectandæ] Hoc est probandæ. *Exigendæ.* Foras mittendæ. E.

Spectandæ an exigendæ] Græco more hoc dictum videri potest, quippe Athe-

nis certi censores fuere, qui de comicis et comœdiis judicarunt. Notat hoc Zenobius ex Epicharmo in Adagio; ἐν πέντε κριτῶν γουνασι κεῖται. Ubi sic scribit. ἔιρηται δὲ ἡ παροιμία παρόσον πέντε κριταὶ τοὺς κωμικοὺς ἔκρινον. Idem Suidas. Vid. Scholiast. Aristoph. in Aves. Et Hesych. in πέντε κριταὶ. Inde apud Johan. Chrysost. orat. de Episcop. πρὸς τέρψιν ἀκούειν ἐιηθίσθησαν οἱ πολλοὶ, καθάπερ τραγωδῶν, ἢ κιθαρωδῶν καθήμενοι δικασταὶ. L.

Exigendæ] Exigi fabula proprie dicitur, cum repudiatur, improbatur. Cum spectatores strepitu pedum significant eam sibi displicere, unde etiam proprium hac in re verbum *explodere*. in Hec. prol. 4. *novas qui exactas feci ut inveterascerent*. Ipse actor etiam *exigi* dicitur in eod. prol. 7. R. D.

Prius] Dura est ratio Perizonii ad Sanctii Minerv. IV. 11. pag. 721. *prius* ad *pernoscatis* per synchysin referentis. *Prius* h. l. significat *potius*, *magis* ut in nota formula *nihil prius et antiquius habere* in Eun. I. 1. 5. *siquidem possis nihil prius neque fortius* v. Græv. et Duker. ad Flor. I. 16. pag. 144. edit. Lugd. Batav. 1721. R. D.

ACT. I. SCENA I.

SIMO. SOSIA.

VOS isthæc intro auferte: abite. Sosia,

1 In hac scena hæc virtus est, ut argumenti narratione actio scenica videatur, ut sine fastidio longus sermo sit, ac similis oratie. *Vos isthæc.* Hæc scena pro argumenti narratione proponitur, in qua fundamenta fabulæ jaciuntur: ut virtute poetæ, sine officio prologi, vel Θεᾶν ἀπὸ μηχανῆς, et periocham comœdiæ populus teneat, et res agi magis, quam narrari videatur. *Vos isthæc intro auferte: abite.* Molliter retenturus, et experturus Sosiam, imperat ut remaneat. addit etiam causam aliis abeundi, dicendo *isthæc intro auferte:* ne suspicionem injiciat, Sosiam communicandi secreti causa remansisse. Et bene, *auferte: auferimus* enim ea, quæ cum fastidio cernimus: *ferimus* ea, quæ cum honore tractamus. Deinde quasi respicientes increpat, dicendo *abite. Abite* concitatius legendum est: quia et respectantes properant, et discernit a Sosia. Sosiæ persona protatica est. non enim usque ad finem perseverat: ut est Davi in Phormione, in Hecyra Philotidis et Syræ. D.

Prima scena hujus comœdiæ causam continet quasi deliberativam, ubi certum consilium exploratumque mandat servo dominus. Ne tamen hoc injustum consilium sit, quod ex deliberatione videtur inventum, ex narrationis partibus colligitur quod istum. Habet quidem finem hæc scena, imperium atque mandatum, quod servo detur. Sed ne imperii atque mandati injustitia sit, causæ est consilium sumtum; ubi similiter qualitas est, an injustum consilium sit. Sed jam ut ad specimen veniamus: mandat servo dominus, bene ut assimilet nuptias. Consilium autem id est, et nunc id operam do, per falsas nuptias vera objurgandi causa sit, si deneget. Consilii ratio quærenda est, quæ supponitur sic. Filium credo amare meretricem. Hæc ratio per conjecturam tractatur, an filius amet meretricem. Omnis igitur scena in hoc consumitur, ut argumentis conjecturalibus colligatur filium amare. Quare conjectura consilium suum probat, ut filium debeat objurgare, si amet. Quo consilio probat et justum declarat imperium, quo est servo imperaturus, ut bene assimulet nuptias. Hæc per singulorum capita versuum plenius aperientur. Primum ne quid turpe dominus adversus filium servo mandare videatur. Siquidem ille filius, hic servus est. Non illa vulgaris abjecta persona servi est, neque in conditione vivit, neque in turpi officio servitutis, sed cujus animus et integritas fuerit per officia completa liberalis. Hoc igitur tangit Simo cum laudat servum Sosiam: et dicit opus esse non arte, sed his potius rebus, quas in eo semper agnovit, fide et taciturnitate. Nam fides est, ut compleat quæ mandat. Taciturnitas autem necessaria videtur, ut caveat. Sed parva laus data servo videtur, quem coegit dominus imposita mandata servare. Sed quoniam apud servuum bonum duntaxat potuit esse consideratio, quod dominus major sibi, nescio quid, adversus minorem dominum imperaverat. Cujus si non esset, imperium adolescentis ætatemque timere deberet; quia illi post senis mortem erat dominus futurus. Idcirco laborat senex. Primo in animum suum servi animos inclinare dicit. Ergo ex illo tempore, quo emtus servus sit, se justa et clementia sine duris laboribus imperasse. *Ego enim te emi a parvulo,*

Adesdum: paucis te volo. So. Dictum puta:
Nempe ut curentur recte hæc. Si. Imo aliud. So. Quid est,
Quod tibi mea ars efficere hoc possit amplius?
Si. Nihil istac opus est arte ad hanc rem, quam paro:
Sed iis, quas semper in te intellexi sitas, 6
Fide et taciturnitate. So. Exspecto quid velis.

inquit. Vere enim præstat, quia ei præstat qui meretur. Nam circa juvenem inofficiosum imperare fortasse imperantis est metus. Et cum dixit *a parvulo*, utique beneficiorum suorum longum tempus ostendit; deditque ei continuationem præstandi. Hinc illud in Jugurthino, 10: *Parvum ego te, Jugurtha, amisso patre, et sine spe, et sine opibus in meum regnum excepi.* Adjecit autem ad cumulum beneficiorum, non quod tantum bene servierit, cum ei dominus clementiora quæ fuerant; imperaret: sed quia ex servo fecerit liberum. E.

Vos istæc intro auferte] I. e. vos isthæc inferte et in domum meam importate. Cic. pro Roscio Amer. c. 8. *multa palam domum suam auferentis.* v Pearce ad Cic. de orat. II. 66. Intelligenda vero esse obsonia vel olera, planum est e verbo *curare* v. 3. quod proprium esse culinæ Donatus ait. Plaut. in Persa I. 3. 5. *curate istic vos atque properate ocius*, in Mercat. III. 3. 21. *quin ergo imus atque obsonium curamus.* R. D.

2 *Adesdum*] *Ades*, imperativum est, *dum παρέλκον*: est enim productio, et adjectio syllabæ: ut, *ehodum ad me. Paucis te volo*] Deest *colloqui verbis*: et est figura ellipsis. *Dictum puta*] Ad hoc respondet, ut agi res videatur, quemadmodum supra diximus. D.

Paucis te volo] Plena oratio est: *paucis verbis te adloqui volo.* R. D.

Dictum puta] H. e. intelligo quod velis, licet jam nihil dicas; atque adeo puta, te dixisse. Similiter Ovid. Metam. IV. 476. *facta puta.* R. D.

3 *Nempe ut curentur recte hæc*] Diligenter coquantur. *Curatio*, proprie medicorum est, *cura*, reliquorum: sed coquina medicinæ famulatrix (Ms. H. *adulatrix*) est. *Hæc*] *διαπονᾶς. Nempe ut curentur*] Deest *vis*: ut sit, *nempe vis. Imo aliud*] Bene *ἀντίθημι τὸ imo*: et deest *volo.* D.

Immo] Adversandi et corrigenda vim habet in Ran. III. 5. 60. *immo apud libertum Discum.* R. D.

4 *Mea ars*] *Ars ἀπὸ τῆς ἀρετῆς* dicta est per syncopam. *ἀρετὴ* autem virtus est. Virtutis vero quatuor generales sunt partes; Prudentia, Justitia, Fortitudo, et Temperantia. (Ms. Hulst. pro *temperantia* legit *patientia*) sed prudentia in multis rebus descendit. *Efficere*] *Facere*, est in opere esse: sed *efficere*, perfectionem designat. D.

Ars] Ars hic dicitur scientia loquendi, sed late patet hoc nomen et in utraque partem significat omnem dexteritatem et solertiam aptam ad aliquid perficiendum; itaque virtutes etiam artes dicuntur, ut apud Sallust. Catil. c. 2. *imperium facile his artibus retinetur quibus initio factum*, ubi v. Cortium. R. D.

5 *Nihil istac opus est arte*] Mire sit, *arte opus* non est, sed *opus est artibus.* D.

6 *Sed his quas semper in te intellexi sitas*] Ipse hic signatissime ostendit, multas variasque artes esse, id est, *ἀρετὰς*, quas virtutes (Ms. Hulst. *virtutes vitæ*) intelliguntur. *Sed his*] Zeugma a superiore, quod subauditur, artibus. *Sitas*] constitutas, positas. D.

In te intellexi sitas] H. e. intellexi in te esse, in Ad. in III. 4. 9. *in te spes omnis nobis sita est*, in Phorm. III. 1. 6. *cujus nunc miseræ spes opesque sunt in te uno omnes sitæ.* R. D.

7 *Fide et taciturnitate*] *Fides*, est

Si. Ego postquam te emi, a parvulo ut semper tibi
Apud me justa et clemens fuerit servitus,
Scis: feci, e servo ut esses libertus mihi, 10

commendatorum fida executio, vel observantia: *Taciturnitas* vero, observantiæ genus, in silentio constituta, et in celando secreta. Quærit autem taciturnitatem, ne prodat Pamphilo secretum, quod ei commendaturus est. Fidem, ad complenda: taciturnitatem, ad celanda mandata. *Exspecto*] *Exspecto*, desidero: ut Virgilius, Æn. II. 283. *Exspectate venis. Quid velis*] Deest, *scire*. (lege *dicere*, vel, *scire me*) nam si dixisset, *quod velis*, nihil desiderasset. D.

8 *Ego postquam*] Commendatio personæ potius, quam servi: ne contra filium levi servo aliquid committi indecore videatur. *Te emi a parvulo*] Tale est, *parvulum ego te Jugurtha.* apud Sallust. B. Jug. X. *A parvulo*] Non enim a parvo, sed a parvulo. D.

A parvulo] Scilicet puro, h. e. prima ætate in Ad. I. 1. 23. *eduxi a parvulo* pro quo *a pueris* dicit in Heaut. II. 1. 2. Si de uno sermo est, *a parvulo* et *a puero*, si de pluribus *a parvulis* et *a pueris*. Græci similiter ἐκ παιδὸς et ἐκ παίδων. Veteres vero sæpe *parvulos* dixere pro *infantibus* et *puerulis* v. Græv. ad Flor. IV. 2. p. 713. R. D.

9 *Justa et clemens*] Ita dixit *justa*: ut alibi, *non necesse habeo omnia pro meo jure agere*. Quid enim non justum domino in servum? *Justa*] In qua nihil iniquum jubetur: *Clemens*, in qua etiam de justo multum remittitur. *Apud me justa*] Id est, moderata, æqualis. cui contrarium ait Virgil. Georg. I. 164. *Et iniquo pondere rastri.* Et, Georg. III. 347. *Injusto sub face viam dum carpit.* Nam qui *justam*, debitam nunc dici putant, nihil afferunt ad juvandam sententiam. *Clemens fuerit servitus*] Libertatem imputaturus, clementem intulit servitutem. *Servitus*] Mire *servitutem* pro dominatu posuit. Sic Sallustius, *Dein servili imperio patres plebem.* Mss. Hulst. *Patres* C. D.

Justa servitus] I. e. tolerabilis, non dura. Cic. ad Div. I. 4. *acerbum habuimus Curionem, Bibulum multojustiorem.* Curtius IV. 10. *tam justus hostis, tam misericors victor.* Contra *injustus* est est durus, gravis. Virgil. Ecl. III. 33. *injusta noverca.* Ovid. Metam. IV. 670. *injustus jusserat Ammon.* Justin XI. 1. *injusta servitute oppressi* et sic *injustitia* pro *duritie* dicitur Heaut. I. 1. 82. v. Gronov. ad Quintilian. declamat. III. 16. R. D.

10 *Scis*] Hoc est, a parvulo scis. *Semper*] Continuationem significat *semper. Feci e servo ut esses libertus mihi*] Dulcem libertatem fecit operatione et tractatione verborum, dicendo ex servo libertum. non enim tantam haberet gratiam, si dixisset, *feci, libertus ut esses* quam si dicat, *feci e servo ut esses libertus.* ao si quis dicat, *feci ut esse sanus*: non tantam haberet gratiam, quam si dicat, *feci ut ex ægro sanus esses.* Et *mihi*, emphasin habet: quod mihi libertus factus sis, non filio. Aut ideo *mihi* additum est, quia libertus ad aliquid dicitur. (Verba inde ab *Aut ideo* a Ms. Hulst. absunt. Lindenbr. tuetur *ad aliquid.* Malim, *ad aliquem.* Sensus enim esse videtur, libertum dici cum relatione ad Patronum: ut si dicas, Tiro libertus Ciceronis.) Et bene *mihi*, non *filio*: id est, ne pertimesceret filium, cui nec liberti munus debeat. *E servo*] Mire addit *e servo*: ut vim beneficii exprimeret. *Scis, feci e servo ut esses libertus mihi*] Hinc Virgil. Æn. XII. 142. *Nympha, decus fluviorum, animo gratissima nostro, Scis, ut te cunctis unam, quæcunque Latinæ Magnanimi Jovis ingratum ascendere cubile, Prætulerim, cœlique libens in parte locarim.* D.

Feci ex servo ut esses libertus mihi] Summum etenim pretium servientibus

Propterea quod serviebas liberaliter.
Quod habui summum pretium, persolvi tibi.
So. In memoria habeo. Si. Haud muto factum. So. Gaudeo.

videtur esse libertas. Et quoniam omnis libertus patrono debet servitutem, ideo adjecit *mihi*, non Pamphilo, hoc est, non filio. Ut ille non crederet, licet libertum, se debere filio servitutem. E.

E servo ut esses libertus] Noster imitatus Menandrum in cujus Ἀπολύτοις sunt ἐκ τῆς Ἀνδρίας: Ἐγώ σε δοῦλον ὄντ' ἔθηκ' ἐλεύθερον. W.

E servo esses libertus] H. e. cum ante servus esses. Virgil. Æn. X. 221. *numen habere maris nymphasque e navibus esse.* Manilius IV. 46. *ex exsule consul.* v. Oudendorp. ad Lucan. IV. 719. R. D.

11 *Liberaliter*] Bene: quia omne bonum libero aptum est, malum servo. Idem alibi *factum a vobis duriter, immisericorditerque: atque etiam si est, pater, dicendum magis aperte, illiberaliter.* Et bene admonuit, cur dederit beneficium, eadem et nunc officia quæsiturus. Nunc enim dicit artificiose, quia supra ait, *nihil istac opus est arte. Serviebas*] Bene imperfecto tempore, non perfecto usus est: ut ostendat, eum potuisse sibi etiam atque etiam servire: quale est illud Virg. Æn. VI. 114. *Atque omnes pelagique minas, cœlique ferebat Invalidus.*—Ut ostendat eum, quamvis invalidus esset, tamen adhuc potuisse laborem exercitiumque ferre. D.

Quod serviebas liberaliter] Pulchre hoc videtur adjunctum, ut non propter alias causas dominus dedisse videatur. Sed quia hanc semper habuerit in servitutis conditione voluntatem, liberaliter omnia, quæ jussa fuerant, implere. E.

Serviebas liberaliter] V. C. *servibas.* L. Scribe *servibas*, ut metro consulatur. Nec a veterum scriptura et pronunciatione abhorret. B.

Liberaliter] H. e. quasi liber et ingenuus esses, non ut alii servi metu ad officia compellebaris. Liberale dicitur quicquid liberum hominem decet, unde liberales artes quæ homines ingenuos decent. in Eun. III. 2. 20. *facies liberalis.* Adel. V. 5. 5. *servum haud illiberalem præbes te.* Jam quia largitas maxime decet liberalem hominem, *liberalis* etiam pro *largo* dici cœpit. R. D.

12 *Summum pretium*] Libertatem dicit. *Persolvi tibi*] Quia *pretium* dixerat, *persolvi* dixit proprie. *Persolvi tibi.* Modeste pretium redditum dixit, non beneficium erogatum. (Lindenbr. invenit, *beneficiis prorogatum.* Ms. Hulst. *beneficium portogatum.* Ed. Veneta, 1490. *beneficium prærogatum.*) D.

Summum pretium persolvi tibi] *Summum pretium* dixit libertatem. Et ita debitorem jam servum ad domini officia fecit, sicut in servo dominus quod habebat exsolvit. E.

Summum pretium] Dio Prusæus περὶ δουλείας. φασὶ τὴν ἐλευθερίαν μέγιστον τῶν ἀγαθῶν. Arrian. Epict. lib. III. cap. XXVI. ἀγαθόν σοι δοκεῖ ἡ ἐλευθερία τὸ μέγιστον. Ulpian l. 1. ff. de bon. libert. *Grande beneficium, quod in libertos confertur, cum ex servitute ad civitatem Romanam perducuntur.* Justinian. Imp. Instit. Qui et quibus ex cans. *Inæstimabilis libertas.* L. 106. ff. de reg. jur. *Libertas pecunia lui non potest, nec reparari potest.* l. 9. 2. §. ff. De statu liber. L.

Pretium] I. e. præmium, mercedem. Liv. XXIV. 15. *capita hostium pretia libertati facta.* Phædr. I. 8. 1. *qui pretium meriti ab improbis desiderat.* Justin. I. 7. *ædes Camdauli notitiarum pretium fuit* v. Gronov. observat. II. 25. et Heins. ad Ovid. Ep. VI. 146. R. D.

13 *In memoria habeo*] Hoc est, non sum ingratus. *In memoria habeo.* Plus

Si tibi quid feci, aut facio, quod placet, Simo:
Et id gratum fuisse advorsum te, habeo gratiam. 15
Sed mihi hoc molestum est: nam istæc commemoratio

dixit, *in memoria habeo*, quam si dixisset, *scio*. Nam quæ scimus, possumus oblivisci: quæ vero memoriæ commendamus, nunquam amittimus. *Haud muto factum*] Vetuste: non me pœnitet. Nam si quid pœniteret, *infectum velle* dicebant. an secundum jus, quod adversus libertos ingratos est, ut in servitutem revocentur? sed hoc non convenit senem dicere. Legitur et *multo*: hoc est, damno, reprehendo. quod si est, sic intelligeretur, non nollem factum. Nemo enim potest factum infectum reddere. Sed admirabiliter (*adverbialiter* ex Ms. et Excerpt. Reg. citat Lindenbr. Alii, *admirabiliter*, ut sæpe loquitur Donatus. Utraque vox videtur corrupta.) dixit: ut dicimus, *nollem factum*, nollem hunc exitum. Ergo *haud muto factum*, non pœnitet me facti. D.

In memoria habeo] Recte servatum a servo, ut in memoria habere diceret; neque enim domino referre gratias potest, nisi sola officiorum restitutio in memoria perseveraret. *Haud muto*] Mihi videtur juris rationem respicere. Ingratus enim libertus a patrono revocari in servitutem potest. *Gaudeo. si tibi quid feci*] Vehementer servus se gaudere dixit, si ex factis suis domini reddiderit voluntatem; et simul duo tempora conjunxit, ut non solum fecisse, sed et facturum esse declararet. E.

Cum Palmerio sic distinguendum esse censeo: *haud muto*. (h. e. me non pœnitet.) So. *factum gaudeo*. B.

Haud muto factum] I. e. non pœnitet factum; quod factum est, infectum esse nolim. Plaut. in Bacchid. V. 2. 34. *ego quod dixi haud mutabo*. Brutus Ciceroni ep. 4. *illud non muto*. Horat. de arte poet. v. 168. *commisisse cavet quod mox mutare laboret*. v. Lambin ad Horat. epist I. 2. 62. Bentleius sic interpungit *haud muto—factum gaudeo*. sed res eodem redit. v. Observat. miscellan. III. p. 390. R. D.

14 *Si tibi quid feci, aut facio*] Et fecisse se, et adhuc facere ostendit, quamvis eum manumisisset. (Lego: *quamvis jam manumissus esset.*) *Gaudeo si tibi quid feci, aut facio quod placeat*] Felicitatis est, ut ea quæ facta, et facienda sunt, grata sint. *Quid* pro aliquid. D.

15 *Adversum te*] Apud te, et penes te. *Adversum* sine dubio præpositio est. *Adversus* participium potest esse, ab eo quod est *adverto*, sicut alibi. Ergo *adversum te* dixit, pro apud te. D.

Adversum te] Apud te intelligendum. Quidam enim, quoniam supra dixerat *quod serviebas liberaliter*, hoc intelligunt, ut libere quoque diceret quæ sentiebat. Has propterea voces ex libertate prolatas, in convicium aut injuriam secundum rationem veritatis proferret. Quod si ita est, dicta sunt a servo contra dominum: idcirco intelligunt *adversum te*, contra te. Sed melior est interpretatio superior. Est vero huc usque figura *συναθροισμός*, quod est congregatio criminum vel beneficiorum ad commovendos animos. E.

Adversum te] Priscian. lib. XIV. Non. Marcell. L.

Gratum fuisse adversum te] Rariore loquendi formula dicitur pro *gratum fuisse tibi*. Præpositio *contra* semper nocendi voluntatem ostendit, *adversus* interdum est sine contraria vel etiam cum bona voluntate ut eleganter docet Manutius in Cicer. ad Div. IX. 22. Hinc sæpe dicitur *æquitas adversus aliquem, jus amicitiæ adversus aliquem*. v. Drakenborch. ad Liv. V. 35. et XXIX. 8. R. D.

16 *Istæc commemoratio*] Demosth. Ctesip. *τὸ τὰς ἰδίας εὐεργεσίας ἀναμιμνήσκειν μικροῦ δεῖν ὅμοιόν ἐστι τῷ ὀνειδίζειν*. Cicero in Lælio: *odiosum sane genus hominum officia exprobrantium, quæ meminisse debet is, in quem collata sunt, non commemorare qui contulit.*

Quasi exprobratio est immemoris beneficii.
Quin tu uno verbo dic, quid est, quod me velis.
Si. Ita faciam. hoc primum in hac re prædico tibi;
Quas credis esse has, non sunt veræ nuptiæ. 20

Ausonius Symmacho: *me et parentem, et amicum, et si quid utroque carius est, cariorem fuisse sensisti. Sed abeamus ab his; ne isthæc commemoratio ad illam Sosiæ formidinem videatur accedere.* Conferendus cum hoc loco Terentii, consimilis alius apud Sallust. in Oratione Miscipsæ, et Corn. Tacit lib. IV. L.

17 *Exprobatio*] *Exprobratio* est commemoratio beneficii cum enumeratione factorum. *Quasi exprobratio*] Recte ostendit se in memoria habere. Suntqui ad beneficium referunt *immemor*: ut, Virg. Æn. 1. 4. *Memorem Junonis ob iram.* ut sit sensus: isthæc commemoratio, quasi est exprobratio immemoris beneficii: id est, cujus nemo meminerit. D.

Quasi exprobratio est] Beneficiorum commemoratio cum ostenditur, ingrati exprobatio dicitur. E.

Lege *immemori benefici.* Dativum enim leges linguæ postulant et contexti ratio. B.

Immemoris benefici] Verba Bentleius et alii legunt *immemori benefici;* non enim beneficium immemor est (quod absurdum esset) sed homo ingratus immemor beneficii. Casus, quem verbum *exprobrare* regit, jungitur nomini verbali *exprobratio* ut sæpe apud veteres. Plautus in Amphitr. I. 3. 21. *quid tibi hanc curatio est rem.* Cæsar de bello Gall. I. 5. *domum reditionis spe sublata.* Liv. XXIII. 35. *ne qua exprobratio cuiquam veteris fortunæ discordiam inter ordines sereret* ubi v. Gronov. addatur cl. Oudendorp. ad Cæs. de B. G. V. 48. Modo diximus etiam legendum *benefici* (non vero *beneficii.*) Nam veteres in nominibus substantivis, quæ in *ius* et *ium* exirent, semper genitivum *i* simplici efferebant; id cum ex Nigidio Figulo apud Gellium XIII. 25. tum ex metri rationibus primus egregie demonstravit Bentleius ad And. II. 1. 20. cujus rei mutatio demum facta est sub Augusti senescentis ætatem; itaque geminum i jam frequentavit Ovid. R. D.

18 *Quin tu uno verbo*] Uno verbo, uno ἀξίωματι, una sententia. Nam ἀξίωμα sententia est, vel enunciatio, uno verbo nexam continens et perfectam intelligentiam. ἀξίωμα enim constat ex nomine et verbo. Sed hic, quod est ἀξίωμα? hoc est, *has bene ut assimules nuptias.* ergo omnes virtus, assimulatio est. *Quin tu uno verbo.* Una sententia: ut in Adelphis:—*non meum illud verbum facio, quod tu, Micio, Bene ac sapienter dixti dudum: vitium commune omnium est, Quod nimium ad rem in senecta attenti sumus.* Nam male intelligit, qui putat *assimules* verbum significare. (Hæc manifeste loco mota sunt, subjungenda eis, quæ continuo sequuntur.) D.

19 *Ita faciam*] Hoc est, uno verbo dicam. et quod verbum promittit, ibi dicit, *nunc tuum officium est, has bene ut assimules nuptias.* D.

Primum in hac re prædico] Antequam narrationem incipiat ponere, summam primo proponit, quæ talis est: *quas credis esse has, non sunt veræ nuptiæ.* Partitur hic senex, eaque partitio triplex est. *Eo pacto et gnati vitam, et consilium meum cognosces, et quid facere in hac te re velim.* Ergo secundum supra divisionem positam gnati vita cum exponitur, conjecturalia continet argumenta. Consilium cum exponitur, per qualitatem dicitur. *Quid facere in hac te re velim.* Similiter qualitatis ratione consistat. Utraque autem qualitas negotialis est. Incipit primo nati vitam. E.

20 *Quas credis esse has*] Syllepsis. D.

So. Cur simulas igitur? Si. Rem omnem a principio audies;
Eo pacto et gnati vitam, et consilium meum
Cognosces, et quid facere in hac re te velim.
Nam is postquam excessit ex ephebis, Sosia.

Quas] H. e. quales in Eun. II. 2. 42. 43. *quid videtur hoc tibi mancipium.* R. D.

21 *Cur simulas igitur?*] Virgil. Ecl. I. 27. *quæ tanta fuit Romam tibi causa videndi?* D.

22 *Eo pacto*] *Pacto*, modo. quoniam antecedit pactum, modus sequitur. Ergo ab eo quod præcedit, id quod sequitur, Ms. Hulst. *ab eo, quod sequitur, id quod præcedit.)* dicit. *Et gnati vitam, et consilium meum cognosces: et quid facere in hac se*] Nam istæ divisiones sunt. *Gnati vitam:* quoniam dicturus est, *nam is postquam excessit ex ephebis Sosia. Consilium meum:* quia dicturus est, *et nunc id operam do.* D.

Consilium] H. e. animum vel propositum. Terent. in Hec. III. 5. 44. *non est consilium pater.* Sallust. in Catil. c. 4. *non fuit consilium socordia atque desidia bonum otium conterere*, ubi v. Cort. R. D.

23 *Et quid facere in hac re te velim*] Quia dicturus est, *nunc tuum est officium. Et gnati vitam, et consilium meum cognosces, et quid facere in hac re te velim*] Tripartita distributio. *Et gnati vitam*] Vitam filii in duas partes dividit in narratione: in ante actam bonam, et præsentem malam. Et incipit mala ibi, *interea mulier quædam.* Et bene astæ vitæ narratio ad eam rem valet, ut ostendat, quam justus dolor patri sit spe decepto. (Ms. Hulst. *quam juste doleat patri sic spe decepto.* Utrum præferatur, ciccum non interduim.) D.

24 *Nam is*] Necessario is positum pro nomine ἀναφορᾷ ad illud, *gnati vitam:* nam si non posuisset hoc pronomen, Sosia erat intelligendus. *Nam is*] Pamphilus. *Postquam excessit ex ephebis*] Argumenta per conjecturas. *Ex ephebis*] *Ephebia* prima ætas adolescentiæ est: adolescentia est extrema pueritiæ. *Excessit ex.* cum sufficeret unum. D.

Nam is postquam excessit ex ephebis] *Excessit ex ephebis:* tempus puerilis ætatis excessit. Hic argumenta conjecturalia diligenter debemus advertere, quod Pamphilus videtur amare meretricem. Argumentorum loci traduntur alii esse artificiales, alii inartificiales. Et inartificiales quidem ex auctoritate sumuntur, vel opinione: artificiales vero aut a personis, aut a negotiis. Cum autem omne argumentum rei dubiæ faciat fidem, his vel nostram, vel adversariorum causam confirmamus, vel infirmamus. Quorum loci sumuntur ante rem quidem unde agitur, a persona, a causa, a tempore, a loco, a materia, a modo, a ratione. In re unde agitur, a toto, a parte, a specie, a differentia, a proprio, a diffinitione, a nomine. Circa rem unde agitur, a simili, a dissimili, a pari, a contrario, a majore, a minore, a præcedente, ab eo quod est simul, a consequente. Post rem vero, ab eventu, a judicatis. Qui loci ideo communes dicuntur, quia in omni genere causarum ex his argumenta duci possunt. Nam a personis consideratur patria, nomen, genus, corporis habitudo, mores, vita, amicitia, ætas, incessus, vultus. Vel aliter a persona nomen, natura, victus, fortuna, habitus, affectio, studia, consilia, facta, casus et orationes. E.

Excessit ex ephebis] Gloss. ἔφηβος *pubis.* Xenoph. lib. α. ἐξελθεῖν ἐξ ἐφήβων. Plaut. Mercat. prol. *Extemplo ex ephebis postquam excesserit.* Idem Pseudol. *edico omnibus, pubi præsenti, in concione, omni populo.* Prudent. in Cassian.—*discenti semper ephebo.* L.

Nam] Eleganter inservit transitioni.

Liberius vivendi fuit potestas: nam antea
Qui scire posses, aut ingenium noscere,
Dum ætas metus, magister, prohibebant? So. Ita est.
Si. Quod plerique omnes faciunt adolescentuli,

Exempla sunt apud Manutium ad Cic. ad Div. III. 11. V. 20. Gronov. ad Liv. XXIX. 8. et Duker ad Flori procem. pag. 4. R. D.

Excessit ex ephebis] excessit annum vicesimum, quod intelligendum ex moribus Atheniensium, apud quos ephebi erant adolescentes octodecim annorum, qui referebantur inter circuitores vel eos, qui regionem Atticam armati circumirent; ubi biennium inter circuitores fuissent, excedebant ex ephebis et extra Atticam militabant. Rem accurate explicat Colpus (?) VIII. 105. R. D.

25 *Liberius*] *Liberius* non est comparativus gradus: non enim potuit libere ante vivere, dum ætas, metus, magister prohibebant. Ergo deest *aliquando*: ut sit, aliquando liberius. *Liberius vivendi*] deest ei. D.

Illud *liberius* cum non minus sententiæ, quam metro officiat, muta in *libera*, posito in versu antecedente post Sosia, *ac*. Cæterum reliqua senis oratio, inde a verbis *nam*, ad *cohibebant* per parenthesin est intelligenda. B.

Liberius vivendi] Libere vivere dicitur qui parum continenter et modeste vivit, in licentiis prælabitur; sed comparativus hoc loco significationem minuit, ut liberius vivere sit paulo majore libertate in vita agenda uti quam ante solitus esses. Ovid. Fast. III. 778. de omnibus adolescentibus qui togam virilem tulissent, *sumitur et vitæ liberioris iter*. De ea vi comparativi v. Voss. de analog. ling. II. 23. R. D.

26 *Qui scire*] *Scimus* quod certum est: *noscimus* quæ adhuc incerta desideramus. (forte *consideramus*.) Idem alibi, *forma in tenebris nosci non quita est*. D.

27 *Metus, magister*] *Magister*, pædagogus. *Ita est*] Intercidit poeta, (lege, *Sosia*) ne solus Simo loqueretur. cæterum non erat respondendi locus necessarius. D.

Perspicuitatis ratio et numerus metri postulant post dum pronomen *eum*. Atque pro *prohibebant* usus loquendi Terentianus poscit *cohibebant*. B.

Prohibebant] Prohibere est verbum disciplinæ qua adolescentes continentur. vid. Burm. ad Calpurn. Ecl. IV. 20. Magister est præfectus epheborum, apud quem exercebantur et severa disciplina continebantur. R. D.

28 *Quod plerique omnes*] Hæc adjectio dicitur, in primo posita loco. adjectiones vero, aut in prima parte orationis, aut in ultima adjiciuntur. Hic ergo *plerique*, ex abundantia positum est: *omnes* vero, necessario additum est. Et alibi, *colesces plus satis*. In ultimo, sicut, *interea loci, interibi*. Attendenda est sane locutio, *quod plerique omnes*. Aut enim *quod* in *quæ* vertendum est, ut sit, quæ plerique omnes. Aut *quod* ad singula eorum studiorum adjungendum erit, *equos alere, canes ad venandum*. Aut certe erit figurata locutio, ut est illud: *si quisquam est, qui placere se studeat bonis quamplurimis, et minime multos lædere: In his poeta hic nomen profitetur suum*. Et alibi, *aperite actutum ostium*. *Plerique omnes faciunt*] ἀγχαύσμος est. Nam errant, qui *plerique* παρέλκειν intelligunt: aut qui subdistinguunt *plerique*, et sic inserunt *omnes*. hoc enim pro una parte orationis dixere veteres. Eodem modo Græci πάμπολλα, et Latini *plus satis*. Nævius in bello Punico, *plerique omnes subiguntur sub suum judicium*. Figurate Terentius, παρέλκειν τῷ ἀγχαυσμῷ. *Quod plerique omnes faciunt*, pro, quæ faciunt plerique adolescentuli. *Adolescentuli*] Bene dimi-

Ut animum ad aliquod studium adjungant, aut equos Alere, aut canes ad venandum, aut ad philosophos: 30 Horum ille nihil egregie præter cætera

nutive, ut propter ætatem facile ignoscatur. D.

Plerique omnes] Apud antiquos ista dictio ponebatur, ut *omnes* supervacuum fieret, et superior tantum sermo propriam significationem contineret. E.

Plerique omnes] Attica locutio: Priscian. lib. 18. πλείονες δὲ πάντες τοῦτο λέγουσιν ἄνθρωποι. Vid. Serv. Æneid I. pag. 181. A. Gell. Noct. Att. lib. VIII. cap. XII. L.

Plerique omnes] H. e. fere omnes, major pars, sæpe significat in Phorm. I. 3. 20. *plerique ingenio sumus omnes.* Cæsar de B. G. 1. 30. *plerisque omnibus Gallis brevitas nostra contemtui est*, ubi vid. interpr. Sic apud Hirt. de bello Afric. c. 63. junguntur omnes, reliqui, alii, apud Græcos frequens πλείονες πάντες v. Bosii ind. Nepotis v. plerique. R. D.

29 *Adjungant*] Alligent, aptent, aut accommodent. D.

Studium] *Studium* dicitur, in quo quis versatur et quo delectatur in Hec. IV. 2. 18. 19. *satietas tenet studiorum istorum.* Cic. pro Cælio c. 19. *relinquenda studia delectationis ludus, jocus, convivium.* De studiis adolescentum Atticorum v. Lindebr. ad h. l. et Sam. Petitum ad leg. Attic p. 239. R. D.

Equos alere] Infinitivus *alere* pendet a voce *studium* et Græco more ponitur pro gerundio *alendi.* Verba *aut ad philosophos* pendent a verbis *animum adjungant.* R. D.

30 *Aut equos alere, aut canes ad venandum*] Si et equos ad venandum alunt, quomodo et canes? quod multi docti improbant: et dicunt separata esse: et *ad venandum* extra orationem (Ms. Hulst. *extra rationem*) pro ad venatum: ut, Æn. IV. 117. *Venatum Æneas, unaque miserrima Dido. Ad philosophos*] Ellipsis pulchra et familiaris Terentio. Nam possumus subaudire, audiendos, sive sectandos. *Ad philosophos.* Vitium est: quis dixit, *ad aliquod studium.* Aut si ad philosophos: separanda locutio est, sic, ut animum adjungant ad philosophos. D.

Ad philosophos] Ad sapientiam atque doctrinam. E.

Canes ad venandum] Horat. de arte. *Imberbis juvenis tandem custode remoto Gaudet equis, canibusque.* Ubi hunc Terentii locum laudat Acro. Et quidem instituto veterum Atheniensium inter alias artes hisce quoque ludicris sese exercebant nobiliores juvenes. Aristotel. Politicor. VIII. Aristoph. Pluto. Isocrates Areopag. τοὺς δὲ βίον ἱκανὸν κεκτημένους, περί τε ἱππικὴν, καὶ τὰ γυμνάσια, καὶ τὰ κυνηγέσια, καὶ τὴν φιλοσοφίαν ἠνάγκασαν διατρίβειν: ad venaturam autem ideo, uti ad belli munia redderentur aptiores. ὅτι ἀληθεστάτη δοκεῖ αὐτη ἡ μελέτη τῶν περὶ τὸν πόλεμον εἶναι, Xenoph. lib. I. de instit. Cyri: et Athenæus dipnos. lib. I. pag. 24. καὶ ἐπὶ κυνηγεσία δὲ ἐξιᾶσιν οἱ νέοι πρὸς μελέτην τῶν πολεμικῶν κινδύνων, καὶ ἐπὶ θήρας παντοίας, ἀφ' ὧν ῥωμαλεώτεροι καὶ ὑγιεινότεροι διετέλουν. ὡς ὅτι κυνηδὸν σοφίας ἄντοὺς ἀρτύνουσι, καὶ ἀντίον ἰοντάμενοι ἀκοντίζουσι. Nam et venationem Martis quoddam simulacrum vocarunt veteres. Aristides oratione in Minervam pag. 69. Θῆραι τοίνυν καὶ κυνηγεσία ἐστὶ μὲν Ἀπόλλωνος καὶ Ἀρτέμιδος παιδιὰ, καθίσταται δὲ εἰς τὸ προστήκειν τῇ θεῷ, ἢ ἔν μὲν, ὅτι τῆς πολεμικῆς μέρων τέχνης ἐστὶ, μᾶλλον δὲ εἰκών. et quæ sequuntur. L.

Canes ad venandum] I. e. canes venaticos. Præpositio *ad* sæpe significat *ministerium.* Propert. IV. 9. 11. *Lygdamus ad cyathos* i. e. pincerna. Virgil. Æn. X. 253. *ad frena leonis.* Liv. XXII. 19. *miles ad naves* i. e. miles classiarius ubi vid. Gronov. XXXIV. 6. *servi ad remum* i. e. servi remiges, ubi v. Duker. Addatur Gronov. de pecunia veter. I. 7. R. D.

31 *Horum ille nihil egregie*] Est ergo figurativum: quod esset rectum, quæ

Studebat: et tamen omnia hæc mediocriter. Gaudebam. So. Non injuria: nam id arbitror Apprime in vita esse utile, UT NE QUID NIMIS.

plerique omnes faciunt adolescentuli, horum ille nihil egregie præter cætera studebat. *Egregie*] *Egregium* dicitur, quod ex grege eligitur. sed hic *egregie*, valde, nimis. non est ergo ad laudem positum. Hæc, inquit, ut cætera similiter studebat. *Præter cætera*] (Hæc explicatione carent, quæ haud dubie excidit. Reliqua ita legenda: MEDIOCRITER, ergo non, &c.) Mediocriter. ergo non extenuavit rem, sed ad laudem retulit. D.

Nihil egregie præter cætera] Hoc est, omnia æqualiter. nihil amplius ante omnia. E.

Nihil egregie] Prisciau. lib. VI. L.

Egregie] I. e. vehementer, valde ut in I. 5. 39. *quam ego animo egregie curam pro uxore habuerim.* R. D.

Præter cætera] I. e. præ cæteris plus quam cætera in hac scena v. 93. *forma præter ceteras honesta.* Plautus in Amphitr. II. 2. 8. *quem ego amo præter omnes.* Justin. XXI. 6. *vir solertia facundiaque præter cæteros insignis.* R. D.

32 *Studebat*] I. e. operam dabat. Studere cum accusativo etiam construitur in Hec. II. 2. 20. Cic. Philipp. VI. 7. *unum sentitis omnes, unum studetis.* R. D.

33 *Gaudebam*] Non dixit *laudabam*, sed *gaudebam*. *Laudat* enim etiam alienus: *Gaudet* qui pater est. *Non injuria*] Intempestive Sosia respondet: sed prudentia tantæ sententiæ, compensavit importunitatem. D.

Non injuria] Non sine causa, id est, juste. Jus enim contrariam habet injuriam. E.

Metri causa legi debet, *nam id* ego *arbitror*. B.

Non injuria] I. e. non sine ratione, immerito in Eun. III. 1. 43. *metuebant omnes jam me non injurai.* R. D.

34 *Apprime*] Adjectio est confirmationis. *Ut*] Admirabiliter dixit. *Ut ne quid nimis*] Sententia non incongrua servo, quia est pervulgata. et non refertur ad personam domini dicentis: et de quo dicitur. an magis quia Sosiæ convenit ejusmodi character in verbis? *Ne quid nimis*] Deest *agas*: ut sit, ne quid nimis agas. D.

Ut ne quid nimis] Quidam arguunt Terentium, quod istam sententiam dixerit servus, quam Sapientum summus ex septem protulisse dicitur. Quæ quidem res non digna reprehensione Nam primo omnium, in hominibus natura, id est sensus, æqualis est. Ita concipere et servus potest cum virtutibus ingenium, quod omnibus sit æquale naturaliter attributum. Deinde fieri potest, ut ista sententia jam a sapiente dicta percrebuerit, et omnium in ore versetur. Non enim Terentius, vel quilibet alius, hanc comprehendit. Unde et servus, non tamen ut callidus, auditam rem potuit in sermonibus collocare. E.

Apprime in vita] Glossar. ἐν πρώτοις *adprime, inprimis.* Priscian. lib. III. et XV. *Ne quid nimis.* Aureum sane dictum et ab optimis quibusque auctoribus frequentissime usurpatum: quod Aristoteles Rhetoric. 3. Bianti, nonnulli Pittaco, alii Thaleti, vel Soloni, aut etiam Pythagoræ, teste Diogen. Laertio, attribuunt. Alphæus Mitylenæus Anthologiæ, lib. I. c. 12. τὸ μηδὲν γὰρ ἄγαν ἄγαν μὰ τέρπει. Euripides in Hippolyto: οὕτω τὸ λίαν γ' ἦσσον ἐπαίνου τοῦ μηδὲν ἄγαν. Pindarus apud Plutarchum: Σοφοὶ δὲ καὶ τὸ μηδὲν ἄγαν ἶσος ἄνησαν πιρισσῶς. Menander: ἡ δὲ μεσότης ἐν πᾶσιν ἀσφαλίστερον. Idem: Τὸ μηδὲν εἰκῇ πανταχοῦ ἐστὶ χρήσιμον. Plutarch. in Camillo: ἡ δὲ ἐυλάβεια, καὶ τὸ μηδὲν ἄγαν, ἄριστον. Dionys. Halicarnas. lib. VIII. pag. 529. ἔοικε τε ἀληθὲς εἶναι τὸ ὑπὸ τῶν ἀρχαίων λέγομενον φιλοσόφων, ὅτι μεσότητες εἰσιν, ἀλλ' οὐκ ἀκρότητες αἱ τῶν ἠθῶν ἀρεταί. Terentii locum laudat Ausonius in VII. Sopho-

S. Sic vita erat: facile omnes perferre ac pati,
Cum quibus erat cunque una, iis sese dedere;
Eorum obsequi studiis: advorsus nemini:

rum ludo: "Αριστον μέτρον, an sit optimus modus. *Dic. annuisti. gratiam habeo: persequar Per ordinem. Posta dixe huhuc loco Afer videtur vetter, Ut ne quid nimis. Et noster quidam, μηδὲν ἄγαν.* Hieronymus Epistol. ad Demetriad. *Philosophorum quoque sententia est, μεσότητας ἀρετὰς, inter vitia deputari. Unde et unus de septem Sapientibus μηδὲν ἄγαν, id est, ne quid nimis. Quod tam celebre factum est, ut comico quoque verbo expressum sit.* Idem Epitaph. ad Nepotian. Augustinus de vita beata; *Præclarum est et non immerito diffamatur, hoc primum in vita esse utile, ut ne quid nimis.* Alcuinus de arte Rhetorica; pag. 379. Kar. *Intelligo comicum illud proverbium, non solum in moribus, sed etiam in verbis esse necessarium.* Alc. *Quodnam?* Kar. *Ne quid nimis.* Alc. *Est et vere, et in omni re necessarium. quia quicquid modum excedit, in vitio est. ideo virtutes in medio sunt positæ.* L.

36 *Facile omnes perferre*] Latens argumentatio est, qua filium ad meretricem commeasse errans pater, non ad corruptelam, sed ad obsequium amicorum crediderit. (Ms. H. *ducerit.* Vett. edd. *quia filium ad meretricem commeasse narrat pater, non ad corruptelam filii, sed obsequium amicorum*). *Perferre ac pati*] *Ferre*, est cum certo tempore: *perferre*, finem exspectat effectus. Feruntur onera, et sustinentur supplicia. *Perferre* mediocriter stultos, odiososque. *Cum quibus erat cunque.* Figura τριῶν. D.

Sic vita erat: facile omnis] Honeste pater narraturus vitam filii suspectam, duxit præterito tempore integritate vivendi obscuram tenuisse in suis moribus disciplinam. Ex quo ostendit sibi curam semper falso, ut filii vitam cognoscerét. E.

Sententia adjuvanda est distinctione hac: *facile omnes perferre ac pati:* (sc. ignotos etiam) *cum quibus erat cunque una, iis sese dedere;* (sodalibus). B.

Perferre ac pati] Sæpe etiam a Cicerone et aliis usurpatur *perfero patior, patior et fero, perpetior* et *perfero.* Cæsar de B. G. VII. 30. *ut omnia, quæ imperarentur, sibi patienda et perferenda existimarent* ubi v. Oudend. Infinitivus ponitur pro imperfecto *perferebat* ac *patiebatur* ut infra v. 70. in Eun. III. 3. 9. R. D.

36 *Dedere*] Plus est *dedere*, quam *consentire:* quemadmodum in hostium potestatem hostes se dedunt. *Dedere* ergo, pertinacibus. *His sese dedere*] *Dedere* se et obsequi superioribus: non adversari paribus, non se præponere inferioribus. D.

Cum quibus erat] Cum quibus per tmesin dicitur pro *cum quibuscunque erat.* I. 5. 28. *quæ mea cunque animo libitum est facere.* R. D.

Iis sese dedere] I. e. his obsequi, facere omnia quæ his grata sunt, locutio ducta ab iis, qui se in hostium potestatem deduxerunt et proprie *dediti* dicuntur. v. Donat. ad h. l. Bentl. ad Hor. Carm. III. 5. 33. in Eun. V. 72. ut *Thaidi me dedam et factam quod jubeat*, in Heaut. IV. 3. 3. *dedo patri me nunc jam*, Quintus Cic. de petit. consulat. c. 1. *illi se dediderunt—deserunt cæteros.* Eodem sensu dicuntur se dare, se præbere alicui. v. Joh. Schulting ad Sen. controvers. primas. p. 69. R. D.

37 *Eorum obsequi studiis*] Commodior scilicet. (Alii *commodiorum scilicet.* lege: *commodis eorum scilicet.* Studia enim *commoda* interpretatur,) *eorum obsequi studiis.* Talem esse Pamphilum, adjuvat argumentum fabulæ, simul et Charinum. D.

Verba *adversus — illis* sunt interpo-

Nunquam præponens se illis: ita facillime
Sine invidia laudem invenias, et amicos pares.
So. Sapienter vitam instituit: namque hoc tempore 40
Obsequium amicos, veritas odium parit.
Si. Interea mulier quædam abhinc triennium

lata putanda, ob tautologiam, quam efficiunt, et constructionem, quam turbant. B.

38 *Ita*] Deest faciens, volens, agens, *Ut facillime sine invidia*] Sallustius B. lug. 6. *Et cum omnes gloria anteirent, omnibus tamen carus esse.* D.

39 *Invenias*] Secunda persona pro tertia: ut, Æn. IV. 401. *Migrantis cernas.* D.

Sine invidia] Priscian. lib. 1. L.

Invenias] *Invenire* elegantissime ponitur pro acquirere, consequi, adipisci ut apud Græcos εὑίσκειν in Heaut. IV. 7. 13. *labore inventa meo cui dem bona* Justin. XII. 8. *cum veniam ab hoste invenissent* ubi v. Grævium. R. D.

40 *Nam hoc tempore obsequium amicos, veritas odium parit*] Improbatur a sapientibus hæc sententia. Nam obsequium assentator debet, veritatem amicus: sed in theatro dicitur, non in schola. D.

41 *Obsequium amicos*] Hic versus per improperium est; (Ita et R. Steph. edidit. sed nullo sensu. Lege: *perimproprius est.* Unde adeo *sententia* παράδοξος dicitur. Sed idem legit ed. Argentinensis.) *Veritas odium parit*] Falsum est autem quod Cicero dixit, *obsequium* primum dixisse Terentium: (an id credidit Donatus propterea, quod Cicero de Amicit. cap. 24. *obsequium* dixit *verbum Terentianum.* Similiter putasse videtur Quinctilian. Institutt. VIII. 3. *Cicero*, inquit, *putat, a Terentio primum dictum esse obsequium.* Haud dubie vero Cicero *verbum Terentianum* propterea vocat, quod idem verbum ex sententia Terentiana ter repetebat.) cum et Plautus et Nævius ante dixerint: et est sententia παράδοξος, et magis theatro apta, quam officio, de qua Tullius multa dixit. *Obsequium amicos.* Sententia probabilis magis, quam necessaria et honesta. D.

Hoc tempore obsequium] Et ex hac sententia intelligi datur, servum bonum esse atque sapientem. Ita et in superioribus et Sapientis est concessa sententia. *Hoc tempore* autem quod dixit, mihi videtur ad omnia tempora spectandum. Nunquam enim non valet ista sententia. E.

Obsequium amicos] Cicero in Lælio: *sed nescio quomodo verum est, quod in Andria familiaris meus Terentius dixit, Obsequium*, &c. Tertullian. Apolog. cap. XIV. *Plane olim, id est, semper, veritas odio est.* Lactant. divin. instit. lib. V. c. IX. *Tanti et tam pertinacis odii, quam potissimum causam esse dicamus? Utrumne veritas odium parit, ut ait posta, quasi divino spiritu instinctus.* Idem lib. V. cap. XXI. *Veritas, ut est verissime dictum, odium parit.* Sulpit. Severus de vita B. Martini lib. III. *Quia scholasticus es, non immerito te versu comici illius admonebo, Obsequium amicos, veritas odium parit.* Quinctilian. Instit. lib. VIII. cap. V. Hieron. advers. Pelagian. lib. 1. In Epistol. ad Galat. lib. 2. cap. IV. Augustin. Epist. XVIII. Cassiodor. de amicit. Joh. Saresber. Epist. CLXXXVI. L.

Obsequium] Quinctilianus VIII. 3. p. 375. eamque secutus Donatus dicit Ciceronem existimasse, a Terentio primum dictum esse obsequium; sed aliter Ciceronem de amicitia c. 24. quem locum Quinctilianus respexit, intelligendum esse res ipsa loquitur. v. Gesner. ad Quinctilian. l. c. R. D.

42 *Interea*] *Interea* est, cum habet instantiam superiorum actorum. *Mulier quædam*] Sic dixit, non quasi ignoraret nomen ejus, paulo post Chrysidem nominaturus: sed ideo, ut gratam ex-

Ex Andro commigravit huc viciniæ,
Inopia, et cognatorum negligentia
Coacta, egregia forma, atque ætate integra.

spectationem faciat, simulque lectorem avidum nominis reddat. Ut Virgilius, Æn. II. 57. paulo post nominaturus ait, *Ecce manus juvenem interea post terga revinctum*. *Interea mulier*] Hic degressio est. nam proposuit gnati vitam dicere. *Abhinc triennium*] Artificiose dixit *triennium*, cum posset plus minusve temporis ponere: ut sit verisimile, unum annum fuisse pudicæ, parcæque vitæ: sequentem, conditionis acceptæ: tertium, mortis. Primo ergo anno ignorata est domus Chrysidis Pamphilo: secundo, Glycerio cognitus: tertio, nupsit Glycerium Pamphilo, et pariter invenit parentes. D.

Interea mulier quædam] Et hæc interposita narratio demonstrandæ personæ causa dicitur, quæ ab oratoribus *digressio* nominatur: quoties a narrationis tenore in alia, narrandi necessitate, dilabimur. E.

Mulier quædam] Dixit *quædam* ut contemtum significaret in Ad. IV. 5. 13. *habitant hic quædam mulieres pauperculæ* v. Heins. ad Vellei. Paterc. II. 64. R. D.

43 *Huc viciniæ*] *Vicina* παρέλκον, huc loci, vel huc locorum. Legitur et *huic viciniæ*. D.

Huc viciniæ] In regio exemplari *huic viciniæ*: quam lectionem veteres agnoscunt, Charisius, Priscianus, alii. Desumtus autem hic locus ex Antiphane videtur: ἐκ γειτόνων αὐτῷ κατοικούσης τινὸς ἰδὼν ἑταίρας εἰς ἔρωτ' ἀφίκετο ἀστῆς, ἐρήμου δ' ἐπιτρόπου καὶ συγγενῶν. ἦθος τὶ χρυσοῦν πρὸς ἀρετὴν κεκτιμένης &c. L.

Nostri codd. omnes vitiose legunt *huic viciniæ*. B.

Huic viciniæ] Eleganter dicitur pro in proxima vicinia. Terent. in Phorm. I. 2. 43. *modo quandam virginem vidi hic viciniæ*. v. Bent. ad h. l. R. D.

44 *Inopia, et cognatorum negligentia*] Laudatis Pamphili morib. qui mox ducet uxorem, superest ut futuræ quoque matronæ, id est Glycerio, probitatem debitam pro persona reddat: quæ quia honesta nunquam esse poterit, si sic eam constet ante nuptias impudicam ductam esse, partim defendenda, partim laudanda est Chrysis, cum qua commorata est: quam quoniam necesse est meretricem fateri, in conditione turpissimi nominis multum sumitur excusatio voluntatis. *Et cognatorum*] Hic nos jam parat ad Critonis adventum. D.

Inopia, et cognatorum] Quorum debuerat ope auxilioque fulciri. E.

Inopia et cognatorum negligentia] Menander ἐν τοῖς Αδελφοῖς:—ἔργον εὑρεῖν συγγενῆ Πενητὸς ἐστὶν· οἰδὲς γὰρ ὁμολογεῖ Αὐτῷ προσήκειν τὸν βοηθείας τινός Δεόμενον· αἰτεῖσθαι γὰρ ἅμα τι προσδοκᾷ. W.

Cognatorum negligentia] Intelligitur ex legibus Atticis quæ proximos et ditissimos cognatos jubebant cognatam inopem vel ducere uxorem vel dotare, ut maritum inveniret. v. in Ad. IV. 5. 16.—18. et Sam. Petit. de legib. p. 359. R. D.

45 *Egregia*] Id est eminenti, præstantique. *Atque ætate integra*] Integra est ætas, quæ in flore consistit, cui neque addendum jam sit, neque quicquam adhuc sit imminutum. ut Virg., Æn. IX. 255. *integer ævi Ascanius*. Et contulit duo ad quæstum meretricium congrua. D.

Egregia forma atque ætate] Duo quæ necessaria ad voluptatem fuerant, complexus est: ut et vultus et ætas placere potuisset. E.

Ætate integra] Ætas integra, ut recte explicat Donatus, in flore constituta, cui neque addendum par sit, neque quidquam adhuc sit imminutum, in Eun. III. 2. 20. *quam liberali facie, quam ætate integra* Sueton in Calig. cap. 25. *Cæsonia neque facie insigni neque ætate integra* i. e. quoniam senescere jam incipiebat. R. D.

So. Hei vereor, ne quid Andria apportet mali.
Si. Primum hæc pudice vitam, parce, ac duriter
Agebat, lana ac tela victum quæritans.
Sed postquam amans accessit, pretium pollicens,
Unus et item alter, ITA ut ingenium est omnium

46 *Hei vereor, ne quid Andria apportet mali*] *Andria* mire: audivit enim excessisse ex ephebis Pamphilum, illatamque mentionem mulieris peregrinæ, adolescentulæ, pulchræ. *Ne quid Andria*] Eleganter, ex Andro. Andria, nomen ostendit et mulieris et fabulæ. Et bene, *apportet*: quia *portare* ignotis est. D.

Ei vereor, ne quid Andria] Cautus servus cum adolescentem sciret, timuit mulierem, et vultu et ætate laudabilem. E.

47 *Primum hæc*] Defendit, ut diximus, vitam Chrysidis, ut potuerit apud eam recte morata esse Glycerium, quæ ex argumento matrona erit. *Primum hæc pudice*] Bene *hæc* quidem, id est illa quæ coacta est. *Duriter*] Contra rationem regulæ: debuit enim dicere *dure*, ab eo quod est *durus*. Et tamen est differentia. Est enim *duriter*, sine sensu laboris: *dure* autem, crudeliter, illud, ad laborem: hoc, ad sævitiam relatum est. Sed *dure* in alterum: *duriter* in nos aliquid facimus. D.

Parce ac duriter] Servi. Æneid. vers. *exercet penso*. L.

Vitam duriter agebat] H. e. laboriosam vitam agebat in Ad. I. 1. 20. *parce et duriter se habere*, contra in eadem fab. III. 4. 56. *quam vos facillime agitis*, i. e. sine labore, et in affluentia omnium rerum. Vitam agere est vivere. v. Adelph. I. 1. 20. R. D.

48 *Lana ac tela*] Subdistingue *tela*: finis enim est laboris. *Victum quæritans*] Ut Virgil, Æn. VIII. 408.—*cum femina primum, Cui tolerare colo vitam, tenuique Minerva impositum cinerem, et sopitos suscitat ignes*. Deinde finem laboris intulit, non cibum, sed victum. *Cibus* enim est, qui etiam delicatis præbetur. *Victus*, in parvis aridisque alimeniis est constitutus. Unde Virgilius, Æn. III. 648. *Victum infelicem, baccas lapidosaque corna Dant rami*.—Et post tantum laborem, *victum*, non cibum dixit, ut Virgilius, Georg. II. 472. *operum, parvoque, assueta iuventus*. Et non *quærens*, sed *quæritans*, dixit. *Quærit* enim, qui ad plenum et perpetuum reponit: *quæritat*, qui vix quotidie ininquirende victum invenit. *Lana ac tela victum*] Artificiose, ut videatur pudice apud eam futura materfamilias educari posse, quam meretricem necessitas fecit. D.

Lana ac tela] I. e. lanificio ac textura. Apud veteres nobiles quæque mulieres lanam tractare, telam texere, et vestes conficere solebant. v. Casaub. ad Sueton. Aug. c. 64. R. D.

Quæritans] *Quærere* et *quæritare* habent significationem magni laboris et curæ. v. Donat. ad Pomponium. Petronius c. 119. *quærebant opes*. De tali muliere eleganter Virgil. Æn. VIII. 409. *cui tolerare colo vitam tenuique Minerva*. R. D.

49 *Sed postquam amans*] Amator fingere potest: amans vere amat. D.

Pretium] Mercedem stupri ut in Ad. III. 2. 51. R. D.

50 *Unus et item alter*] Post unum duo, ex quibus alter, ut sint tres; inquit enim post, *nam hi tres tum simul amabant*: ut, *alter ab undecimo*. Virg. Ecl. VIII. 39. *Ergo alter*, non est secundus, sed tertius. *Unus et item alter*] Id est plures: quæstus jam meretricius factus est. *Ut ingenium est omnium hominum*] Alia defensio Chrysidis: ut quæ ante fecerat, ipsius sint; quæ postea peccaverit, naturæ hominum adscribantur. D.

Unus et item alter] Hic arguto intellectu tres accipiuntur. Nam *unus* uti-

Hominum, a labore proclive ad libidinem,
Accepit conditionem, dein quæstum occipit.

que numerum suum ostendit: *alter* vero de duobus post unum alter est. Ita si alter est. duo significat, et unus præcessit. Quo interventu unus solvitur, quod postea dictum est: *nam hi tres tum simul amabant.* Hoc et intelligi in Virg., Ecl. VIII. 39. volunt. *Alter ab undecimo tum me jam occeperat annus.* Undecim enim numerum suum habent. *Alter* vero, ut diximus, de duobus, hoc est, de duodecimo et tertio decimo. Ut ista copulatio, *alter ab undecimo*, tertium decimum annum significet, qui vicinus est pubertati, quo verisimile fieret, illum Veneri potuisse servire. E.

Ingenium et omnium] Seneca in Epist. Juvenal. Saty. XIV. *dociles imitandis. Turpibus et pravis omnes sumus* ubi a scholiaste hic Terentii locus notatur. L.

Unus et item alter] Hanc locutionem de duobus intelligit Donat. quod v. 60. trium amatorum sit mentio. Etiam Joann. Schultingius ad Senecæ controvers. II. 173. Donati auctoritatem secutus scribit *alter* de tribus dici posse. Sed Donatus haud dubie errat. Nam postquam unus et alter eam accessisset, advenerunt plures. Unus et alter vel *duos* significat ut apud Ovid. epist. XV. 182. *et sub ea versus unus et alter erunt* vel indefinite *plures* Cic. ad Attic. XIV. 18. *adductus sum tuis et unis et alteris literis*, et sic plerumque dicitur. v. Burmann. ad Petron. c. 108. et ad Ovid. amor. II. 5. 22. eleganter quoque jungitur *et item* in Ad. II. 22. *et item hinc alia.* Plautus Caniss. prol. 49. *amat afflictam et item hujus contra filius.* R. D.

51 *Proclive*] *Proclive* est porro inclinatum, vel pronum inclinatumque. D.

52 *Accepit conditionem*] Cum uno quæstus non est: cum altero non est: cum multis fit. *Conditionem*] *Conditio* est pactio, certam legem in se continens. D.

Accepit conditionem] Probavit scilicet quod offerebatur ab his. *Deinde quæstum occipit*] Deinde meretrix esse cœpit. Cauta narratio. Docet se in omnibus filii factis semper adhibuisse curam et metum quam plurimum, ne in malos mores contubernio duceretur. Sumsisse et officium pæne servorum, ut interrogaret servos contubernalium, et diu quæreret de filii moribus: nec prius requiesceret, quam disciplinam integram reperiret. Quibus jam rebus fidem facit ad futuram quæstionem; ut verisimile videatur esse, quod motus est in filium juste, qui semper de moribus inquisitionem habuerit: nec aliquando integra omnia reperiri potuerit iratus, eo quod Pamphilus amaret. Pulchre post interrogationem, nihil aliud a servis videtur esse responsum, nisi de aliis amatoribus. Ne tamen servorum respondentium calliditas Pamphilum celare videretur, et ipse interrogabat, uti prudens servus interrogatus de Pamphili nomine, facile actus ejus possit exponere. Quamquam jam signum fuerat castitatis, inter amatores non (forte pro non legendum *tantum*) fuisse cœnatum. E.

Quæstum occipit] *Quæstus πόρος, πρόσοδος.* Unde *quæstuaria*, quæ rem corpore quærit. Glossar. *Quæstuaria, πραικτικὴ πόρνη.* Sic enim locus ille legendus, qui ab aliis neglectus. Ulpian. l. 43. §. 7. ff. de rit. nupt. *Lenas eas dicimus, quæ mulieres quæstuarias prostituunt.* et §. 9. *Corpora quæstuaria.* ut l. 4. §. 2. ff. De his qui not. infam. *Quæstuaria mancipia.* B. Irenæus advers. hæres. cap. V. *Hic Selenen quandam, quam ipse a Tyro civitate Phœnices quæstuariam cum redemisset, secum circumducebat.* Tertul. de Spectac. *Fabri aut quæstuariæ filius.* Tertullian. de cultu femin. cap. XII. *Thamar illa, quia se expinxerat et ornaverat, idcirco Judæ suspicioni visa est quæstui sedere, adeo quia sub velamento latebat, habitus qualitate quæstuarium mentiente, et fecit ut quæstuaria, et voluit, et compellavit,*

Qui tum illam amabant, forte, ita ut fit, filium
Perduxere illuc, secum ut una esset, meum.
Egomet continuo mecum; Certe captus est, 55
Habet. observabam mane illorum servulos

et pactus est. Plautus etiam *quæstuosam* dixit, in Milit. *Sit quæstuosa, quæ alat corpus corpore.* L.

Conditionem] *Conditio* in genere est pactio certam legem in se continens, ut bene explicat Donatus; hinc eleganter etiam dicitur de pactione sive sponsarum sive nuptiarum in Phorm. IV. 1. 13. *nam hanc conditionem si cui tulero extraneo.* Sueton. in Cæs. c. 27. *Octaviam sororis suæ neptem conditionem ei detulit;* quibus locis *conditio* capienda pro *sponsa*, ut alibi *matrimonium* pro *uxore* v. Drakenb. ad Liv. III. 45. Nec tantum de licita conjunctione dicitur, sed etiam de amore meretricio et furtivo ut h. l. Cicero pro Cœl. c. 15. *hinc licet conditiones quotidie legas.* Sueton. in Aug. c. 69. *conditiones quæsitas per amicos ac sæpe conditione quæsita.* R. D.

Quæstum occipit] *Quæstus* per excellentiam dicitur lucrum, quod sibi meretrix quærit corpore vulgando, in Ad. II. 1. 52. *quando cum quæstum occeperis;* inde meretrices quæstuariæ vocantur in lege 4. §. 2. Pand. de his qui notantur infamia. v. Lindenbrog. ad h. l. et Bynkersh. observat. jur. civil. I. 25. R. D.

53 *Ita ut fit*] I. e. ut mos et consuetudo est. Justin. V. 1. *ita ut fit quo se fortuna eodem etiam favor hominum inclinat.* vid. Bentl. ad Ad. I. 1. 30. et interpret. ad Petron c. 49. R. D.

54 *Perduxere*] Invitum isse Pamphilum his verbis significat. *Perducuntur* enim necessitate coacti. Hoc etiam verbum judices pronunciare solent. Et hoc est quod supra ait, *his sese dedere, eorum obsequi studiis. Ut una esset, meum*] Et producte legitur *esset*, ut cibum caperet. et correpte, ut alibi: *essem una quacum cupiebam, Antipho. Una*] Simul, id est, una cibum caperet. *Perduxerunt illuc secum*] Secum duxere, ut secum esset. D.

55 *Egomet continuo mecum*] Bene *mecum:* ut appareat nihil temere constitutum, vel prolatum foras; hoc ipsum satis quæsitum esse, quod statuit de falsis nuptiis, et infensus esset filio. *Egomet continuo mecum*] Deest volubam, cogitabam, versabam. *Captus est*] Tenetur et irretitur: ex translatione ferarum, atque venatus. *Certe*] Sine dubio: pro certo captus est: διαπιστῶ. D.

Certe captus est] Serv. Æneid. 12. *Hoc habet, hæc melior.* L.

Captus est habet] Pulchre vidit Donatus, formulam ab arena petitam esse. Nam cum gladiator Retiarius Mirmillonem reti involvisset spectatores clamabant: captus est; cum irretito vulnus intulisset, habet, scil. vulnus. Virgil. Æn. XII. 296. *hoc habet, hæc melior magnis data victima divis.* Flor. III. 10. *habes fortem virum, vir fortissime, vicisti* ubi videte Græv. Inde venuste dicitur de eo, qui captus et deceptus est sive de quo actum est. Seneca in Agamemn. V. 895. *habet, peractum est; pendet exigua male caput amputatum parte* v. Gronov. observation. II. 25. et quos laudat Broukhus. ad Tibull. eleg. I. 5. 2. R. D.

56 *Habet*] Id est, vulneratus est. *Habet* enim qui percussus est: et proprie de gladiatoribus dicitur: quia prius alii vident, quam ipsi sentiant, se percussos. *Habet*] Sic dicitur de eo, qui letaliter vulneratus est. Virgilius, Æn. XII. 296. *Hoc habet, hæc melior magnis data victima divis.* Ergo quid sequitur captum, nisi occidi? *Captus est*] Sallust. Jug. I. *sin captus pravis cupidinibus. Observabam mane*] *Mane* adverbialiter. *Observabam*] Deest tamen: hoc est, quamvis captus erat, et hæc tamen observabam. D.

Venienteis aut abeunteis : rogitabam, Heus puer,
Dic sodes, quis heri Chrysidem habuit ? Nam Andriæ
Illi id erat nomen. So. Teneo. Si. Phædrum, aut
Cliniam
Dicebant, aut Niceratum ; nam hi tres tum simul
Amabant. Eho, quid Pamphilus ? Quid ? symbolam
Dedit, cœnavit. gaudebam. Item alio die
Quærebam : comperiebam nihil ad Pamphilum

57 *Rogitabam*] Non *rogabam*, sed *rogitabam* : quia sedulo faciebat. D.

58 *Dic, sodes*] *Dic*, imperativum est : ideo temperavit injuriam blandimento. *sodes*, est autem, si audes ; ut *sis*, si vis : nam delirat qui σῶος ζῇς interpretatur *sodes*. *Dic sodes*] exhortantis est vox, *amabo, rogo*. *Quis heri Chrysidem habuit ? Nam Andriæ illi id erat nomen*] Opportune nomen intulit Chrysidis. Et bene *illi*. quasi dicat, quam tu Andriam nominasti. *Nam Andriæ illi id erat nomen*] Attico more, peregrinæ mulieri a patria nomen imposuit. Et simul celebrat nomen comœdiæ, dicendo, *ex Andro commigravit* : et nunc, *nam Andriæ illi id erat nomen*. D.

Habuit] Verecunde dixit pro *concubuit cum Chryside* Cic. ad Div. IX. 26. *ne Aristippus quidem erubuit, cum esset objectum habere eum Laida* i. e. Laide ad arbitrium frui. Ovid. Amor. III. 12. 6. *cum multis vereor ne sit habenda mihi*. ubi v. Burmann. R. D.

59 Ob metri rationem, et auctoritatem cod. regii lege, *Phædrum aut Cliniam aut Niceratum dicebant*. B.

Teneo] I. e. scio, intelligo III. 2. 18. *teneo quid erret*. R. D.

61 *Quid ? Symbolam dedit*] (Ms. Hulst. interferit ; *Non*, QUID SYMBOLAM DEDIT ? sed) Subdistingue *quid ?* ut sit vox quærentis, quid dicat de Pamphilo. *Symbolam dedit*] Mire ; nulla pro Pamphilo negatio facti est posita : sed per puerilem simplicitatem omnia gesta narrata sunt, et quidem tacitum est, non celatum : sed ut non factum esse ita videatur. *Eho, quid Pamphilus ?*] Primo sic egit, ut de Pamphilo quærere videretur. ad ultimum adjecit nomen : ne quid reliqui faceret. *Cœnavit*] Cætera in gestu sunt quærentis, quid dicat de Pamphilo, nec invenientis. D.

Quid ? symbolam] Ita Ms. quomodo et Plautus in Curcul. *symbolarum collatores apud forum piscarium*. Eubulus : ὅστις δ' ἐπὶ δεῖπνον ἢ φίλον τιν' ἢ ξένον Καλέσας, ἔπειτα συμβολὰς ἐπράξατο, &c. *Attinere*] V. C. *Attingere*. L.

62 *Item alio die*] *Item*, similiter. et vide, diligenter tempus adjectum, quasi non sufficeret unus dies. D.

Item alio die quærebam] Et hic perseverat similiter senis diligentia, ne unius diei judicium circa disciplinam verum esse non possit. E.

Symbolam dedit cœnavit] Symbolæ a gr. συμβάλλειν *conferre* est pecunia, quæ confertur ad cœnam vel computationem communi sumtu apparandam. Collectam vocat Cic. de orat. II. 57. Sic *de symbolis esse* in Eun. 4. 2. significat *communi sumtu cœnare*. Plaut. in Stichus III. 1. 28. *eo condixi in symbolam ad cœnam* h. e. promisi me cœnæ adfuturum proportione mea in sumtu. Qui nihil confert et gratis cœnat, *asymbolus* dicitur, ut in Phorm. II. 2. 25. Cum *symbola* non confundi debet *symbolum* vel *symbolus* i. e. annulus sive quodvis aliud solitum dari ei qui cœnam parat. v. 72. Casaub. ad Athen. III. 31. R. D.

63 *Comperiebam*] Vide si non verba patris sunt, et de rebus venereis circa filii mentionem agentis. *Nihil ad Pamphilum quidquam*] Παρίλιον. nam abun-

Quidquam attinêre. enimvero spectatum satis
Putabam, et magnum exemplum continentiæ. 65
Nam qui cum ingeniis conflictatur ejusmodi,
Neque commovetur animus ea re tamen,
Scias posse habere jam ipsum suæ vitæ modum.
Cum id mihi placebat, tum uno ore omnes omnia

dat *quidquam*. nam, *nemo quisquam*, non dicitur. D.

Nihil quidquam] Eleganter *quidquam* abundat in Hec. III. 3. 43. *Nic tibi nihil est quidquam incommodi* Gell. I. 3. *nihil esse quidquam commissum a me*; sic voci *nemo* per pleonasmum additur *quisquam* vel *unus*. v. Drakenb. ad Liv. III. 12. R. D.

64 *Spectatum*] Ad Pamphilum, non ad exemplum refertur: et *spectatum*, probatum. D.

Enimvero] In initio orationis rem gravissime affirmat in Andr. I. 3. 1. *enimvero nihil loci est segnitiæ*. Liv. I. 51. *enimvero manifesta res vise*, ubi v. Drakenb. R. D.

Spectatum] *Spectare* est experimentis cognoscere, perspicere in Andr. V. 1. 1. *satis jam satis spectata erga te amicitia mea*. Virgil, Æneid. VIII. 151. *sunt animi et rebus spectata juventus* ubi v. Serv. Locutio translata est a metallis præsertim auro argentoque, quæ igni cognoscuntur. Notissima illa Ovidii *scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum, Tempore sic duro est experienda fides* v. Lambin. ad Horat. epist. I. 1. 3. et Græv. ad Flor. II. 7. p. 331. R. D.

65 *Et magnum exemplum continentiæ*] Τautologiæ laudis, Pamphilus exemplum continentiæ. D.

66 *Nam qui cum*] *Qui*, animus scilicet, aut certe homo subaudiendum. D.

Nam qui cum ingeniis conflictatur ejusmodi] Confirmat per sententiam vitam filii, et integram disciplinam. Negat esse melius eo ingenio, quod cum inter vitia versatur, suam teneat firmitatem. E.

Conflictatur] Hic non tam ad pugnam refertur quam ad frequentem consuetudinem hominum vitiosorum, contra quorum contagionem velut pugnandum est, si corrumpi nolis. Sic bene explicat Gesnerus in thes. ling. lat. voce *conflictus*. R. D.

67 *Animus*] Deest *ejus*. *Cum ingeniis*] *Ingenia* pro hominibus posuit. *Conflictatur*] Id est, atteritur. *Conflictatio* est tactus corporum invicem, et collisio. *Neque commovetur*] Utrum animus, an homo? ut subaudiamus *ejus*. *Neque animus commovetur*] Utrum deest *ejus*? An ordo est, qui animus cum ingeniis conflictatur ejusmodi, neque commovetur in ea tamen: ἀνακολουθῶν: eo quod non præmisso *licet*, vel *quanquam*, subjecit *tamen*. Sallustius, Fragmentum incerti libri *atque edita undique, tribus tamen cum muris et magnis turribus*. D.

68 *Suæ vitæ modum*] Moderationem, regimen. D.

Lege ex cod. Academico, ut *jam* in ictu sit: *scias posse jam habere*. B.

Scias μονοσυλλάβως legendum, ut alibi ei, eam, eum, eas, eos, eis vel iis, meus, mea, suus, sua, tuus, tua, fuit. et sic passim duæ vocales, quæ diphthongum non efficiunt, in unam syllabam contrahuntur apud comicos. qua de re vidd. grammatici et inprimis Bentleii Schediasma. cf. etiam 373. Ad. 199. Bo.

Habere suæ vitæ modum] I. e. vitam suam regere, sibi moderari. Donat. *modum* bene explicat *moderationem*. Cic. pro Marcello c. 1. *tantum in summa potestate rerum omnium modum* ubi v. Græv. R. D.

69 *Cum id mihi*] *Cum*, id est, præterquam quod. *Tum uno ore omnes*] *Omnes*, ne pater amore falli videretur. et ideo mox ait, *bene dissimulatum amorem, et celatum indicat*. D.

Bona dicere, et laudare fortunas meas,
Qui gnatum haberem tali ingenio præditum.
Quid verbis opus est? hac fama impulsus Chremes,
Ultro ad me venit, unicam gnatam suam

Cum id mihi placebat] Probat filii vitam non judicio suo tantum, ne videatur hoc fecisse amore: sed et testimonio civium cæterorum. Quæ quidem res ad futuram quæstionem argumenta suggerit maxima. Nam similiter ejus filius judicio patris, et testimonio civium comprobatus est, quod nondum amare cœperit. E.

Uno ore] Idem est quod in Hec. II. 1. 4. *uno animo*. Barbari dicunt *unaniniter*. in Phorm. IV. 3. 20. *uno ore auctores fuere*, Virgil. Æneid. XI. 132. *unoque omnes eadem ore fremebant*. Sic *una mente et voce* Cic. in Philipp. I. 9. *omnes jam cives de reipublicæ salute una mente et voce consentiunt. Unus* est *par* vel *idem* v. Heins. ad Ovid. de Metamorph. X. 33. R. D.

Omnes omnia bona dicere] Vir quidam doctus legere mavult *omnes omina bona dicere* quam conjecturam merito repudiat Duker. ad Liv. XXIX. 1. *omnia bona dicere* est *gratulari*. Locutio ducta est a sacris in quibus omnes mali ominis vitandi causa bona verba dicebant. Cæterum hanc usitatam esse formulam laudandi bonæ indolis adolescentem docet Don. ad h. l. Ovid. Metam. IV. 322. *qui te genuere beati, Et frater felix et fortunata profecto Si qua tibi soror est et quæ dedit ubera nutrix* Petron. c. 94. *O felicem matrem tuam quæ te talem peperit*, ubi videte interpretes. R. D.

70 *Laudare fortunas meas*] Ἐμφατικώτερον *fortunas*, quam *fortunam*. et de more. ut, Æn. I. 610. *Qui te tanti talem genuere parentes*. Et, Æn. III. 480. *Vade, ait, O felix nati pietate*. Et Plautus, Bacch. III. 3. 51. *Fortunatus qui illum eduxit sibi*. D.

Laudare fortunas meas] Ubique fortunæ attribuit, quod boni filii sunt. ut et Sallustius. Catil. 25. *Præterea viro atque liberis satis fortunata*. E.

Fortunas] *Fortunæ* hic non de divitiis dicuntur, sed de sorte conditionis. vid. Donatum Infra III. 5. 5. *servone fortunas meas me commisisse futili*, in Heaut. III. 1. 54. 55. *me tuarum miseritum est fortunarum*. Notanda est hujus loci constructio, nam licet *fortunas* præcedat, tamen pronomen *qui* ponitur ac si præcessisset *fortunatum me* Ovid. ex Ponto III. 4. 91. *nec mea verba legis qui sum submotus ad Istrum*. v. Burmann. ad Quinctiliani declamation. 9. pag. 191. R. D.

72 *Hac fama*] An vere laudatus sit, singula hæc pro argumentis sunt: et excusatio est, non esse stultitia falsum, sed impulsum. *Impulsus*] Bene *impulsus*: ultro enim venire impulsus est, qui daret contra officium soceri. D.

Quid verbis opus] De moribus filii sui cum pronunciatum civibus diceret, magnum testimonium et Chremetis ponit, quod ultro venit, quod unicam natam, quod cum dote summa filio promisit uxorem. Sequens enim videbatur, ut cum et ipse probatum filium sciret, optimam conditionem matrimonii non repudiaret. Ergo cum dicit, *placuit*, Chremeti conditionem optimam declarabat. E.

Quid verbis opus est] Hac formula veteres utuntur cum, quod ante dixere, exemplo probant. v. in Eun. III. 5. 20. in Phorm. I. 2. 50. R. D.

73 *Unicam gnatam suam*] Abundat quidem *suam*: sed tamen asseverantius est. *Unicam gnatam*] Quid si tædio multorum filiorum? at (lege *multarum filiarum? ait.*) unicam. D.

Chremes ultro ad me] Hunc locum Servius explicat Æneid. VII. vers. 32. L.

Ultro ad me venit] Pulchre Servius ad Æneid. VII. 268. docet antiquis morem fuisse, sibi generos, quod spectati mores commendabant, legere; nam

Cum dote summa filio uxorem ut daret.
Placuit; despondi. hic nuptiis dictus est dies. 75
So. Quid obstat, cur non veræ fiant? Si. Audies.
Fere in diebus paucis, quibus hæc acta sunt,
Chrysis vicina hæc moritur. So. O factum bene!
Beasti; metui a Chryside. Si. Ibi tum filius

in tanta divortiorum frequentia sperabant eos firmiores maritos futuros v. infra III. 3. 39. et Heaut. V. 1. 63. R. D.

74 *Cum dote summa*] Quid si pauper est? at cum dote summa. D.

75 *Placuit*] Cum pronunciatione, *placuit*. *Placuit*] *συντρομία*. adeo bona conditio fuit, ut quamvis ultro objiceretur, tamen statim placeret. *Despondi*] Ex veteri more, quo spondebat etiam petitoris pater: unde *sponsus* et *sponsa* dicitur. *Despondi*] proprie. nam de sponso dicitur, quia *spondet* puellæ pater: *despondet*, adolescentis. *Hic dictus est dies*] Utrum constitutus? an dicatus? ut, Æn. VI. 138. *Junoni infernæ dictus sacer*. D.

Dictus est dies] *Dicere diem* est diem certum statuere, constituere in Eun. III. 4. 4. *locus, tempus constitutum est. Præteriit tempus; quo in loco dictum est, parati est nihil.* Cæs. de B. G. V. 57. *eis certum diem conveniendi dicit.* Liv. XXXV. 3. *diem quem dixerat conveniendum militibus*, ubi v. Gronov. et Drakenburg. R. D.

76 Omnes codd. nostri habent, *quid igitur obstat*. Recte, ob metrum. Deinde verbum *veræ*, ut plane ineptum, dele. B.

77 *Fere in diebus paucis*] Ita omnes libb. tamen Charisius diversam lectionem affert, lib. II. in voce *ferme*. L.

In diebus paucis quibus hæc acta sunt] I. e. post paucos dies, quibus hæc acta sunt. Sueton in Tiber. c. 60. *in paucis diebus, quam Capreas attigit.* Idem in Ner. c. 3. *in diebus paucis obiit.* Plerumque omittitur præpositio v. Giphanium in ind. Lucret. voce *in*. R. D.

78 *Chrysis*] Commemorat nunc quæ esset Chrysis. *Vicina hæc*] Supra enim ait, *ex Andro commigravit huc viciniæ. Vicina hæc*] *ἀνάμνησις*. *O factum bene*] Animadverte, ubique a poeta sic induci comicas mortes, ut cum ad necessitatem argumenti referantur, non sint tamen tragicæ. Nam aut meretrix sumitur, aut senex, aut de duabus simul uxoribus una uxor. Itaque hujusmodi obitus, aut mediocri tristitia excipitur, aut etiam gaudio. *O factum bene*] quasi qui dixerit. *vereor ne quid Andriæ apportet mali. Beasti*] Artificiose quidem *gaudium* subjecit, ne mors in comœdia, luctus in tragœdia personaret. D.

Factum bene] Hac formula veteres in rebus lætis utebantur v. infra V. 6. 5. contra *malefactum* dicebant in rebus adversis v. Phorm. V. 1. 24. Catulli Carm. III. 16. *O factum male, O misella passer.* R. D.

79 *Metui a Chryside*] *Metuo illum* dico, qui mihi ipse aliquid facturus est. *Timeo ab illo*, cujus causa possum aliquid mali pati, etiam si ipse nihil in me mali consulat. *Metui a Chryside*] *ἀρχαϊσμὸς*. D.

Beasti] Beatum fecisti. E.

Tres codd. nostri habent, *beasti; ei metui a Chryside*. Hanc lectionem comprobat Donati liber, auctoritas Prisciani, et sensus elegantia. B.

79 *Beasti*] *Beare aliquem* apud comicos scriptores *alicui grata sive facere sive dicere* in Eun. II. 2. 38. *ecquid beo te* v. Plaut. in Asinar. II. 2. 66. R. D.

Metui a Chryside] Pro metui Chrysidem; eadem constructione Liv. XXIII. 36. *ab Hannibale metuens* ubi v. Drakenb. R. D.

Cum illis, qui amabant Chrysidem, una aderat frequens;
Curabat una funus, tristis interim,
Nonnunquam conlacrumabat. placuit tum id mihi.
Sic cogitabam; hic, parvæ consuetudinis
Causa, mortem hujus tam fert familiariter:
Quid, si ipse amasset? quid hic mihi faciet patri?
Hæc ego putabam esse omnia humani ingeni,

Ibi] Significat *tum*. infra II. 3. 5. *ibi culpam in te transferet*. Liv. II. 35. *ibi ira est suppressa* ubi vid. Duker. Per pleonasmum *ibi te* conjunguntur infra v. 104. *ibi tum exanimatus Pamphilus* sic sæpe junguntur ejusdem potestatis particulæ ut *jam nunc* apud Liv. XXXI. 32. ubi v. Drak. *itaque ergo* apud eundem III. 31. ubi v. Gronov. *ita sic* apud eund. II. 10. R. D.

80 *Una aderat frequens*] Ut supra, *cum quibus erat cumque una, his sese dedere*. *Aderat frequens*] Possumus enim adesse, et frequentes non esse, si præsentes non adhæremus his, quibus adsumus? et *frequens*, ut miles apud signa. D.

Frequens] Pro frequenter, adjectiv. pro adverbio. Liv. I. 50. *conveniunt frequentes prima luce* ubi v. interpretes. R. D.

81 *Curabat una funus*] *Funus* est pompa exequiarum, dictum a funalibus. Etenim noctu efferebantur, propter sacrorum celebrationem diurnam. *Curabat una funus*] Ut non potuerit in exequiis videre patrem. *Interim*] Descriptio est hujus rei, quæ ad narrationem pertinet superiorem. D.

Curabat funus] Ut Gr. κομίζειν sic etiam latin. *curare* eximie dicitur in re funebri Ovid. fast. V. 657. *displicet hæredi mandati cura sepulchri*. Curt. X. 10. *jussi corpus Alexandri suo more curare* vid. Ern. ad Tacit. histor. V. 5. *Funus est pompa funebris* et quicquid ad exequias pertinet. Manil. I. 886. *cesserat officium morbis et funera desrant mortuis* v. interpr. ad Sil. Italic. I. 154. R. D.

82 *Nonnunquam conlacrumabat*] Illis enim magis causa flendi fuerat, qui, quam amabant, amiserant. hic amore propter suam Glycerium conlacrumabat, qui alienis lacrymis suas commodabat. D.

Nonnunquam conlacrumabat] Has lacrymas fundebat Pamphilus propter eam familiaritatem, quam habebat ex conjunctione ejus mulieris, quæ Chrysidi carissima fuerat. Sed quoniam Chrysis mortua, salva autem illa quam diligebat, ideo nonnunquam conlacrumabat, id est, cum aliorum lacrumis suas quoque miscebat. E.

83 *Sic cogitabam*] Ac si diceret, hoc cogitabam. sensum tantum cogitationis dicere debuit: sed quia *sic cogitabam* dixit, ipsum gestum cogitantis exponit, et dicitur μίμησις, *Hic parvæ consuetudinis causa*] Hoc est, convivii tantum: et quia dixerat puer, hoc solum egisse Pamphilum, nihil aliud, *symbolam dedit, cœnavit*. D.

84 *Tam fert familiariter*] Id est, graviter. Nam quæ nobis sunt familiaria, gravia sunt animo nostro. *Familiariter*] Quasi familiaris: an potius familiariter. D.

Hujus mortem tam fert familiariter] Hoc est, sic dolet ut familiaris. L.

Mortem fert familiariter] Quasi familiaris esset infra v. 109. *rejecit se in eum flens quam familiariter*. R. D.

85 *Quid hic mihi faciet patri?*] *Mihi*, circa me. Et postquam *mihi* dixit, pondus intulit nominis, dicendo *patri*. *Quid hic mihi*] Vide quam venuste repetierit *hic*. D.

Quid hic mihi faciet patri] Cicero lib. IX. Epis. VII. ad Famil. L.

Lego, *quid mihi hic*. B.

86 *Hæc ego putabam*] *Putare* est ejus, qui simplicitate pectoris aberra-

Mansuetique animi officia. quid multis moror?
Egomet quoque ejus causa in funus prodeo,
Nihil suspicans etiam mali. So. Hem, quid est? Si. Scies.
Effertur: imus. Interea inter mulieres, 90

vit. Cicero, Ligar 10. *Non putavit, lapsus est. Hæc ego putabam*] Cum adhuc nihil peccationis ostenderit, tamen dolor in futura prorumpit: ut Æn. II. 344. *Et gener auxilium Priamo, Phrygibusque ferebat. Humani ingeni*] Circa Chrysidem. D.

Hæc ego putabam esse omnia humani ingenii] Cum nondum argumentum aliquod officium malæ ostenderat disciplinæ, tamen dolor jam futura prorupit, cum esset admonitus falsa fuisse, quæ ante credebat pietatis indicia. E.

87 *Mansueti*] Circa amicos. *Egomet quoque*] Ut et ipse Pamphilus, aut etiam ego, quem minus crederes. D.

Quid multis moror] Plena locutio est: quid multis verbis te moror? qua forma utebuntur, ut orationem compendii facerent. R. D.

88 *Ejus causa*] Ejusdem mansuetudinis et humanitatis, et ejus Pamphili. *In funus prodeo*] *In funus*, in pompam exequiarum: quod a funalibus dictum est, id est uncis vel cuneis candelabrorum, quibus delibuti funes, et * in genu cerei fomites infiguntur. (lege, *quod a funalibus dictum est aduncis, vel cuneis candelabrorum, quibus delibuti funes, et ingentes cerei fomites infiguntur.*) D.

Egomet quoque ejus causa] Ut, quoniam filium perspexeram præbere ei lacrymas, quam non diligebat, ego quoque officium obsequiumque præstarem. *In funus prodeo*] Hoc est, in obsequium funeris. E.

89 *Nihil suspicans etiam mali*] Bene suspendit auditorem. *Etiam*] Alia est suspensio audientis, et excusatio alia. *Etiam*] Adhuc. D.

Nihil suspicans etiam mali] Hic auditorem mali interpositione suspendit, qui mitiori narratione tenebatur. E.

Tres codd. legunt, *hem quid id est.* Recte, ut vitetur Trochæus, qui hic minus placet. B.

Etiam] Rariorem apud Terentium vim habet pro *etiamnum, adhuc* infra III. 2. 23. *non satis me pernosti etiam* in Hec. IV. 3. 8. *de uxore incertus sum etiam.* Virgil. Æn. VI. 485. *etiam currus etiam arma tenentem*, ubi v. Serv. R. D.

90 *Effertur*] Ἐκφέρεται. Græcum est. quod vitans Virgilius, ne diceret *effertur*, inquit, Georg. II. 255. *tum corpora luce carentum Exportant tectis, et tristia funera ducunt. Efferri* proprie dicuntur cadavera mortuorum: et *ire* proprie ad exequias. Virg., Æn. XI. 24. *Ite, ait, egregias animas, quæ sanguine nobis Hanc patriam peperere.*—D.

Effertur] Scilicet ex ædibus; ad rogum efferri proprie dicuntur mortuorum cadavera v. Donat. ad h. l. Nep. in Attic. c. 17. *matrem extulit annorum* XC. Hor. Serm: II. 5. 85. *anus improba Thebis sic est elata* ubi v. Lambertum Petron. cap. III. *hæc cum virum extulisset* ubi cura interpretes. R. D.

Imus] Hoc quoque funebre verbum est pro quo frequentius dicitur *exequias ire* ut in Phorm. V. 8. 57. v. Kirchmann. de funeribus II. 10. R. D.

Inter mulieres] Atheniensium moribus mulieres juvenes propinquorum funus prosequebantur, extraneorum funus non licebat comitari nisi mulieribus sexagenariis v. Solonis legem ap. Demosthenem. p. 608. In hac igitur re, Terentius Atheniensium mores observavit, non item in eo quod dicit Simonem funus secutum fuisse. Nam ex eadem Solonis lege viri ante funus ibant, mulieres funus sequebantur v. Taylor. in lectionib. Lysiac. c. I. p. 677. R. D.

Quæ ibi aderant, forte unam adspicio adolescentulam,
Forma. So. Bona fortasse. Si. Et vultu, Sosia,
Adeo modesto, adeo venusto, ut nihil supra.
Quia tum mihi lamentari præter cæteras
Visa est: et quia erat forma præter cæteras 95

91 *Unam adspicio*] Ex consuetudine dicit *unam*, ut dicimus, *unus est adolescens*. tolle *unam*, et ita fiet, ut sensui nihil desit: sed consuetudo mirantis non erit expressa. *Unam* ergo τῷ ἰδιοτισμῷ dixit: vel *unam*, pro quadam. *Adolescentulam forma et vultu*] Et hic duo sunt, et ætas et forma, quibus additur pudor, quia meretrix non est. D.

Adspicio adolescentulam forma] Et hic similiter duo tetigit: ætatem, quod *adolescentulam* dicit: et vultum, quod *formam* posuit. E.

Unam] I. e. quandam, aliquam. Cic. de Orat. I. 29. *sicut unus pater familias his de rebus loquor*. Cæsar de B. G. V. 45. *erat unus intus Nervius* ubi v. interpretes; add. Burmann. ad Ovid. epist. XV. 162. Aliquando *unus* ad excellentiam refertur, inprimis junctum superlativo, ut apud Virgil. Æneid. II. 426. *justissimus unus Qui fuit in Teucris et servantissimus æqui* v. Bentl. ad Horat. Poet. v. 29. Sed altera notio huic præferenda videtur. R. D.

92 *Forma et vultu*] Forma immobilis est et naturalis: vultus, movetur et fingitur. *Et vultu, Sosia, adeo modesto*] Quia formæ laudatio cum meretrice commissa (forte *communis*) est, progreditur artifex poeta ad laudanda ea, quæ honestiora sunt, quam forma. *Et vultu Sosia*] Quid hic deest, ut eam nurum dignetur Simo, nisi sola cognitio? et formam probat in puella Pamphili patet, et matronalem modestiam miratur in vultu, et venustatem stupet. Nonne ergo jam cernimus hoc præstruxisse Terentium, ut cum Chremetis filiam esse cognoverit Simo, hanc potius eligat, quam Philumenam, nurum? quanquam ex sororis pulchritudine, et amore Charini, et Davi laudatione, id ipsum quoque probe monstraverit nobis. *Vultu*] Hæc laus adjuvat post cognitionem futuram nurum. D.

Et vultu Sosia] Quasi tertium, videtur adjecisse vultum. Namque forma naturalis facies: Vultus vero animi motus, faciei ad tempus aptatus. E.

Bona ad Simonis orationem referendum censeo propterea, quod ratio non constat, cur Sosia, rei ignarus, de *bona* forma potius, quam de *mediocri* harioletur. Itaque *fortasse* absolute positum, est consentientis quidem, sed dubitanter et tepide. B.

Forma] Forma ad totum corpus pertinet, vultus ad faciem. R. D.

93 *Adeo modesto, adeo venusto*] *Modestus*, ad probitatem vultus, et morum pertinet: *venustus*, ad naturam corporis. Atque adeo sibi vultum fingere multi possunt: formam nemo. *Ut nihil supra*] ἔλλειψις Terentiana. nam non necesse est subjungere duos versus. (forte *duas voces*.) *Quia tum mihi*] Excusatio necessaria. D.

Adeo modesto] Discrepant exemplaria Prisciani lib. XIV. *Adeo modesta, adeo venusta*. L.

Ut nihil supra] Scilicet *addi* vel *esse queat*, in Eun. III. 1. 37. *facete, lepide, laute nihil supra*, in Ad. II. 3. 11. *nihil pote supra* ubi v. Donat. R. D.

94 *Præter cæteras*] Id est, plus quam cæteræ. D.

Quia tum] V. C. *Quæ tum*. L.

Nostri codd. summo consensu et edd. priscæ pro *quia tum* legunt *quæ tum*. Vera lectio est *quæ cum*. Nam *tum quorsum pertineat, non video*. B.

95 *Honesta ac liberali*] *Honesta*, ad formam: *liberali*, ad vultum retulit. D.

Forma honesta] I. e. pulchra, venusta in Eun. III. 2. 21. *ita me Dii ament honestus est*. *Honestus* in ead. fab. II. 3. 65. opponitur *inhonestus* i. e. defor-

Honesta et liberali: accedo ad pedisequas;
Quæ sit, rogo. Sororem esse aiunt Chrysidis.
Percussit illico animum: at at! hoc illud est,
Hinc illæ lacrumæ; hæc illast misericordia.

mis. Virgil. Georg. II. 393. *Circe caput egit honestum.* Sueton. in Tiber. c. 68. *facie erat honesta.* Sic *honor* pro *pulchritudine* Virgil Æneid. I. 591. *et lætos oculis afflarat honores.* Petron. in fragm. p. 863. edit. Burm. *totus tibi servit honor formaque Dearum Fulges.* R. D.

96 *Pedisequas*] Vulgo male scribitur sibilanti litera duplicata *pedissequus, a.* sed in antiquis monumentis semper scribitur *pedisequus*, ut apud Gruter. p. 110. Nr. 8. Accedit auctoritas poetarum, qui antepenultimam corripiunt v. Phædr. IV. 4. 36. et ibi Burmann. Mulieres autem Græcæ cum magno ancillarum comitatu in publicum prodibant v. Rutil. Lup. II. p. 74. et quæ ibi notavimus. R. D.

98 *Percussit*] Hoc est, suspicio, vel aliquid tale. *At at*] Interjectio admirantis. *Hoc illud*] δεικτικὸν ejus rei est, quam in animo conceperamus. Virgilius, *hoc illud germana fuit.* D.

Percussit illico animum] Cum formam vidissem, cum lacrymas perspexissem, cum Chrysidis sororem hanc cognovissem, sum nescio quid, inquit, continuo suspicatus. *Hoc illud est, hinc illæ lacrymæ*] Hinc illa sunt argumenta conjecturalia, quæ supra diximus; verisimile esse filium amare meretricem, quod tam familiariter ad Chrysidem se applicaret, quod ejus tam familiariter fleret interitum. Hoc est enim quod dixit, *hinc illæ lacrymæ.* Sed quoniam adhuc parva suspicio est, adjecit argumenta. E.

Percussit illico] Ita Donatus et vett. omnes. Vulg. *perculsit.* L.

Percussit animum] H. e. commovit, suspicionem injecit Cic. ad Attic. IV. 8. *Audivi Romæ esse hominem, percussit animum;* pro Deiotaro c. 6. *hac suspicione sum percussus* ubi v. Græv. Sueton. in Tiber. c. 11. *percussus inopinata re, diu quid ageret incertus. Percussus* et *perculsus* a librariis confunduntur. Vulgares magistri contendunt *percussus* ad corpus, *perculsus* ad animum referri, quod a vero alienum est. Utrumque de utroque dicitur, de corpore proprie, de animo translate, sed *percellere* in re graviori locum habet, ut, si quis quasi fulmine ictus extra se rapitur, præ subita animi invasione quid agat nesciat. Horat. Epod. XVII. 15. *tacet et albus ora pallor inficit mentesque perculsæ stupent: Percuti* vero dicitur in leviore affectu ubi animus quidem commotus est nec tamen eversus et consternatus. De horum verborum discrimine v. Riv. ad h. l. interpr. ad Ovid. Metam. IV. 138. inprimis magnum Bentleium ad Horat. Epod. V. in initio. R. D.

At at] Hac particula utuntur, qui diu incerti tandem rem intelligere incipiunt v. in Eun. IV. 5. 1. Cæterum hic mente supplendum est *hæc mecum cogitabam.* R. D.

Hoc illud est] Exquisita forma, qua irati, expostulantes item admirantes utuntur. Eam explicuit Gren. in Observ. script. eccles. c. 18. Propertius II. 19. 1. *hoc erat inprimis quod me gaudere jubebas.* Vir. Æn. IV. 675. *hoc illud germana fuit, me fraude petebas.* Petron c. 92. *hoc erat quod promiseras* ubi v. Burmann. R. D.

99 *Hinc illæ lacrymæ*] *Hinc,* ex hac causa. D.

Pro *hinc* lege *hæc.* Nam præterquam quod tres codd. ita legunt, aliter versus sustentari nequit, nisi ampleotaris archaismum *hæc* pro *hæ.* B.

Hinc illæ lacrimæ] In proverbium abiit, cum causam rei, quæ nos diu latuerat, indicamus v. Cicer. pro Cœlio c. 25. et Horat. epist. I. 20. 41. R. D.

So. Quam timeo, quorsum evadas. Si. Funus interim
Procedit: sequimur: ad sepulchrum venimus:
In ignem posita'st: fietur. Interea hæc soror,

100 *Quam timeo*] Non videtur adhuc Sosiæ plenum amoris argumentum; adeo pendet ad ea quæ dicturus est Simo. *Evadas*] Id est exeas, vel pervenias. *Funus procedit*] *Funus* a fenalibus dictum est, ut supra notavimus; et est funus, pompa exequiarum. Et bene, *funus procedit, nos sequimur*, dixit, quasi post ipsam morituri: unde *exequiæ* dicuntur. *Funus interim procedit*] ἀσύνδετον. D.

Timeo] H. e. cum timore exspecto, ut in Phorm. I. 3. 2. R. D.

Quorsum evadas] Quem exitum narratio tua habitura sit infra I. 2. 5. *heri lenitas verebar quorsum evaderet.* Nep. in Dione c. 8. *cum quorsum evaderent timeret* ubi v. Græv. R. D.

Funus procedit] Proprie utitur verbo *procedere.* Habet enim significationem pompæ et gravitatis in incessu inprimis. Consul procedere dicitur, cum primo consulatus die in Capitolium, comitante amicorum caterva, deducitur. v. Drakenb. ad Sil. Italic. VI. 444. eadem vis est verbi *incedere* v. Propert. II. 2. 58. et ibi Broukhus. R. D.

101 *Ad sepulchrum*] *Sepulchrum* κατ' ἀντίφρασιν dicimus, quod sine re pulchra sit. an quod ibi sine pulsu sint, id est, mortui? an quod illic animæ a vivis sepeliantur, id est separentur? Et sepulchrum dixit futurum, non quod jam esset. *Sepulchrum* enim a sepeliendo dictum. Virgilius proprie, Æn. VI. 232. *At pius Æneas ingenti mole sepulchrum imposuit. In ignem posita est*] Ἔλλειψις. non enim est *quæ*. Et mire. cum funus supra dixerit. *Fletur*] Hic pæne impersonaliter, fletur ab omnibus. Extrema enim quæque mortuorum omnes commovent ad lacrymas. D.

Sepulcrum] Hic ponitur pro *busto* vel *rogo* ut contextus docet. Cic. Verr. V. 36. *ut duo sepulcra duorum prætorum improborum constituerentur* ubi v. Hotomann. et sic *sepelire* dicitur de combustione et quocumque genere cadaveris amovendi Liv. VIII. 24. *sepultumque consentio quod membrorum reliquum fuit* ubi v. Drakenb. Similiter *humare* dicitur pro *cremare* Cic. de legib. II. 22. *quod nunc communiter in omnibus sepultis est, ut humati dicantur, id erat proprium tum in iis, quos humus injecta contegeret.* R. D.

102 *Hæc soror*] Id est, quam dixi esse sororem Chrysidis. D.

Interea hæc soror quam dixi] Nullum majus potest argumentum reperiri, quam quod subjungit, Pamphilum necessitate compulsum, amoris sui flammam non potuisse celare, quoniam in materia conjecturæ, accusantis hæc argumenta sunt semper, a voluntate, a summo ad imum. His enim tribus partibus nititur accusator. Hic autem voluntatis est quæstio. Ergo probationes a summo ad imum suscipientur, quæ continent dicta et facta; et quod a doctoribus adjungitur, pathos. Namque pathos est supra, quod flevit. Facta sunt ista quæ subjunguntur, quod accurrit; quod mediam mulierem complectitur. Deinde dicta sunt, quod dixit. E.

In ignem posita] Reg. cod. *imposita.* L.

Imposita est, codd. nostri plerique omnes habent. Recte et ex more poetæ, qui solet elidere ultimam syllabam, ut liquescat, et misceatur sequenti. B.

In ignem imposita est] Olim hic legebatur *in ignem posita* quod defendi potest ex iis quæ Oudendorp. ad Hist. de B. G. VIII. 46. annotavit. Rectius tamen viri docti e Mss. revocarunt *in ignem imposita. Imponere in locum*, non minus recte dicitur quam *imponere*

Quam dixi ad flammam accessit imprudentius;
Satis cum periclo. Ibi tum exanimatus Pamphilus
Bene dissimulatum amorem et celatum indicat. 105
Accurrit: mediam mulierem complectitur:
Mea Glycerium, inquit, quid agis? cur te is perditum?

in loco, quamvis vulgo grammatici tradant, præpositionem *in* accusativum adsciscere, cum motum, ablativum, cum quietem significat. Cic. Tusc. quæst. I. 34. *Metellum multi filii in rogum imposuere.* Liv. I. 18. *dextra in caput Numæ imposita* ubi v. Drakenb. addite Miscell. Observat. I. 399. R. D.

103 *Ad flammam*] Innuit affectum sororis, unde omnes vinceret: cæteri enim flent, hæc flammæ se iugerit. Virg. Ecl. v. 20. *Extinctum Nymphæ crudeli funere Daphnim, Atque deos, atque astra vocat crudelia mater.* D.

104 *Ibi tum exanimatus*] A voluntate, a facultate, a summo ad imam, ubi sunt dicta et facta, ibi est πάθος. et mire *ibi*. D.

Exanimatus] Est ita perterritus ut animam vel spiritum perdidisse videatur. infra I. 4. 7. *quidnam Pamphilum exanimatum video.* Sæpe additum *metu* ut in Phorm. III. 3. 32. R. D.

105 *Bene dissimulatum*] *Bene*, multum. an quasi dolens, quod etiam negaturus sit Chremeti, dixit *bene? Indicat*] Omnia significanter. non ostendit, inquit, sed indicat: non accedit, sed accurrit: non vestem aut manus, sed mediam mulierem: non tenet, sed complectitur. et quia his tribus rebus inducitur in alienjus rei gestionem persona: affectu, facto dicto. Affectus est quod ait, *ibi tum exanimatus Pamphilus.* Factum, quod ait, *accurrit, mediam mulierem complectitur.* Dictum, quod ait, *mea Glycerium, inquit, quid agis? cur te is perditum? Indicat*] *Indicium* proprie est oris et linguæ: factis ergo indicat. non enim dixit, *amo.* D.

Bene dissimulatum amorem] *Bene* est *docte, perite, callide*, ut contra, *male dissimulatus* apud Vellei. Paterc. II. 109. qui sic dissimulat, ut animus ejus facile detegi possit; ita *bonus* pro *docto, malus* pro *indocto* dicitur. R. D.

106 *Accurrit*] Virgilius, Æn. IV. 945. *Interiora domus irrumpit limina, et altos Conscendit furibunda rogos.* D.

107 *Mea Glycerium*] *Mea*, quasi amator. *Glycerium*, quasi familiaris dixit. *Quid agis*] Quasi perturbatus. *Cur te is perditum*] Quasi consolaturus. D.

Mea Glycerium, inquit, quid agis? cur te is perditum?] Ita omnia orator conjecturalia argumenta complexus est, quamquam accedit et illa pars, quod ipsa Glycerium *rejecit se in eum flens quam familiariter.* Sæpe etenim non solum nostris, sed nostrorum factis possumus accusari. ut cum de Verris animo quæreretur, an Ciceronem nollet esse accusatorem, quod Hortensius tantum laborabat, ut Ciceroni non daretur. Accusat quoque palam sic, Verris hanc esse voluntatem, ne Cicero accusator existeret. Verum hæc de argumentis. Omnis autem conjectura proprium hoc habet. Nam argumenta cum cæteris videntur esse communia; hæc et præter argumenta habet a testibus probationem, hæc etiam hic sunt, quippe cum dicat, *venit ad me Chremes postridie clamitans se indignum facinus comperisse*; utique *comperisse*: etiam ab aliis ista res dicta est, ut ipse hoc compererit. Ut testimonium quasi quædam sit multitudo. E.

Cur te is perditum] I. e. cur te perdis vel vis perdere in Heaut. II. 3. 74. *tibi laudem is quæsitum.* Justin. XXXVIII. 5. *quia ultum ierit se.* Curt. X. 8. *temeritatem armis ultum ire decreverant.* Hæc tamen loquendi ratio comicis et scriptoribus antiquitatis studiosis, ut Sallustio, familiarior est, quam Cicer. Cæs. et similibus. v.

Tum illa, ut consuetum facile amorem cerneres,
Rejecit se in eum flens quam familiariter.
So. Quid ais? Si. Redeo inde iratus, atque ægre ferens.
Nec satis ad objurgandum causæ. diceret, 111
Quid feci? quid commerui, aut peccavi, pater?

Sanct. Minerv. III. 11. p. 476. et Cort. ad Sallust. Catil. c. 36. R. D.

108 *Ut consuetum facile amorem cerneres*] Mire non suspicaretur (*suspicareris*) dixit, sed *cerneres*. et est ordo, ut facile cerneres. sed *cerneres*, sicut supra, *laudem invenias et amicos pares*. D.

Cerneres] H. e. judicares. Verbi *cernere* varias potestates explicuere Perizonius in Sanctii Minerv. IV. 15. Kusterus in diss. de hoc verbo quæ subjecta est libello de verbis Græc. mediis; eleganter autem veteres secunda persona præsertim imperfecti utuntur cum quid generatim de omnibus dici volunt. Petron. c. 8. *putares ab eadem amicula esse deductum* h. e. quisque putaret et c. 91. *scires non libenter servire*. Plura Drakenb. ad L. v. III. 11. R. D.

109 *Rejecit se in eum*] Objicitur ei quod a Glycerio factum est: ut, quis enim unquam tam palam de honore, tam vehementer de salute sua contendit quam ille atque illius amici, ut ne hæc mihi delatio detur. D.

Rejecit se in eum] H. e. dedit se amplectanti Pamphilo atque ei enixa est, non conata est se explicare amplexu. Rejicere proprie est in dorsum versus removere ut docet Oudendorp. ad Apulei. Metam. II. p. 86. R. D.

Quam familiariter] *Quam* est *valde* et sæpe jungitur positivi gradus nominibus ut apud Cæsar. de B. G. VI. 26. *rami quam late diffunduntur* ubi v. interpret. Cic. Verr. IV. 25. *sunt vestrum quam multi* idem sæpe dicit *sane quam* v. Græv. ad epist. ad Attic. VII. 15. R. D.

110 *Iratus atque ægre ferens*] *Iratus*, culpa. *ægre ferens*, quia præter spem. D.

Redeo inde iratus atque ægre ferens] Bene indignationem totam argumentis excitatam sibi esse commemorat. Veruntamen dicit, se equidem credidisse, sed filium accusare non potuisse. Propterea derivatio causæ esse potuit. Namque duæ partes sunt, quæ reum sunt solitæ defendere. Derivatio causæ, quæ Græce *μετάθεσις αἰτίας* dicitur. quam rem tractat senex, cum dicit ex persona filii, *Quid feci? quid commerui aut peccavi pater? quæ sese in ignem projicere voluit, prohibui, servavi*] E.

Quid ais] Admirandi formula est, ut infra III. 3. 43. aliquando objurgandi ut apud Petron. c. 71. ubi v. Burmann. R. D.

111 *Nec satis*] Mire expressit indulgentiam patris erga filium. Erat, inquit, causa: sed pro amaritudine objurgationis non erat satis, hoc est, non idonea videbatur. *Nec satis ad objurgandum*] Deest *habui*, vel *erat*. Virgilius, Æn. II. 514. *Nec sat rationis in armis*. et hic, *erat*, vel *habui*, deest ad sententiam. *Diceret*] Deest *enim*. *Quid feci*] Mire fiduciam prætulit argumento, quod est in sequenti versu. D.

Ad objurgandum causæ] pro *objurgandi causa*; sæpe sic loquitur Livius, ut VIII. 13. *omnium rerum vobis ad consulendum potestas est* ubi v. Drak. R. D.

112 *Quid feci, quid commerui aut peccavi*] Αὔξησις a majoribus ad minora. Et *feci* quasi facinus dixit. *Facere* enim quis et homicidium dicitur. *Commerui*, minoris culpæ est: *peccavi*, multo minoris, vel levioris. (Ms. Hulst. *Multo majoris vel gravioris*. Et paulo ante, *a minoribus ad majora*.) D.

Commerui] Commerere pleramque dicitur in malam partem de eo, qui pœna dignus est in Hec. IV. 4. 9. *nullam de hisce rebus culpam commeruit*; ei contrarium est promerere. v. Donat. ad Ad. II. 1. 47. R. D.

Quæ sese in ignem injicere voluit, prohibui,
Servavi. honesta oratio est. So. Recte putas.
Nam si illum objurges, vitæ qui auxilium tulit:
Quid facias illi, qui dederit damnum aut malum?
Si. Venit Chremes postridie ad me, clamitans,
Indignum facinus; comperisse, Pamphilum
Pro uxore habere hanc peregrinam. ego illud sedulo

113 *Quæ sese*] Illic mea Glycerium: hic pronomen dixit. Mira dissimulatio, tanquam illam præter periculum nesciat. D.

114 *Honesta oratio est. nam si illum objurges, vitæ qui auxilium tulit*] Purgationem filii sui et ipse confirmat per sententiam, ut iste videatur nunc irasci, qui aliquando alias admiserit causas; et est locus argumenti, qui dicitur a contrariis. E.

Honesta oratio est] I. e. oratio habet speciem honestatis et humanitatis. Terentium imitatur Cic. de offic. II. 20. R. D.

115 *Nam si illum*] Argumentum per ratiocinationem a contrario. ut si dicas, *Viro forti præmium debetur, si desertori pœna constituta est. Tulit*] Pro attulit. sed multa significat: et alias pertulit. Virgil. Æn. II. 407. *Non tulit hanc speciem furiata mente Chorœbus.* Alias sustulit: ut idem, Ecl. IX. 51. *Omnia fert ætas, animum quoque,* pro aufert. D.

116 *Illi*] Pro illo. *Dederit damnum, aut malum*] *Damnum*, rei est; *malum*, ipsius hominis. D.

Quid facias illi] Τὶ ἂν ποιήσοις ἐκείνῳ, ὃς ἄρα δεδωκώς ἢ ζημίαν, ἢ κακόν. Priscian. lib. XVIII. L.

Ne ictus in ultima fiat, colloca ita, *dederit qui damnum.* B.

Dederit damnum] *Damnum dare* est *damnum inferre,* pro quo minus latine vulgo dicitur *damnum facere.* id enim significat *damnum pati.* v. Duker. de latinitate veter. Jurisconsult. g. 374. Similiter *malum dare* est *malo afficere* infra II. 5. 10. *ut pro hoc malo mihi det malum.* v. interpret. ad Phædr. I. 16. 2. Damnum est rei, malum hominis ut Donatus annotat. R. D.

117 *Venit Chremes*] Argumentum ex conjectura, de testibus. Et mire supra, *ultro venit ad me.* Ergo hic causa justi doloris ostenditur, quia dolet etiam Chremes: nam potuit, non daturus filiam, non venire. *Postridie ad me clamitans*] Ut sine dilatione sciri posset. et *clamitans*, indignantis est: ut, *clamant omnes.* D.

Venit Chremes postridie] Qui hoc facilius probatum omnibus doceat, continuo et Chremes venit: adjecit et *clamitans*, ut indignatione ostenderetur, verum esse compertum. E.

118 *Indignum facinus*] Distinguendum, ut per se intelligatur indignum facinus, et ipse doleat Pamphilum corrumpi. *Comperisse*] Ergo ab aliis: ut appareat verum (Ms. H. *eversum*) quod ait, *tum uno ore omnes.* et, *hac fama impulsus Chremes. Indignum facinus comperisse*] Deest *se*: incertaque distinctio. *Pamphilum*] Cum emphasi dixit, id est, pudentem et bene moratum. Et nec amicam, sed *pro uxore.* Mire ergo, quasi non hoc doleat quod amet, sed quod pro uxore habeat. Et simul excusatur filiam denegaturus socer. D.

Indignum facinus! comperisse se] Pulchre ex persona soceri indignum facinus dictum est, ut et ipse doleat Pamphilum esse corruptum, quippe cum ipse venerit prior, ut filiam polliceretur. E.

Indignum facinus] Est irati et indignantis exclamatio ut Eun. I. 1. 25. et Phorm. IV. 3. 8. indignum est, turpe, fœdum, non ferendum. R. D.

119 *Hanc peregrinam*] *Hanc*, cum

Negare factum: ille instat factum. denique
Ita tum discedo ab illo, ut qui se filiam
Neget daturum. So. Non tu ibi gnatum? Si. ne hæc quidem
Satis vehemens causa ad objurgandum. So. Qui, cedo?

contemtu dictum est. et *peregrinam*, ut alibi, *adeone est demens ex peregrina?* nam hoc nomine etiam meretrices nominabantur. *Ego illud sedulo*] Quanto affectu pater factum, quod viderat, negabat. *Sedulo*] Quomodo *sedulo*, si negabat? an *sedulo*, ut Sosiæ? id est simpliciter. *Sedulo*] Quia non semel negavit, vel ille institit. D.

Pro uxore habere hanc peregrinam] Magna justitia soceri: si quidem non Pamphilum dolet amare alteram, sed dolet pro uxore habere hanc peregrinam. Considerat enim personam soceri, merito uxorem dolet alteram. E.

Pro uxore habere peregrinam] H. e. loco uxoris ut in Heaut. I. 1. 46. et in Ad. I. 23. *amavi pro meo.* Veteres autem peregrinas mulieres fere pro meretricibus habebant. Nam honestæ fœminæ domi continebantur, inhonestæ meretricium quæstum apud alios potius quam apud suos facere volebant v. Donat. ad h. l. et Isaac. Casaubon. ad Theophr. character. c. 29. R. D.

120 *Factum*] Impersonaliter. *Negare factum*] Officium patris, et simul per hoc expressio probationis. *Ille instat factum*] Plautus, Merc. II. 1. 18. *Instare factum;* similis est (lege, *instare factum Simia. Est,* &c.) ἀρχαϊσμὸς. *Instare factum*] Vetuste, id est, instat dicere factum esse. *Denique*] Quid denique? ad summam properat, et ad finem dictorum *denique.* id est postremo. D.

Ego illud sedulo negare factum] Ne leniter credidisse videatur, et negasse dixit. *Ille instat factum*] Ita comprobata res est, perseverante soceri testimonio. E.

Instat factum] Glossar. *Instat* ὀχλεῖ, et *instantia* ἐνστασις. Scævola I. 34. ff. de pig. act. *Instantia Gaii Sei creditoris.* L.

Instat factum] Urget dicendo et iterando factum esse in Heaut. V. 1. 22. *magis unum etium instare ut hodie conficrent nuptiæ* v. Gronov. ad Liv. XXXII. 1. et Schulting ad. Senecæ controvers. C. I. p. 92. R. D.

Denique] I. e. ut paucis dicam, ut paucis omnia complectar. Cic. ad Div. X. 10. *is enim denique honos mihi videri solet,* ubi v. Græv. Ovid. epist. XX. 65. *denique dum captam tute cogare fateri.* v. Duker. ad Flor. 46. p. 145, R. D.

121 *Discedo*] Proprie: non enim abeo, unde *discessio.* D

Denique ita tum discedo ab illo] Jam apud socerum probatam rem dixit, quod filius amet. Si quidem ipse qui promiserat, hoc cognito, socer filiam negavit. E.

122 *Ut qui se neget*] Probavit, quod non volebat senex Sosiæ: adhuc superest ut ostendat, quod non sit irascendum, quin juste irascatur. (Ms. Hulst. *Quod non sit iracundus, qui juste irascitur.*) *Non tu ibi gnatum*] Ἀποσιώπησις, vel ellipsis. deest invasisti, objurgasti, adortus es. D.

Non tu ibi gnatum] Deest, arguere aut accusare debuisti: et est ἔλλειψις, quæ solet fieri aut nimia lætitia, aut nimia tristitia. Hoc quidem magna procuratione perfectum est, ut jam servus credidisse videatur, quod amat filius. At vero senex, ut justitiam suæ iracundiæ, doceat, et hanc causam non idoneam docet, qua filius accusandus esse videatur: sed jungit rationem. E.

Non tu ibi gnatum] Intellige objurgasti vel simile verbum. v. Donat. ad h. l. R. D.

123 *Ad objurgandum*] Incusandum, inclamandum. D.

Cedo] Aliquando ponitur pro *da*, aliquando pro *dic* ut h. l. et infra II. 3. 9. R. D.

Si. Tute ipse his rebus finem præscripsisti, pater.
Prope adest, quum alieno more vivendum est mihi:
Sine nunc meo me vivere interea modo.
So. Quis igitur relictus est objurgandi locus?
Si. Si propter amorem uxorem nolit ducere,
Ea primum ab illo animadvertenda injuria est.

124 *Tu te his rebus*] Modo non addidit *diceret*. D.

Tute ipse his rebus finem præscripsisti, pater] Potest enim filius dicere, uxorem nunc sum ducturus, tempus veniet cum aliena lege et alienis moribus vivam. Interim sine, dum tempus est, meo me more vivere. Unde servus et hac re dejectus, objurgandi interrogat causas. E.

125 *Prope adest*] Prope adsunt nuptiæ: in proximo sunt metæ libertatis: et ideo avidius voluptaria sub finem carpenda sunt. *Quum alieno*] *Quum* pro quo; hoc enim significat *quum*. D.

Prope adest] Priscian. lib. XIV. L.

Adest] Nempe tempus; de hujus nominis frequenti ellipsi v. Sanct. Min. IV. 4. p. 645. R. D.

Alieno more] I. e. alterius arbitrio in Heaut. I. 2. 29. *hunccine erat æquum ex illius more vivere*. mox sc. v. 126. dicit *modo* ut in Heaut. I. 4. 21. *non licere meo modo ingenium frui* in Eun. V. 3. 11. *qui hunc meo excruciem modo*. Sallust. in fragm. p. 973. *gerant habeantque suo modo imperia*, ubi vid. Cort. Idem sit expressit Virg. Æn. IV. 340. *me si fata meis paterentur ducere vitam Auspiciis*. R. D.

126 *Meo me vivere interea modo*] *Meo modo*, mea voluntate, meo arbitrio. D.

127 *Relictus est objurgandi locus*] Mire *objurgandi*: tanquam incensus pater in filium videretur. nam supra commotus plus per ἀποσιώπησιν significaverat. *Si propter*] Hoc erat secundum in divisione, *et consilium meum cognosces*. *Si propter amorem*] Initium consilii sui demonstrandi. D.

Quis igitur relictus est objurgandi locus] Et bene *objurgandi* dixit. nam de crimine jam constat, quod amat filius: sed objurgandi quæritur locus. E.

In nostris fere omnibus libris est, *qui igitur*, quod est recipiendum. cod. Vaticanus veterrimus, teste ad Phædrum Gudio, legebat *relicuus* h. e. *reliquus*. Sed recepta lectio est retinenda. B.

Relictus est objurgandi locus] *Locus* est occasio, facultas. infra I. 4. *date illis in aliis potius peccandi locum*. II. 2. 17. *nunc non est narrandi locus*. Liv. IX. 2. *quando nec consilio nec auxilio locus esset*, ubi v. Drak. Male vero quidam *relictus* in *reliquus* mutavit. Cæs. de B. G. V. 19. *millibus circiter essedariorum relictis itinera servabat*. Liv. IV. 27. *nulla in prælio justo relicta spe* v. Bentl. ad h. l. R. D.

128 *Nolit*] Legitur et *nollet*. D.

Si propter amorem uxorem non vult ducere] Hoc est illud, quod secundum proposuerat Simo: *et consilium meum cognosces*. Credit enim ad iracundiam hanc esse causam, non quod amet filius, nam id ætatis est et temporis, sed unde incipit causa peccati, si propter amorem nolit ducere uxorem. E.

Pro vulgari *nolit*, et Donati *nollet*, repone *nolet*. B.

129 *Ab illo animadvertenda, injuria*] Nota participium a passivo. *Animadvertenda*, castiganda, vindicanda est. *Ab illo injuria*] quam facit, non quam patitur, *Ea primum animadvertenda injuria*] Ut jam hoc sit peccatum, quod recusat nuptias, non quod peccat adolescens. Ideo ergo primum dixit, animadvertenda injuria est, vindicanda, exequenda est. Et bene *ea ab illo* dixit *injuria*; certisssimam enim notat personam, quæ debeat pro injuriis pœnas solvere. quod si dixisset, *injuria ejus*, ἀμφιβολίαν fecisset, utrum quam

Et nunc id operam do, ut per falsas nuptias
Vera objurgandi causa sit, si deneget:
Simul sceleratus Davus si quid consilii
Habet, ut consumat nunc, cum nihil obsint doli:
Quem ego credo manibus pedibusque obnixe omnia
Facturum; magis id adeo, mihi ut incommodet,

passus est ab alio, an quam ipse aliis intulit. D.

Animadvertenda injuria est] *Injuria ab illo est* injuria, quam ille facit. Nam præposito *ab* sæpe inservit genitivo circumscribendo. infra III. 1. 3. *ab Andria ancilla.* i. e. Andriæ ancilla. Plaut. in Mil. II. 2. 5. *quamque a milite hominem*, Sallust. in fragm. p. 934 *metus a Tarquinio.* Liv. XXVII. 5. *fides a consule* ubi v. Gronov. Valerius Flaccus V. 243. *ab auro fulgor.* v. Perizon. ad Sanct. Minerv. III. 3. Nota 138. et Cort. ad Cic. ad Div. III. 13. *animadvertere* h. l. est castigare, vindicare. v. infra IV. 4. 28. et Donat. ad h. l. *injuria* est peccatum, ut apud Ovid. epist. VII. 87. *quæ meu cœlestes injuria fecit iniquos.* R. D.

130 *Et nunc id*] Hic reddit quod dixerat, *consilium meum cognosces. Id*] Id est, *propter id.* D.

Et nunc id operam do, ut per falsas] Hoc est consilium, ut falsæ nuptiæ fingantur, quo et animus victus adolescentis circa amorem possit agnosci; simulque et Davi servi, qui favet plurimum Pamphilo, consilia falsa nuptiarum vanitate frustrentur. E.

Id operam do] Sic etiam loquitur infra II. 1. 7. et in Hec. III. 3. 48. *idem nunc huic operam dabo*, in quibus deest præpositio *in*, quam addit Cic. Tusc. quæst. I. 4. *in quam exercitationem nos studiose operam dedimus*, ubi v. Davis. R. D.

131 *Vera*] Ἀντίθετον. quia *falsa (falsas)* dixit, intulit *vera.* D.

132 *Consilii*] I. e. fraudis, doli; stratagemata consilia vocant. R. D.

133 Faernus contra codd. quos et ipse et ego vidimus, mavult tamen legi *obsunt* pro conjunctivo. Nec, quid intersit, video. B.

Consumat nunc] H. e. si quid habet artis, adhibeat nunc, nihil intentatum relinquat. Cic. pro Sext. c. 13. *cum omnem vim sui tribunatus in mea salute consumserit.* Ovid. Metamorph. VIII. 106. *consumtis precibus violentam transit in iram.* v. Burmann. ad Petron. c. 34. R. D.

134 *Manibus pedibusque*] Proverbiale, id est, omnibus membris (Ms. Hulst. *omnibus verbis*, forte leg. *omnibus nervis.*) *Obnixe*] cum conatu, instanter contra conantem. D.

Sublato *que* post *pedibus*, vehementior et melior est oratio, ut infra IV. 1. 53. B.

Manibus pedibusque] Proverbium pro omni conatu. v. infra IV. 1. 52. et Petri Victorii variar. lect. IV. 19. R. D.

135 *Magis id*] *Id* propter id. *Incommodet*] Noceat, incommodum afferat. *Mihi ut incommodet*] Non enim, inquit, prodest filio amare meretricem. (Lege: *Non enim illi prodest, filium amare meretricem.*) D.

Magis adeo mihi ut incommodet] Ut mihi magis, inquit, noceat, quam filio prosit. E.

Mihi ut incommodet] Naturale nimirum servis hoc, odisse dominos, ut est apud Querol. ac damno eos mactare, adeo ut dictum antiquitus fuerit: *quot servi, tot hostes.* Festus, Seneca Epist. XLVII. et ex eo Macrob. Simplicius. Theophilus, Marcellinus in Hemogenem pag. 135. πομποὶ τὸν τρόπον (de servis loquitur) ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, καὶ ἀκίλαστοι. οὐχ ἥκιστα, ὅτι τοῖς δεσπόταις ἀεὶ ἐχθρὸν καὶ πολέμιον, κἂν χρηστοῖς δεσπόταις δουλίνωσιν. Hinc est quod scribit Vegetius Veterin. lib. I. *Neque enim de damno domini cogitant, quod*

Quam ut obsequatur gnato. So. Quapropter? Si. Rogas?
Mala mens, malus animus: quem quidem ego si sensero—
Sed quid opus est verbis? Sin eveniat, quod volo,
In Pamphilo ut nihil sit moræ; restat Chremes,
Qui mihi exorandus est; et spero confore.
Nunc tuum est officium, has bene ut adsimules nuptias:

eidem contingere gratulantur. Et elegantes Aristides Sicula I. pag. 37. ὅλως δὲ τῇ δούλων φύσει χεωμένους. ἢ καθάπερ τῷ προσχήματι τοῖς δεσπόταις ἐνάντια, οὕτω κἂν τοῖς βουλήμασιν. ἀντὶ γὰρ ὧν εὖ πάσχουσι, μισοῦσι, καὶ δίκην ἐθέλουσι λαμβάνειν, ὡς χάριν ἐκτίνειν εἰκὸς ἦν. ἄυτη δὲ ἐστὶν μὴ φαντάπασιν ἔχειν ἐυμενῶς τοῖς δεσπόταις. L.

Incommodet] Incommodare alicui significat incommodum alicui afferre, nocere. Cic. pro Quint. c. 16. *cum ipsi nihil alteri scientes incommodarint;* de Finibus V. 19. *quod animi ipsa scientia etiamsi incommodatura sit, gaudeant,* ubi v. Lambert, et Davis. Contra *commodare alicui* est facere quo alicui commodo in Hec. V. I. 33. *meritus de me est quod queam illi ut commodem.* Cic. ad Div. XIII. 35. *omnibus rebus, quod sine molestia tuo facere possis, ei commodes.* R. D.

136 *Quapropter*] Mire Sosia interrogat, quasi nulla causa sit fallendi dominum. D.

137 *Mala mens*] Voluntas est mens, etiam ratio. *Mala mens*] Argumentum a natura, et an aliquis sine causa malus, an ab impulsione. *Mala mens*] Quia dixit, magis ut lædat, quam ut prosit. *Quem quidem ego si sensero*] ἀποσιώπησις est gravissimam pœnam ostendentis. D.

Mala mens, malus animus] Quia occultum servum videbat aliquid facere, ut alteri noceat, non ut prosit: idcirco hanc adjuxit causam, quod mala mens, malus animus, ista semper fecerit. E.

Mala mens, malus animus] *Mens* est indoles, ingenium, *animus,* consilium, voluntas. Sensus igitur est: ex mala indole oriuntur mala consilia. v. Serv. ad Æn. VI. 11. R. D.

Si sensero] Est aposiopesis; plenus sermo esset: si sensero moliri aliquid, poenas dabit. R. D.

138 *Sin eveniat quod volo*] Hic sensus est: quod volo veniet, illud scilicet, ut in Pamphilo nihil sit moræ. Hoc jam restat ut Chremes exorandus sit. E.

140 *Exorandus*] Legitur et *expurgandus.* Si *expurgandus;* lege *cui,* non *qui:* quia *cui* per *q.* veteres scripsere. *Confore*] Ab eo quod est *confit,* id est, perficitur, futurum tempus infinitivi modi *confore* facit, id est, perfectum iri. Sic in Adelphis, *verum quid ego dicam? hoc confit quod volo. Confieri,* id est, perfici. unde *confectum negotium* dicitur, vel *confecta res,* quæ ad plenum perficitur. Virgilius, Æn. IV. 115.—*nunc qua ratione quod instat Confieri possit, paucis, advertè, docebo. Nunc tuum est officium*] Hoc ad illud tertium respicit, quod dixit: Et quid facere in hac re te velim: Has bene ut assimules nuptias: perterrefacias Davum: hoc erat tertium de his, quæ dicturum se promiserat. D.

Spero confore] Apud Priscianum lib. VIII. *Et id spero confore.* L.

Confore] I. e. perfici posse. Donat. hoc verbum pessime deducit a confit. Amm. Marcellin. XXIV. 3. *quorum neutrum extis inspectis confore dicebat,* ubi v. Vales. R. D.

141 *Assimules*] Hoc est unum verbum *assimules:* quod dixit, *Quin tu una*

Perterrefacias Davum: observes filium,
Quid agat, quid cum illo consilii captet. So. Sat est:
Curabo; eamus jam nunc intro. Si. I præ; sequar.

ACT. I. SCENA II.

SIMO. DAVUS.

NON dubium est, quin uxorem nolit filius:
Ita Davum modo timere sensi, ubi nuptias

verbo dic, quid est quod me velis. Perterrefacias] Venuste et poetice. D.

Nunc tuum est officium] Hoc est tertium quod in propositione posuerat: *et quid facere in hac re te velim.* ut bene scilicet assimulet nuptias, Davum terreat, filium observet, vel quid agat, vel quid consilii habeat. E.

142 *Observes filium*] Observatio in duabus reb. est, in obsequio, et speculando. D.

Observes filium] Servius Georg. IV. ad illa verba, *Medus Hydaspes observant.* L.

Observes] *Observare* sæpe est omnia dicta et facta alicujus more custodis aut speculatoris animadvertere. II. 5. 1. *jussit Pamphilum hodie observare.* Servare dixit infra I. 3. 7. *me infensus servat.* R. D.

144 *Curabo*] Ut coquus: et supra sic, *neque ut curentur recte hæc. I præ*] Figura ἀναστροφή, quod nos *præi* dicimus. D.

Meliores e nostris codd. habent *eamus nunc jam intro*, quod molliorem efficit versum. Sed vulgare *sequar* præfer lectioni cod. Victoriani, ubi est *sequor* Etenim Simo in scena aliquamdiu subsistit. B.

Jam nunc] Hæ particulæ sæpe junguntur. Ovid. Epist. II. 83. *doctas jam nunc eat inquit Athenas.* Liv. XXXI. 32. *tempus jam nunc statui possit*, ubi vid. Drak. R. D.

I præ sequor] *I præ* dicitur pro *præi* ut Run. V. 2. 69. R. D.

1 Narratione jam habita, persona Sosiæ non erat necessaria; ergo subsistit senex, per quem agenda sunt reliqua. *Non dubium*] Ad hoc certus inducitur Simo, ut magis perturbetur inopinata consensione Pamphili ad ducendam uxorem, et præterea nihil agat cum Chremete de tradenda filia, confirmandisque nuptiis. D.

Non dubium est quin uxorem nolit filius] Remansit senex, et hic secum loquens habet conjecturalem statum. Nam quæstio est, an uxorem nolit filius. Confirmat autem quod nolit uxorem; et hujus confirmationis argumentum hoc est quod dixit. E.

Non dubium] Priscian. lib. VIII. L.

Nolit uxorem] Ubicunque *volo* et *nolo* accusativum adjunctum habent, is pendet a subintellecto infinitivo. Hic supplendum est *ducere.* R. D.

2 *Ita modo Davum timere sensi*] Non recessit de loco senex: *sensit* ergo ante, quam cum Sosia loqui cœpisset. *Ita modo*] Argumentum quod supra, ab eo quod nostri faciunt. *Modo*] Ante quam cum Sosia loqui cœpisset Simo. Et *Davus* non recte scribitur; *Davos* scribendum: quod nulla litera vocalis geminata unam syllabam facit. Sed quia ambiguitas vitanda est nominativi singularis, et accusativi pluralis: necessario pro hac regula, digamma utimur, et scribimus, *da Fus, ser Fus, cor Fus.* (R. Stephanus, *datus, sertus, cortus.*) D.

Ita modo Davum timere sensi] Dixi

Futuras esse audivit. sed ipse exit foras.
D. Mirabar, hoc si sic abiret: et heri semper lenitas
Verebar quorsum evaderet.
Qui postquam audierat non datum iri filio uxorem suo,
Nunquam cuiquam nostrum verbum fecit, neque id ægre tulit.
S. At nunc faciet: neque, ut opinor, sine tuo magno malo.

enim supra, quod non solum de factis nostris, ad conjecturam argumenta colligi possunt, verum et nostrorum. E.

4 *Mirabar hoc*] Hic locus est, in quo Davus insinuatur spectatoribus multa gesturus. *Si sic*] *Sic*, pro leviter et negligenter, quod Græci ὄντως dicunt, significat autem ὄντως, *sic*: et est de his, quæ adjuvanda gestu sunt: ut *tantillum puerum*: et, *hujus non faciam*. *Lenitas*] Clementia, facilitas; cui contraria, asperitas et difficultas. *Et heri semper lenitas*] An *semper lenitas?* ut sit ὑφὲν. Lucretius, I. 125. *Semper florentis Homeri*. *Semper lenitas*] Ac per hoc simulata usque nunc lenitas: nam nemo in diversis actibus semper lenis est: nisi forte fictus assimulator et callidus. *Semper lenitas*] Sine differentia est importuna lenitas. D.

Mirabar, hoc si sic abiret] Hæc scena mandatum tenet, quanquam mandati causa præcedit, quod amare dicitur filius. Manet illa conjectura, quæ similiter habet et argumenta, et probationes suas: postea mandati actio est, ut quod observet Davus per mandata cognoscat. Egreditur namque non aspiciens dominum, cujus oratio talis fingitur, ut quædam temere dicta proferat: quod lenitatem domini latentem, suam et demonstrat calliditatem; quod miratus sit, verbum sibi a domino non esse factum, hoc est, secum non locutum, neque ægre dominum tulisse, quod audisset non dari uxorem. E.

Si sic abiret] Ut Seneca Epist. III. *Hoc abierit*. *Heri semper lenitas*] Diomedes lib. I. cap. IV. τὸ *semper* non habet. L.

Mirabor] Intelligendum est, Simonem, postquam hæc cum Sosia egerat, cum Davo locutum esse. R. D.

Si sic abiret] I. e. hoc ferremus impune, si nobis nihil molestiæ inde oriretur. Catull. Carm. XVI. 16. *non non hoc tibi sic abibit*. Cic. de Fin. V. 3. *et si hoc fortasse non poterit sic abire*. Simili ratione aliquis dicitur auferre, quod scilicet impunitum, inultum in Ad. III. 4. 8. *haud auferent*. R. D.

Semper lenitas] Si Donatum et alios interpretes sequamur, *semper lenitas* per figuram hyphe, est perpetua lenitas, ut apud Virgil. Æn. I. 198. *ante malu* sunt superiora mala. v. Voss. in histor. orat. V. 4. p. 241. Sed hic *semper* rectius jungitur cum verbo *verebar*. R. D.

5 *Quorsum evaderet*] Ad quam partem erumperet. Et *evadere*, est per quamcumque difficultatem ad aliquid pervenire. D.

7 *Verbum fecit*] Non dixit litigium, aut rixam, sed *verbum*. Istæ exiguitates, asseverationes (Ms. Hulst. *Istæ exiguitatis asseverationes*) dicuntur; et cum pronunciatione, ut intelligatur: ne verbum quidem. *Neque id ægre tulit*] Hoc est *semper lenitas*. D.

Nunquam cuiquam nostrum verbum fecit] Nunquam cum quoquam nostrum locutus est, infra II. 4. in fine *nunquam tecum commutaturum verbum*. R. D.

8 *Faciet*] Sabaudiendum *verbum*. et est *faciet* persona tertia, pro prima. *Faciet*] Id est, irascetur, denunciabit, loquetur. *Sine tuo magno malo*] Id est, comminabitur tibi, et minas contemnes, ut ad poenas pervenias. D.

**D. Id voluit, nos sic nec opinanteis duci falso gaudio,
Speranteis jam, amoto metu, inter oscitantes opprimi;
Ne esset spatium cogitandi ad disturbandas nuptias. Il
Astute! S. Carnifex, quæ loquitur? D. Herus est,
neque provideram.
S. Dave. D. Hem, quid est? S. Ehodum ad me. D.
Quid hic volt? S. Quid ais? D. Qua de re?
S. Rogas?**

At nunc faciet] Hoc est, at nunc tecum loquetur. E.

9 *Id voluit*] Aut absolute accipiendum *id*: aut *id*, quomodo *sic*, demonstratio est, ut magis gestu quam sensu intelligatur, ut supra diximus. *Nec opinantes*] ὑπὸν. *Duci*] *Ducere* est exspectatione longi temporis malum protatare: vel induci, ut feræ in retia. *Falso gaudio*] Velut ex ira, et vitæ senis iracundia. D.

Id voluit] H. e. hoc ejus consilium fuit. Sic Sueton. in Cæs. c. 30. *hoc voluerunt*. R. D.

Nec opinantes] Veteres *nec opinans* et *nec opinus* dicunt pro inopinans, ut *nec* valeat *non*, in Heaut. I. 2. 12. *lætitiam nec opinanti primus objicerem*, v. Manut. ad Cicer. ad Div. XIII. 18. et Drak. ad Liv. IV. 27. R. D.

Duci falso gaudio] Decipi. Sic infra IV. 1. 20. *etiam nunc me ducere istis dictis postulas*. Propert II. 13. 57. *mentiri noctem promissis ducere amantem*. v. Heins. ad Ovid. Metam. VIII. 123. et Bentlei. ad Horat. sermon. I. 2. 88. R. D.

10 *Amoto metu*] Ista singula sunt. Et *amoto metu*, sic dixit, quasi metus sit corpus brutum, quod cum molimine movetur. *Oscitantes*] *Oscitatio* est animi otium et securitas, dictum ab *ore ciendo*, id est, commovendo. *Oscitantes*, securi, id est, nihil providentes. D.

Lege *interea*. Nam *inter* repugnat melioribus codd. nocet metro, et turbat sensum propterea, quod præter Davum et Pamphilum non erant tum alii, qui oscitarent. B.

Oscitantes] I. e. negligentes, securos. Oscitare signum securitatis. v. Gell. IV. 20. R. D.

Opprimi] Dicitur cuicunque quid subito et præter opinionem accidit. Cic. Verr. III. 91. *Antonium mors oppressit*. Liv. XXXVII. 4. *eo ipso quod nihil subtimerent opprimi incautos posse*, v. Gronov. ad Liv. XXX. 10. R. D.

11 *Cogitandi ad disturbandas*] Miranda locutio: ut si dicas, *cogitat ad dicendum*. *Astute*] Hoc et gestu, et vultu servili, et cum agitatione capitis dixit. D.

Ne trochaicus inter iambicos veniat, corrige, *ut ne esset spatium*. Sic Eunuch. V. 4. 20. B.

Cogitandi] I. e. consultandi, deliberandi. Nep. in Datam. c. 7. *quum cogitasset facere auderet, et prius cogitare quam conari consuescit*. Vellei. Paterc. I. 10. *cogitationem regiam Romana dissecit constantia*. v. Cort. ad Cic. epist. ad Div. III. 2. R. D.

12 *Carnifex*] Aut excarnificans dominum, aut ipse dignus carnifice, ut caro fiat, id est, lanietur. Lucilius, *carcer, vix carcere dignus*. *Neque provideram*] Providentia duplex est: aut enim animo, aut oculis providemus. *Hem*] Quasi correptio totius corporis. D.

Astute! carnifex, quæ loquitur] Serv. Æneid. XI. 704. *Dolos ingressus et astu*. L.

Provideram] H. e. porro videram, habent et Faerni libri omnes, et nostri, uno excepto, qui legit prævideram. B.

Provideram] I. e. Antevideram. Plaut. in Asin. II. 4. 44. *non te provideram. quæso ne vitio vortas*. R. D.

13 *Ehodum*] Nutus est, intentionem

Meum gnatum rumor est amare. D. Id populus curat, scilicet!
S. Hoccine agis, an non? D. Ego vero istuc. S. Sed nunc ea me exquirere,
Iniqui patris est. Nam, quod antehac fecit, nihil ad me attinet:

animadversionemque deposcens ejus, cum quo vult loqui. *Ehodum*] *Dum, παρέλκων* est hoc loco. *Quid hic volt*] More servili, et vernili gestu. sic enim vocati a dominis servi vultuose agunt (Lego *aiunt*). *Qua de re*] Negantis vim habet hæc interrogatio. Plus enim est *qua de re*, quam *nihil*. *Rogas*] Hoc cum interrogatione indignantis. D.

14 *Meum gnatum rumor est amare*] Mire apud servum dissimulat id, quod jam probavit. *Meum gnatum rumor est amare*] Graviter, constanterque senex nondum se fatetur credere, nec verum scire: ne amittat vim vindicaturi, si rescierit. *Id populus curat, scilicet*] Quia rumigeratio populi est. sed hoc aversus ab illo, contumaciter. sic Virgil, Æn. IV. 379. *Scilicet is superis labor est. Scilicet*, semper cum *εἰρωνίᾳ* ponitur. D.

Meum gnatum rumor est amare] Et hæc omnis probatio est, an amet filius: sed conjecturalis probatio a testibus. Unum testimonii genus est rumor: hunc autem rumorem ex relatione Chremetis Simo tenet. quippe cum supra dixerit: *postridie venit clamitans, indignum facinus, se comperisse. Id populus curat, scilicet*] Hæc defensio est contra rumorem: verisimile non esse omnem populum de, nescio cujus adolescentis, amore cogitare. E.

Id populus curat scilicet] Sensus est: non credo esse rumorem in populo. Cur enim populus curet filii tui amorem? *Scilicet* et *videlicet* eleganter inserviunt ironiæ. Virgil. Æn. IV. 379. *scilicet is superis labor est.* Terentium imitatur Cic. ad. Attic. XIII. 34. v. Bentl. ad Ad. V. 3. 5. R. D.

15 *Hoccine agis*] *Agis*, id est audis. Alibi sic, *hoc age, amabo.* Plautus, Asin. Prol. I. *vos hoc agite.* Pronuncians simul demonstrative, veluti aurem suam tangens. *Istuc*] Deest *ago*, vel *audio*. D.

Hoccine agis an non?] Obscurus sensus, et tamen talis est: curæ tibi est quod populus loquatur? denique hoc intelligit servus, et respondit domino, sibi curæ esse, cum diceret; *ego vero istuc. Sed nunc ea me*] Hanc defensionem, quam supra collocarat, et nunc memorat quod amare adolescentem criminis non sit, maxime ante nuptias, ideo adjecit: *nam quod ante hæc fecit, nihil ad me attinet; dum tempus ad eam rem tulit, sivi animum ut expleret*] Deinde incipit mandata obliqua oratione proponere. R.

Hoccine agis an non] I. e. utrum attendis ad ea, quæ dico an non? Hæc formula, quia qui spectant vel audiunt, attento animo esse jubentur, ex veterum sacris manavit. Nam sacerdos, antoquam victima immolaretur, clamabat, hoc ego, monens populum, ut huic rei jam tempus esset. v. Plutarch. in Numa p. 69. et in Coriol. p. 225. et interpr. ad Sueton. Calig. c. 58. infra II. 5. 4. *hoc agam*, in Heaut. III. 2. 4. 7. *nunc istuc age.* Huic formulæ contraria est, *alias res agere.* i. e. non attentum esse; in Eun. II. 3. 56. in Hec. V. 3. 28. R. D.

16 *Iniqui patris est*] Iniqui est, si nunc velim quærere actus liberos adolescentis. *Nam quæ antehac fecit*] Pro, *ante hæc*, consuetudine magis, quam ratione dicitur. *Nihil ad me*] Id agit, ut superius consilium se servare ostendat. D.

Dum tempus ad eam rem tulit, sini, animum ut expleret suum.
Nunc hic dies aliam vitam affert, alios mores postulat.
Dehinc postulo, sive æquum'st, te oro, Dave, ut redeat jam in viam.
D. Hoc quid sit? S. Omnes, qui amant, graviter sibi dari uxorem ferunt. 20

17 *Dum tempus ad eam rem tulit*] Deest *se*: ut sit, Dum tempus se præbuit: quia supra dixit, *tute his rebus finem præscripsisti, pater. Ad eam rem tulit*] Absolute, et deest *se. Sini, animum ut expleret suum*] Mira ratio oriri, ut et hoc quod permisit, ad bonam frugem permiserit, non ad luxuriam, *sini* autem distingue: est autem *sini* modo, permisi, cessavi. *Sini* antique. Aliter in Adelphis: *non sivit egestas facere hoc nos*. D.

Sini animum] Ita Mss. quæ lectio Diomedis auctoritate probari potest. lib. 1. *Sino, sini, ut Publius de vita sua. Quod si me invitum abire sinisset. Item Scaurus: prædium non sini fieri. Melius tamen dicitur sivi, sicut Varro complexionum VI. Ad mortem non sivi me producens*, et quæ sequuntur. L.

Dum tempus ad eam rem tulit] I. e. dum tempus ei rei idoneum paratum est, infra II. 6. 12. *dum ætas tulit*. v. Bentlei. ad Heaut. IV. 1. 54. jungenda sunt *tempus* et *ad eam rem*. R. D.

Sivi] Codices quidam apud Lindenbrogium pro *sivi* habent vetustam formam *sini*, quæ forte a Terentii manu est. Nam veteres sæpe præterita forma præsentium et contra præsentia forma præteritorum inflectebant. ut *impelli, negligi, evadi*, &c. v. Voss. de analogia III. 20. et Ducker. de latinit. veter. Juris consult. p. 369. R. D.

Animum ut expleret suum] I. e. ut amore se satiaret. *explere animum* eleganter dicuntur, qui affectibus animi, amori, iræ, &c. obsequuntur in Hec. V. 1. 28. *exple animum iis*, eodem sensu infra IV. 1. 19. *animo morem gerere* in Ad. I. 1. 8. *animo obsequi* Ovid. Metam. XII. 598. *animo indulgere*. R. D.

18 *Nunc hic dies aliam vitam affert*] Hoc est, recte, et severe, et inexorabiliter denunciant. *Aliam vitam*] Pro diversam et contrariam. sic et Virgil. Æn. II. 428. *Dis aliter visum est. Te oro, Dave*] Gravius illud fecit, nomen appellando. D.

Nunc hic dies] Utitur hoc versu Cicero lib. XII. Epist. XXV. ad Famil. Non absimile proverbium apud Zenob. Ἄλλος βίος, ἄλλη θάλαττα. L.

In lectione, *his dies*, nostri et Faerni consentiunt codd. Sed numerus postulat, ut pro vulgari *affert*, cum Cicerone, Epist. Fam. XII. 25. legatur *defert*. B.

19 *Ut redeat jam in viam*] *Jam* modo tarditatis est signum. et *in viam* dixit, quasi qui devius sit, et errarit a recta via. *Ut redeat jam in viam*] Proverbiale. *Sive æquum est*] ἐπανόρθωσις. D.

Sive æquum est] *Sive* ponitur pro *vel si*, infra I. 5. 58. *sive te hæc solum semper fecit maximi*, in Eun. II. 3. 20. *sive adeo digna res est*. Cic. de legib. I. 7. *sive quod est aliud verbum*. v. Riv. ad h. l. R. D.

Ut redeat in viam] H. e. ut mores suos emendet, prava vita relicta. *via* simpliciter ponitur pro vera et recta via ut ὁδὸς ap. Euripid. in Medæa v. 765. Cic. Philipp. XII. 2. *quod si est erratum spe falsa ac fallaci, redeamus in viam*. Contra *errare via, decedere de via, deflectere de via* est peccare. R. D.

Jam] Tarditatis signum habet, ut Donatus monet et idem valet quod *tandem*. Petron. c. 44. *jam scio unde acceperit denarios mille aureos*, ubi v. Burmann. R. D.

20 *Hoc quid sit*] Ἔλλειψις. deest enim *quæris*. (Si ita scripsit Donatus,

D. Ita aiunt. S. Tum si quis magistrum cepit ad eam rem improbum,
Ipsum animum ægrotum ad deteriorem partem plerumque applicat.
D. Non hercle intelligo. S. Non? hem. D. Non: Davus sum, non Œdipus.
S. Nempe ergo aperte vis, quæ restant, me loqui? D. Sane quidem.
S. Si sensero hodie quicquam in his te nuptiis

videtur illa, *hoc quid sit?* Simoni tribuisse, æque ac Davo.) D.

21 *Ita aiunt*] Hæc credunt et loquuntur universa, et est trepida confessio, (Ms. Hulst. Bœnd. et Lindenbr. *tepida consensio*) et quasi inviti responsio. ut in Heautont. *Ita credo:* monente patre filium. *Tum si quis magistrum*] μεταφορικῶς. an quia et pædagogus est magister? ut Geta in Phormione, *me filii relinquunt quasi magistrum. Ad eam rem*] Id est, super eam rem; hoc est, super amorem. D.

Tum si quis, &c.] *Magistrum* dicit monitorem. * (IMPROBUM) Hanc rem quia oblique dixerat, Davus non intellexerat, itaque plane scire cœpit. R.

Ita aiunt] Formula eorum, qui non ex animi sententia assentiuntur, ut infra II. 1. 21. in Ad. V. 8. 7. Eodem sensu dicitur, *ita prædicant*, infra V. 3. 4. R. D.

Magistrum] Magister est, cujus suasu et consiliis omnia agimus. Seneca in Thyeste v. 310. *sæpe in magistrum scelera rediere sua* v. Burmann. ad Phædr. II 6. 16. R. D.

22 *Animum ægrotum*] Pro *ægro*. Nam animus æger, corpus ægrotum. D.

Animum ægrotum] I. e. amore laborantem. Veteres philosophi amorem aliasque animi affectiones morbos dicunt. Nihili vero discrimen est, quod Donatus tradit, ægrum animum dici, corpus ægrotum. Ipse Terentius alibi quoque sic loquitur et ap. Cicer. Tusc. quæst. III. 4. *ægrotatio mentis*. R. D.

23 *Hem*] Interjectio est irascentis.

Davus sum, non Œdipus] Multiplex contumelia. potest enim senem quasi sphingem dixisse, id est, deformem monstrique similem. potest etiam inhumanum et ferum, ut sphinx. Potest etiam per Œdipum se ultorem promittere futurum, atque oppressorem sapientiæ senis. *Davus sum, non Œdipus*] Facete se negavit Œdipum, ut senem sphinga esse confirmet, non Œdipum. Imitationum duo sunt genera: quandam necessitas, quandam introducit voluntas. *Non Œdipus*] Si Latine pronuncies, genitivus *Œdipi* faciet: si Græce, *Œdipodis*. D.

Non? hem] In Ms. R. τὸ *hem* desideratur. L.

Davus sum, non Œdipus] Multo elegantius erit dictum, si verum est, quod habet Gloss: *Darus, ἄφρων, ἄπειρος.* Eurip. Hipp. 346. Οὐ *μάντις τἀφανῆ γῆθεν σαφῶς.* Ex Epicharmo citat Guyetus, quod tamen in fragmentis sententiarum illius non reperi: Οἰδίπους τύν ποτ' ἂν Αἰνίγματ' οὐ νοεῖς. cf. Plaut. Pœn. I. 34. Pseud. I. 5. 49. W.

Davus sum, non Œdipus] Sermones tui æque obscuri sunt atque ænigmata. Illis igitur solvendis Œdipus adhibendus est v. Proverb. scriptores. R. D.

24 *Sane quidem*] *Sane*, valide: quia qui sanus, et validus est. *Si sensero*] Comminatio. et fit pronunciatio, (lege *sic pronunciatur*. *Sic* est in Ms. Hulst.) ut in singulis verbis ardeant minæ. D.

25 *Hodie*] Non ad tempus non plenum, sed ad comminationem refertur. ut Virgilius, Æn. II. 670. *Nunquam*

Fallaciæ conari, quo fiant minus;
Aut velle in ea re ostendi, quam sis callidus:
Verberibus cæsum te, Dave, in pistrinum dedam usque ad necem,
Ea lege atque omine, ut, si te inde exemerim, ego pro te molam.
Quid? hoc intellextin? an nondum etiam ne hoc quidem? D. Imo callide:
Ita aperte ipsam rem modo locutus, nihil circuitione usus es.

omnes hodie moriemur inulti. Et (in utroque cod. diserte legitur *sic*) *dies* pro nocte accipitur: ut hoc ipsum. *Nusquam omnes hodie moriemur inulti.* D.

Si sensero hodie quicquam in istis nuptiis] Deinde cum minis mandat et verberibus. E.

26 *Quo fiant minus*] *Quo minus*, hoc est, quo impeditius. D.

27 Unus liber habet *ostendere*, cæteri cum Faernianis recte legunt *ostendi*. B.

28 *Verberibus cæsum te in pistrinum Dave*] Vult in pronomine, et nomine exagitare comminatione servum, ne quid relinquat (uterque cod. hic interserit *multum*) iracundiæ. *Dedam*] *Dare*, est quod repetas: *dedere*, est ad perpetuum. *Demus* et amicis: *dedimus*, tantum hostibus. D.

Te cæsum, Dave, in pistrinum dedam] Et omnis admonitio est quæ sequitur. E.

Verberibus cæsum te in pistrinum] Lysias in Apolog. περὶ τοῦ Ἐρατοσθ. φόνου, pag. 93. Μαστιγωθῆναι εἰς μύλωνα ἐμπεσεῖν. L.

Nomen *Dave* cum hic totum in depressione latitet, numerosior efficitur oratio, si post *pistrinum collocetur*. B.

Pistrinum] Est locus ubi fruges tostæ pinsuntur et panis conficitur, unde pinsores dicti sunt *pistores*. v. Voss. in etymolog. Hic labor cum durus cibus esset, in pistrinum detrudebant et compingebant, qui quid deliquissent. Sæpe heri apud comicos hoc supplicium servis minitantur, v. in Phorm. II. 1. 19. et celeberr. Hemsterhus. ad Luciani Timon. p. 127. R. D.

29 *Ea lege atque omine*] *Lege*, ad homines: *omine*, ad rem divinam refertur, id (lege *et*) est firmamentum, per humana et divina. *Omen* autem est, quicquid ore dicitur. *Ea lege atque omine*] Bene *lege* atque *omine*, quia leges auspiciis servatis (Ms. Hulst. *servatitiis*, quod et Lindenbrog. invenit, quem vide) ferebantur. Ergo sic intellige, quasi dixerit, ea lege et conditione. Et antiqui auspicato omnia faciebant, quæ rata esse vellent. D.

Ea lege] H. e. ea conditione, in Eun. I. 2. 22. *hac lege meam tibi adstringo fidem*. v. Heins. ad Ovid. epist. XII. 39. R. D.

Omine] I. e. præsagio; dicit enim herus, si servum inde exemerit, id sibi præsagium vel signum futurum, ut ipse pro servo molat. R. D.

30 *An nondum etiam*] Quartum παροίμιον, quia abundat *etiam*. D.

Imo callide] I. e. plane, probe, v. in Ad. III. 3. 63. et Plaut. in Asinar. II. 2. 82. R. D.

31 *Ipsam rem*] Ipsam rem, id est, voluntatem suam, aut interminationem suam; hoc est, pistrinum et poenas serviles. *Nihil circuitione*] *Nihil*, pro non. *Circuitione*, periphrasi. *Usus es*] Legitur et *usor es*. D.

S. Ubivis facilius passus sim, quam in hac re, me deludier.
D. Bona verba quæso. S. Irrides? nihil me fallis. sed dico tibi,
Ne temere facias: neque tu haud dicas, tibi non prædictum. cave.

Circuitione usus est] Ms. *circumitione*. L.

Lege *circum itione* ob fidem nonnullorum codd. qui habent *circumitione*, et inprimis ob usum loquendi apud Plautum et nostrum, qui semper dicunt circumire. B.

Nihil usus es] *Nihil* pro *non* ponitur ut mox *nihil me fallis*. Cic. ad Div. V. 20. *qui ambitione nihil uterer*. IX. 16. *Œnomao tuo nihil utor*. v. Periz. ad Sanct. Minerv. IV. 4. not. 83. et Drak. ad Liv. XXII. 45. R. D.

Circuitione] H. e. ambagibus. Cic. de nat. Deor. II. 17. *circuitione quadam Deos tollit*. Barbari dicunt: per indirectum. Utroque autem modo dicitur *circumire* et *circuire*. v. Drak. ad Liv. XXVI. 29. R. D.

32 *Ubivis facilius*] Admonitio. *Ubivis facilius*] Cicero, *non est in hac causa peccandi locus ullus*. D.

33 *Bona verba quæso*] Hic in εἰρωνείᾳ est εὐφημισμὸς. quasi dicat, meliora loquere, rogo te. ergo cum admonitione bona verba, inquit, rogo. *Nihil me fallis*] Non te ignoro, non me decipis. Sic Menander: νῦν δὲ οὐδὲν λέληθάς με ἂν. *Nihil me fallis*] Figura est ἑλληνισμὸς. a loco οὐδὲν με λαν'θάνοις ἄν. *Fallis*] Lates, ut sit οὐδὲν με λέληθας. *Nihil me fallis*] *Nihil*, pro etiam nunc. D.

Recte vett. nostri codd. *irrides* sine interrogatione ponunt. Illud autem *sed dico* cum in re tam gravi nimis sit tepidum, reponendum censeo *edico*. h. e. denuntio. B.

Bona verba quæso] H. e. loquere meliora, noli putare te a me deludi posse. Locutio sumta est e sacris, in quibus *bona verba dicere* est, verbis, quæ malum omen habeant, abstinere. Tibull. Eleg. II. 2. 1. *dicamus bona verba*, ubi v. Broukhus. R. D.

Nihil me fallis] H. e. non me lates, non latenter agis Liv. XXXI. 26. *fefellere insidiæ*. XLI. 2. *nec quidquam eos, quæ terra marique agerentur, fallebat*, ubi v. Drakenb. Sic *vita fallens* pro obscura ap. Hor. epist. I. 18. 103. R. D.

Dico tibi] Est graviter increpantis et minantis formula in Eun. II. 3. 45. *tibi dico Charea*. Ovid. epist. XX. 153. *Alterius thalamo tibi nos, tibi dicimus, exi*. Phædr. IV. 19. 18. *tibi dico avare*, ubi v. interpretes. R. D.

34 *Neque tu haud dicas tibi non prædictum*] Duæ negativæ faciunt unam affirmativam: tres negativæ pro una negativa accipiuntur: ut hic, *neque haud non*. Sallustius, *haud impigre, neque inultus occiditur*. Vera ergo lectio est: *neque tu haud dicas*; quod plurimi, non intelligentes, *hoc dicas* legunt. *Neque haud tu dicas*] Vera lectio, *neque daud dicas*. est enim quintum παρέλκον. Plautus in Bacchid. (hodie non comparent hæc. Forte exciderunt ex Act. IV. Sc. 9. ubi fit mentio sæpe oppidi jocularis.) *Neque haud subditiva gloria oppidum arbitror*. D.

Tu haud dicas] Ms. R. et. V. C. *hoc sic dices*. L.

Pro *dicas* recte cod. Vaticanus, et tres meliores e nostris legunt *dices*. Non enim edicit Simo, ne Davus *dicat* sibi non prædictum: ipse Davus jam præmonitus non hoc *dicet*, nec dicere audebit. Cæterum pro lectione Vaticani *hoc* lege *haud*, ita ut *neque haud* accipiatur negative. B.

Neque tu haud dicas] Sæpe apud Latinos Græcorum exemplo duæ negationes non affirmant, sed negant, in

ACT. I. SCENA III.

DAVUS.

ENIMVERO, Dave, nihil loci' st segnitiæ neque socordiæ,
Quantum intellexi modo senis sententiam de nuptiis:
Quæ si non astu providentur, me aut herum pessumdabunt.

Eun. V. 8. 47. *nec magis ex usu tuo nemo est.* Plaut. in Epid. V. 1. 56. *neque ille haud objiciet mihi.* Propert. II. 15. 5. *nulla neque ante tuas orietur rixa fenestras.* ubi v. Broukhus. addite Duker. ad. Flor. III. 17. p. 636. et Bentl. ad h. l. R. D.

1 *Enimvero, Dave*] Hic brevis et comica deliberatio est, magna exspectatione populum rerum imminentium commotura, (Ms. Bœnd. *magna exspectatione plurimarum rerum imminentium commotiva.* Illa autem, *plurimarum rerum*, etiam sunt in ed. Du. B.), metu et cura æstuantis Davi consideratione proposita. *Enimvero, Dave*] Omnes persona aut ab altero commendatur, aut se ipsam populo commendat, aut et ab altero (Ms. Hulst. addit *commendatur*) et a se ipsa; ut hic Davi, et per Simonem supra descripta est, ubi dicit, *mala mens, malus animus:* et hic per se, dum hoc gestu ac sermone agit ac disputat secum. *Enimvero, Dave*] *Enimvero* significationem habet nimium permoti atque irritati animi. Cicero, Verr. I. 26. *Hic tum alius ex alia parte: Enimvero ferendum hoc non est: vocetur mulier. Segnitiæ*] Ad agendum. *Socordiæ*] Ad considerandum. D.

Hæc scena deliberativæ vim tenet. Nam territur a domino seniore Davus; deliberat cui obtemperet; an adolescentis animo, an imperio senis satisfaciat. Habet igitur deliberativæ exordium, in qua exhortatio est: *enimvero, Dave, nihil loci est segnitiæ*] *Segnitia* positum est, ut ea quæ inventa sunt, non prætereantur; *socordia* vero, ut ea quæ sunt necessaria, corde inveniantur. quæ ipsa exhortatio a periculis incitatur. illis scilicet, *quæ si non astu providentur, me aut herum pessumdabunt*] *Herum* autem dixit Pamphilum. E.

Enimvero] Est vox indignantis ac dolori exprimendo accommodata. Cic. Verr. I. 26. *tum alius ex alia parte, enimvero ferendum hoc non est.* v. Gronov. ad Liv. XXVII. 20. R. D.

2 *Quantum modo*] *Quantum*, pro in quantum. D.

3 *Quæ si non astu*] Exhortatio a periculo. *Providentur*] Proviso rerum duas significationes habet. *Providemus* enim nobis tam bonum, quam malum. Malum, sicut si quis eminus veniens telum providerit atque sic caverit. Ergo hic *providentur*, caventur, vitantur. Et nuptias velut undam navigio imminentem fecit. quod si quis undam ex adverso venientem prora non exceperit, demersus undis in pessum abit (lego *pessum abit*, sine *in*). est ergo metaphora. *Me aut herum*] *Herum* hic, herilem filium. D.

Herum pessumdabunt] Glossar. Καταβυθίζω, *Demergo, Pessumdo. Terentius Andria: me aut herum pessumdabunt.* L.

Si non astu providentur] H. e. si non astute et callide caventur. v. in Phorm. I. 4. 5. et Gronov. ad Liv. XXVI. 27. hinc cautus et providens sæpe junguntur ut ap. Liv. II. 24. Recte vero Donat. observat, metaphoram ductam esse a gubernatore, qui procella ex adverso proveniente providet navi suæ, cavet; id quod etiam clarum est e verbo *pessumdare.* Cic. Catil. IV. 2. *incumbite ad reip. salutem, circumspicite omnes*

Nec, quid agam, certum est: Pamphilumne adjutem, an auscultem seni.
Si illum relinquo, ejus vitæ timeo: sin opitulor, hujus minas;
Cui verba dare difficile est. primum jam de amore hoc comperit:

procellas, quæ impendent, nisi providetis. Cæterum *providentur* hoc loco exquisitiore ratione ponitur pro singulari *providetur*, de qua constructione v. Gronov. ad Liv. XXVII. 15. R. D.

Pessumdare] Dicitur, ut venum, victum, pastum dare. Est enim supinum ab antiquo verbo *petior* i. e. subigor, pedibus calcor. Proprium domicilium habet in navibus unda mersis. Plaut. in Rudente II. 3. 64. *nunc eam cum navi scilicet abisse pessum in altum;* hinc translate dicitur pro perdere. Sallust. in Jugurtha c. 1. *Sin captus pravis cupidinibus ad inertiam et voluptates corporis* pessumdatus est; ubi v. Cort. R. D.

4 *Pamphilumne adjutem, an auscultem seni*] Semper deliberativa verba habent quendam sonum, per quem exitus rei demonstratur: ut hic ostendit, se Pamphilum magis adjuturum, quam verbis senis obtemperaturum. D.

Nec quid agam certum est] Hinc incipit deliberativa, cujus partes sunt duæ: *Pamphilumne adjutem, an auscultem seni.* Deinde partium tractatus: *si illum relinquo, ejus vitæ timeo*] *Ejus vitæ*, hoc dicit ne periclitetur. Scit enim amorem Pamphili ex alia parte. *Sin opitulor, hujus minas*] Senis videlicet: et adjecit necessitatem. E.

Certum est] H. e. decretum, constitutum est, infra II. 1. 11. *omnia experiri certum est.* Cic. pro Rosc. Amer. c. 11. *certum est deliberatumque omnia dicere.* v. Drak. ad Liv. II. 45. R. D.

5 *Si illum relinquo*] Partium tractatus, quæ supra sunt, Pamphilumne adjutem, an auscultem seni. *Vitæ ejus timeo*] Ut alibi, *Syre, tibi timui male. Sin opitulor*] Opem ferre dicitur in malis rebus, et iis qui de salute dubii sunt: ut, *fer opem, serva me, obsecro. Opitulor* et *opitulatio* dicta ab opem tollendo, hoc est, ferendo. *Hujus minas*] Subauditur, *timeo*] D.

Vitæ] Vita sæpe apud Terent. est salus, bona existimatio et quicquid carum est. v. infra. I. 5. 37. et in Ad. III. 2. 42. R. D.

Timeo] Veteres ambiguitatis vitandæ causa constructionem verborum *timeo* et *metuo* ita distinxerunt, ut malum, quod timemus, in accusativo ponerent, rem amatam, propter quam sumus in metu, in dativo; utrumque habemus in hoc uno loco. in timore sum de ejus vita, quam servare cupio, et propter hujus minas, a quibus malum quid exspecto. v. Perizon. ad Sanct. Minerv. III. 3. Not. 88. R. D.

6 *Cui verba dare*] *Verba dare*, fallacia est: et illud, (Ms. Hulst. *ad illud*) spectat, *nihil me fallis. Difficile est*] Non dicit, impossibile est. Ergo ostendit partem se sequi, quæ pro Pamphilo est. *Primum jam*] Primo, inquit, jam infensus est senex. deinde a Pamphilo gravida est Glycerium. *Primum jam*] ὑφὲν. est enim ἀναστροφὴ, pro jam primum. *De amore hoc*] *Hoc amore*, sic, quasi cum tædio et reprehensione ejus amoris loquatur. *Me infensus*] Scilicet de amore filii, senex me servat, et re vera timendus est. *Servat*] φυλάττει. D.

Cui verba dare difficile est] Hic tractata est qualitas utriusque partis. Sed incidit conjectura, an falli senex possit. Hinc argumenta colliguntur, quod non potest: ideo, quia comperit jam de amore, quod infensus me servat, ne fallaciam ad nuptias faciam. Deinde

Me infensus servat, ne quam faciam nuptiis fallaciam.
Si senserit, perii: aut si lubitum fuerit, causam ceperit:
Quo jure, quaque injuria præcipitem me in pistrinum dabit.
Ad hæc mala hoc mihi accidit etiam: hæc Andria,

ad qualitatem. quoniam etsi nihil ipse fecerit fraudis ac doli, dominus circa servum magnam habeat potestatem, ut ex nulla causa inferat pœnas. Apposuit etiam majorem difficultatem, quod doceat, senem falli jam non posse, quod gravida est de Pamphilo ista mulier: quod ita se invicem diligunt, ut partus tollatur: quod etiam jam ista fabula fingatur, ut civis esse doceatur. quibus rebus jam amica ista ad nomen accedit uxoris. Quod si ita est, falli non potest senex. Atqui hac deliberativa utrinsque partis unum tantummodo videtur invenisse Davus, ut Pamphilo cuncta narraret. Hoc solum et non sine periculo suo facit, si indicaverit patris filio voluptatem, ut conveniat Pamphilum, ne de hac re pater imprudentem opprimat. E.

Verba dare] H. e. fallere, decipere, quia qui rem exspectat et nihil præter verba invenit, deceptus est. Hanc locutionis rationem elegantem reddit Donat. ad Eun. prol. v. 24. v. infra III. 2. 24. in Eun. IV. 5. 1. R. D.

Primum] Sæpe apud optimos scriptores occurrit *primum*, non sequentibus particulis *deinde*, *postea*, &c. et contra *primum* omittitur, sequentibus *deinde*, *postea*, &c. Exempla habent Gronov. ad Liv. XXXIV. 19. et Duker. ad Flor II. 18. p. 461. R. D.

7 *Ne quam faciam*] Hoc ad illud spectat, *tum si quis magistrum cepit ad eam rem improbum*. D.

Faciam nuptiis] Ita liber Regius. alii, *in nuptiis*. L.

Lectio, *faciam* IN *nuptiis*, quæ in duobus nostris codd. et editionibus antiquis plerisque reperitur, placet, quod convenit loco 1. 2. 25. et tollit ingratum homœoteleuton, *faciam*, *fallaciam*. B.

8 Ut sensus constet, in verbo *ceperit* est finis antecedentis intelligendus. Igitur *perii* habet interjectionis; et pro *aut si* repone *aut quam*. B.

Causam ceperit] H. e. quemcunque prætextum arripuerit. Sæpe *causa* est prætextus in Eun. V. 5. 30. *jam dius aliquam causam quærebat senex*. Cæsar de B. C. *per causam exercendorum remigum*. Ovid. Trist. II. 451. *per causam meminit se tetigisse manum*. vid Casaub. ad Sueton. Cæs. c. 2. et Drak. ad Liv. II. 32. Cæterum aliquid impediti est in hujus loci constructione, de quo v. Bentl. R. D.

9 *Quo jure, quaque injuria*] Proverbiale hoc est: qualia sunt, *fas et nefas*, *nolis velis*. D.

Etsi omnes codd. et libri consentiunt in lectione vulgari: sensus tamen postulat, ut *quo* mutes in *qua*, et *quaque* in *qua me*, et deleas *me* post præcipitem. B.

Quo jure quaque injuria] Omnino cum Bentleio et aliis legendum *qua jure qua injuria* i. e. quocunque modo sive juste sive injuste. Proverbialiter dicitur ut apud Græcos διχαίως καὶ ἀδίκως. Liv. II. 54. *jure an injuria eripiendos esse reos*. Cæterum particulæ *qua*, *qua* eleganter pronuntur pro tum, tum. Liv. X. 38. *consul insignis qua paterna gloria qua sua*. Plin. epist. IX. 2. *illi enim qua varietas rerum qua magnitudo largissime suppetebat*. v. Gronov. observat. III. 12. Heins. ad Valer. Flacc. V. 85. et Bentl. ad h. l. R. D.

Præcipitem dabit] H. e. per vim, cum impetu conjiciet, in Phorm. IV. 3. 20. *ut præcipitem hanc daret*. Catull. Carm. 106. *musæ forcillis præcipitem ejiciunt*; ita frequens *aliquem præcipitem agere*. Sallust. Catil. c. 31. *ab inimicis præceps agor*. v. interpretes ad Liv. XXX. 14. R. D.

10 *Ad hæc*] In ipsa re major est difficultas, quia gravida est Glycerium. D.

Sive ista uxor, sive amica est, gravida e Pamphilo est.
Audireque eorum est operæ pretium audaciam:
Nam inceptio 'st amentium, haud amantium.
Quicquid peperisset, decreverunt tollere.

11 *Sive ista uxor*] Et hoc cum quodam tædio et indignatione stomachi interrumpit. D.

Ne syllaba in versu abundet, pro primo *sive* lege *si*; ut apud Plautum, Curc. I. 1. 4. B.

Sive ista uxor sive amica est] Gulielmius quæst. Plautinar. c. 9. et Bentlei. ut laboranti metro succurrant, legunt *si ista uxor sive amica est. si* idem valet quod *sive*. Plaut. in Circul. I. 1. 4. *si media nox est sive est prima vespera.* Etiam *si, si* dicitur pro *sive, sive* ut in precum formula apud Gell. II. 28. *si Deo, si Deæ.* v. Bentl. ad h. l. R. D.

12 *Operæ pretium audaciam*] Dicitur de mirificis et laudabilibus. Nam et ea quæ magna sunt, etiam si mala, tamen miramur: quia libenter audiamus. et hoc pretium est operæ, id est, audiendi. *Et audaciam*] Proprie dixit: ut in Eunucho, *audaciam meretricum specta.* D.

Audire est operæ pretium audaciam] H. e. qui eorum audaciam audiverit, fructum dignum opera capiet. *Audire* ponitur pro auditio, infinit. pro substantivo. V. quos laudat Drak. ad Liv. I. 54. Pro *operæ pretium esse* interdum omissa voce *operæ* dicitur *pretium esse.* Tacit. annal. I. 57. *Germanico pretium fuit convertere agmen*, ubi v. Freinshem. In his autem locutionibus *pretium* notat præmium, mercedem. R. D.

13 *Nam inceptio est amentium, haud amantium*] Amabant veteres de proximo similia dicere: ut Cicero Verr. VI. 27. *Minus earum putavit fore de armario, quam quod de sacrario fuisset ablatum.* Et quidem si in verbis sunt, παρόμοιον dicitur: in nominibus, παρονομασία. D.

Inceptio est amentium] Jul. Rufin. Rhet. in Paronomasia. L.

Inceptio] Incipere, inceptio, inceptum proprie dicitur de consilio temerario et audaci infra I. 5. 1. *hoccine est humanum factum aut inceptum* in Eun. V. 8. 5. *inceptor*, ubi v. Donat. Liv. XXIV. 19. *cum non satis inceptio succederet.* v. Cort. ad Sallust. Catilin. c. 20. R. D.

14 *Quicquid peperisset*] Majorem reprehensionem sonat, quicquid peperisset. Pariter enim aut masculus, aut femina: et solet justior esse causa tollendi, si marem uxor peperit, sed nimii amoris est, non exspectare quid tollas. *Decreverunt*] *Decernere* est de magnis rebus certam proferre sententiam. unde etiam *senatus decretum.* D.

Decreverunt tollere] Hoc ex ritu antiquo intelligendum, quo infans statim atque in lucem editus, humi deponebatur. Idque voluit Soranus Ephesius cap. XVII. *Quare infans, dum tangit terram, vocem dat? eo quod insuetam tangit terram, et tenuis spiritus a luce concutitur.* Eo pertinet Statii illud Sylvar. 1. 2. 109. *tellure cadentem Excepi gremioque fovi.* Et Sueton. de Nerone cap. VI. *natus . . tantum quod exoriente sole, pene ut radiis prius, quam terra contingeretur.* In quam rem multa ab aliis notata. L.

Quicquid peperisset] Ita veteres neutro genere loquebantur de partu et futuro et recens nato. Plautus in Amphitr. I. 3. 3. *quod erat natum, tollitur.* Cic. ad Attic. X. 18. *quod quidem est natum, perimbecillum est.* Ovid. epist. VI. 61. *quod tamen e nobis gravida celatur in alvo.* v. interpretes ad. Matth. I. 20. et Gronov. in Lect. Plaut. p. 14. R. D.

Tollere] Locutiones *tollere* et *suscipere liberos* pro educare fluxerunt e moribus Græcorum et Romanorem, in quorum potestate erat, infantes ex se natos vel educare vel exponere vel interficere. Infantes recens in lucem editi in terra ponebantur invocata Ope, ut eos placide terræ sinu exciperet et adjuvaret, ex

Et fingunt quandam inter se nunc fallaciam,
Civem Atticam esse hanc. fuit olim quidam senex,
Mercator: navem is fregit apud Andrum insulam:
Is obiit mortem: ibi tum hanc ejectam Chrysidis
Patrem recepisse orbam, parvam. fabulæ!
Mihi quidem hercle non fit verisimile; atque ipsis commentum placet.
Sed Mysis ab ea egreditur. at ego hinc me ad forum, ut

quo more intelligendus Ovid. Trist. IV. 3. 46. *tactaque nascenti corpus haberet humus* et Sueton. in Aug. c. 5. *quod solum primum Divus Augustus nascens attigisset*, ubi. v. Torrentium. Hinc *cadere* pro nasci, apud Statium Sylvar. I. 3. 109. *tellure cadentem excepi fovique simul.* Positum sic in terra infantem, si educare vellet, tollebat, si nollet, jacentem relinquebat: quem sæpe servi alienæ misericordiæ exponebant, additis crepundiis quibusdam, unde postea cognosci posset. v. Lambinum ad Horat. Serm. II. 5. 46. R. D.

15 *Et fingunt*] Argumenti partem narrat: et non credit futura (verbum *futura* emisit Ms. Boend) esse quæ dicit, ut supersit locus errori. Et *fallaciam* et *quandam*, ne verisimilis sit ipsa fallacia totius contemtionis et vilitatis. (Verba obscura et corrupta. Ed. Veneta, 1490. *totius contentionis et vilitatis.* Nihilo melius. Veneta altera 1512. *contentionis et utilitatis*, tantundem expedit. Malim: *totius commentæ orationis vilitate.*) D.

Fingunt fallaciam] I. e. parant commentum in Eun. I. 2. 58. *fingis causas, ne det sedulo* v. Græv. ad Justin. XXV. 3. R. D.

16 *Fuit olim*] Modo totius summæ argumentum populo narratur: sed ut restet aliquid ad errorem, abrogatur fides. A διηγηματικῷ ad μιμητικὸν transit. D.

Post *olim* pone *hinc*, h. e. Athenis, ne ictus sit in syllaba posteriore, et ut sensui medearis. B.

Civem Atticam] Nempe, si civis Attica fuisset, ex Atheniensium lege Pamphilus eam potuisset, eam uxorem ducere. R. D.

18 *Is obiit mortem*] Plene dixit, quod nos *obiit* tantum. Virgil. Æn. X. 641. *Morte obita quales fama est volitare figuras. Recepisse orbam, parvam*] *Parvam* propterea adjecit, ut fiat verisimile, non posse eam facile suos agnoscere. D.

Ejectam] Scilicet in littus de nave naufraga; proprie et navis et homo, qui fluctibus in terram expellitur, *ejici* dicitur. Virgil. Æn. IV. 374. *ejectum littore egentem Excepi.* infra V. 4. 20. *Atticus quidam olim navi fracta ad Andrum ejectus est.* v. Gronov. ad Senec. controvers. 16. Hinc. Cic. pro Quinctio c. 19. translate *ejectum* vocat, qui rebus suis spoliatus est. R. D.

19 *Fabulæ*] Redit ad narrationem. D.

20 *Atque ipsis*] *Atque* pro tamen, ut sit, tamen ipsis commentum placet; quod comminiscuntur, probant. D.

Atque ipsis commentum] Quidam libri scripti: *atqui ipsis*, sed editam lectionem retinet Donatus. L.

Tolle illud *hercle*, quod et versum et sententiam onerat. Atque pro *mihi* repone *mi*, et pro *atque* usus antecedentis particulæ *quidem* requirit *at*. B.

Atque] Hic ponitur pro *et tamen*, *et verum*. sic Græv. capit in Cic. ad Attic. VI. 1. *atque hoc tempore ipse impingit mihi epistolam.* plura habet exempla Cortius ad Sallust. Jugurth. c. 4. R. D.

21 *Sed Mysis*] Παρασκευὴ alterius scenæ. *Mysis*] Semper autem nomina comicorum servorum aut a nationibus

Conveniam Pamphilum, ne de hac re pater imprudentem opprimat.

ACT. I. SCENA IV.

MYSIS.

AUDIVI, Archillis, jamdudum; Lesbiam adduci jubes.

sunt indita, ut Mysis, Syrus, aut ex accidentibus, ut Lesbia velut ebriosa, a Lesbo insula, quæ est ferax suavissimi candidissimique vini; aut a moribus et vernilitate, ut Pseudolus; aut ex negotio, ut Chrysalus; aut ex qualitate corporis, ut Thylacus (verba *aut Chylacus*, quæ in Ms. H. adduntur, non sunt ab Auctore. Significat ventriosum et vinarium); aut ex specie formæ, ut Pinacium. *Ego hinc*] Nihil adhuc Davus invenit, consilii, nisi ut quærat Pamphilum, moneatque. *Ego hinc me ad forum*] Vultuose hoc pronunciatur: ut desit, pergam, aut ducam me. D.

Ab ea egreditur] H. e. ex ædibus ejus egreditur in Heaut. II. 2. 6. *a patre exiens*, in Phorm. V. 1. 5. *a patre quæ egressa est meo.* Cic. pro Milone c. 19. *devertit Clodius ad se* h. e. in villam suam. v. Gronov. in lection. Plautin. p. 56. R. D.

Hinc me ad forum] Supplendum *conferam*. infra II. 2. 24. *ego me continuo ad Chremem.* Sæpe in his locutionibus verbum, quod motum ad locum significat, omittitur. v. Gronov. ad Sen. Troad. v. 644. et Duker. ad Flor. III. 6. p. 557. In foro servus se sperabat Pamphilum conventurum, quia otiosi apud Athenienses in forum venire solebant confabulandi gratia, cujus moris plura vestigia sunt apud Terent. R. D.

22 *Imprudentem*] Imprudens est, qui nihil mali suspicatur. v. in Eun. I. 2. 56. contra *prudens*, qui id providet. v. in Eun. I. 1. 27. et Drak. ad Sil. Italic. VI. 166. R. D.

1 *Audivi, Archillis*] Hæc sunt inventionis poeticæ, ut ad ὀνομαλαν facetiæ aliquid addant. Nam ὀνομαλα est, ut arcessatur obstetrix, et conveniatur Pamphilus; facetia scribentis in his verbis est, quod Archillis compotricem potissimum adduci jubet. *Audivi Archillis*] Frequenter hoc modo Terentius compendium facit, ut egrediens loquatur persona de eo, quod est gestura: et simul doceat, quid ab altera gestum sit. *Audivi, Archillis, jamdudum; Lesbiam adduci jubes*] Utrum *jamdudum audivi*, an *jamdudum jubes*, incerta distinctio est. Et sunt qui *jamdudum*, jam primum intelligant: ut, *jamdudum sumite pœnas.* Virg. Æn. II. 103. D.

Hæc scena mandatum tenet. Mittitur namque ancilla Mysis, ut obstetricem arcessat. Paraturque habitus, ut Pamphilus terrentis patris orationem, qua adigere eum conatur ad nuptias, possit audire. E.

Etsi in omnibus codd. et Faernianis et nostris legitur *Archilis*: tamen ob analogiam Thestylis, Phidylis, Erotylis, hic quoque rescribe *Archylis*. Atque pro præterito sensus postulat *audio*, ut infra Hec. III. 2. 1. B.

Jam dudum] Dicitur de tempore non longe præterito in Eun. IV. 6. 5. *ego jam dudum hic adsum.* Cic. de Amicit. c. 22. *ea quam jam dudum tractamus stabilitas amicitiæ*, pro quo Petron. dicit *jam olim* v. Broukhus. ad Tibull. III. 6. 63. et Drakenb. ad Sil. Ital. XI. 273. R. D.

Sane pol illa temulenta est mulier et temeraria,
Nec satis digna, cui committas primo partu mulierem:
Tamen eam adducam. Importunitatem spectate aniculæ;
Quia compotrix ejus est. Di, date facultatem, obsecro,
Huic pariundi, atque illi in aliis potius peccandi locum,
Sed quidnam Pamphilum exanimatum video? vereor
quid siet.

2 *Sane pol*] *Sane*, multum; alias, pro valide. Namque validus est, qui multum rerum necessariarum habet ad salutem. *Temulenta*] Producit primam syllabam *te*. *Temulenta*] Vinolenta, hoc est ebriosa, quia *temetum* vinum dicitur. unde *abstemius*, sobrius. Dictum autem *temetum* ab eo quia tentet mentem. (Sic vero tementum erat dicendum. Ceterum Ms. Bœnd. habet, *quia tenet mentem*). *Temulenta*, vino: *temeraria*, natura. D.

Temulenta] Ebriosa. *Temetum* enim antiqui vinum dicebant. *Temulenta et temeraria*] Duo posuit, unum ad vitium accedens, aliud ad naturam. Nam temerarium naturæ malum est, cui accedit, quod vino sæpius obruatur. E.

Sane pol illa temulenta] *Pol* contracte dicitur pro *per pollionem*; idem est sedepol. Hoc jusjurandum et viris et fœminis commune erat, sed *me Castor* solæ fœminæ, *me Hercule* soli viri dicebant. Gell. XI. 6. *sane* jungendum cum temulenta. R. D.

3 *Nec satis digna, cui committas*] Bene in conclusione illa specialiter probavit, dicendo non idoneam, cui committatur primus partus mulieris. Sed mire signateque dixit *committas*. Etenim committimus magna, et quæ salutem in dubio habent. *Nec satis digna*] Duas res, nec parientem, nec primo partu. Figura δύο δι' ἑνός; ut Virgil. Æn. III. 42. *Non me tibi Troia externum tulit*. Et Æn. IX. 448. *Dum domus Æneæ Capitoli immobile saxum Accolet*. D.

4 *Tamen eam adducam*] Redit ad illud, quod coacta (Ms. Bœnd. *Reddit ad illud, quia vi coacta est*). *Importunitatem*] Importunitas neque loci, neque temporis habet commoditatem. *Aniculæ*] Archillis scilicet. D.

Contextus jubet illud *adducam* mutari in *adduci*? ut sit repetitio antecedentis *Lesbiam adduci jubes*, cum indignatione. B.

Tamen eam adducam] Plenus sensus est: etsi mulier temulenta est, tamen eam adducam. Nam sæpe particulæ *quanquam*, *quamvis*, *etsi*, quibus *tamen* respondere solet, per ellipsin omittuntur. v. Gronov. ad Liv. XXIII. 13. et Drak. ad Liv. XXXVII. 25. R. D.

Importunitatem] Proprie *importunus* est non habens commodum portum, hinc metaphorice inficetus, incommodus, &c. Cic. de amicit. I. 15. *miror illa superbia et importunitate si amicum habere potuit*. v. Gronov. ad Sen. de benef. IV. 3. et Duker. ad Flor. I. 8. R. D.

5 *Quia compotrix*] In vultu remansit oratio. Deest enim per figuram ἀλλειψιν, ideo illam vult arcessiri. D.

6 *In aliis*] Utrum in aliis mulieribus, an in aliis rebus? D.

Huic—illi] *Huic* refertur ad mulierem, quæ parit, cujus mentio v. 3. *illi* ad compotricem, cujus mentio v. 5. neque semper verum est, quod grammatici tradunt, *hic* ad propinquius, *ille* ad remotius referri. v. viros doctos quos laudavimus ad Rutil. Lupum II. p. 126. R. D.

7 *Exanimatum*] *Exanimatus*, est perturbatus. Virg. Æn. V. 805. *Exanimata sequens impingeret agmina muris*. *Exanimus* mortuus. Idem, Æn. XI. 30. *Corpus ubi exanimum positum Pallantis Acestes* (pro hoc versu est in Ms. Bœnd. ille Virg. Æn. I. 488. *Exanimumque auro corpus vendebat Achilles*). *Vereor quid siet*] *Quid*, ob quid, prop-

Opperiar, ut sciam, num quidnam hæc turba tristitiæ afferat.

ACT. I. SCENA V.

PAMPHYLUS. MYSIS.

HOCCINE'ST humanum factum aut inceptum? hoccine'st officium patris?

ter quid sit examinatus. Aut aliter: *quid siet*, id est, quid sit negotii. Sed quidam putant *quid* pro quare: ut, Æn. I. 522. *Quid veniant*. Aut deest, *potest*: ut sit, quid esse potest. D.

8 *Num quidnam*] Comicum est et Terentianum *num quidnam*: quum, exemptis *num* et *nam*, sufficere ad interrogationem potuisset *quid*. D.

Pro *nunc, quidnam* Donatus et unus cod. legit *num quidnam*, recte. Deinde cum nondum turbam Mysis vidisset ullam; cætera restitue ita, *hæc turbæ tristitia*. B.

Operior] Hujus verbi originem et vim præclare explanavit Perizon. ad Sanctii Minerv. III. 2. p. 282. R. D.

Ut sciam nunc quidnam] Legendum ex Donato et veteri codice ap. Bentl. *num quidnam* i. e. ut sciam an quidpiam. Plaut. in Asin. V. 1. 3. *nunc quidnam tibi molestum est*, infra. II. 1. 25. *nunc quidnam amplius tibi cum illa fuit*. v. Riv. ad h. l. R. D.

Turba] *Turba* est perturbatio ut in locutionibus *turbas dare, facere* v. in Eun. IV. 4. 59. R. D.

1 *Hoccine est*] Hic inducitur adolescentis animus circa nuptias: ut ex magnitudine ejus ingens gaudium comparetur in fine fabulæ, cognita Glycerio; et simul id agitur, ut magis magisque per Mysidem Pamphilus excitetur ad resistendum patri nuptias indicenti. *Hoccine est*] Ab iracundia et dolore cœpit. *Iracundia* descendit ex injuria: *dolor* ex miseria. *Hoccine est humanum factum*] Quasi deliberatio est: in qua duæ partes sunt: una patris, altera amicæ, pro suasore Mysis est. Principium ab invectione: in qua primo ut hominem accusat, deinde ut patrem. *Hoccine est*] Hoc est dilatare orationem, ne diceret quod fecit; et est perversa ἀνάκυκλις, a majoribus descendens ad minora, per amplificationem accusationis. *Factum aut inceptum*] In aliis, *factu aut inceptu*, fuit. *Hoccine est officium*] *Officium* ab efficiendo, ab eo quod quæritur, quid efficere in eo unumquemque conveniat, pro conditione personæ. D.

Hoccine est humanum factum aut inceptum] Hæc scena deliberationem habet, quæ talis est. Adolescens amans, qui promisit se eam ducturum uxorem, a patre cogitur ut alteram ducat: deliberat quid faciat. Hic omnis deliberativæ partes sunt, et ab ipso, qui deliberat, percurruntur. Verum quoniam optima deliberatio est, cui alius persuasor accedit: idcirco Mysis ancilla præsens invenitur, ut ejus aspectu facile in unam partem memoria dominæ ejus, et sui amoris, possit incumbere; quippe cum hic ex una parte pater sit, cujus imperium filius debet implere: ex alia parte amor, qui vinculo sui animum adolescentis astringit. Sæpissime autem exordium ab indignatione incipit. *Hoccine humanum factum aut inceptum*] Quam indignationem ita divisit, ut accusaret primo homines, deinde patrem. Postea jungit propositionem ipsam injuriæ. E.

Ob lectionem a Donato indicatam, et sensus elegantiam lege, *hoccine est factu humanum aut inceptu?* B.

M. Quid illud est? P. Proh deum atque hominum fidem! quid est, si non hæc contumelia'st? Uxorem decrerat dare sese mihi hodie: nonne oportuit Præscisse me ante? nonne prius communicatum oportuit?

2 *Quid est, si non hoc*] Sic dicimus de his, quæ necessario hoc sunt, quod dicimus. *Si non hoc*] *Hoc* cum stomacho dictum, quasi aliquo contradicente, non esse contumeliam. Cicero, Verr. I. 10. *Quid est quæso Metelle, judicium corrumpere, si hoc non est?* D.

Illud *atque hominum* a codice primariæ notæ abest, nec in codd. aliis certum habet locum. Dele igitur, præsertim cum ita in versu 11. oriatur incrementum. Porro *hoc* habet cod. Collegii Corporis Xsti, et Donatus. Recte. B.

Pro Deum atque hominum] Subintelligendum *obtestor*. Frequentissima est implorandi formula in qua fidei nomen significat opem, auxilium. v. Brissonium de formulis 694. et Cort. ad Sallust. Catil. c. 10. Sed eadem formula aliis etiam modis effertur, ut in Phorm. II. 3. 4. *pro Deum immortalium* in Ad. III. 4. 1. *pro Dii immortales* v. Muret. infra ad v. 11. R. D.

Quid est, si hæc non contumelia est] Recte Bentl. e Donato et Mss. *hoc* edidit pro vulgato *hæc* nam hæc quoque constructio veteribus usitata est. Ovid. Metam. II. 262. *campus arenæ quod modo pontus erat.* Justin. XVIII. 3. *id primum aliis videri furor.* Sen. de benefic. II. 8. *non est illud liberalitas.* Hæc et alia plura exempla habet Gronov. ad Sen. de consolatione ad Marcell. c. 19. R. D.

3 *Uxorem decrerat*] *Decernere*, est de magnis certam proferre sententiam. *Uxorem decrerat*] Propositio injuriæ. D.

Uxorem decreverat se mihi dare hodie] In hoc adolescens collocat injuriam, quod pater sibi nuptias repente mandaverit. Non quod nubere injuria sit, quamquam esse videatur: verum intelligit, si ante mandasset pater, consilium se facile adversum imperium patris invenire potuisse. Ideo adjecit: *Nonne oportuit præscisse me?*] Tangitur et illud, an patrum imperiis obsequi filii debeant. Constat enim circa nuptias esse filiis liberam voluntatem; ideo servata ratione pietatis, communicatum oportuit. Sed cum animadvertit patrem cogere, ut ipse ducat uxorem, credit et Chremetem mutasse sententiam. E.

Decrerat, auctore Faerno, habet liber Victorianus; alii fere omnes, et Donatus, *decreverat*; paucissimi iique recentissimi, *decrevit*. Duo tantum ex nostris *decrevit*; alii magno numero *decrerat*. B.

Uxorem decrerat dare] Pro *si uxorem decreverat dare*. Nam *si* sæpe per ellipsin reticetur. Virg. Æn. VI. 31. *tu quoque magnam partem opere in tanto sineret dolor Icare haberes.* Ter. in Heaut. III. 1. 78. *dare denegaris ibit ad illud ilico.* v. Manut. ad Cic. Verr. V. p. 65. et Gron. obs. IV. 20. p. 315. R. D.

Decrerat dare] Pro *daturum* præs. infin. pro fut. ut millies infr. III. 5. 7. *qui sum pollicitus ducere* v. Davis. ad Cæsar. de B. G. IV. 21. et interpretes ad Liv. II. 5. R. D.

4 *Nonne oportuit præscisse me ante*] *Oportuit*, scil. ad patrem refert. Nam nec sic consentirem ad nuptias, sed fac me velle, *Nonne oportuit præscisse me ante?*] Dolet autem se spacium non habuisse consilio. Et *ante* abundat, aut certe *præ*, cum sufficiat *scisse*. *Nonne prius consultum oportuit*] Quam de stomacho repetitum est *oportuit!* Et de more, *præscisse me ante*. *Præscisse* proprie ad eum refertur, hoc est, Pamphilum. *Communicatum*] Quod neque hujus proprium est, neque illius. *Communicatum*] Quia nuptiarum non omnis potestas in patre est. D.

M. Miseram me! quod verbum audio? 5
P. Quid Chremes? qui denegarat se commissurum mihi
Gnatam suam uxorem; id mutavit, quia me immutatum
videt.
Itane obstinate operam dat, ut me a Glycerio miserum
abstrahat?

Præcisse ante] Per pleonasmum dicitur, ut *ante prædicere, ante præoccupare, prior potiri, rursus repetere* et similia de quibus v. interpretes ad Liv. II. 20. R. D.

5 *Quod verbum*] *Verbum* pro ἀξίωμα more suo posuit, id est, uxorem dare quod ait. D.

Verbum] Ponitur pro sermone ut in Eun. I. 2. 95. R. D.

6 *Quid Chremes?*] Transit a patre nunc, et ad socerum redit. *τὸ quid*, non ad Chremetem dicitur, sed ad illum transeuntis est, et non considerantis quid dicat. *Quid Chremes?*] Irascitur patri, quod cogat Chremetem, quod non neget uxorem. Nove dolet, non odio haberi, non repudiari. *Qui denegarat se commissurum*] Non latuerat Pamphilum, repudiasse (forte interserendum est *se*) Chremetem. Unde et Davus ait; *qui posteaquam audierat, non datum iri filio uxorem suo. Commissurum*] Putaverat nuptias, et Chremetem mutare sententiam. (Edd. vett. *paraverat nuptias.* R. Steph. primus, opinor, edidit *Putaverat*, &c. Forte Donatus scripsit: *putaverat veras nuptias: sed*, &c.) D.

Quid Chremes] H. e. quid de Chremete dicam, quod habet vim connectendi et transeundi ad aliud. v. in Phorm. I. 297. et ibi Donat. inprimis Duker. ad Flor. II. 6. p. 298. R. D.

7 *Id mutavit*] Nove dixit *id. τὸ id* enim ad *denegarat*. *Id mutavit, quoniam me immutatum*] παρήμενον. Nam quoties verba sunt, παρήμενον dicitur. quoties nomina, παρονομασία. D.

Immutatum videt] Id est, mutatum. Nam motus species sunt, commutatio et immutatio. Et est illud circa quantitatem, istud circa qualitatem. ut cum quis ex magno parvus fit, commutatus; si quis ex nigro albus, immutatus dicitur. E.

Quia me immutatum] Al. *quoniam*. L. *Quia*, pro vulgari *quoniam*, comprobatur auctoritate codd. malim *mutavit* accipi absolute, ut supra, I. 1. 13. et *id* mutari in *is*, ut oppositio venustior efficiatur. B.

Immutatum] H. e. non mutatum, constantem in amore Glycerii. Composita quædam cum *in* æque fere participia vel eorum formam habentia ancipitis notionis sunt et modo affirmandi, modo negandi vim habent: ejusmodi sunt *incertus, inquisitus inpressus* et quod hic habemus *immutatus*. v. Duker. de latin. veter. Juriscons. p. 372. R. D.

8 *Itane obstinate*] *Obstinate facere* est aliquid in alterius malum cum conatu facere perseveranter, et in alterius perniciem nimis niti. *Abstrahat?*] Magna vi verbi et proprietate usus est. unde illud est, Æn. II. 434. *Iphitus et Pelias mecum divellimur inde. Abstrahat*] Magna indignatione usus est: tanquam Chremes non tam filiæ consultum velit, quam læsum Pamphilum. D.

Obstinate] Perseveranter, pertinaciter. *Ut me a Glycerio miserum*] Nominata ea quam diligebat, continuo in calamitatem præsentem dolore gemituque prosiluit. ut Virgil. Æn. III. 311.—*aut si lux alma recessit, Hector ubi est?* Et, Æn. III. 312.—*dixit lacrymasque refudit*. Ita nominata jam Glycerio, quasi propositio rursus alterius partis effecta est. Cumque duos senes, patrem et socerum, supra ad imperium potestatemque posuisset; hic adversus tantam duorum propositionem, suum amicæ nomen reposuit. Deinde rursus

Quod si fit, pereo funditus.
Adeon' hominem esse invenustum aut infelicem quemquam, ut ego sum?
Proh deum, atque hominum fidem!
Nullon' ego Chremetis pacto affinitatem effugere potero?

revertitur ad querelas. Intellexit enim se amori non posse obsistere; ideo subjungit: *Adeon hominem esse invenustum aut infelicem*] Ut iterum sit exclamatio, quod Chremetis affinitatem non possit evitare. Hic jam conjecturalis tractatus interponitur, cum Chremes veluti repudiatus sæpe, non discedat, et cum rursus promittat uxorem. E.

Pro *itane* rescribe ita. Nam sublata interrogatione, sententia melius procedet. B.

Obstinate operam dat] Obfirmato animo quid agere, *obstinare* dixerunt, auctore Festo. Plaut. Aul. II. 2. 89. Plaut. Asin. I. 1. 10. Suet. Cæs. 15. et 29. W.

10 *Adeon hominem*] Alia exclamatio est adversum socerum. Neminem putat esse in genere humano ita infelicem ut se: quod est commune omnium, qui in aliquo mœrore consistunt. Itaque non se, sed conditionem humanam dolet: et queritur natum (Lege *non natum*. Edd. vett. *irascitur non natum*, &c.) esse quenquam, qui possit esse tam miser ut ipse est: ac per hoc se (Ms. Hulst. et edd. Venett. *ac per hoc adeo se esse hominem infelicem*). *Adeon hominem*] Amatorie; amore nominato exiluit in gemitus. sic Virgil. Æn. III. 311. *aut si lux alma recessit, Hectur ubi est? Invenustum aut infelicem*] *Invenustus* est sine Venere, id est, sine gratia, quem omnes respuant, repudientque pulchræ, et quem deformes appetant. *Invenustum aut infelicem*] *Invenustus*, cui displicens objicitur: *infelix*, cui placens negatur. *Aut infelicem quenquam ut ego sum*] Adeo se miserum dicit, quod sibi repudiare non licet; ut propter se doleat humanum genus, in quo sit aliquis tam miser. Virgil. Ecl. IX. 17.) *Heu cadit in quenquam tantum scelus? Ut ego sum*] ἀναπόλαβον est *ut*: *quam* enim inferre debuit, non *ut*. D.

Adeon hominem esse invenustum] Hic-ce infinitivus nihil habet, a quo pendeat, sed sic veteres infinitiv. uti solent in admirationibus et indignationibus, subintelligentes *mirandum, est incredibile* aut tale quid. infra IV. 3. 1. *nihilne esse proprium cuiquam* V. 2. 29. *tantum laborem capere ob talem filium*. Sueton. Cæs. c. 84. *mane servasse ut essent qui me perderent* v. Gronov. observ. II. 14. Græv. in Cic. epist. ad Attic. II. 6. ad Justin. II. 14. et Duker. ad Flor. I. 11. p. 98. *invenustum* Muretus ad h. l. explicat infelicem in amore, cui non favet Venus in re amoris. Sed in universum capiendum est pro *infelici*, contra felix dicitur venustatis plenus in Hec. V. 4. 8. Loquendi ratio ducta est a talorum ludo, in quo felicissimus jactus *Venus*, infelicissimus *canis* dicebatur. v. interpret. ad Suet. Aug. c. 71. et Salmas. in exercitat. Plinian. p. 929. R. D.

11 *Proh Deum*] Quam ferveat indignatione, hinc aspice, quod frequenter exclamat. *Proh Deum*] Alia exclamatio est adversus socerum. D.

Hic versus non post octavum est collocandus ob codd. novitios; antiqui sunt audiendi. B.

12 *Effugere*] In totum fugere. D.

Affinitatem] *Affinitas* quidem in genere est conjunctio ratione nuptiorum, sed per excellentiam sic dicitur de necessitudine inter socerum et generum. Justin. VII. 3. *depositis hostilibus animis in affinitatis jura succedit*. Joann. Schulting. ad Sen. controv. p. 242. R. D.

Quot modis contemtus, spretus? facta, transacta omnia. hem!
Repudiatus repetor. quamobrem? nisi si id est, quod suspicor: 14
Aliquid monstri alunt: ea quoniam nemini obtrudi potest,
Itur ad me. M. Oratio hæc me miseram exanimavit metu.
P. Nam quid ego nunc dicam de patre? ah

13 *Quot modis contemtus, spretus!*] Si Chremes spretus, intelligemus Pamphilum dicere, quod operam dederit, ut se repudiaret Chremes: ut supra dixit, *mutavit, quia me immutatum videt. Quot modis contemtus*] Chremes an Pamphilus? *Facta, transacta omnia*] Proverbiale est in id negotii, de quo nihil supersit ad agendum. *Facta* autem a Pamphilo: *transacta* etiam a Chremete. D.

Quot modis contemtus, spretus?] Melius de Pamphilo intelligimus, *contemtus* et *spretus*. Denique ipse adjungit; *hem repudiatus repetor*. Deinde continuo conjecturæ (addit) rationem; *aliquid monstri alunt*] Hoc est, fortasse aliquid monstri inauditi nutriunt: quæ res rapit auditorem ad diversa. *Obtrudi*] Impingi, opponi. E.

Contemtus spretus] Plus est *spretus* quam *contemtus*; habet enim fortiorem significationem. v. Broukhus. ad Tibulli Eleg. I. 4. 77. R. D.

Facta transacta omnia] Formula jureconsultis usitata, qua significabant nihil, quod ad negotii tractationem pertinebat, prætermissum esse, finita esse omnia Cic. Catil. III. 6. *quod faciendum primum fuit factum atque transactum est.* v. Guilielm. quæstion. Plaut. c. 6. R. D.

14 *Repudiatus repetor*] Quasi et hæc injuria sit, repudiare et repetere. Et tale est in Eunucho, *exclusit, revocat. Nisi si id est*] Conjecturale argumentum. D.

Nisi si] Eleganter pro *nisi* in Ad. IV. 3. 3. *nisi si me in illo crediditi esse hominum numero.* Ovid. epist. IV. 111. *nisi si manifesta negamus*, ubi v. Heins. Liv. VI. 26. *nisi si quando a vobis arma acceperimus.* v. Duker. ad Flor. IV. 7. 824. R. D.

15 *Aliquid monstri alunt: ea*] Duplex contumelia. et *monstri et aliquid*. Minus enim esset, *aliquod monstrum*. Sic, *quid hominis uxorem habes?* Et mutavit genus, dicendo *ea*: quoniam femina est. Sic in Eunucho, *taces, monstrum hominis? non dicturus es? Aliquid monstri alunt: ea*] Dum *monstrum* dixerat, *ea* subjunxit, tanquam non verbis, sed sententiæ serviens. *Nemini obtrudi*] Mire *obtrudi*, quasi invito. et totum cum iracundia. *Obtrudi* infringi, impingi. D.

Ea quoniam nemini obtrudi potest, itur ad me] Vide, si non hæc e Menandro sint petita. Ita ille: πριάμενος τὴν ἑμαυτοῦ θυγατέρα τὴν πόλιν ὅλην, ὁ βουλόμενος ταύτην λαβεῖν λαλεῖτε. Citat Stobæus Flor. Tit. LXXII. W.

Aliquid monstri alunt] H. e. occultatur aliquod vitium; nam monstra ob pudorem clanculum ali et occultari solent. Suspicabatur autem Pamphilus puellam vitio corporis sibi ignoto laborare v. Erasmi adag. p. 1319. R. D.

16 *Itur ad me*] Dotem amator non cogitat: et ad vilitatem trahit, quod ultro venit, et quod se repetit Chremes. *Itur ad me*] Quasi ad hostem. Plautus Pseudolo, I. 5. 38. *Itur ad me.* Et Virg. Æn. IX. 423.—*simul ense relicto Ibat in Euryalum propere. Oratio hæc*] Etiam pauca verba veteres *orationem* dicebant. D.

17 *Nam quid ego*] Quasi dicat, quid egó de patre dicam, qui alienum acou-

Tantamne rem tam negligenter agere? præteriens modo
Mihi apud forum, Uxor tibi ducenda est, Pamphile,
hodie, inquit, para;
Abi domum. Id mihi visus 'st dicere, abi cito, et sus-
pende te.
Obstipui: censen' me verbum potuisse ullum proloqui?
Aut ullam causam, ineptam saltem, falsam, iniquam?
obmutui.

saverim Chremetem? *Nam quid ego*] Redit ad patrem, in quo nove hoc accusat, negligenter eum agere, quod nolit fieri. (Ms. Bœnd. et ed. Du B. *Quod voluit fieri.*) D.

Nam quid ego dicam de patre?] Rursus est officium de senibus mutuatus. Nam cum primo de patre, mox de socero dixisset, interposito Glycerii nomine, redit ad Chremetem. hinc de patre suggerit. Queritur autem de socero per conjecturam, quod filiam suam sæpe polliceri cupiat repudiatam: de patre autem, quod segniter et negligenter de filii nuptiis cogitare videatur. Ita quod de patre supra generaliter dixerat, *nonne oportuit rescisse me ante*, nunc per speciem proponit. E.

Deleatur *nunc* cum codd. fide, tum metri causa. Nam *quid* sub ictu stare debet. B.

Nam] Eleganter inservit transitioni, ut supra I. 1. 24. R. D.

18 *Tantamne rem*] Summam voti ac nuptias. *Præteriens modo*] Hic ostendit specialiter quid peccaverit. *Pater* (vett. edd. *pater* recte referunt ad Donati verba antecedentia) *præteriens modo mihi apud forum*] Undique conflatur accusatio; ex facto, quod præteriens: ex tempore, quod modo: ex loco, quia in foro: ex modo et ex verbis, uxor tibi ducenda est. D.

Præteriens modo mihi apud forum; uxor tibi ducenda est, Pamphile. Quid facerem] Modo autem tempus respirandi non habet * tunc (forte, *habens tum*) patris imperio et præsentia territus respondere non potuit. B.

Præteriens modo] Priscian. lib. XV. I.

Omitte *ne*, post tantam, cum cod. regio, ut versus gravius sonet. B.

19 *Ducenda*] Mire *ducenda*. Semper hoc genus declinationis necessitatem ostendit. ut Virgil. Æn. XI. 230. *Et pacem Trojano ab rege petendum.* Sallust. *Agendum, atque obviam eundum est.* D.

Apud forum] I. e. in foro, infra IV. 4. 6. *quid turbæ est apud forum?* in Ad. IV. 1. 1. *apud villam est.* Liv. in epit. CXI. *apud Pharsaliam acie victus est* ubi v. Duker. R. D.

Para] Nempe quæ necessaria sunt ad nuptias. Verba parare, apparare, comparare, sæpe sine casu ponuntur. Nepos in Thrasybulo c. 2. *tempore ad comparandum dato* Cic. ad Div. XVII. 10. *ex hac quoque parte diligentissime comparatur.* Ovid. Trist. I. 3. 7. *nec mens nec spatium fuerant satis apta paranti.* v. Gronov. ad Liv. XXVIII. 12. R. D.

20 *Abi cito, et suspende te*] Ad *hodie, cito* retulit. ad *uxor tibi ducenda est, suspende te.* D.

21 *Obstipui*] Al. *obstupui.* L.

Obstipui habent, auctore Faerno, Vaticanus, Decurtatus, alibi Bembinus, et apud Virgilium antiquissimus liber Romanus. B.

22 *Ineptam saltem, falsam*] Duo comparantur in defensionem, aut vera, aut ad tempus accommodata. *Ineptum* est, quod a quovis reprehendi potest. *Falsum*, quod etiam prudentem possit fallere. D.

Quod si ego rescissem id prius; quid facerem, si quis nunc me roget?
Aliquid facerem, ut hoc ne facerem. sed nunc quid primum exequar?
Tot me impediunt curæ, quæ meum animum divorse trahunt:
Amor, misericordia hujus, nuptiarum sollicitatio:
Tum patris pudor, qui me tam leni passus est animo usque adhuc,

Rotundiores fluunt numeri, fide cod. Petrensis, ubi *aut* annectis antecedenti versui, et *saltem* ponis, ante *ineptam*. B.

23 *Quod si ego rescissem*] Si mecum communicasset prius. *Quid facerem?*] Ipse se reprehendit. *Quid facerem?*] Ὑποφορά. D.

Quid facerem si aliquis me interroget? Huic responsio datur: *aliquid facerem ut hoc ne facerem*. E.

Sic edidit Faernus consentientibus codd. vetustis. At ne Arses et Theses se inconcinne habeant: repone, *quod si ego scissem id prius, quid facerem, si quis nunc me interroget*. B.

23 *Quid facerem*] Pro quid fecissem imperf. pro plusquam perfect. ut contra aliis locis ponitur pro imperf. Sallust. in Jugurtha c. 59. *neque diutius Numidæ resistere potuissent, ni peditis magnam cladem in congressu facerent*. Exemplorum plena sunt. v. Gronov. ad Liv. XXXIV. 11. et Drakenb. ad XXXVIII. 2. R. D.

24 *Ut ne hoc facerem*] Tacerem. et nota, *facerem*, pro tacerem. *Sed nunc*] Deliberatio, et partes ejus. D.

Sed quid nunc primum exequar?] Hic est propositio ipsius deliberativæ per duas sc. partes, an imperio obtemperet patris, an amori potius serviat. E.

25 *Tot me impediunt curæ*] Ab amoris parte hæc sunt argumenta: primum necessitas. Amor, inquit, deinde humanitas: misericordia a parte patris, an imperio patris obtemperet. E.

Quæ meum animum divorsum trahunt] I. e. quæ me animi incertum faciunt, quæ modo hoc modo illud faciunt ut probem. Virgil. Æn. XII. 487. *diversæque vocant animum in contraria curæ*. R. D.

26 *Amor, misericordia*] Hæc oratoria sunt, cum unum negotium in multas distrahimus partes. *Diverse trahunt*] Pro, in diversa trahunt. *Amor*] A necessario. *Misericordia*] Ἀπὸ τοῦ ἀναγκαίου. (Ms. Lindenbr. ἀπὸ τοῦ ἐναντίου. In Ms. Hulst. desideratur.) *Misericordia hujus*] ἀμφιβολία. *Nuptiarum sollicitatio*] A perturbatione. Quibus colligit consulere se non posse. *Sollicitudo* est, quæ inhæret mentibus. *Sollicitatio*, quæ ab alio fit. D.

Nuptiarum, inquit, *sollicitatio, tum patris pudor*] Hoc est, quod erubesco ex patre; et adjecit non leves causas: primum quod pater, deinde quod bonus pater, obtemperare utique deberet. Bonum autem sic confirmat. *Qui me tam leni passus est animo usque adhuc, quæ meo cumque animo libitum est facere*] Hac parte inclinatam sententiam declaravit: unde rursus oratio concluditur ob querelas. E.

Misericordia hujus] I. e. misericordia erga hanc, ut *pudor patris* v. 27. reverentia erga patrem. Liv. IV. 46. *verecundia ordinis* i. e. erga ordinem, ubi v. Drak. Sic apud alios metus Pompeii, injuria legatorum, odium tyranni &c. v. Perizon. ad Æliani Var. hist. II. 12. et Burmann. ad Virgil. Æn. I 714. R. D.

27 *Tum patris pudor*] Ἀμφιβολία. *Qui me tam*] Explanatio, in quo pu-

Quæ meo cunque animo lubitum'st, facere: ein' ego ut advorser? hei mihi!
Incertum'st, quid agam. M. Misera timeo, hoc incertum quorsum accidat.
Sed nunc peropus est, aut hunc cum ipsa, aut me aliquid de illa advorsum hunc loqui.

dendum sit sibi apud patrem. Et ad illud spectat, *tute his rebus finem præscripsisti pater. Qui me tam leni passus est animo*] Atqui accusabat eum. Sed amator est. *Eine ego*] Pronomen hoc vim qualitatis habet et est, an tali, tam bono? D.

Leni passus est] V. C. *liberali*. L.

Ne totum illud *animo* in Thesi, plane contra artem, lateat; transfer *est* post *animo*. B.

28 *Egone ut advorser*] Videtur inclinasse, ut secundum patris animum consistat (uterque cod. *consisteret:*) sed amore ad incerta iterum devolvitur. D.

Eine ergo adverser miser] Sed non jam electio consilii est, ut hoc facere velle videatur, verum obsistente amore rursus ad incertam sententiam devolutus est. *Incertum est*, inquit, *quid agam*] Optimo loco Mysis sese interponit, ut in parte aliqua adolescens vel præsentia Mysidis, vel commemoratione Glycerii possit inverti. Denique intercedit, et ut utiliter-tristis eum interrogaret, exponit Glycerium ægram esse, duabus de causis; ex dolore et sollicitudine. Hic dolor a partu ponitur: hoc enim dixit, laborat ex dolore. Maxima enim adolescenti efficitur concitatio, si se propter amorem intelligat pati. Deinde adjecit sollicitudinem, cujus causam ponit, quod olim constitutæ sunt nuptiæ, et veretur, ne illam deserat Pamphilus. His rebus perfecta persuasio est, ut amori adolescens potius debeat obtemperare. Denique concitatus jam unam elegit partem et proponit: *Egone istuc conari queam?*] Hic rationes narrat, quibus non sit verisimile, quod amicam sit deserturus. Primum, ne illa misera decipiatur, quæ omnem vitiam ei credidit, quam ille dilexerit, et pro uxore semper habuerit. hoc ab utili est. Sequitur ab honesto; quoniam pudice ejus doctum et eductum ingenium non debet necessitate immutari. Huic rei quæstio opponitur, an hoc facere possit adolescens, cum in patris sit positus potestate. E.

29 *Quorsum accidat*] Ad quam rem, quo versus. D.

Omnes mei et Faerni codd. habent *incertum hoc*. recte. Deinde *quorsum* muta in *quorsus*. metri gratia. B.

Quorsum accidat] I. e. quorsum evadat, ut supra dixi *cadere* et *accidere* habent eventus boni vel mali significationem. Cic ad Attic. III. 24. *verebar quorsum id casurum esset* pro Rosc. Comœdo c. 15. *quorsum recidat responsum tuum, non magnopere laboro*. v. Muret. ad h. l. Metaphoram ab aleis desumtam esse patet ex Ad. IV. 1. 21. v. Broukhus. ad Tibulli eleg. VII. 1. in fine et Drak. ad Liv. XXII. 40. R. D.

30 *Sed nunc peropus est*] Calliditati femineæ et astutiæ sententia hæc congruit. *Cum ipsa*] *Ipsa*, nunc domina mea. *Advorsum hunc*] Apud hunc: ut alibi, *et id gratum fuisse adversum te, habeo gratiam*. D.

Lege *peropu'st*. Nostri codd, omnes hoc ordine, *aut aliquid de illa me*. Tolle *aliquid*, quod et incertæ est sedis, et repugnat sensui. B.

Adversum hunc loqui] H. e. ad hunc loqui, ut Liv. dixit XXVII. 27. De vi præpositionis *adversum* v. nota ad I. 1. 15. R. D.

Dum in dubio est animus, paulo momento huc vel illuc impellitur.
P. Quis hic loquitur? Mysis? salve. M. O salve, Pamphile. P. Quid agit? M. Rogas?
Laborat e dolore, atque ex hoc misera sollicita'st, diem
Quia olim in hunc sunt constitutæ nuptiæ. tum autem hoc timet, 34
Ne deseras se. P. Hem, egone istuc conari queam?

31 *Dum in dubio est animus*] Translatio hæc est a mole alicujus ponderis, quæ ante quam in loco sederit, cum incerta pendet, facillime commovetur. D.

Dum in dubio est] V. C. *eum in dubio*. L.

In dubio est animus] Pro *dubius est animus*. Lucret. III. 848. *in dubioque fuit sub utrorum regna cadendum*, ubi v. Lambin. sic *in incerto est* pro *incertum est*. v. Drakenb. ad Liv. III. 8. R. D.

Paulo momento impellitur] Metaphora est a lance, cui in æquilibrio consistenti, si leve pondus adjicias, in alterutram partem impellitur et movetur; *momentum* vero contracte pro *movimento* a verbo *moveo* proprie dicitur motus ille quem diximus. Terentium imitatur Ovid. Metam. X. 375. *sic animus vario labefactus vulnere nutat, Huc levis atque illuc; momentaque sumit utroque* Liv. XXIII. 24. *arbores ita inciderunt ut inmotæ starent, momento levi impulsæ occiderent. Paulo* est adjectivum a nominat *paulus* i. e. exiguus in Ad. V. 4. 22. *paulo sumtu*. v. Heins. ad Ovid. Metam. VIII. 637. R. D.

32 *Quis hic loquitur?*] Hoc secum. Deinde conversus, ut vidit, *Mysis salve. Salve*] Difficile est aliud invenire verbum, quod sic declinetur, *salve* et *salvete*. quippe hujus verbi per modos est rara declinatio. *Quis hic loquitur?*] Principium Terentianum in jungendis personis. *O salve*] O, interjectio optantis adventum, aut repente perculsi. *Quid agit?* Amatorie. et familiariter non addit quæ. Virgilius, Æn. IV. 479. *Quæ mihi reddet eum, vel eo me solvat, amantem, Regas?*] Lenta quædam et tristis est responsio, et dolore plena. D.

Quid agit] I. e. quomodo valet, quomodo se habet in Hec. III. 2. 10. *introiit videre quid agat*. R. D.

33 *Laborat e dolore*] Duplicem laborem Glycerii esse dicit, unum partitudinis, alterum curæ et sollicitudinis nuptiarum Pamphili. *Laborat e dolore*] Callide aggreditur juvenem; nam utraque (Ms. H. et Lindenbr. *utrumque*) propter illum perpetitur, et dolorem et sollicitudinem. *Atque ex hoc*] Mysis, quæ contra patrem suasura est, incertum inveniens Pamphilum, facile ad se convertit mentione dominæ suæ: et maxime quod addidit, cur illam ægram esse dicat. Quare statim perfectum est, quod volebat, ut dicat Pamphilus, *egone istuc conari queam?* D.

Ex hoc misera sollicita est die, legit Westerhov. Z.

Dolore] Per eminentiam doloris partus dolor dicitur in Ad. III. 1. 2. III. 4. 40. R. D.

34 *Constitutæ*] Nec addit a patre: sed invidiose, quasi et a Pamphilo sint constitutæ. An timet in negotio? *In hunc diem*] Idem enim dies est, quo placuerant destinatæ nuptiæ, quamvis Chremes renunciaverat. et supra, *hic nuptiis dictus est dies. Tum autem*] *Tum*, præterea. *Sollicita est*] *Sollicitudo* rerum incertarum magis est. *Quod in hunc diem sunt constitutæ nuptiæ*] Hic certior metus est, et gravior. D.

35 *Egone istuc conari*] Ideo sic Pamphilus, quia illa invidiose non, de-

Ego propter me illam decipi miseram sinam?
Quæ mihi suum animum, atque omnem vitam credidit?
Quam ego animo egregie caram pro uxore habuerim,
Bene et pudice ejus doctum atque eductum, sinam,
Coactum egestate ingenium immutarier? 40
Non faciam. M. Haud vereor, si in te solo sit situm:

serere cogaris, dixit: sed, deseras. *Egone istuc conari*] Non perficere, sed conari velle aliquid ad scelus, effectio est, etiam si non potest fieri. Hic enim voluntas, non factum damnatur. ut Virgilius, Æn. VI. 624. *Ausi omnes immane nefas, ausoque potiti. Egone conari*] Levius est conari, quam facere. D.

Conari quicam] Supplendum *facere*. sic in Phorm. I. 2. 2. *ego obviam conabar tibi* scil. ire. R. D.

36 *Egone propter me*] Magna vis est in pronominibus. et diversa sunt, et singula, et non præcipitantur, nec dicuntur uno spiritu: sicut in Eunuchо, *egone illam, quæ me, quæ illum? Quæ illum*, deest, amat: *quæ me*, deest, non amat. *Egone*] Suadentur. subauditur, *ut fieri sinam*. D.

Ego propter me] Ms. *Egone propter*. L.

Omnes nostri codd. *Egon' propter*. Recte; ut versu præcedente *egone*. B.

Propter me] I. e. opera mea in Eun. V. 5. 29. *propter me his eventurum aliquid mali* in Hec. V. 3. 35. *propter me gaudia illi contigisse lætor*. R. D.

37 *Quæ mihi suum animum*] Ab ejus beneficiis. *Suum animum*] Quantum ad amorem pertinet. *Atque omnem vitam*] Hoc est, ut maritum speraret. *Quæ mihi suum animum, atque omnem vitam credidit*] Argumenta a consequenti. Si eam deserit, hæc subjiciuntur. D.

38 *Quam ego animo egregie caram*] *Egregie*, præter cæteras, id est, nimis. *Bene et pudice*] Hic illud solvitur, *lana et tela victum quæritans*: ut hoc præstruat, bene et pudice Glycerium esse educatam, *lana et tela victum quæritans*. Et non pertinet ad argumentum, nisi post vitam Glycerii intelligas. D.

Quam ego animo] Vulgo pro *autem*, quod nos reposuimus, legitur *animo*; sed frigot hoc, præsertim cum modo habuerimus *animum*. Autem in enumerandis rationibus, ubi ad gravissimas ventum est, eleganter adhibetur. vid. 34. Compendia verborum *autem* et *animo* quam facile inter se permutentur, nemo nescit. Bo.

39 *Bene et pudice*] Ab honesto. *Bene et pudice ejus doctum*] Hanc sententiam quasi de exemplo probat. Nam bene educata est a Chryside, quæ primo pudice vitam, parce, et duriter agebat. D.

Eductum] Ponitur pro *educatum* in Heaut. II. 1. 14. *habet bene ac pudice eductam* Plaut. in Curcul. IV. 2. 32. *bene ego istam eduxi meæ domi ac pudice*. Cic. ad Div. VI. 5. *ita natus, ita eductus, ita doctus est*. v. Savaron ad Sidon. Apoll. III. 11. et Drak. ad Liv. XXI. 43. R. D.

40 *Coactum egestate*] Propterea quod Chrysis, inopia et cognatorum negligentia coacta. *Coactum egestate*] Non paupertate, sed egestate, qui contrarium, *inopia, et cognatorum negligentia*. D.

41 *Haud vereor*] Acuit animum adolescentis contra patrem, cujus etiam nomen grave est. D.

Haud vereor, inquit, si in te solo sit situm] Adversus istam propositionem argumentum rursus supponitur, an fieri possit, quod conjecturale est, quod tali animo Pamphilus sit, ut neque inhumanus, neque ferus sit, nec amet, neque sine pudore sit. Quibus rebus per se nota omnia argumenta sunt, ut facile possit nosci adolescentem, et contra im-

Sed vim ut queas ferre. P. Adeon' me ignavum putas?
Adeon' porro ingratum, aut inhumanum, aut ferum?
Ut neque me consuetudo, neque amor, neque pudor
Commoveat, neque commoneat, ut servem fidem? 45
M. Unum hoc scio, hanc meritam esse, ut memor esses sui.

perium patris, in amore fidem posse servare. Suggerit illa, quo magis adolescentem incendat, meritam esse Glycerium, ut ejus Pamphilus memoriam contineret. E.

Haud vereor] Ms. R. *Haud verear*. L. Plerique ex nostris *verear*, et duo, *in te sit solo*, quam lectionem et ordinem præfero. B.

42 *Sed vim ut queas*] Hic, *vereor* subauditur. *ut*, pro *ne non* posuit: ut sit, sed vereor ne non queas vim patris ferre. Et, ne non possis, non damnatio est, verum adolescentis provocatio in contemtum patris. *Adeon' me ignavum*] A verisimili. *Ignavum*] Quod adversum necessitatem proferendum fuit, id primum dixit, adesse sibi virtutem. Quæ sequuntur, ad fidem pertinent. Ita pro tempore contemtum patris pro fortitudine habet. *Ignavum*] *Ignavus* est, qui vim non potest ferre, qui non est perseverans. D.

Numeri gratia repone, *sed ut vim queas ferre. Adeone me ignavom putas?* B.

43 *Adeon' porro ingratum*] *Porro*, conjunctio est expletiva, alias adverbium temporis. *Ignavum et ingratum*] Αὔξησις est; inhumanum aut ferum post subjecta dixit. *Adeon' porro ingratum, aut inhumanum*] Mira omnis conversio. Non enim dixit, Adeon' me obsequentem patri existimas, adeo gratum, adeo pium, adeo mansuetum? Ita amatoris per omnia servat conditiones, ut oratorie hoc cogatur scelus esse, si pareret nunc patri. D.

Lege, *Adeone porro ingratum, inhumanum, ferum?* ne accentus in repetito *adeon'* varietur; et Asyndetorum celeritas a rei natura postulatur. B.

44 *Ut neque me consuetudo*] Non ordinem reddit. ferum enim reddit ad *mansuetum*, quod etiam feræ mansuescunt. *Neque amor*] Ad illud. *inhumanum*, Amor namque vehementior est in homines. Virgilius, Georg. III. 258. *quid juvenis, magnum cui versat in ossibus ignem Durus amor? Pudor*] Ad *ingratum* retulit. *Ut neque me consuetudo, neque amor*] Ἀνάδοσις ad superiora. *Consuetudo*, adversus feritatem. *Amor*, adversus inhumanitatem *Pudor*, adversus ingratum animum. D.

Consuetudo] Refertur ad præcedens adjectivum *ferum*, amor ad *inhumanum* pudor ad *ingratum*. Talis ordo immutatus, quo postremum primo, primum secundo respondet, a grammaticis hiasmus vocatur. v. Donat. ad h. l. et Cort. ad Sallust. Catil. c. 14. R. D.

45 *Commoveat neque commoneat*] Αὔξησις est ad majora. *Ut servem fidem*] Exquisite: non dixit, ut contemnam patrem. D.

46 *Unum hoc scio*] In eodem hæret, ut excitet juvenem: neque audire se fingit quod dicit. *Unum hoc scio*] Vide quam callida sint, quæ a Myside subjiciuntur, ad irritandam promissionem Pamphili. *Unum hoc scio*] Subjicit illa quæ ardentem incendant magis. Nam dixit ille omnia, quibus cogitur servare fidem: sed de merito ejus aut nihil dixit, aut parum. *Unum hoc scio*] Quasi hoc dicat, quid tu facturus sis equidem nescio, sed unum scio, *Ut memor esses sui*] Invidiose, quasi oblito: adeo commovetur hoc dicto Pamphilus. *Ut memor esses sui*] Bene præterito: quoniam quæ præterita sunt, in recordatione magis lacrymabilia (Ms. Hulst. addit *et miserabilia*) sunt. ut Virgilius, Æn. III. 678.—*cui parvus Iulus, Cui pater, et conjux, quondam tua dicta, relinquor?* Idem alibi, Æn. IX. 300. *Per caput hoc juro, per quod pater ante solebat.* D.

P. Memor essem? O Mysis, Mysis, etiam nunc mihi
Scripta illa dicta sunt in animo Chrysidis
De Glycerio. jam ferme moriens me vocat:
Accessi; vos semotæ: nos soli: incipit, 50
Mi Pamphile, hujus formam atque ætatem vides.

Unum hoc scio, meritam esse ut memor esses sui] Adjecit rursus adolescens suæ memoriæ: siquidem dicit, in animo se hæc Chrysidis morientis et commemorantis Glycerium scripta verba pertenere. In qua re allocutionis sunt præcepta et potestates: hoc est, quibus verbis potuit, ut Chrysis moriens ei commendaret Glycerium. Sed quoniam hoc profecit ad affectum, ut exinde profiteatur adolescens, se Glycerium non deserturum, singula excutienda sunt. Nam primum quo tempore locuta sit, non sine affectu est. *Moriens eum*, inquit: quæ res habet maximam pietatem, cum postrema vox est: quod soli sumus, et quod semotis omnibus: plus enim fidei meæ dedit, quando testem adhibere neglexit. Deinde sequitur ipsa oratio, quæ magnum affectum tenet. E.

Hanc meritam] In regio cod. τὸ *hanc* desideratur. L.

Hanc abest a melioribus codd. nec ancillæ de domina loquenti convenit. Deinde *esse* pone ante *meritam*, qui ordo est in Donati Msto. Oxoniensi, ut meritam clare possit audiri. B.

47 *O Mysis, Mysis*] Primum vocandi, alterum increpandi est. D.

48 *Etiam nunc scripta*] Id argumentum est, quam vivæ memor sit, qui etiam mortuæ verborum meminerit Chrysidis de Glycerio. D.

Ut ambiguitas genitivi tollatur, *dicta* pone post *animo*. B.

Scripta sunt in animo] I. e. ita inhærent animo, ut nunquam eorum obliturus sim. Cic. de orat. V. 87. *ut non infundere in aures orationem sed in animo videantur inscribere.* Academ. II. 1. *ut literis consignamus, quæ monumentis mandare volumus sic ille in animo res insculptas habebat.* v. Schulting. ad Sen. controvers. h. l. p. 63. R. D.

49 *Jam ferme*] *Ferme* adverbium est festinantis. *Moriens me vocat*] Ex tempore probavit locutam vera esse, non ficta et simulata. Nam qui sani sunt, ipsi (adde, *sibi spe*, Z.) longioris vitæ adulantur. Virg. Æn. X. 782. *et dulcis moriens reminiscitur Argos.* D.

50 *Jam ferme moriens*] Affectus a tempore, quod postrema vox erat. *Accessi; vos semotæ: nos soli*] Figuræ propriæ Terentianæ, (lege *Terentio*), ἀσύνδετον καὶ ἐλλειψις. *Vos semotæ*, deest *estis: nos soli*, deest *remansimus.* ut est illud, *egone illam, quæ illum, quæ me? Vos semotæ: nos soli*] Habuit fidem, quod soli fuimus, quod nemo testis. an timuit, ne hoc pater ante firmatum amorem cognosceret? *Incipit*] Deest *dicere.* Præparatio, et quasi vestibulum orationis est. *Inceptio* dicitur orationis, quæ longa taciturnitate, meditate graviterque profertur. ut Virg. Æn. X. 100. *tum pater omnipotens, rerum cui summa potestas, infit.* D.

Accessi; vos semotæ] Omittuntur particulæ connectendæ, ut festinatio et studium exprimatur, de quo oratorum artificio agunt rhetorices scriptores. R. D.

51 *Mi Pamphile*] Μίμησις per προσωποποιΐαν. et principium a blandimento. *Mi Pamphile*] Vide redditam voci morientis densis intervallis interruptam orationem, utpote lasso anhelita interveniente. *Hujus formam atque ætatem*] Amat compendium lassitudo. *Formam* enim dicendo pulchritudinem significat: *ætatem*, quod parva. *Hujus formam atque ætatem*] Duplex causa commendationis, *forma* et *ætas*: ut supra, *forte unam aspicio adolescentulam, Forma*, &c. D.

Nam, mi Pamphile, inquit] Primo

Nec clam te est, quam illi nunc utræque inutiles,
Et ad pudicitiam, et ad rem tutandam sient.
Quod ego te per hanc dextram oro, et ingenium tuum,

quod familiariter allocuta est, dicendo *mi*; deinde ipsa commendatio, quæ duas ad misericordiam continet causas, formam atque ætatem: quam rem et Simo laudaverit dicendo supra, *ibi aspicio unam adolescentulam, forma, &c.* Ex his enim rebus omnis causa pietatis est, et spes ad amorem. E.

52 *Utræque inutiles*] Legitur et *utiles*. *Et ad pudicitiam*] Propter forfam dixit. *Et ad rem tutandam*] Propter ætatem. ἀνάδοσις. D.

Illi nunc utræque inutiles] Sic ex Ms. R. editum, quod Priscianus in parte agnoscit, apud quem legimus lib. XIV. *Quam illi nunc utræque res inutiles.* L.

Codex Regius hoc ordine ponit, *nec clam te est, quam illi utræque res nunc inutiles.* Repone *utiles*, et versus est salvus. cf. infra IV. 5. 16. B.

Res nunc utiles. W.

Quam utiles] I. e. parum utiles. Sæpe adjectiva adfirmantia, si *quam* illis præponatur, quasi interrogandi modo, negandi vim habent; quod cum viri docti quidam non satis caperent, locum interpolarunt scribendo: *quam illi nunc utræque res inutiles.* v. Rivium et Bentl. ad h. l. infra IV. 5. 16. *quam id mihi sit facile atque utile* i. e. difficile et inutile. Liv. VIII. 33. *quam conveniens* i. e. minus conveniens. v. Observat. miscell. IV. p. 119. R. D.

53 *Ad pudicitiam et ad rem tutandam*] Ad pudicitiam, forma: ad rem tutandam, ætas. Sed melius utrumque ad pudicitiam. Nam neque forma, neque ætas pudicitiam poterit custodire: ad rem tutandam sola ætas sufficit. E.

Recte *rem* ante *tutandam* locum obtinet. B.

Rem] Res est familiaris, patrimonium in Ad. II. 2. 12. *nunquam rem facies* in Phorm. II. 3. 16. *si talentum rem reliquisset decem.* R. D.

54 *Quod te per*] *Quod*, propter quod. ut, Æn. II. 141. *Quod te per superos.* Et est ordo, propter quod te oro. *Per hanc dextram*] Tenet eum, ut apparet. *Per hanc dextram*] Fidei et fœderis membrum. Ad manum fit conventio. *Et ingenium*] Legitur et *genium*. D.

Quod ego te] Omnis allocutio has divisiones habet, quid velit et quid metuat. ita quod metuat supra positum est, *et ætate, et forma.* nunc quid velit. *Quod ego, inquit, nunc te per hanc dexteram oro.* Ipsum quod velit jungit cum precibus. Impetrabile enim fit, si quod volumus, in allocutione cum precibus collocemus. Ut, Virg. Æn. IV. 314. *Per has te lacrymas egomet dextramque tuam te; Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam Dulce meum*—Non potuit enim per partes impetrabile facere, quod rogabat. Hic autem vide, quod in jurejurando collocat primo dexteram, quam tenebat; quæ semper fidei testis est. Nam inde etiam Tullius, *per dexteram tuam te oro, non tam in prœliis et in bellis, quam in pace et fide firmiorem.* Et ingenium simul adjecit et fidem: tum etiam ut pietatem captet, solitudinem mulieris, et ipsum postremo desiderium. E.

Et ingenium tuum] Al. *et genium tuum.* L.

Lege, *quod te ego per dextram hanc oro, et per genium tuum.* Duo codd. Palatini habent *genium*, quod et sententia ipsa flagitat. Deinde *per* repetendum est ante genium, ut æqualitas constet. B.

Quod ego te oro] Vulgo *quod* explicant propter quod, quam ob rem; sed durum est in his formulis ita capere, lenius est intelligere, in quo, qua in re, omninoque *quod* et in his et in similibus servit transitioni. Virgil. Æn. II. 141. *quod te per superos* ubi v. Burmann. in Hec. III. 2. 3. *quod te Æsculapi et te Salus, ne quid sit hujus, oro* v. Ernest. clav. Ciceron. in voce *quod*. R. D.

Per tuam fidem, perque hujus solitudinem 55
Te obtestor, ne abs te hanc segreges, neu deseras:
Si te in germani fratris dilexi loco,

Dextram] Dextra fidei symbolum apud omnes gentes. Sallust. in Jug. c. 10. *per hanc dextram regni fidem moneo obtestorque* ubi v. Cort. R. D.

Genium tuum] Vulgo legitur *per ingenium tuum* i. e. per naturam tuam, sed Bentl. legendum docet *per genium tuum*. Sic Horat. Epist. I. 7. 94. *quod te per genium dextramque Deosque penates*. R. D.

55 Per *hujus solitudinem*] Legitur et *sollicitudinem*. D.

Solitudinem] Solitudo dicitur de illis qui nullos cognatos vel amicos habent. Cic. pro domo c. 36. *defleri liberorum carissimorum solitudinem*, v. in Eun. I. 2. 67. et in Ad. III. 2. et Riv. ad h. l. R. D.

56 *Obtestor*] *Obtestato* dicitur, quando eum adjuramus, quem rogamus. *Oramus* per eas res, propter quas rogamus. Virg. Æn. X. 45.—*per eversæ, genitor, fumantia Trojæ Excidia obtestor. Ne abs te hanc segreges, neu deseras*] Ad fidem, *ne segreges*, retulit: *ad solitudinem*, ne deseras: hoc est, ne aliam ducas, aut amare desinas, etiamsi aliam ducas. *Ne abs te hanc segreges*] Quasi ipsam manu tenens. *Hanc*, propter formam et ætatem. *Segreges*] Hoc verbum simplex fieri non potest. *Neu deseras*] Postremo. *Te obtestor*] Sextum παρέλκον. dixit enim jam, *quod ego te per hanc dextram oro*. D.

Ne abs te eam segreges, neu deseras. Sunt autem duo, *ne abs te segreges*, ne non eam ducas uxorem: *neu deseras*, neve non periclitantem defendas. Scit enim esse peregrinam secundum suspicionem suam. Adjungit meritum suum dicendo, *Si te in germani fratris dilexi locum*] Quomodo Virg. Æn. IV. 315. *si bene quid de te merui*. Jungit autem meritum puellæ: *sine hæc te solum semper fecit maximi: seu tibi morigera fuit in rebus omnibus*] *Tibi fuit morigera*, id est, tuis moribus inserviens. Et in merito puellæ maximam vim declaravit, quod solum semper fecit maximi. Accepit a me beneficium, quod servata sit, quod vivat, et tamen te solum maximi fecit. Potest etiam dici, quod solum amaverit in domo meretricis. Allocutionem efficaciter concludit per mandatum et monitum. *Te isti virum do*] Quod supra dictum, *abs te ne segreges. Amicum, tutorem, patrem*] Hoc supra dictum, *neu deseras*. Adjungit et ab utili; *bona nostra hæc tibi committo*] Post hæc quo major vis ad memoriam possit accrescere, ut mandatorum verba in animo fixa remanerent, illud adjecit, *Hanc mihi in manum dat, mors continuo eam occupat*] *Continuo* inquit, tanquam usque ad mandati creditam sententiam vita suffecerit. Concludit deliberationis suæ partem per electionem: *accepi*, inquit, *acceptam servabo*] Consentit continuo et Mysis, et ipse curam illius habendo, cum dixisset, *perge ad obstetricem*, monetque ne aliquid dicat dominæ de nuptiis, quod pulchre est collocatum. Nam nonnihil ex hoc fidem dat amoris, cui et miseretur. Et urbane, ne ei quam diligit ex aliquo nuncio ægritudo cumuletur, hoc posuit: *atque audin'? verbum unum cave de nuptiis: ne ad morbum hoc etiam*. E.

57 *Si te in germani*] Sic tunc dicimus, quando præstitimus aliquid, et tamen nolumus exprobare. ut Virg. Æn. IX. 406. *Si qua tuis unquam pro me pater Hyrtacus aris Dona tulit. - -* Et alibi, Æn. IV. 317. *Si bene quid de te merui. - - In germani fratris*] Non fratris solum, sed etiam germani. D.

Si] *Si* frequens est in obtestationibus, cum causam reddimus, quare quid petamus. Cic. pro Murena c. 40. *ita orat atque obsecrat si injuste neminem læsit, si nullius aures voluntatemque violavit.* Virgil. Æn. IV. 317. *si bene quid de te merui*. Ovid. Metam. VIII. 350. *si te coluique coloque*. v. Bentlei. ad Horat.

Sive te hæc solum semper fecit maximi,
Seu tibi morigera fuit in rebus omnibus.
Te isti verum do, amicum, tutorem, patrem.
Bona nostra hæc tibi permitto, et tuæ mando fidei.
Hanc mihi in manum dat: mors continuo ipsam occupat.
Accepi: acceptam servabo. M. Ita spero quidem.
P. Sed cur tu abis ab illa? M. Obstetricem arcesso.
P. Propera.

Carm. I. 32. 1. Mox *sive* intelligendum *vel si*, quod supra annotavimus. R. D.

58 *Sive hæc te solum*] Si aut te mihi prætulit, aut nullum alium noverit amatorem in domo meretricis. D.

Sine hæc te lege ex codd. nonnullis. *Te* enim, cum in ictu non sit, non potest non elidi. B.

59 *Morigera*] Hoc quasi amanti utile fuit. Virg. Æn. IV. 317. *fuit aut tibi quicquam Dulce meum.* D.

Morigera] Nequitiæ vox est. Nam *morigerari, morem gerere, obsequi* dicitur mulier, quæ corporis copiam facit. Plaut. in Cæs. V. 2. 19. *satisne morigera est.* in Mostellar. II. 1. 51. *morigeræ tibi erimus ambæ.* v. interpret. ad Sueton. Tiber c. 45. et quæ diximus ad Timæi Lexic. Platon. p. 195. R. D.

60 *Te isti virum do*] Hæc, ut diximus, et singula sunt, et non præcipitantur, nec dicuntur uno spiritu. *Te isti virum do*] Apparet quod junctis dextris hæc dicebat. ideo et, *per hanc dextram te oro. Amicum*] Potest enim et maritus esse, et non amicus. Sed affectu mariti retulit amicum. *Virum*] Ne segreges. *Amicum*] Ne deseras. *Tutorem*] Quasi orbæ. *Patrem*] Quasi parvæ. *Patrem*] Ad illud quod ait, *et ad pudicitiam.* D.

61 *Bona nostra tibi hæc permitto, et tuæ mando fidei*] Conclusio per mandatum et obtestationem efficax satis. *Bona nostra*] Hæc verba quasi supellectilem suam ostendentis sunt. *Bona nostra*] Hoc est, ad rem tutandam. (lege: ad hoc, *et* ad rem tutandam). D.

Tibi permitto] Al. *committo.* L.

Bona tibi permitto] Plus est *permitto* quam *committo*, quod nonnulli codices habent. Permitto alicujus potestati, committo fidei. Cic. pro Fonteio c. 14. *ut commissus sit fidei, permissus potestati.* De hoc verborum discrimine v. Oudendorp. ad Lucan. VII. et Drakenb. ad Liv. IV. 49. R. D.

Tuæ mando fidei] Hoc ex formula dicitur, de qua v. Brisson. de formulis p. 590. R. D.

62 *Hanc mihi in manum dat*] Confirmatæ sunt legitime nuptiæ per in manum conventionem. Et mire *hanc*: non, *hujus manum. Mors continuo ipsam occupat*] Quo magis memorem esse oportet eorum, post quæ illa nihil locuta est. D.

Hanc mihi in manum dat] Hanc mihi accuratissime commendat. Cic. ad Div. VII. 5. *totum hominem tibi trado de manu, ut aiunt, in manum.* At Donatus respici putat ad nuptias per conventionem in manum, genus nuptiarum apud Romanos usitatum, de quo multa scriptores de nuptiis, inprimis Brisson. et Schulting. ad fragm. titulo. 9. p. 591. R. D.

63 *Accepi*] Proprie, quasi uxorem. *Acceptam servabo*] Conclusit partem deliberationis suæ per electionem. D.

64 *Sed cur tu*] Corripit, quod abeat ab illa. *Cur*, non interrogantis, sed corripientis est et increpantis, quod Glycerium deserat. *Obstetricem*] Quæ opem tulerit parienti, *obstetrix* dicitur: unde et parturientes, *fer opem*, clamant. *Propera, atque audin?*] Et interrogatio

Atque audin'? verbum unum cave de nuptiis, 65
Ne ad morbum hoc etiam. M. Teneo.

ACT. II. SCENA I.

CHARINUS. BYRRHIA. PAMPHILUS.

QUID ais, Byrrhia? daturne illa Pamphilo hodie nuptum? B. Sic est.

quo eat, et revocatio, ad argumentum magni amoris accedit. D.

Sed cur tu ab illa?] Sic edidit Sandby. Z.

Accerso] Cadente latinitate contra analogiam dici cœpit. Ubique igitur scribendum *arcesso*, quod formatur ab *arceo* vel *artio*, ut ab incio incesso, a carpio capesso, a facio facesso. v. Manut. ad Cic. epist. ad Div. VII. 21. Casaub. ad Sueton. Cæsar. c. 2. et Gesner. in Thes. lat. ling. voce *accerso*. R. D.

65 *Verbum unum cave de nuptiis*] Deest *dicas*. figura ἔλλειψις. *De nuptiis*] Non quod hodie futuras nescierit Glycerium, sed quod illas hodie indixerit pater filio: cum supra et Pamphilo et Glycerio disturbatæ viderentur, quia sunt constitutæ in hunc diem. *Cave*] Annotant quidam *cave* hic corripiendum esse. D.

Verba *atque audin?* Debent versum antecedentem claudere. B.

Verbum] Supplendum *dicas* vel *facias*. v. in Eun. I. 2. 8. R. D.

66 *Ne ad morbum hoc etiam*] Iterum ἔλλειψις, deest enim, *accedat*. D.

Ne ad morbum etiam] Donatus supplet *accedat*. R. D.

1 In hoc colloquio altera pars ostenditur fabulæ. Siquidem Andria ex duorum adolescentium pavoribus (Mss. Hulst. et Dan. et Bœnd. *periculis*) gaudiisque componitur, cum fere solam Hecyram Terentius ex unius comœdia adolescentis effecerit. Has personas Terentius addidit fabulæ. Nam non sunt apud Menandrum, ne τραγικώτερον (nec hoc, nec illud ἀποθέατον. quod e Ms. laudat Lindenbrog. agnoscit Ms. Hulst.) fieret, Philumenam spretam relinquere sine sponso, Pamphilo aliam ducente. *Quid ais, Byrrhia? daturne illa*] Ex verbis Charini apparet Byrrhiam nunciasse nuptias futuras cum Pamphilo: nec adducitur tamen, ut statim credat, et accommodet animum. Sæpius ergo repetit interrogando. Et bene *illa*, velut amatorie de certa loqueretur persona. Sic Virgilius, Æn. IV. 421.—*solam nam perfidus ille Te colere, arcanos etiam tibi credere sensus.* Ergo non Æneas, sed ille. Et item hic, non *Philumena*, sed *illa* dixit. *Quid ais, Byrrhia?*] Miratur magis, quam interrogat, vel potius indignatur. *Sic est*] Hoc cum indignatione stomachi dixit. D.

Quid ais, Byrrhia? daturne illa hodie Pamphilo?] Charinus indignatur, quod sibi nunciatum esset, Philumenam, quam diligebat, Pamphilo esse nupturam: vehementi dolore succensus, primo conqueritur, deinde deliberat, an Pamphilum conveniat, ut eam non ducat uxorem. Deliberativæ formam in hac scena debemus animadvertere: ac primum, an verum sit, quærit. Ideo interrogat, quasi verum audierit. Est et familiare timentibus, nolle audire quod inimicum sit voluntati. Interrogat autem rem;

C. Qui scis? B. Apud forum modo de Davo audivi.
C. Væ misero mihi!
Ut animus in spe atque in timore usque antehac attentus fuit;

Quid ais, Byrrhia? Deinde cum consensus est commodatus, sic et personam quærit, a quo audierit. E.

Hodie nuptum] In Ms. R. *τὸ hodie* deest. L.

Etsi in omnibus codd. hic ordo verborum reperitur, *daturne illa hodie Pamphilo nuptum?* metri tamen gratia Faernus recte ita correxit. B.

Datur nuptum] *Nuptum* est supinum verbi *nubere*. vulgo in deterioribus libris legitur *nuptui dare, nuptui collocare*, sed rectius esse *nuptum dare* vel *collocare* egregie docet Drak. ad Liv. I. 49. R. D.

2 *Qui scis?*] Non vult enim verum esse. *Qui*, quatenus, unde hoc scis. *Apud forum modo de Davo audivi*] *Apud forum*, de loco. De tempore, *modo*. De persona, *de Davo*. (ita verba collocavimus e Ms. Hulst. quam ordinem sensus exigit. Z.) Plurima dixit ad confirmandum Byrrhia, quando interrogatus est, a loco, a tempore, a persona. *Væ misero*] Tandem aliquando pervictus (Ms. Bœnd. et ed. Du B. *productus;* forte leg. *perductus*) eat, ut crederet. *Væ*] Interjectio in his rebus, quas execramur. D.

Qui scis] At vero nuncius compendium interrogationi faciens, et personam et locum dicit, ubi audierit. *Apud forum*, inquit, *modo de Davo audivi*] Quare confirmatus in quæstione, continuo prorupit adolescens, qui dixit; *Væ misero mihi*] Quod nunc certum periculum sit, ante incertus fuisset inventus (forte *eventus*): et ex diversis rebus fit argumentum a pari. Post Byrrhiæ adhibet consolationem. Quod genus orationis in materia oratoria raro versatur. Hic autem posita est, ut voluntas ab eo quod fieri non potest, consolatione suscepta, ad id quod fieri potest, convertatur: quod vocatur dissuasio. At vero adolescens cupidus amoris sui voluntatem perterritam continet. *Nihil*, inquit, *aliud volo nisi Philumenam*. Sed servus consolationem reddit, ut si fieri possit, adolescens æstus contrarii amoris excludat: et ipsum amorem loquendi dolore suspendit. Huic respondit sententiæ naturaliter: quod omnes cum valemus, aliis dare consilium possumus: at si in ægritudine ipsi simus, de eo, de quo consilium dedimus, necesse est aliter sentiamus. Viso Pamphilo deliberat Charinus an adeat, et roget, ut nuptiis aliquot proferat dies, id est, protrahat; ut periculo jam certo spes aliqua dilatione pariatur. Ac deliberationem indicat servo Byrrhiæ, quid sibi videatur. At ille dissuadet ab inhonesto et inutili, spem * est cadere Pamphilum, si nihil impetraret, ille continuo sibi credat Charinum uxorem tollere. Hoc nam significavit. Quid ni? si nihil impetres: ut sit sensus, quod mihi videtur: *ut ille arbitretur paratum sibi mœchum, si tu nihil impetres.* Alii distinguunt sic, ut simul dicant, non separatim, *quid ni, nisi.* qui vere nullus est sensus. Potest tamen dici *quid ni?* id est, certe. Et post, *si nihil impetres*, sc. restat, ut arbitretur tanquam ab eo impetraturus. (in Mss. lacunæ signum, nullum) * ut defendat deliberativæ utitur partibus, id semper impetrationem esse docuimus, quæ habet principium ad benevolentiam conciliandam precibus. E.

Pro *modo de Davo* recepimus lectionem Donati *modo e Davo*, quam ipsi Faerno placere videmus. B.

E Davo] Sic legendum, non *de Davo*, nam *de Davo audire* significat, quæ de Davo narrantur; in aliis tamen formulis hæ præpositiones recte commutantur v. Drak. ad Liv. XXV. 29. R. D.

3 *Usque ante huc*] Id est, ante quam tua verba audirem. Et duas præposi-

Ita, postquam ademta spes est, lassus, cura confectus, stupet.

B. Quæso ædepol, Charine, quoniam non potest fieri, quod velis,

Id velis, quod possit. C. Nihil volo aliud, nisi Philumenam.

tiones posuit, ut dicitur: sed una est tantum velut adverbium, non jam præpositio. *Usque antehac attentus fuit*] Nulla præpositio præpositioni adjungi separatim potest. *Usque*, ejusmodi est, ut sine aliqua præpositione raro inveniatur. *Attentus fuit*] Ut *attentus audire* dicitur. D.

Spe atque timore] Seneca Epistol. v. *Spem metus sequitur: nec miror ista sic ire. Utrumque pendentis animi est, utrumque futuri exspectatione solliciti.* Eleganter Achil. Tatius lib. V. τὸν ψυχὸν εἶχεν ἐπὶ τρυτάνης ἐλπίδος καὶ φόβου. καὶ ἐφοβεῖτο μὲν τὸ ἐλπίζον, καὶ ἤλπιζεν τὸ φοβούμενον. Virgil. Æneid. I. *Spemque metumque inter dubii.* L.

In spe atque timore attentus] H. e. intentus, arrectus, semper inter spem et timorem occupatus. R. D.

4 *Lassus cura*] Ex præterita spe: nunc *confectus*, id est, sic vulneratus, aut percussus, ut sanari non possit. *Lassus*] Ademta attentione. *Cura confectus*] Confirmato timore. *Stupet*] Abjecta spe. D.

Cura confectus] I. e. consumtus, maceratus. Cic. ad Attic. III. 8. *meus me mœror quotidianus lacerat et conficit.* ad Div. XIV. 4. *conficior lacrimis, sic ut ferre non possim* v. Broukhus. ad Tib. Eleg. I. 8. 39. Recte Donat. ad Eun. V. 4. 6. hoc verbum proprium dicit gladiatorum, qui adversarium conficere dicuntur, cum illum ita vulnerarunt, ut sanari non possit vel occidat. Cic. Catil. II. 11. *gladiatori illi confecto saucio.* v. Duker. ad Flor. III. 1. R. D.

Stupet] Stupere dicuntur, qui ita fracti et attoniti jacent, ut in nullo sensu esse videantur, ut nesciant quid agant. Plaut. in Pœn. V. 4. 78. *stupida sine animo adsto.* Ovid. Trist. I. 3. 11. *non aliter stupui quam qui Jovis ignibus ictus Vivit et est vitæ nescius ipse suæ.* R. D.

5 Objurgantis est *quæso*, vel etiam rogantis. *Quoniam non potest*] Consolatio ad id, quod fieri non potest, suadens, *id velis quod possit.* Proverbiale. D.

Quod vis non potest, velis id] Augustin. de Civit. lib. XIV. cap XV. et XXV. *Vivat ut vult, quoniam extorsit sibique imperavit non velle, quod non potest, atque hoc velle quod potest. Sicut ait Terentius. Quoniam non potest id fieri quod vis, id velis quod possis:* idem de vita beata: *etenim et illa ejusdem comici sententia non minus vera est: quoniam non potest id fieri quod vis; id velis, &c.* L.

Pro *quoniam* cod. regius habet *quando*, sic laudat quoque locum Donatus ad Æn. V. 704. et sane melius convenit sensui, ut infra IV. 5. 10. Cætera Faernus emendavit ita, *non potest id fieri, quod vis.* Recte. B.

Quoniam non potest fieri, &c.] Infra IV. 5. 10. eadem sententia dicit *ut quimus, quando ut volumus non licet*, ubi v. Muret. R. D.

6 *Nihil aliud*] Hoc magis gemitu amatorio, quam ut responderet Byrrhiæ, dicit: quasi magis Philumenam velit, quam vitam et lucem. Idem alibi, *in eo me oblecto: solum est earum mihi.* Non enim dixit, nullam volo aliam, quam Philumenam: sed nihil volo aliud: quod infinitum est. *Qui istum*] *Qui*, pro ut. D.

Nisi Philumenam] Augustinus de Civit. lib. XIV. cap. VIII. *Apud Terentium flagitiosus adolescens insana flagrans cupidine, Nihil volo aliud, inquit, nisi Philumenam. Quam voluntatem fuisse libidinem, responsio, quæ ibi servi*

B. Ah! quanto satius est, te id dare operam, qui istum amorem ex animo amoveas tuo,
Quam id loqui, quo magis lubido frustra incendatur tua.
C. Facile omnes, quum valemus, recta consilia ægrotis damus!
Tu si hic sis, aliter sentias. B. Age, age, ut lubet. C. Sed Pamphilum
Video. omnia experiri certum'st, prius quam pereo. B. Quid hic agit?

ejus senioris inducitur, satis indicat; ait namque domino suo: Quanto satius te id dare operam, quo istum amorem ex animo amoveas tuo, quam id loqui, quo magis libido frustra accendatur tua. L.

7 *Ex animo dimoveas*] Legitur, *ex corde ejicias.* D.

Tuo omnino subdititium est. Pro *animo amoveas* Donatus monet etiam legi *corde ejicias.* Quæ lectio perplacet propterea, quod *ejicere* majus est quam *amovere,* et *corde* consuetudini auctoris magis convenit; vid. Eun. II. 2. 16. Hec. III. 2. 12. Denique ut ex his duobus versibus unus tantum efficiatur trochaicus acatalecticus; cum Faerno primam syllabam, By. *Ah* in finem præcedentis rejiciendam puto. B.

Qui] Pro *ut* capiendum. v. notata ad Andr. prolog. v. 6. R. D.

Amorem ex animo amoveas] I. e. amorem quasi grave et molestum onus deponas. Amovere habet difficultatis significationem. v. Guilielm. in quæstionib. Plaut. I. 6. at Bentl. præfert alteram lectionem Donato commemoratam *amorem e corde ejicias.* sic in Eun. II. 1. 16. *ejiciunda hæc est mollities animi* in Hec. III. 2. 12. *cura ex corde excessit.* R. D.

8 *Libido incendatur*] H. e. concitetur, stimuletur, in Heaut. II. 3. 126. *ut illius animum cupidum inopia incenderet.* R. D.

9 *Facile omnes cum valemus*] Menander: *ῥᾷον παραινεῖν ἢ παθόντα καρτερεῖν.* Philemo apud Stobæum Serm. CCLXLIV. Τοὺς *ἰατροὺς οἶδ' ἐγὼ ὑπὲρ ἐγκρατείας τοῖς νοσοῦσιν εὖ σφόδρα* Πάντας *λαλοῦντας.* L.

Menander: *Ὑγιὴς νοσοῦντι ῥᾷστα πᾶς τις νουθετεῖ.* W.

Facile omnes, &c.] Hanc sententiam e Menandro expressam esse docet Muret. var. lect. I. 9. Similes sunt. sententiæ Æschyli et Euripid. v. Victor. var. lect. l. 1. R. D.

10 *Tu si hic scis*] Hoc gestu scenico melius commendatur. Nam hæc magis spectatoribus, quam lectoribus scripta sunt. *Hic* ergo se ipsum ostendens, dicit. et est hic pronomen. *Sed Pamphilum*] *Sed,* inceptivum, pro, atque eccum Pamphilum: ut Sallustius, (in Fragmentis), *sed Metellus in vulnere.* Hoc non discretivum: ut si dicas, sapiens, sed miser: hic enim discretivum erit. *Sed Pamphilum video*] Hæc per ἀποστροφὴν finguntur. *Age age ut lubet*] Adversus hæc non habuit, quid loqueretur. et est permissio reprobantis ea, quæ consentit. D.

Hic sign. meo loco. Pro *sentias* sensus postulat *censeas.* cf. Adelph. V. 8. 5. B.

Tu si hic sis] Plerique interpretes sic exponunt, ut *hic* pronomen sit et Charinus se ipsum gestu manus ostendat ita in Heaut. II. 3. 115. *tibi erunt parata verba, huic homini verbera;* sed verius Bentl. explicat *si feret meo loco,* ut *hic* sit adverbium. Ejus interpretationem confirmat similis locus Catonis ap. Julium Rufinian. de figuris p. 204. *si vos in eo loco essetis, quid aliud fecetis.* R. D.

11 Idem alibi, *omnia prius experiri,*

C. Ipsum hunc orabo: huic supplicabo: amorem huic narrabo meum,
Credo, impetrabo, ut aliquot saltem nuptiis prodat dies;
Interea fiet aliquid, spero. B. Id aliquid nihil est. C. Byrrhia,
Quid tibi videtur? adeon' ad eum? B. Quidni? si nihil impetres,

quam armis, sapientem decet. Virgilius, Æn. IV. 415, hanc quoque posuit sententiam, *ne quid inexpertum frustra moritura relinquat.* D.

Omnia experiri] Significat nihil prætermittere. nil inexpertum, nihil intentatum relinquere, in Eun. IV. 7. 19. *omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet.* Cæs. de B. C. II. 31. *omnia prius experienda.* Cic. ad Attic. III. *scripsi et expertus sum omnia* v. Cort. ad Sallust. Catil. c. 26. Similis formula *omnia facere,* quam explicuimus ad Rutil. Lup. L. I. p. 54. R. D.

12 *Ipsum hunc*] Bene *ipsum*, quasi auctorem et principem. refertur etiam ad dignitatem. *Orabo: huic supplicabo*] *Oramus* quæ bona sunt: *supplicamus* in adversis magis, vel cum lacrymis. *Hunc orabo: huic supplicabo*] Procemia sunt petitionis, quibus ostendit Poeta rationem, qua nova et improba res tamen petitur. *Amorem huic narrabo meum*] Non studium, aut voluntatem, sed amorem. Nec petam, sed *narrabo* dixit: totum magnifice. D.

13 *Ut aliquot saltem prodat dies*] *Saltem*, desperatis rebus solam petentes salutem, hoc verbo utimur. *Prodat* vero, proferat, prolatet, differat. Lucilius in quinto, *an porro prodenda dies sit?* D.

Credo impetrabo] Credo, puto, spero sæpe extra nexum orationis pronuntur in Eun. V. 2. 23. *debeam credo isti quicquam furcifero,* in Ad. I. 1. 55. *credo jam ut solet jurgabit.* v. Drak. ad Liv. ad IV. 17. R. D.

Prodat dies] *Prodere diem* est proferre, longiorem ducere, prolatare, ut docte explicat Donat. Liv. XXV. 13. *alia prodita dies ad frumentum majore apparatu petendum.* v. Festum voce *prodidisse* et ibi magnum Scaliger, item Joann. Rivium ad h. l. R. D.

14 *Interea fiet aliquid*] Tale est hoc, quale illud, *interea aliquid accidet boni.* Sed nihil illum dixisse poeta per servum ostendit, dicendo; *id aliquid nihil est. Fiet aliquid*] Ut supra, *impetrabo.* D.

Interea fiet aliquid] Hac formula utuntur laborantes et optatum difficilis rei exitum sperantes. Plaut. in Trucul. II. 4. 15. *mane aliquid fiet.* infra II. 3. 24. *interea aliquid acciderit boni.* R. D.

Id aliquid nihil est] Aliquid capiendum est in hypocrisi, ut grammatici loquuntur. infra II. 2. 13. Plaut. in Amphitr. I. 3. 32. *id actutum diu est.* Ovid. epist. XVIII. 180. *lacrimas hoc mihi pæne movet.* R. D.

15 *Adeon' ad eum*] Consuetudine magis, quam ratione dicitur; unum enim *ad* abundat. *Quidni, si nihil impetres*] Aut, *quid, nisi nihil impetres. ut te,* &c. In utroque idem sensus est: sed superior per εἰρωνείαν, inferior per simplicem explanationem solvitur, et si *quidni* legitur, subaudiendum, adeas: ut sit, quid ni adeas? ut si nihil impetres, te arbitretur paratum mœchum, si illam duxerit. *Si nihil impetres*] *Impetres* per ὑστερολογίαν dictum videtur, pro *petas,* quoniam petitionem sæpe impetratio sequitur. D.

Unus cod. e nostris habet *quid nisi? ut nihil impetres;* duo, *quid nisi? nihil ut impetres.* Emenda igitur *quid ni? nihil ut impetres.* Igitur *ut* signif. *etsi, quamvis.* B.

Adeon ad eum] Sæpe præpositio, cum

Ut te arbitretur sibi paratum mœchum, si illam duxerit?
C. Abin' hinc in malam rem cum suspicione istac, scelus?
P. Charinum video. salve. C. O salve, Pamphile,
Ad te advenio, spem, salutem, auxilium, consilium expetens.

qua verbum componitur, in regimine repetitur. v. Drak. ad Liv. præfat. §. 11. ita utrumque usitatum est *adire aliquem* et *adire ad aliquem*. Nep. in Themist. c. 7. *adire ad magistratus noluit*. Cic. Philipp. XIV. 1. *a Deorum aris, ad quas togati adierimus, ad saga sumenda discedere* v. Broukhus. ad Tibulli eleg. I. 5. 39. mox v. 19. *ad te advenio*, ubi v. Riv. R. D.

Quidni] Sensus est: quidni ad eum adeas. Nam si tibi sponsam non propter amicitiam cedat, forte ab ea ducenda deterrebitur, propterea quod veretur, ne tu amore captus ejus mœchus fias. R. D.

17 *Abin* recte legunt codd. præter quatuor nostros, ubi est *abi*. In Vaticano et Victoriano n abrasum est. Nullus vero nostrum habet *crucem*. Retine *rem*. B.

Abin in malam rem] Comicis usitata formula, qua alicui pœnam vel exitium imprecabantur. v. in Phorm. V. 7. 37. *Res mala* sæpe est exitium, ut in Plaut. Merc. III. 4. 30. in Trinum. IV. 3. 38. R. D.

18 *Charinum video*] Non imperite Pamphilum priorem loqui fecit, sed ut fiduciam det Charino loquendi: quod et Virgilius, Æn. I. 325. eleganter, *Heus, inquit, juvenes monstrate, mearum Vidistis si quam hic errantem forte sororum*. Ad hoc prior incipit Pamphilus, ut ad confessionem Charino minus clausa præ pudore sit via. D.

Alia orationis vis et virtus erit, si post *O salve* majorem feceris interpunctionem. Nam elata voce pronunciandum est *Pamphile*. B.

19 *Salutem, auxilium, consilium expetens*] Ut in petitionibus fieri solet, beneficium petens, utitur partibus deliberativæ. *Consilium expetens*] Eleganter: quoniam demens et improbum est quod petit, novissimum posuit consilium: ut si non possit concedi, vel consilium expetat ad sanandam dementiam. Cicero, pro Lig. X. *Tu da salutem, qui spem dedisti*. D.

Ad te venio spem, auxilium, salutem expetens] Pamphilus propter amorem suum istud aliter accipit, et respondet, *neque consilii locum habeo, neque ad auxilium copias*. Interrogat tamen ille. quoniam pudoris fuerat dicere, *uxorem tuam diligo*, prius interrogat an duceret uxorem: respondet Pamphilus quod in opinione est, non in ejus voluntate. Adjungit Charinus ad impetrationem vitæ suæ periculum, *Si id facis, hodie postremum me vides*] Sed interrogatus a Pamphilo cur istud dixerit, pudore confunditur. Allegat servum ut ipse dicat. Servus vero callidus, ne minus impetrabile, sed certe contumeliosum esset si diceret, amat uxorem tuam, *sponsam*, inquit, *tuam amat*, hoc enim est, quod adhuc tibi uxor non sit. Unde adulterii nulla suspicio est, quod illa sponsa est, hic amat tantum. Sed Pamphilus memor consilii sui et voluntatis, quærit utrum Charino aliqua consuetudo sit cum ea. Sed Charinus nesciens consilium, cur hæc interrogaverit Pamphilus, simpliciter negat factum. Volebat autem Pamphilus causam simpliciter reperire, cur eam non duceret uxorem, quam nolebat. Quod ut ille intellexit, se ad preces vertit, et petit ex more postulantium, quo semper prima, quæ majora sunt, petimus: deinde ea quæ volumus. Nam, uti supra dixit Charinus, nihil aliud a Pamphilo cupiens, nisi ut aliquot saltem nuptiis proferret dies. Hoc igitur cum desiderio

P. Neque pol consilii locum habeo, neque auxilii copiam.
Sed istuc quidnam'st? C. Hodie uxorem ducis? P. Aiunt. C. Pamphile,
Si id facis, hodie postremum me vides. P. Quid ita? C. Hei mihi!
Vereor dicere: huic dic quæso, Byrrhia. B. Ego dicam. P. Quid est?
B. Sponsam hic tuam amat. P. Næ iste haud mecum sentit. ehodum dic mihi,

sit, aliquid amplius primo, postulat, sicut diximus. Quia moris est ut per partes primo, deinde quod volumus postulemus; ut si negatum fuerit, quod primo petitum sit, jam pudori sit a quo petitur denegare. Primo petit ne ducat, secundo si id non potest, *aut tibi nuptiæ hæ sunt cordi*, saltem aliquot proferat dies, dum proficiscatur aliquo. Hoc est quod fuerat petitum: similiter et Juno ab Æolo postulavit, primum quod magnum est. Virgil. Æn. I. 73. *Incute vim ventis, submersasque obrue puppes.* Ita secundo loco, quod volebat, petit: *aut age diversas, aut dissice corpora ponto.* Hoc namque desiderabat, Trojani ad Italiam ne venirent, ac propterea dispergerentur. Huic igitur petitioni respondet Pamphilus patienter. ut amici more, non quia petiverit Charinus, sed quia ipse eam nolit ducere uxorem. E.

Auxilium pone post *consilium*. Nam ut spes minus est salute, ita consilium auxilio. Deinde commotius pronunciatur. Denique idem ordo est in responsione versus sequentis. B.

20 *Neque pol consilii locum habeo, neque auxilii copiam*] Apud amantem neque consilii facultas: apud inopem neque copia auxilii. His duobus ostendit etiam sese amatorem. Neque pol consilii locum habeo, quia amo: neque auxilii, quia sum miser. D.

Consilii locum neque auxilii] Plautus in Trucul. *Magisque adco ei consilium hic amicus est, quam auxiliarius.* L.

Pro *consilii* lege *consili*. Nam veteres omnes in substantivis, exeuntibus in *ius* vel *ium*, semper genitivos, ut vocativos, i simplici efferebant. Sub Augusti senescentis demum ætate mutatio genitivorum, qualis hodie est, facta est. cf. Gell. XIII. 24. Deinde codd. Petrensis et Regius habent *neque ad auxiliandum copiam*: at Engraphius, *neque ad auxilium copias*. Ego legendum esse censeo, *neque ad auxilium copiam*. B.

Copiam] Copia est facultas in Eun. prol. v. 21. *sibi ut inspiciundi esset copia*. R. D.

21 *Sed istuc quidnam est?*] Hoc si non adderet, locus confitendi amoris Charino nullus fuisset. *Hodie uxorem ducis?*] Vide miram interrogationem ante confessionem. *Aiunt*] De ea re diximus, quam volumus esse falsam. D.

22 *Si id facis*] Nihil prius, quam se moriturum dixit, pudenda dicturus. Inde datum est (Lege, *inde natum*, aut, *inde factum est*), ut ille instantius quæreret causam. *Hodie postremum*] Plus dixit, quam si dixisset, *morior hodie*. *Hodie postremum*] A necessario: quia vivere non potest. Et *postremum*, adverbium est. D.

Postremum me vides] H. e. nunquam posthac. Curt. V. 12. *ultimum illum visurus amplectitur*. v. Duker. ad. Liv. XL. 42. R. D.

24 *Sponsam hic tuam*] Nulla cuncta-

Num quidnam amplius tibi cum illa fuit, Charine? C. Ah, Pamphile,
Nihil. P. Quam vellem! C. Nunc te per amicitiam, et per amorem obsecro,
Principio ut ne ducas. P. Dabo equidem operam. C. Sed si id non potes:
Aut tibi nuptiæ hæ sunt cordi. P. Cordi? C. Saltem aliquot dies
Profer, dum proficiscor aliquo, ne videam. P. Audi nunc jam:

tatione Byrrhia, sed facete, παῤῥησίᾳ servili paratissime narrat. *Sponsam hic tuam amat*] Callide et *sponsam*, et *amat*: hoc est, nec adhuc uxor tua est, neque aliquid admisit, quia amat tantum. *Næ iste haud*] *Næ*, valde: ut et Cicero, Catil. II. 3.) *Næ illi vehementer errant*. Sensus hic est, Non id amat quod amo, nec id odio habet quod odi. Hoc est, valde iste, inquit, non mecum sentit: id amat quod ego odi. *Næ iste haud mecum sentit*] *Næ*, valde: aut ut quidam volunt, *O quam*. Lucilius in X. *næ in arce bovem discerpsi magnifice*, inquit. D.

25 *Num quidnam amplius tibi cum illa fuit?*] Artificiose personam expressit Terentius, nuptias recusantem: et simul τὸ πρέπον virgini servavit. D.

25 *Num quidnam amplius tibi cum illo fuit*] Honesta circumlocutione quærit, an rem habuerit cum Philumena, ut in Eun. I. 2. 63. *ad virginem animum adjecit, etiamne amplius*. Similiter Cic. loquitur Tusc. quæst. III. 18. *si vero aliquid etiam* intelligit rem Veneream. v. interpret. ad Virg. Æn. IV. 318.

26 *Quam vellem*] Utique ut esset causa recusandæ. (Ms. Bœnd. et ed. Du B. *Utique vitiata, ut esset causa recusandæ*. Unde forte leg. *Utique vitiatam, ut esset causa recusandi*. *Per amicitiam*] Suam et Pamphili. *Et per amorem*] Suum tantum circa virginem. D.

Quam vellem] V. C. *Quantum vellem*. L.

27 *Ut ne ducas*] Sufficeret dixisse, *ne ducas*. *Dabo equidem operam*] Plus illi promisit, quam ille poposcit. *Dabo equidem operam*] Pronunciatione levandum est. Plus enim dixit, *dabo operam*, quam si diceret, *non ducam*. *Non potest*] Deest *fieri*, et hoc ad patrem retulit. D.

Pro *potes*, quod non commodum efficit sensum, lege *potest*, h. e. possibile est. Potest habent quoque editt. quædam vett. et ipse Donatus cum *fieri* deesse dicat, videtur ita legisse. B.

Non potes] Bentleius recte legit *non potest*. R. D.

28 *Aut tibi nuptiæ hæ sunt cordi*] Hoc ad Pamphilum pertinet. non enim unum et idem est. Nam si idem esset: *nuptiæ hæ sunt tibi cordi*, supervacuum esset additum, *Cordi*] Animo: acute. *Saltem aliquot dies profer*] Primo quæ majora sunt, petit: postremo quæ ex his videntur minima: et hoc arte: ut, Virg. Æn. I. 69. *Incute vim ventis, submersasque obrue puppes*. Et ad postremum, *aut age diversas, et disjice corpora ponto*. D.

Ut vitetur Homœoteleuton, pro *hæ* lege *hæc*, ut alibi. B.

Sunt cordi] Cordi esse dicuntur quæ grata sunt et placent in Phorm. V. 3. 17. *quia uterque utrique est cordi*. Liv. XXX. 17. *quidquid aliud fecerit, quod cordi foret Masinissæ*, ubi v. interpret. R. D.

29 *Profer*] Prolata, produc, differ. *Aliquo ne videam*] *Aliquo* dixit, ut exilium esset incertum. *Audi nunc jam*] Correptio impatientis, qui non sustineat audire de exilio. D.

Ego, Charine, neutiquam officium liberi esse hominis
puto,
Cum is nihil promereat, postulare id gratiæ apponi sibi.
Nuptias effugere ego istas malo, quam tu adipiscier.

Profer] Proferre idem est quod supra *prodere* i. e. in longius tempus differre. Cic. ad Attic. XII. 14. *laxius volent proferre diem.* Sen. in Hero. furente, v. 189. *nulli scriptum proferre diem.* Hinc res *prolatæ* dicuntur, cum feriari licet, munerum urbanorum vacatione concessa. v. Cic. pro Mur. I. 13. et Ivi Manut. R. D.

30 *Ego, Charine*] Sententiæ, quæ ex pronominibus incipiunt, sera semper, sed vera promittunt. Virgilius Æn. XII. 27. *Me natam nulli veterum sociare procorum Fas erat.—Ego Charine, neutiquam officium*] Sensus hic est: Non puto, inquit, hominem liberum, qui cum nihil præstet, haberi gratiam sibi poscat. ergo cum tibi nihil præstem, nolo mihi gratias agas. Non enim tui causa fugio, quod, prius quam me peteres, magis nolebam ducere, quam tu cupis. *Neutiquam*] Una pars est orationis, pro nequaquam. Aut alio modo dicitur, cum is nihil promereat, id est præstet. ut Virg. Æn. VI. 664. *quique sui memores alios fecere merendo.* et, Æn. IV. 334.—*nunquam, regina, negabo Promeritam.* E contrario lædit: *quid commerui, aut peccavi, pater?* D.

Ego, Charine, neutiquam officium liberi hominis esse puto, cum is nihil mereatur, &c.] Hic sensus maximam intentionem desiderat. *Mereatur* primum hic est instat: merendo enim præstatur. unde Virgil. Æn. IV. 333.—*Ego te, quæ plurima fando Enumerare vales, nunquam, regina, negabo Promeritam.*— Ergo hic erit sensus: Ego, Charine, non arbitror liberi hominis officium esse, unde nihil præstet, sibi hujus gratia debeatur. Ergo cum hoc tibi non præstem, nolo mihi debeas gratiam; quippe cum ego has nuptias velim fugere magis, quam tu adipisci. Quare ut cœperat Charinus gratias agit. Sed Pamphilus hortatur, ut et ipse Charinus et Byrrhia faciant, fingant aliquid, inveniant, dicendi, ut Charino detur: et ipse laborabit ut non ducat. Non enim sequebatur, ut, si Pamphilus eam non duceret, Charinus duceret. E.

Liberi esse hominis] Ita V. C. alii τὸ *hominis* non habent. Vid. Serv. Æneid. 6. vers. *quique sui memores.* L.

Homo liber non modo servo opponitur, sed significat etiam eum, qui nobilitate et bona existimatione inter cives suos censetur. Faernus apud. B.

Liberi hominis] *Liber* homo est liberali animo et ingenio præditus. Cic. de orat. I. 5. *eruditio libero digna.* Gellius XVIII. 10. *existimavi omnibus hominibus liberis liberaliterque institutis turpe esse.* R. D.

31 *Cum is nihil promereat*] *Mereri*, est aliquid mercedis pro labore sumere. Cum dicimus, *nihil meretur*, hoc intelligitur, nihil mercedis dignus est accipere. *Cum is nihil promereat*] Laboret, vel mereatur, vel mercedis petere debeat. ut, *quid meret Machæra?* Plautus in Pseudolo, IV. 7. 89. *Id gratiæ apponi sibi*] Addi in gratiam suam, id est, sibi gratiam merere. D.

Cum iambicus hic inter tot trochaicos non satis belle incedat: lege, *cum is nil mereat.* Sic quoque legisse videtur Donatus. B.

Cum is nihil promereat] I. e. cum is nihil agat, ut de altero bene mereatur v. Donat. ad h. l. R. D.

Id gratiæ apponi sibi] H. e. id pro beneficio haberi, sibi eo nomine gratias deberi. Argenteæ ætatis scriptores dixerunt *id sibi imputari.* v. Cellarii curas posterior. p. 64. et 163. R. D.

32 *Nuptias effugere*] Interposita distinctione, vultuose hoc dicitur, hoc est, cum gestu. D.

C. Reddidisti animum. P. Nunc si quid potes aut tu, aut hic Byrrhia,
Facite, fingite, invenite, efficite, qui detur tibi:
Ego id agam, mihi qui ne detur. C. Sat habeo. P. Davum optume
Video cujus consilio fretus sum. C. At tu hercle haud quicquam mihi;
Nisi ea, quæ nihil opus sunt scire. fugin' hinc? B. Ego vero, ac lubens.

33 *Reddidisti animum*] Plus dici non potuit. *Aut tu, aut hic Byrrhia*] Hic δεικτικῶς quasi efficaciorem ostendit. ergo ad comparationem alterius refertur. D.

Reddidisti male incipit a pede cretico: corrige itaque *redduxti*, præsertim cum cod. Petrensis habeat *reddixti*, et usus loquendi postulet. Nam *reddere animum* est in gratiam redire, quod alienum est ab hoc loco. Deinde *tu* ne elidatur, emenda *tute*. B.

Reddidisti animum] H. e. a desperatione me vel ad vitam revocasti. Similis formula est, quam alio loco explicabimus, *animus redit*. Bentl. emendat *reduxti animum*; hujus rationes videre. R. D.

Hic Byrrhia] I. e. Byrrhia quem præsentem vides; nam pronomen *hic* nominibus propriis additum præsentes significat in Ad. III. 4. 33. v. Manut. ad Cic. pro Ligar. 1. 3. R. D.

34 *Facite, fingite, invenite, efficite*] *Fit*, quod verum est. *Fingitur*, quod falsum est. *Invenitur*, ne temere fiat. *Invenite*, ergo, agite dicit post cogitationem. *Efficite*] Id est, in effectum perducite. Sallustius, Catil. I. *nam et prius quam incipias, consulto: et ubi consulueris, mature facto opus est. Facite, fingite invenite*] Mire expressit Pamphili animum nuptias metuentis (Ms. Bœnd. et ed. Du B. *recusantis*) cui quicquid dixerit, parum est. D.

35 *Ego id agam, mihi qui ne detur*] Non dixit, *ego non instabo ut ducam*: sed quod est amplius. Et recte: utri-usque opera opus. Non enim continuo ducet Charinus, si non duxerit Pamphilus. *Qui detur*] *Qui* pro quemadmodum. *Ne mihi*] Veteres frequenter *ne* pro *non* dicebant (Verba *qui detur—dicebant*, absunt a Ms. Hulst. nec videntur esse Donati). *Sat habeo*] Sic antiqui pro sufficit, *sat habeo* dicebant. an vel abundat? D.

Ut *mihi* sub ictum veniat; pone, *qui mihi ne detur*. B.

Optume] I. e. opportune, in tempore. infra IV. 2. 3. *optume te mihi offers*. in Hec. II. 2. 4. *Phidippum optime video*. R. D.

36 *At tu hercle*] (Adde *haud quicquam*. Ita est recte in Ms. Hulst.) Deest, affers, dicis, nuncias. D.

37 *Nisi ea quæ*] Hoc est,—*daturne illa hodie Pamphilo nuptum?* B. *Sic est.* C. *Qui scis?* B. *Apud forum modo de Davo audivi*. Quod memor est Charinus, se non libenter audisse. *Fugin hinc*] Comminantis est, et abigentis a se. *Ego vero, ac lubens*] Nemo lubenter fugit, nisi coactus necessitate. Hic etiam *lubens* dixit, quod est, lubenter. D.

Unus e nostris, *opus est*. Certe alterutrum legendum est, aut *opus est scire*, aut opus sunt *sciri*. Posterius placet. B.

Ego vero ac lubens] Particula *vero* vehementer affirmat in Eun. III. 5. 43. *ego illud vero ita feci ac lubens*. Cic. in Bruto c. 32. *nobis vero et vehementer quidem placet*. v. Drak. ad Liv. XLV. 19. R. D.

ACT. II. SCENA II.

DAVUS. CHARINUS. PAMPHILUS.

DI boni, boni quid porto! sed ubi inveniam Pamphilum?

Ut metum, in quo nunc est, adimam, atque expleam animum gaudio.

C. Lætus est, nescio quid. P. Nihil est: nondum hæc rescivit mala,

D. Quem ego nunc credo, si jam audierit sibi paratas nuptias,

1 Hæc scena consilium continet personarum, ad quas maxime pertinet argumentum. Et hic est locus, in quo, ut fieri solet, fortuna mixta rebus dispositis, magnas turbas dat. *Di boni, boni quid porto*] Non mirum quod insolentius Davus exultat, qui, ut Simo dicebat, timidus fuit, ut ipse Davus, etiam desperavit (lege, *tam timidus fuit et perturbatus, ut etiam desperaverit*) ex nuptiarum terrore, quas nunc falsas comperit. *Di boni, boni quid porto*] Ex proximo repetivit bis: sed tamen alterum nominativo plurali, alterum genitivo singulari dictum est. *Quid porto*] Non solum corpore, sed etiam animo portamus tam bona, quam mala. Sic alibi, *ne quid Andria apportet mali.* D.

Di boni, boni quid porto] Hæc scena conjecturalem statum tenet. Præterea conqueritur, an Simo veras nuptias sit hodie facturus. Hujus rei argumenta Davus servus callida arte collegit, probaturus falsas esse nuptias. Hæc multis locis exprimemus. Ac primum generaliter gaudium suum protestatur, Pamphilum quærendo. *Ut metum, in quo nunc est, adimam, atque expleam animum gaudio*] Ordinem et rationem posuit. Prius enim id, quod malum est, debet excludi, ut id quod bonum est, melius faciliusque teneatur. E.

Di boni] Dii boni, Dii magni et simpliciter Dii frequentes sunt exclamationes admirantium et obtestantium. Eun. II. 1. 19. et Duker. ad Flor. c. 11. R. D.

Boni quid porto] Portare proprie est ferre aliquid magnum sive bonum sive malum. v. Donat. ad h. l. et Hec. III. 5. 63. et Burmann. ad Petron. R. D.

2 *Ut metum, in quo nunc est, adimam atque expleam animum gaudio*] Ordine locutus est. Prius enim metum adimere, sic demum gaudio perfundere. Hic ordo etiam in laude servatur. D.

Ut metum in quo nunc] Servius Æneid. I. ad illum vers. *Abolere Sichæum.* L.

Ne *metum* in thesi totum subsidat, sed melius exaudiatur, pro *in quo*, repone *quo in.* B.

Ut metum in quo nunc est] In metu esse dicitur pro metuere, ut in lætitia esse pro lætari, in seditione esse pro in seditione agitare. v. interpret. ad Liv. VIII. 33. R. D.

Nihil est] Elegans formula de iis, quæ contemnimus et quorum nullam rationem habemus. v. Heaut. IV. 2. 9. R. D.

3 *Nescio quid*] Deest *propter*: ut sit, propter nescio quid. *Quid*] Adverbiale.

Nihil est: nondum hæc rescivit mala] Nondum Pamphilus sciebat Davum scire, quod sibi pararentur nuptiæ. E.

4 *Quem ego nunc credo, si jam audierit sibi paratas nuptias*] Hic intelligit Pamphilus Davum scire, quod nuptiæ præparantur. E.

C. Audin' tu illum? D. Toto me oppido exanimatum quærere.
Sed ubi quæram? aut quo nunc primum intendam?
C. Cessas alloqui?
D. Abeo. C. Dave: ades. resiste. D. Quis homo'st, qui me? O Pamphile,
Te ipsum quæro: euge, Charine: ambo opportune. vos volo.
C. Dave, perii. D. Quin tu hoc audi. C. Interii. D. Quid timeas scio,

Paratas nuptias] Apparare nuptias dicitur infra III. 2. 34. R. D.

5 *Examinatum*] Perterritum, perturbatum. D.

Toto me oppido exanimatum quærere. Dave perii] Antequam aliquid audierit Pamphilus, indicat dolorem. Contra illi servus, qui scit quid argumentis collegerit, respondet. E.

Toto oppido] Pro in toto oppido. Præpositio *in* sæpe omittitur. Ovid. epist. I. 21. *quisquis erat castris jugulatus Achivis* v. Voss. de constructione c. 46. R. D.

6 *Sed ubi quæram?*] Nunc in omnes se partes versat, quærens quo dirigat cursum. D.

Aut quo nunc] Regius liber τὸ *aut* non habet. L.

Sex ex nostris melioribus codd. non habent illud *aut*. B.

Quo intendam] Scilicet *ire* vel *cursum* quod alii addunt. Sallust. in Jugurtha c. 107. *quo ire intenderant, perventum*, ubi v. Cortium. Hirtius de B. Africano *iter in Hispaniam intendebant*. Absolute ut h. l. Cic. Cat. I. 12. *quo intendit in castra Manliana pervenit*. R. D.

7 *Habeo*] Videtur quasi constitisse, deinde quasi elegisse quo pergat. *Habeo* per *h* inveni. legitur et *abeo*: uti merito illi dicatur, *resiste*. *Quis homo est qui me? O Pamphile*] Ante videt, quam compleat orationem. D.

Nostri codd. quamquam legunt *abeo*: præfero tamen *habeo*. B.

Resiste] I. e. mane in Phorm. V. 6. 10. *id tibi fiet nisi resistis*. Cæsar de B. C. II. 35. *sæpius adpellatus adspexit ac restitit*. Curt. VI. 7. *cacumina montis intuens restitit*. R. D.

Quis homo] Pro *quis* ut in Hec. III. 4. 17. *cui homini* pro *cui*. R. D.

8 *Euge Charine*] *Euge*, modo pro interjectione positum est. *Opportune*] Deest, *adestis*: non, opportune vos volo. D.

Ambo opportune] Servius Æneid. XII. vers. *Sthenelumque dedit*. L.

9 *Dave, perii*] Proprium est dolentibus, præfestinare ad indicanda quæ dolent. ἀπολούμεθα! Habet nonnullum affectum, quo addidit, *Dave*. *Quin tu*] *Quin*, modo pro imo; alias, cur non? D.

Hoc audi] Illic ad calamitatis vocem redit servus; scire se ejus sollicitudinem dicit. *Quid timeas scio*] Quoniam videtur servum perseverare, Charinus adolescens ad pollicendam spem domino Pamphilo, continuo ipse suam calamitatem confitetur: *Mea quidem certe hercle in dubio vita est*. Sed hic servus repromittit, ac se dicit scire ipsius sollicitudinem. Pamphilus autem, tanquam nescio servo et adhuc ignoranti, ingerit causam calamitatis suæ, cum dicit *nuptiæ mihi*. Sed ejus orationem impleri non sinit servus, et continuo procedit dicens, *et istuc scio*. Ille perseverat dicens, *hodie*. Cujus orationem intercepit servus, et utriusque sollicitudinem narrat, dicens, *Tu paves ne ducas illam*] Hoc utique

P. Mea quidem hercle certe in dubio vita'st. D. Et quid tu, scio.
P. Nuptiæ mihi. D. Et si scio. P. Hodie D. Obtundis, tametsi intelligo.
Id paves, ne ducas tu illam: tu autem, ut ducas. C. Rem tenes.
P. Istuc ipsum. D. Atque istuc ipsum nihil pericli est: me vide.

Pamphilo; Charino autem, *tu autem ut ducas*. E.

Etsi verba, *Dave perii—interii*, Donatus adscribit Charino: tamen ob consensum codd. et contexti rationem tribuenda sunt Pamphilo. Nam absurdum est non modo priores vel in amore vel metu partes Charino dare, sed et Davum prius alienum quam herilem filium compellare. B.

Quin] Quin pro particula adversativa ponitur et idem significat quod *imo, potius* in Eun. V. 2. 63. *quin tu me servato*. v. Gronov. ad Liv. XXVII. 49. et Drak. ad Liv. II. 29. R. D.

10 *Mea quidem hercle*] Videtur Charinus plus dixisse, *perii*, quam Pamphilus, *mea quidem hercle certe in dubio est vita*. Sed non est hoc; plus enim Pamphilus dixit. Nam qui vivit, non potest interiisse: is autem qui vivit, vitam potest in dubio habere. Ideo et juravit *hercle*: et affirmans jusjurandum, *certe* addidit. Bene *certe*: quasi illud *interii*, falsum sit. Ita Pamphilus plus fecit periturum se esse dicendo, quam Charinus interiisse. *Et tu quid, scio*] Mira compendia, quæ contrahit poeta longitudine fabulæ: nec tamen perdit affectus personarum. *Et tu quid*] Deest *timeas*. D.

Certe et *quid tu* Donatus habet, tres libri, quos vidit Faernus, et meliores ex nostris. Recte. B.

Quidem hercle certe] Tres affirmandi particulas junxit Terent. ut intenderet affirmationem; sic etiam in Phorm. I. 3. 12. v. Rivium ad h. l. R. D.

In dubio vita est] I. e. de vita dubitatur, vita est in periculo. Sallust. in Catil. c. 52. *libertas et anima nostra in dubio est* ubi v. Cort. Ovid. Amor. II. 132. *in dubio vitæ lassa Corinna jacet*. Sic *res dubiæ* dicuntur periculi plenæ. Liv. II. 50. *dubiis rebus futurum auxilium*, ubi v. Drakenb. R. D.

11 *Et id scio*] Ἐν ὑπομονῇ. tanquam dicat, nihil est. *Et id scio*] Legitur, *et, etsi scio. Hodie*] Tempus addidit, tanquam rem sciens. *Obtundis*] Sæpe repetendo dicere, *obtundere* est. translatio a fabris, qui sæpe repetunt tundendo aliquid malleo, et idem obtundunt et habetant. *Obtundis, tametsi*] Potest esse ἀναστροφή: sed sincerius est et melius subdistinguere. D.

Plerique libri Faerni habent *et si scio*, nostri partim *et id scio*, partim *etsi scio*. Posteriorem lectionem requirit sententia. B.

Obtundis] Molestus es, eandem rem sæpe repetendo v. in Eun. III. 5. 6. et Heaut. V. 1. 6. Donatus ait locutionem ductam esse a fabris ferrariis, qui incudem repetitis ictibus pulsant. R. D.

12 *Id paves*] Deest *ob*: ut sit *ob id*. hoc autem Pamphilo dicit. *Tu autem, ut ducas*] Pro, ne non, ut possit. Hoc, Charino. D.

Id paves] Ms. R. *poavts*. L.

13 *Atque istuc. ipsum*] Ἐν ὑπομονῇ. Ille enim hoc idem dixerat cum exclamatione: quod quasi vanum contemnit. *Me vide*] Utrum lætus sum? an, me specta fidei datorem? ut dici solet, *me habe, me respice*. D.

Istuc ipsum nihil pericli est] Irridentis est ita oratio. quia supra dixerat Pamphilus *istuc ipsum*, repetit tanquam vanum dictum. *Nihil pericli*]

P. Obsecro te, quam primum hoc me libera miserum metu. D. Hem!
Libero. uxorem tibi non dat jam Chremes. P. Qui scis? D. Scio.
Tuus pater modo me prehendit; ait, tibi uxorem dare sese
Hodie: item alia multa, quæ nunc non est narrandi locus.

Rogat ut metu liberet dominum servus, et summam collocat. Primum hanc rem semper facere debet orator, uti ante partium, quæ longo genere narrandi explicabuntur, summa primitus collocetur: et hoc maxime in initio, ut facilius res comprehendi possit. Est igitur summa: *Uxorem non dat Chremes filium suam Pamphilo.* ejus casu videatur ista argumenta collegisse; aut ex eventu narrat causam, quemadmodum ad indicia veritatis pervenerit. Tunc paret causæ, quemadmodum malum prædixit, et deinde quæ consequuntur. Quibus in verbis declarat sibi maximam sollicitudinem fuisse, posteaquam patrem cognoverit Pamphilo nuptias non parare. E.

Atque istuc ipsum] Priscian. lib. 2. *atque hoc ipsum.* L.

Me vide] Ego tibi sponsor sum, ego periculum rei in me suscipio. v. in Phorm. IV. 4. 30. et Plaut. in Rudente III. 3. 18. R. D.

14 *Obsecro te, quam primum hoc me libera miserum metu*] Cum precibus et tempus admiscuit. Et bene *libera*, perfecta enim securitas, *liberatio* nominatur. *Hem*] Ecce: demonstratio est facti. D.

15 *Uxorem tibi non dat jam Chremes*] Oratorie a summa cœpit: cujus partes multis dicentur. *Jam non dat*] Bene *jam*. Quod si non dixisset, intelligeret Pamphilus, vel postea Chremetem filiam esse daturum. Sed addito *jam*, plena securitas est. *Jam* enim renunciatio est perpetuitatis. *Scio*] Præparatio est auditoris ad eam narrationem, quæ ostendit argumenta falsarum nuptiarum. D.

Unus cod. ex Regiis locat numerosius ita, *tibi uxorem non dat jam Chremes.* Deinde *scio* est inutile. non enim respondet interrogationi, quæ non est, *an sciret*, sed *quomodo sciret.* Præfero igitur lect. variam *scies*, quæ est in margine cod. Colleg. Corp. Chr. B.

16 *Me prehendit*] Pro *prendit.* Addita aspiratione geminavit syllabam. Et *prehendit* dixit, quasi vitantem ac fugientem. *Ait tibi*] *Ait* proprie: quia contemnenda dicuntur. *Ait tibi uxorem dare se*] Conjecturam facit ex malis, quæ præcesserunt. *Ait tibi uxorem dare se*] Dicit cur primo crediderit veras, dicturus subinde cur falsas. D.

Duo codd. rotundius et melius ponunt *me* ante *modo.* Omnes Faerni codd. habent *dare sese*; unus ex nostris ponit *sese dare*; alter primariæ notæ *sese* non habet; quod cum in versu redundet, lege *dari*, ut supra, I. 2. 20. B.

Me prehendit] I. e. me manu vel vestibus comprehensum compellavit vel simpliciter compellavit in Phorm. IV. 3. 15. *prendo hominem solum.* R. D.

17 *Item alia multa*] Bene distulit narrationem, ne, si audirent Charinus et Byrrhia, desinant dolos struere adversum vigilantissimum senem. *Item alia multa*] Commoda narratio a necessariis tantum. Minus autem senis prætermisit, ne corrumperet bona, quæ nunciabat. *Quæ nunc non est narrandi locus*] Non vult dicere, quam minaciter secum egerit senex, quamque instet nuptiis, ne Charinum Byrrhiasque de spe dejiciat, quos vult secum adniti, ne uxorem Pamphilus ducat. *Quæ nunc*] Argumentum est, quærere potuisse eum qui sit territus. Nam timor curam parit. *Narrandi locus*] Modo tempus, spatium. D.

Continuo ad te properans percurro ad forum, ut dicam tibi hæc.
Ubi te non invenio, ibi ascendo in quendam excelsum locum. 19
Circumspicio; nusquam. forte ibi hujus video Byrrhiam; Rogo: negat vidisse. mihi molestum. quid agam, cogito. Redeunti interea ex ipsa re mihi incidit suspicio: hem, Paululum obsoni: ipsus tristis: de improviso nuptiæ: Non cohærent. P. Quorsum nam istuc? D. Ego me continuo ad Chremem.

18 *Properans percurro*] Vide quantum dixerit, *properans*, et *percurro*, ut continuationem cursus ostenderet. D.

19 *Ubi te non invenio*] *Ubi*, modo non est adverbium loci, sed temporis, pro *postquam*. *Ubi te non invenio, ibi*] A summo ad imum divisiones, quibus dicta et facta continentur: sub quorum genere sunt species nunc dictorum, nunc factorum, cum consideratione rerum personarumque. D.

Ibi, quod a duobus nostris abest, ego versus gratia repono post quendam. Atque *ascendo* muro in *escendo*, quod magis est e vet. consuetudine, et reperitur in cod. vetere Guyeto viso. B.

20 *Nusquam*] Deest, *vidi*. *Video Byrrhiam*] Deest *servum*, et recte. dixerat enim, *apud forum modo de Davo audivi*. D.

Post *nusquam* reponendum esse censeo *es*. Atque tres e nostris recte collocant *ibi forte*. B.

Hujus Byrriam] Supple servum, quæ vox millies omittitur in inscriptionibus antiquis. R. D.

21 *Rogo: negat vidisse*] Mira brevitas, et imitanda. D.

Quid agam, cogito] Incipiunt igitur argumenta, nuptiæ ne sint, ex hoc versu: *redeunti interea ex ipsa re incidit suspicio*. Omnis conjectura a summo ad imum divisiones habet, quæ divisio dicta et facta continet. Quanquam sæpe et ex hoc conjectura colligi possit, quod non dictum nec factum sit. Ergo hic utrumque complexus est. Nam non fiunt nuptiæ, quod paululum obsonatus est dominus, quod ipse est tristis. Deinde rursus factis soceri volens argumenta colligere, quæ diximus pertinere ad divisionem, quæ a summo ad imum est, colligit ab his quæ facta non sunt. *Cum enim illo*, inquit, *veni: solitudo ante hostium*. Utique frequentia esse debuit. Sed ne hoc parvi temporis sit, *maneo*, inquit, *interea; nemo ingressus est*. Nulla matrona in ædibus fuit, nullus ornatus, tumultus nullus, Hæc ab his sunt, quæ facta non sunt. cum fieri denique debuerint. Quibus rebus certum est, nuptias non parari. E.

23 *Paululum obsoni*] Hinc est quod ait, *nimium parce facere sumtum*. *Ipsus tristis: de improviso nuptiæ*] Mire, et moraliter. Ex his enim, quæ facta non sunt, docet, quid fecisse deberet. Et, *de improviso nuptiæ*, pronunciandum. D.

Obsonii] Obsonium a Græco ὄψον est omnis cibus, qui cum pane comeditur inprimis pisces. v. Voss. in Etymolog. R. D.

Ipsus] Antique pro *ipse* intelligitur herus Simo; nam servi herum absolute *ipsum* Græce αὐτὸν vocabant. Plaut. in Casina IV. 2. 11. *eo quo me ipsa misit* i. e. hera; discipuli etiam magistrum, unde illud Pythagoreorum αὐτὸς ἔφα v. Casaub. ad Theophr. charact. c. 2. p. 120. et Hemsterhus. ad Aristoph. Plutum p. 335. R. D.

24 *Ego me continuo*] Et bene *continuo* ad Chremem: ut si ab utroque

Quum illoc advenio: solitudo ante ostium. jam id gaudeo.
C. Recte dicis. P. Perge. D. Maneo: interea introire neminem:
Video, exire neminem: matronam nullam. in ædibus Nihil ornati, nihil tumulti. accessi: intro aspexi. P. Scio, Magnum signum. D. Num videntur convenire hæc nuptiis?

Hoc fieret, esset vera suspicio Davi (lege ope Ms. Hulst. *Et bene*, continuo; *ne si ab utroque hoc fieret, esset vera suspicio.*) *Ego me continuo*] Deest, *duco*. Consuetudine dictum est, ἐλλειπτικῶς. *Egomet*] Una pars orationis est. *Chremem*] *Chremem* et *Chremetem*, ut *Darem* et *Daretem*. D.

Ego me continuo] Sic vett. omnes; tamen Priscian. lib. VI. p. 62. *egomet continuo ad Chremem*. L.

Ego me continuo ad Chremem] I. e. ego me continuo confero ad Chremetis ædes, Chremes duplici modo declinatur Chremes Chremis et Chremetis. R. D.

25 *Solitudo ante ostium*] Signa ab his quæ sunt, quæ non esse deceret (Ms. Hulst. *decerent.*) *Jam id gaudeo*] Quasi adversum, et non consentientem Pamphilum, excitat ad gaudium lætitia sua. *Jam id gaudeo*] Sic Virgilius, Æn. I. 701. *Cum venit, aulæis jam se regina superbis*. D.

Pro *illoc*, quod est Donati, omnes codd. quos vidit Faernus, et priscæ editt. legunt *illo*. B.

Solitudo] I. e. nulla frequentia hominum, qui spectarent solennem sponsæ deductionem in domum. R. D.

26 *Recte dicis. perge*] Vultu enunciandum. Hoc dicit Pamphilus. *Maneo*] Ne, at parum temporis fuisti (Ms. H. et ed. Venet. 1490. *Ne temporis fieret dilatio.*) *Interea*] Temporis longi significatio. *Introire neminem*] A non factis. D.

27 *Exire neminem*] Quid si intus erant? ideo ait, *exire neminem*. D.

Omnes quidem ita distinguunt, sed post *matronam nullam* interpunctionem tollendam censeo, et comma rescribendum post *ædibus*. B.

Matrona nulla] Sic optime Gu. I. et H. v. matronam nullam, minus vivide. Matrona intelligitur, quæ curaret sponsæ necessaria, qui viduus Chremes. Bo.

Matronam nullam] Nempe quæ pronuba esset, sponsam ornaret, in lecto collocaret. v. Festum in voce *pronuba* et Donat. in Eun. III. 5. 45. R. D.

28 *Nihil ornati*] Ἀρχαϊσμός. Sic Sallustius (in Fragmentis incertorum libb.) *ergo senati decreto serviendum ne sit*. D.

Nihil ornati] Charisius lib. I. p. 15. L.

D.——*introspexi, scio*. C. *Magnum signum!* D. *Num, &c.*] Vulgo Pam. *Scio. Magnum signum*. Sed quid tandem se scire dicit Pamphilus? Et vide, quam bene quadret exultans illud magnum signum tepido non opinor, Dave. Imo gravissimo verbo Scio, i. e. certo Scio, finit orationem servus, magnum signum autem calidiori Charino tribuendum est. Bo.

28 *Nihil ornati, et nihil tumulti*] *Ornati* et *tumulti* per archaismum dicitur pro *ornatus* et *tumultus*. v. Voss de analog. II. 17. ornabantur postes et aliæ partes ædium floribus et coronis; discurrebatur cum strepitu per ædes, quod vox *tumulti* significat; tibicines enim adhidebantur et hymenæus cantabatur. v. in Ad. V. 7. 1. R. D.

29 *Signum*] Proprie pro argumento. *Num videntur*] A consequentibus

P. Non, opinor, Dave. D. Opinor, narras? Non recte accipis. 30

Certa res est. etiam puerum inde abiens conveni Chremis Olera, et pisciculos minutos ferre obolo in cœnam seni.

argumentum. *Non opinor*] Ille opinionem accommodat tantum, hic multum tribuit conjecturis. D.

Scio magnum signum] Proprie *magnum signum* dicitur in factis et dictis. Ad quæstionem argumentum collectum E.

Magnum signum] V. C. *Magnum signum est hoc.* L.

30 *Non opinor*] Quoniam argumenta sunt et conjecturæ, *opinor* dixit. Nam contra opinionem, certa res; quæ autem opinamur, putamus: quæ putamus, incerta sunt. *Opinor narras?*] Bene a prima ad secundam personam. D.

Non opinor, Dave] Conjecturam perspiciens *opinor* dixit, id Davus quasi jam collecta sit veritas, indignatus negat dici debuisse *opinor*; adjecitque, *non recte accipis*, quia certa res. Alia argumenta atque ab ipsa divisione factorum atque dictorum, quod puerum invenerit Chremetis, *holera, pisciculos minutos ferentem ad cœnam seni.* Ne forte aliquis puer ferret in cœnam seni. Ita conjectura firmata est a factis, vel persona Simonis, vel persona Chremetis, quæ, sicut diximus, in divisione consistunt. E.

Accipis] I. e. intelligis, interpretaris v. in Eun. I. 2. 2.; sic *dare* est docere, ut apud Virgil. Ecl. I. 19. R. D.

31 *Etiam puerum*] *Etiam* pro præterea. *Chremi*] Sic *Chremi*, ut *Ulyssi* et *Achilli*. D.

Conveni Chremis] Probus in catholicis, Priscian. lib. VI. p. 62. L.

Illud *conveni* alienum ab hoc loco est. Itaque repone *conspexi*. Deinde etsi Valerius Probus ait, apud Terentium Chremis et Chremetis in genitivo dici: auctoritati tamen Donati parendum putamus, adeo ut legamus *Chremi*. B.

Conveni Chremis] Convenire aliquem est colloquendi causa aliquem adire vel etiam per fortuitum occursum cum aliquo colloqui, ut Eun. III. 2. 14. Sed primum non additum quod Davus cum Chremetis servo locutus sit, deinde non cohæret constructio, quam frustra expedire tentavit Perizon. ad Sanctii Minerv. III. 6. 5. Nihil igitur commodius Bentleii conjectura pro *conveni* legentis *conspexi*. R. D.

Chremis] Donatus et meliores codices habent *Chremi*. Nam talia nomina duplici modo declinantur in Heaut. V. 5. 21. *Archonidi* pro is, apud alios *Ulyssi, Archilli, Isocrati*, v. Riv. et Bentl. ad h. l. R. D.

32 *Olera et pisciculos minutos*] Sufficeret diminutive *pisciculos* dixisse, quod sic, *minutus* dixit: et pretium, obolo esse emtos: quæ est ultima nummorum significatio. Sunt enim genera minutorum piscium, quæ magno veneant. Hic ergo etiam ex pretio vilissimos pisces significavit. Et, quid si minutos, sed omnibus? *Seni* dixit, ut obsonationis obstenderet causam. *Olera et pisciculos*] Quod supra generaliter, *paululum obsoni*, hic specialiter dixit. *In cœnam seni*] Mire *seni*, cujus est major cura domi. D.

Ferre obolo in cœnam] Id est, exiguo pretio: idque sic dictum, ut a Græcis ὀβόλου ἀγοράσαι. Antiphanes apud Athen. dipnos. lib. 7. pag. 309. ἥκω πολυτελῶς ἀγοράσας εἰς τοὺς γάμους λιβανωτὸν ὀβόλου τοῖς θεοῖς. Sic Plautus in Epidico p. 236. *nummo conducere*. Horat Serm. 2. Saty. 5. *nummo addicere*. Scævola, *nummo transigere*. Cujus locum sic restituo ex scriptis membranis l. 3. §. 2. ff. de transactionibus: *debitor, cujus pignus creditor distraxit, cum Mævio, qui se legitimum creditoris heredem esse jactabat, nummo transegit*. Hanc emendationem confirmat Ecloga Basilicor.

C. Liberatus sum hodie, Dave, tua opera, D. Ac nullus quidem.
C. Quid ita? nempe huic prorsus illam non dat. D. Ridiculum caput!
Quasi necesse sit, si huic non dat, te illam uxorem ducere:
Nisi vides, nisi senis amicos oras, ambis. C. Bene mones.
Ibo; etsi hercle sæpe jam me spes frustrata est. Vale.

lib. II. p. 134. ἐὰν ὁ λέγων ἑαυτὸν κληρόνομον, διαλυσάμενος λάβῃ χρήματα. L.

Ne, *obolo*, quod hic emphasin habere debet, totum in Thesi lateat: ordinem muta sic: *ferre in cœnam obolo seni*. B.

Athenæus ex Trophonio Menandri hæc refert: A. Ξένου τὸ δεῖπνόν ἐστιν ὑποδοχῆς τινός. B. Ποδαποῦ; διαφέρει τῷ μαγείρῳ τοῦτο γάρ. Οἷον τὰ νησιωτικὰ ταυτὶ ξενύδρια Ἐν προσφάτοις ἰχθυδίοις τέθραμμένα, Καὶ παντοδαποῖς, τοῖς ἁλμίοις μὲν οὐ πάνυ Ἀλίσκετ', ἀλλ' οὕτως παρέργως ἅπτεται. Et mox eodem loco: —ἔι δὲ τις τοὐναντίον Ἀρκαδικὸς ἔρχετ', ἤ τις ἀθάλασσος ξένος, Τοῖς ἐκ θαλάσσης λοπαδίοις ἁλίσκεται. Idem ex Menandri Ephesio:—ἐπ' ἀρίστῳ μὲν λαβὼν Ὀψάριον. W.

Pisciculos minutos] Deminutionem addit deminuto, ut vilitas magis appareat; sic in Eun. I. 2. 28. *parvula puella*. Cic. Tuscul. quæst. III. 1. *parvulos dedit igniculos*. Davis. ad Hirt. de B. Afric. c. 27. R. D.

In cœnam] Præpositio *in* cum accusativo sæpe significat causam et finem rei. Plaut. in Trucul. IV. 2. 27. *dedi ei minam in obsonatum*. Propert. eleg. III. 2. 35. *hæc hederas legit in thyrsos*. Sen. de benefic. IV. 1. *qui honesta in mercedem colant*. v. Duker. ad Flor. II. 6. p. 318. Oudendorp. ad Lucan. II. 151. R. D.

33 *Nullus*] Pro, *non*: ut alibi, *nullus dixeris*. D.

Ac nullus quidem] *Nullus*, pro non: ut sit sensus, non quidem liberatus es. Cui subjungitur: *Quid ita? nempe huic illam prorsus non dat. ridiculum caput*] Intellexit Davus stultitiam Charini, qui dixit; *nempe huic illam prorsus non dat*. Secundum quod supra diximus. Non enim necesse illum illam continuo ducere, si hanc non duxerit Pamphilus. Et a possibili dicere debuisse innotuit. E.

Ac nullus quidem] Priscian. lib. 2. L.

Omnes codd. Faerni habent recte, *hodie Dave*, non *Dave hodie*, uti tres e nostris: atque *ac*, non *at*, ut Putschius edidit; nec *ab*, uti quidam perperam lusit. B.

Nullus] *Nullus* pro *non* ponitur præsertim apud comicos, in Eun. II. 1. 10. *tametsi nullus moneas*; in Hec. I. 2. 4. *si don quæret, nullus dixeris*. Cic. de offic. III. 14. v. Rivium ad h. l. R. D.

Quid ita] Una pars orationis. *Ridiculum caput*] Pro toto homine. nemo enim ore contemto, ex aliis membris hominem velit significare. et est συνεκδοχὴ τρόπος. D.

35 *Quasi necesse sit, si huic non det, te illam uxorem ducere*] Ostendit ἐνθύμημα vitiosum hoc esse, in quo, altero sublato, non necessario alterum relinquatur. D.

36 *Nisi vides, nisi senis amicos oras, ambis*] Hoc laborat Davus, quemadmodum Philumenam Charinus propriis laboribus promereatur uxorem. *Nisi vides, nisi senis amicos oras*] Artificiose Davus Charinum excitat, ut, si fieri possit, adjuvetur negotium Pamphili, dum ille sibi providet. *Nisi vides*] Provides. *Ambis*] Magnarum rerum desiderium et appetitus, *ambitio* dici-

ACT. II. SCENA III.

PAMPHILUS. DAVUS.

QUID igitur sibi volt pater? cur simulat? D. Ego dicam tibi.
Si id succenseat nunc, quia non dat tibi uxorem Chremes,
Ipsus sibi esse injurius videatur: neque id injuria;
Prius quam tuum, ut sese habeat, animum ad nuptias perspexerit.

tur. Confirmata re a factis et a personis, deliberativa nascitur. D.

Vides] *Videre* sæpe est providere, curam adhibere in Heaut. IV. 2. 3. *nisi aliquid video.* Cic. ad Attic. V. I. *ut prandium nobis videret.* Liv. XXI. 4. *res quæ agenda et videnda magno duci esset*, ubi v. Gronov. addito Victorio ad Cic. ad Attic. XIV. 21. et Heins. ad Ovid. de Arte Amator. IV. 287. R. D.

Ambis] Ambire est circumire, et proprie dicitur de candidatis, qui populum circuibant, ut sibi suffragia colligerent ad honores consequendos; inde translatum est ad omnes, qui quid summo studio petunt. Sueton. in Cæs. c. 18. *ambienti ut legibus solveretur.* v. Serv. ad Æn. IV. 283. R. D.

1 Hæc scena deliberationem continet Davi et Pamphili. Et bene *igitur.* Si enim falsæ sunt nuptiæ, quid cogitat? stomachose etiam hoc dixit *sibi volt.* Virgilius, Æn. VI. 318. *Quid vult concursus ad amnem?* D.

Quid igitur sibi vult pater? cur simulat?] Nunc quæritur, cur falsæ nuptiæ fingantur a patre. Et hoc loco deliberatio est, in qua persuasio continetur. Deliberat namque an polliceatur patri Pamphilus, se uxorem esse ducturum. Persuasio, ut dixit, ex hoc colligitur: falsæ sunt nuptiæ, nullus metus est polliceri. Sed huic rei argumenta hinc suscipiuntur, quod causam pater irascendi filio invenire desiderat. Sed enim hanc suscipiat, si Chremes nolit dare filiam suam conjugem: si vero negaverit Pamphilus, illic culpæ origo nascetur: tum malum et seditio maxima inter patrem et filium poterit generari. E.

Quid igitur?] In vett. codd. nulla hoc loco distinctio est a priori scena, ut neque in Reg. exemplari. L.

Quid sibi volt pater] I. e. quodnam patris consilium vel propositum est? infra II. 16. 26. *quid hic vult veterator sibi.* Propert. eleg. I. 5. 3. *quid tibi vis insane.* Horat. epod. XII. 1. *quid tibi vis mulier. Sibi* eleganter abundat ut *tibi, mihi, vobis, nobis* aliis locis. v. Drak. ad Sil. Ital. v. 46. R. D.

2 *Si id*] *Id*, ob id, propter id. D.

Complures Faerni libri habent *dat:* nostri omnes *det*, quod ad sententiam est rectius. B.

Succenseat] *Succensere* proprie est censionem censoris ægre ferre et ideo mussare, aliter post illum censendo. Sic verbi rationem explicat Perizon. ad Sanctii Minerv. III. 3. p. 384. inde ponitur pro *stomachari.* Accusativus *id* pendet ab omissa præposit. *propter* ut in Eun. III. 1. 4. *id triumphat* et alibi sæpe. R. D.

4 *Neque id injuria*] Id est, usque adeo injustus sibi videbitur, ut se injustitiæ ipse condemnet. D.

Ipsus sibi injurius] Gloss. *injurius ἄδικος.* Priscian. lib. 13. p. 154. L.

4 *Perspexerit*] *Perspicere* est ad plenum et perfectum videre. D.

Sed si tu negaris ducere, ibi culpam in te transferet. 5
Tum illæ turbæ fient. P. Quid vis patiar? D. Pater est, Pamphile.
Difficile est. tum hæc sola'st mulier: dictum ac factum invenerit
Aliquam causam, quamobrem ejiciat oppido. P. Ejiciat? D. Cito.

Ut sese habeat] I. e. qualis sit, frequens est locutio *res ita se habet*] Liv. V. 5. *ut nunc res se habet, irati sunt*, ubi v. Drak. pro quo etiam omisso pronomine dicitur *res ita habet* in Ad. III. 3. 10. *omnem rem modo seni, quo pacto haberet, ennarramus ordine.* v. Drak. ad Liv. XXXII. 39. R. D.

5 *Ibi culpam in te*] V. C. *culpam omnem in te.* L.

6 *Tum illæ turbæ*] Τὸ *illæ* ad terrorem retulit. *Quid vis patiar?*] Hoc est patiarne uxorem dicere? *Quid vis patiar?*] Sunt qui *quid vis*, pro, quicquid evenerit, intelligant: quia dixerat, *adeon' me ignavum putas?* Alii pronunciant, ut sit sensus, quid me vis facere? an ut hoc patiar, uxorem mihi dari? *Pater est, Pamphile*] Hoc vultuose pronunciandum est, et mire *pater* dixit: ut ipso nomine videatur habere auctoritatem, et veluti dormitantem et oblitum potestatis paternæ, his tribus excitat; pater est Pamphile, difficile est, hæc sola est mulier. *Pater est*] A necessario argumentum. D.

Quid vis patiar] Sensus hic est: Noli persuadere, quantum velit licet irascatur pater. Quæcunque per iracundiam fecerit, sustinebo: hoc est, quodcunque patiar. Hic jam persuasio est, ut polliceatur, quæ efficitur a terroris parte. E.

7 *Difficile est*] Hoc est, resistere, contradicere, Pamphilo difficile, perniciosum Glycerio. *Difficile est*] Ἀποσιώπησις cum vultu. Deest *resistere*. *Sola*] Sine auxilio, ac per hoc deserta. *Sola* autem, sine defensoribus propriis. et *sola* et *mulier* dixit. *Dictum ac factum*] Proverbium celeritatis, id est, cito. *Invenerit*] Pro inveniet. Conjunctivo modo pro indicativo usus est: et est honesta locutio. D.

Pater est, inquit, *Pamphile*. An fieri possit, ut imperium sentiat, adjecit, *difficile est*. Deinde ab utili et honesto: *Tum hæc sola est mulier*] Quæ quidem res ad omnia proficit. Nam quæ sola est, facile injuriam pati potest. Denique hoc adjunxit: *Dictum ac factum*] Aliquam causam, ut supra diximus; quoniam actus hominis in his duobus consistit, vel dicto vel facto. Ideo complexio est: *Dictum ac factum, invenerit aliquam causam quamobrem ejiciat oppido*] Tristis adolescens injuria, quod (*injuriæ, quæ*) fieri amicæ possit, continuo consilium quærit. E.

Dictum ac factum] I. e. statim, sine clamore, sine copula in Heaut. V. 1. 31. *dictum factum huc abiit.* Hæc formula proverbialis, qua celeritas denotatur, expressa est e Græco ἅμα ἔπος ἅμα ἔργον. v. Clar. Valkenar. ad Herodot. III. p. 266. alii dicunt *dicto citius* Virg. An. I. 142. *dicto citius tumida æquora placat.* Liv. XXIII. 47. *dicto prope citius equum in viam dejecit.* v. interpret ad Petron, c. 80. R. D.

8 *Quamobrem ejiciat oppido*] Callide ad ejus periculum se convertit, cui plus amator timet, quam sibi. Ideo vincitur statim. Apparet autem Davum male suadere: qui tum caveat Pamphilo, cum maxime formidat senem. *Oppido*] Ex civitate. *Ejiciat*] Miratur et stupet. *Cito*] Illo admirante, hic etiam confirmavit. addidit et tempus celeritatis. D.

Metri causa interserendum est *eum*

P. Cedo igitur, quid faciam, Dave? D. Dic te ducturum. P. Hem! D. Quid est?
P. Egone dicam? D. Cur non? P. Nunquam faciam.
D. Ne nega.
P. Suadere noli. D. Ex ea re quid fiat, vide.
P. Ut ab illa excludar, huc concludar. D. Non ita est.
Nempe hoc sic esse opinor dicturum patrem:
Ducas volo hodie uxorem: tu, ducam, inquies.
Cedo, quid jurgabit tecum? hic reddes omnia,

et legendum *eam oppido ejiciat*. Dein usus loquendi ante *vito* postulat *ac*, quod a præcedente syllaba absorptum est. B.

9 *Cedo*] Singularis tantum numeri est: cætera pluralis, ut *salve, salvete*. *Dic te ducturum*] Pronuncia, *dic*: quasi rem facilem, et nullius præjudicii. *Dic te ducturum*] Hoc est, quod ab initio nitebatur. D.

Cedo igitur quid faciam, Dave?] Ipsa propositio persuasionis. *Dic te ducturum*] Repugnat contra Pamphilus. Persuasio sequitur continuo. Quid fieri habeat, (lege, *debeat*) si hoc fit, hoc est, si polliceatur se esse ducturum. E.

10 *Egone dicam?*] Τὸ *ego*, ἔμφασιν habet: hoc est, vel quem non oporteat dicere, vel quem non conveniat fallere, atque mentiri. *Cur non?*] Non interrogat, sed facilitatem rei ostendit. *Nunquam*] Plus habet negationis, quam *non*. D.

11 *Ex ea re quid fiat vide*] Ἀπὸ τῆς ἐμβάσεως. D.

12 *Ut ab illa excludar, hac concludar*] Mire hanc cum pronomine significat, dicens *ab illa*. Illi nec sexum servavit, ne uxor esse videatur (lectionem corruptam sic restituo: *ab illa. Illinc. Huc. Nec sexum servavit, ne uxor esse videatur*). Et ex ferarum translatione *concludar* dixit. ut alibi, *conclusam hic habeo uxorem sævam*. *Ut ab illa excludar*] Ἐν ὑποκρίσει: nam aliud infert, atque intelligit Davum dicere. D.

Ab illa excludar, hac concludar] Hic levi mutatione verbi fit figura paronomasia, ut a Glycerio excludatur, inquit, hic erit eventus: at ille contra, qui persuadebat, ostendit, quis eventus sit futurus, si polliceatur: et facile esse dicit. E.

Ut ab illa excludar] H. e. ut a Glycerii nuptiis repellar. Cic. de Orat. I. 11. *repelli a gubernaculis civitatum, excludi ab omni doctrina rerumque majorum scientia*. R. D.

Huc concludar] I. e. in Philumenæ nuptias conjiciar. Concludi dicuntur omnes, qui ex difficultatibus expedire se non possunt, quibus exitus non patet. v. in Phorm. V. 1. 17. in Hec. IV. 4. 80. R. D.

13 *Nempe hoc sic esse*] Conjectura atque divinatio, an hoc, an illud venturum sit. *Nempe hoc sic esse opinor*] Ab imitatione, μίμησις enim dicitur, deducitur. *Nempe hoc*] A possibili. D.

Nempe hoc sic esse opinor dicturum patrem: ducas hodie volo uxorem; tu, ducam, inquies] Ut ostendat rem in verbis esse, post nihil futurum sermonis, adjungit. E.

15 *Cedo*] *Cedo* singulariter tantum: cætera plurafiter. *Cedo quid jurgabit?*] Ab utili. *Hic reddes omnia*] *Hic* adverbium loci non est, sed adverbium temporis. Ut Virgilius, Æn. IX. 246. *hic annis gravis atque animi maturus Alethes*. *Reddes*] Facies, restitues. D.

Cedo quid jurgabit tecum?] Ipsum deinde ponit dicentem: *hic reddes omnia, quæ nunc certa sunt, consilia, incerta ut sient*. E.

C. Audin' tu illum? D. Toto me oppido exanimatum quærere.
Sed ubi quæram? aut quo nunc primum intendam?
C. Cessas alloqui?
D. Abeo. C. Dave: ades. resiste. D. Quis homo'st, qui me? O Pamphile,
Te ipsum quæro: euge, Charine: ambo opportune. vos volo.
C. Dave, perii. D. Quin tu hoc audi. C. Interii. D. Quid timeas scio.

Paratas nuptias] Apparare nuptias dicitur infra III. 2. 34. R. D.

5 *Examinatum*] Perterritum, perturbatum. D.

Toto me oppido exanimatum quærere. Dave perii] Antequam aliquid audierit Pamphilus, indicat dolorem. Contra illi servus, qui scit quid argumentis collegerit, respondet. E.

Toto oppido] Pro in toto oppido. Præpositio *in* sæpe omittitur. Ovid. epist. I. 21. *quisquis erat castris jugulatus Achivis* v. Voss. de constructione c. 46. R. D.

6 *Sed ubi quæram?*] Nunc in omnes se partes versat, quærens quo dirigat cursum. D.

Aut quo nunc] Regius liber τὸ *aut* non habet. L.

Sex ex nostris melioribus codd. non habent illud *aut*. B.

Quo intendam] Scilicet *ire* vel *cursum* quod alii addunt. Sallust. in Jugurtha c. 107. *quo ire intenderant, perventum*, ubi v. Cortium. Hirtius de B. Africano *iter in Hispaniam intendebant*. Absolute ut h. l. Cic. Cat. I. 12. *quo intendit in castra Manliana pervenit*. R. D.

7 *Habeo*] Videtur quasi constitisse, deinde quasi elegisse quo pergat. *Habeo* per *h* inveni. legitur et *abeo*: uti merito illi dicatur, *resiste*. *Quis homo est qui me? O Pamphile*] Ante videt, quam compleat orationem. D.

Nostri codd. quamquam legunt *abeo*: præfero tamen *habeo*. B.

Resiste] I. e. mane in Phorm. V. 6. 10. *id tibi fiet nisi resistis*. Cæsar de B. C. II. 35. *sæpius adpellatus adspexit ac restitit*. Curt. VI. 7. *cacumina montis intuens restitit*. R. D.

Quis homo] Pro *quis* ut in Hec. III. 4. 17. *cui homini* pro *cui*. R. D.

8 *Euge Charine*] *Euge*, modo pro interjectione positum est. *Opportune*] Deest, *adestis*: non, opportune vos volo. D.

Ambo opportune] Servius Æneid. XII. vers. *Sthenelumque dedit*. L.

9 *Dave, perii*] Proprium est dolentibus, præfestinare ad indicanda quæ dolent. ἀπολώλαβα! Habet nonnullum affectum, quo addidit, *Dave*. *Quin tu*] *Quin*, modo pro imo; alias, cur non? D.

Hoc audi] Illic ad calamitatis vocem redit servus; scire se ejus sollicitudinem dicit. *Quid timeas scio*] Quoniam videtur servum perseverare, Charinus adolescens ad pollicendam spem domino Pamphilo, continuo ipse suam calamitatem confitetur: *Mea quidem certe hercle in dubio vita est*. Sed hic servus repromittit, ac se dicit scire ipsius sollicitudinem. Pamphilus autem, tanquam nescio servo et adhuc ignoranti, ingerit causam calamitatis suæ, cum dicit *nuptiæ mihi*. Sed ejus orationem impleri non sinit servus, et continuo procedit dicens, *et istuc scio*. Ille perseverat dicens, *hodie*. Cujus orationem intercepit servus, et utriusque sollicitudinem narrat, dicens, *Tu paves ne ducas illam*] Hoc utique

P. Mea quidem hercle certe in dubio vita'st. D. Et quid tu, scio.
P. Nuptiæ mihi. D. Et si scio. P. Hodie D. Obtundis, tametsi intelligo.
Id paves, ne ducas tu illam: tu autem, ut ducas. C. Rem tenes.
P. Istuc ipsum. D. Atque istuc ipsum nihil pericli est: me vide.

Pamphilo; Charino autem, *tu autem ut ducas*. E.

Etsi verba, *Dave perii—interii*, Donatus adscribit Charino: tamen ob consensum codd. et contexti rationem tribuenda sunt Pamphilo. Nam absurdum est non modo priores vel in amore vel metu partes Charino dare, sed et Davum prius alienum quam herilem filium compellare. B.

Quin] Quin pro particula adversativa ponitur et idem significat quod *imo, potius* in Eun. V. 2. 63. *quin tu me servato*. v. Gronov. ad Liv. XXVII. 49. et Drak. ad Liv. II. 29. R. D.

10 *Mea quidem hercle*] Videtur Charinus plus dixisse, *perii*, quam Pamphilus, *mea quidem hercle certe in dubio est vita*. Sed non est hoc; plus enim Pamphilus dixit. Nam qui vivit, non potest interiisse: is autem qui vivit, vitam potest in dubio habere. Ideo et jurajit *hercle*: et affirmans jusjurandum, *certe* addidit. Bene *certe*: quasi illud *interii*, falsum sit. Ita Pamphilus plus fecit periturum se esse dicendo, quam Charinus interiisse. *Et tu quid, scio*] Mira compendia, quæ contrahit poeta longitudine fabulæ: nec tamen perdit affectus personarum. *Et tu quid*] Deest *timeas*. D.

Certe et *quid tu* Donatus habet, tres libri, quos vidit Faernus, et meliores ex nostris. Recte. B.

Quidem hercle certe] Tres affirmandi particulas junxit Terent. ut intenderet affirmationem; sic etiam in Phorm. I. 3. 12. v. Rivium ad h. l. R. D.

In dubio vita est] I. e. de vita dubitatur, vita est in periculo. Sallust. in Catil. c. 52. *libertas et anima nostra in dubio est* ubi v. Cort. Ovid. Amor. II. 132. *in dubio vitæ lassa Corinna jacet*. Sic *res dubiæ* dicuntur periculi plenæ. Liv. II. 50. *dubiis rebus futurum auxilium*, ubi v. Drakenb. R. D.

11 *Et id scio*] Ἐν ὑποφορᾷ. tanquam dicat, nihil est. *Et id scio*] Legitur, *et, etsi scio. Hodie*] Tempus addidit, tanquam rem sciens. *Obtundis*] Sæpe repetendo dicere, *obtundere* est. translatio a fabris, qui sæpe repetunt tundendo aliquid malleo, et idem obtundunt et habetant. *Obtundis, tametsi*] Potest esse ἀναστροφή: sed sincerius est et melius subdistinguere. D.

Plerique libri Faerni habent *et si scio*, nostri partim *et id scio*, partim *etsi scio*. Posteriorem lectionem requirit sententia. B.

Obtundis] Molestus es, eandem rem sæpe repetendo v. in Eun. III. 5. 6. et Heaut. V. 1. 6. Donatus ait locutionem ductam esse a fabris ferrariis, qui incudem repetitis ictibus pulsant. R. D.

12 *Id paves*] Deest *ob*: ut sit *ob id*. hoc autem Pamphilo dicit. *Tu autem, ut ducas*] Pro, ne non, ut possit. Hoc, Charino. D.

Id paves] Ms. R. *poaves*. L.

13 *Atque istuc. ipsum*] Ἐν ὑποφορᾷ. Ille enim hoc idem dixerat cum exclamatione: quod quasi vanum contemnit. *Me vide*] Utrum lætus sum? an, me specta fidei datorem? ut dici solet, *me habe, me respice*. D.

Istuc ipsum nihil pericli est] Irridentis est ita vocatio. quia supra dixerat Pamphilus *isthuc ipsum*, repetit tanquam vanum dictum. *Nihil pericli*]

P. Obsecro te, quam primum hoc me libera miserum metu. D. Hem!
Libero. uxorem tibi non dat jam Chremes. P. Qui scis? D. Scio.
Tuus pater modo me prehendit; ait, tibi uxorem dare sese Hodie: item alia multa, quæ nunc non est narrandi locus.

Rogat ut metu liberet dominum servus, et summam collocat. Primum hanc rem semper facere debet orator, uti ante partium, quæ longo genere narrandi explicabantur, summa primitus collocetur: et hoc maxime in initio, ut facilius res comprehendi possit. Est igitur summa: *Uxorem non dat Chremes filiam suam Pamphilo.* ejus casu videatur ista argumenta collegisse; aut ex eventu narrat causam, quemadmodum ad indicia veritatis pervenerit. Tunc parat causse, quemadmodum malum prædixit, et deinde quæ consequantur. Quibus in rebus declarat sibi maximam sollicitudinem fuisse, posteaquam patrem cognovenit Pamphilo nuptias non parare. E.

Atque istuc ipsum] Priscian. lib. 2. *atque hoc ipsum.* L.

Me vide] Ego tibi sponsor sum, ego periculum rei in me suscipio. v. in Phorm. IV. 4. 30. et Pleut. in Rudente III. 3. 18. R. D.

14 *Obsecro te, quam primum hoc me libera miserum metu*] Cum precibus et tempus admiscuit. Et bene *libera*, perfecta enim securitas, *liberatio* nominatur. *Hem*] Ecce: demonstratio est facti. D.

15 *Uxorem tibi non dat jam Chremes*] Oratorie a summa cœpit: cujus partes multis dicentur. *Jam non dat*] Bene *jam*. Quod si non dixisset, intelligeret Pamphilus, vel postea Chremetem filiam esse daturum. Sed addito *jam*, plena securitas est. *Jam* enim renuncintio est perpetuitatis. *Scio*] Præparatio est auditoris ad eam narrationem, quæ ostendit argumenta falsarum nuptiarum. D.

Unus cod. ex Regiis locat numerosius ita, *tibi uxorem non dat jam Chremes.* Deinde *scio* est inutile. non enim respondet interrogationi, quæ non est, *an sciret*, sed *quomodo sciret.* Præfero igitur lect. variam *sciss*, quæ est in margine cod. Colleg. Corp. Chr. B.

16 *Me prehendit*] Pro *prendit.* Addita aspiratione geminavit syllabam. Et *prehendit* dixit, quasi vitantem ac fugientem. *Ait tibi*] *Ait* proprie: quia contemnendo dicuntur. *Ait tibi uxorem dare se*] Conjecturam facit ex multis, quæ præcesserunt. *Ait tibi uxorem dare se*] Dicit cur primo crediderit veras, dicturus subinde eur falsas. D.

Duo codd. rotundius et melius ponunt *me* ante *modo.* Omnes Faerni codd. habent *dare sese*; unus ex nostris ponit *sese dare*; alter primarise notæ *sese* non habet; quod cum in versu redundet, lege *dari*, ut supra, I. 2. 20. B.

Me prehendit] I. e. me manu vel vestibus comprehensum compellavit vel simpliciter compellavit in Phorm. IV. 3. 15. *prendo hominem sobum.* R. D.

17 *Item alia multa*] Bene distulit narrationem, ne, si audirent Charinus et Byrrhia, desinant dolos struere adversum vigilantissimum senem. *Item alia multa*] Commoda narratio a necessariis tantum. Minas autem senis prætermisit, ne corrumperet bona, quæ nunciabat. *Quæ nunc non est narrandi locus*] Non vult dicere, quam minaciter secum egerit senex, quamque instet nuptiis, ne Charinum Byrrhiamque de spe dejiciat, quos vult secum adniti, ne uxorem Pamphilus ducat. *Quæ nunc*] Argumentum est, quærere potuisse eum qui sit territus. Nam timor curam parit. *Narrandi locus*] Modo tempus, spatium. D.

Continuo ad te properans percurro ad forum, ut dicam tibi hæc.
Ubi te non invenio, ibi ascendo in quendam excelsum locum. 19
Circumspicio; nusquam. forte ibi hujus video Byrrhiam; Rogo: negat vidisse. mihi molestum. quid agam, cogito. Redeunti interea ex ipsa re mihi incidit suspicio: hem, Paululum obsoni: ipsus tristis: de improviso nuptiæ: Non cohærent. P. Quorsum nam istuc? D. Ego me continuo ad Chremem.

18 *Properans percurro*] Vide quantum dixerit, *properans*, et *percurro*, ut continuationem cursus ostenderet. D.

19 *Ubi te non invenio*] *Ubi*, modo non est adverbium loci, sed temporis, pro *postquam*. *Ubi te non invenio, ibi*] A summo ad imum divisiones, quibus dicta et facta continentur: sub quorum genere sunt species nunc dictorum, nunc factorum, cum consideratione rerum personarumque. D.

Ibi, quod a duobus nostris abest, ego versus gratia repono post quendam. Atque *ascendo* muro in *escendo*, quod magis est e vet. consuetudine, et reperitur in cod. vetere Guyeto viso. B.

20 *Nusquam*] Deest, *vidi*. *Video Byrrhiam*] Deest *servum*, et recte. dixerat enim, *apud forum modo de Davo audivi*. D.

Post *nusquam* reponendum esse censeo *es*. Atque tres e nostris recte collocant *ibi forte*. B.

Hujus Byrriam] Supple servum, quæ vox millies omittitur in inscriptionibus antiquis. R. D.

21 *Rogo: negat vidisse*] Mira brevitas, et imitanda. D.

Quid agam, cogito] Incipiunt igitur argumenta, nuptiæ ne sint, ex hoc versu: *redeunti interea ex ipsa re incidit suspicio*. Omnis conjectura a summo ad imum divisiones habet, quæ divisio dicta et facta continet. Quanquam sæpe et ex hoc conjectura colligi possit, quod non dictum nec factum sit. Ergo hic utrumque complexus est. Nam non fiunt nuptiæ, quod paululum obsonatus est dominus, quod ipse est tristis. Deinde rursus factis soceri volens argumenta colligere, quæ diximus pertinere ad divisionem, quæ a summo ad imum est, colligit ab his quæ facta non sunt. *Cum enim illo*, inquit, *veni: solitudo ante hostium*. Utique frequentia esse debuit. Sed ne hoc parvi temporis sit, *maneo*, inquit, *interea; nemo ingressus est*. Nulla matrona in ædibus fuit, nullus ornatus, tumultus nullus, Hæc ab his sunt, quæ facta non sunt. cum fieri denique debuerint. Quibus rebus certum est, nuptias non parari. E.

23 *Paululum obsoni*] Hinc est quod ait, *nimium parce facere sumtum. Ipsus tristis: de improviso nuptiæ*] Mire, et moraliter. Ex his enim, quæ facta non sunt, docet, quid fecisse deberet. Et, *de improviso nuptiæ*, pronunciandum. D.

Obsonii] Obsonium a Græco ὄψον est omnis cibus, qui cum pane comeditur inprimis pisces. v. Voss. in Etymolog. R. D.

Ipsus] Antique pro *ipse* intelligitur herus Simo; nam servi herum absolute *ipsum* Græce ἀυτὸν vocabant. Plaut. in Casina IV. 2. 11. *eo quo me ipsa misit* i. e. hera; discipuli etiam magistrum, unde illud Pythagoreorum αὐτὸς ἔφα v. Casaub. ad Theophr. charact. c. 2. p. 120. et Hemsterhus. ad Aristoph. Plutum p. 335. R. D.

24 *Ego me continuo*] Et bene *continuo* ad Chremem: ut si ab utroque

Quum illoc advenio: solitudo ante ostium. jam id gaudeo.
C. Recte dicis. P. Perge. D. Maneo: interea introire neminem:
Video, exire neminem: matronam nullam. in ædibus Nihil ornati, nihil tumulti. accessi: intro aspexi. P. Scio, Magnum signum. D. Num videntur convenire hæc nuptiis?

Hoc fieret, esset vera suspicio Davi (lege ope Ms. Hulst. *Et bene*, continuo; *ne si ab utroque hoc fieret, esset vera suspicio.*) *Ego me continuo*] Deest, *duco*. Consuetudine dictum est, ἐλλειπτικῶς. *Egomet*] Una pars orationis est. *Chremem*] *Chremem* et *Chremetem*, ut *Darem* et *Daretem*. D.

Ego me continuo] Sic vett. omnes; tamen Priscian. lib. VI. p. 62. *egomet continuo ad Chremem*. L.

Ego me continuo ad Chremem] I. e. ego me continuo confero ad Chremetis ædes, Chremes duplici modo declinatur Chremes Chremis et Chremetis. R. D.

25 *Solitudo ante ostium*] Signa ab his quæ sunt, quæ non esse deceret (Ms. Hulst. *decerent.*) *Jam id gaudeo*] Quasi adversum, et non consentientem Pamphilum, excitat ad gaudium lætitia sua. *Jam id gaudeo*] Sic Virgilius, Æn. I. 701. *Cum venit, aulæis jam se regina superbis*. D.

Pro *illoc*, quod est Donati, omnes codd. quos vidit Faernus, et priscæ editt. legunt *illo*. B.

Solitudo] I. e. nulla frequentia hominum, qui spectarent solennem sponsæ deductionem in domum. R. D.

26 *Recte dicis. perge*] Vultu enunciandum. Hoc dicit Pamphilus. *Maneo*] Ne, at parum temporis fuisti (Ms. H. et ed. Venet. 1490. *Ne temporis fieret dilatio.*) *Interea*] Temporis longi significatio. *Introire neminem*] A non factis. D.

27 *Exire neminem*] Quid si intus erant? ideo ait, *exire neminem*. D.

Omnes quidem ita distinguunt, sed post *matronam nullam* interpunctionem tollendam censeo, et comma rescribendum post *ædibus*. B.

Matrona nulla] Sic optime Gu. I. et H. v. matronam nullam, minus vivide. Matrona intelligitur, quæ curaret sponsæ necessaria, qui viduus Chremes. Bo.

Matronam nullam] Nempe quæ pronuba esset, sponsam ornaret, in lecto collocaret. v. Festum in voce *pronuba* et Donat. in Eun. III. 5. 45. R. D.

28 *Nihil ornati*] Ἀρχαϊσμός. Sic Sallustius (in Fragmentis incertorum libb.) *ergo senati decreto serviendum ne sit*. D.

Nihil ornati] Charisius lib. I. p. 15. L.

D.——*introspexi, scio*. C. *Magnum signum!* D. *Num, &c.*] Vulgo Pam. *Scio. Magnum signum*. Sed quid tandem se scire dicit Pamphilus? Et vide, quam bene quadret exultans illud magnum signum tepido non opinor, Dave. Imo gravissimo verbo Scio, i. e. certo Scio, finit orationem servus, magnum signum autem calidiori Charino tribuendum est. Bo.

28 *Nihil ornati, et nihil tumulti*] *Ornati* et *tumulti* per archaismum dicitur pro *ornatus* et *tumultus*. v. Voss de analog. II. 17. ornabantur postes et aliæ partes ædium floribus et coronis; discurrebatur cum strepitu per ædes, quod vox *tumulti* significat; tibicines enim adhidebantur et hymenæus cantabatur. v. in Ad. V. 7. 1. R. D.

29 *Signum*] Proprie pro argumento. *Num videntur*] A consequentibus

P. Non, opinor, Dave. D. Opinor, narras? Non recte accipis.

Certa res est. etiam puerum inde abiens conveni Chremis Olera, et pisciculos minutos ferre obolo in cœnam seni.

argumentum. *Non opinor*] Ille opinionem accommodat tantum, hic multum tribuit conjecturis. D.

Scio magnum signum] Proprie *magnum signum* dicitur in factis et dictis. Ad quæstionem argumentum collectum E.

Magnum signum] V. C. *Magnum signum est hoc.* L.

30 *Non opinor*] Quoniam argumenta sunt et conjecturæ, *opinor* dixit. Nam contra opinionem, certa res; quæ autem opinamur, putamus: quæ putamus, incerta sunt. *Opinor narras?*] Bene a prima ad secundam personam. D.

Non opinor, Dave] Conjecturam perspiciens *opinor* dixit, id Davus quasi jam collecta sit veritas, indignatus negat dici debuisse *opinor*; adjecitque, *non recte accipis*, quia certa res. Alia argumenta atque ab ipsa divisione factorum atque dictorum, quod puerum invenerit Chremetis, *holera, pisciculos minutos ferentem ad cœnam seni.* Ne forte aliquis puer ferret in cœnam seni. Ita conjectura firmata est a factis, vel persona Simonis, vel persona Chremetis, quæ, sicut diximus, in divisione consistunt. E.

Accipis] I. e. intelligis, interpretaris v. in Eun. I. 2. 2.; sic *dare* est docere, ut apud Virgil. Ecl. I. 19. R. D.

31 *Etiam puerum*] *Etiam* pro præterea. *Chremi*] Sic *Chremi*, ut *Ulyssi* et *Achilli*. D.

Conveni Chremis] Probus in catholicis, Priscian. lib. VI. p. 62. L.

Illud *conveni* alienum ab hoc loco est. Itaque repone *conspexi*. Deinde etsi Valerius Probus ait, apud Terentium Chremis et Chremetis in genitivo dici: auctoritati tamen Donati parendum putamus, adeo ut legamus *Chremi*. B.

Conveni Chremis] Convenire aliquem est colloquendi causa aliquem adire vel etiam per fortuitum occursum cum aliquo colloqui, ut Eun. III. 2. 14. Sed primum non additum quod Davus cum Chremetis servo locutus sit, deinde non cohæret constructio, quam frustra expedire tentavit Perizon. ad Sanctii Minerv. III. 6. 5. Nihil igitur commodius Bentleii conjectura pro *conveni* legentis *conspexi*. R. D.

Chremis] Donatus et meliores codices habent *Chremi*. Nam talia nomina duplici modo declinantur in Heaut. V. 5. 21. *Archonidi* pro *is*, apud alios *Ulyssi, Archilli, Isocrati*, v. Riv. et Bentl. ad h. l. R. D.

32 *Olera et pisciculos minutos*] Sufficeret diminutive *pisciculos* dixisse, quod sic, *minutus* dixit: et pretium, obolo esse emtos: quæ est ultima nummorum significatio. Sunt enim genera minutorum piscium, quæ magno veneant. Hic ergo etiam ex pretio vilissimos pisces significavit. Et, quid si minutos, sed omnibus? *Seni* dixit, ut obsonationis obstenderet causam. *Olera et pisciculos*] Quod supra generaliter, *paululum obsoni*, hic specialiter dixit. *In cœnam seni*] Mire *seni*, cujus est major cura domi. D.

Ferre obolo in cœnam] Id est, exiguo pretio: idque sic dictum, ut a Græcis ὀβόλου ἀγοράσαι. Antiphanes apud Athen. dipnos. lib. 7. pag. 309. ἥκω πολυτελῶς ἀγοράσας εἰς τοὺς γάμους λιβανωτὸν ὀβόλου τοῖς θεοῖς. Sic Plautus in Epidico p. 236. *nummo conducere*. Horat Serm. 2. Saty. 5. *nummo addicere*. Scævola, *nummo transigere*. Cujus locum sic restituo ex scriptis membranis l. 3. §. 2. ff. de transactionibus: *debitor, cujus pignus creditor distraxit, cum Mævio, qui se legitimum creditoris heredem esse jactabat, nummo transegit*. Hanc emendationem confirmat Ecloga Basilicor.

C. Liberatus sum hodie, Dave, tua opera, D. Ac nullus quidem.
C. Quid ita? nempe huic prorsus illam non dat. D. Ridiculum caput!
Quasi necesse sit, si huic non dat, te illam uxorem ducere:
Nisi vides, nisi senis amicos oras, ambis. C. Bene mones.
Ibo; etsi hercle sæpe jam me spes frustrata est. Vale.

lib. II. p. 134. ἐὰν ὁ λέγων ἑαυτὸν κληρόνομον, διαλυσάμενος λάβῃ χρήματα. L.

Ne, *obolo*, quod hic emphasin habere debet, totum in Thesi lateat: ordinem muta sic: *ferre in cœnam obolo seni*. B.

Athenæus ex Trophonio Menandri hæc refert: A. Ξένου τὸ δεῖπνόν ἐστιν ὑποδοχῆς τινός. B. Ποδαποῦ; διαφέρει τῷ μαγείρῳ τοῦτο γάρ. Οἷον τὰ νησιωτικὰ ταυτὶ ξενύδρια Ἐν προσφάτοις ἰχθυδίοις τεθραμμένα, Καὶ παντοδαποῖς, τοῖς ἁλμίοις μὲν οὐ πάνυ Ἁλίσκετ', ἀλλ' οὕτως παρέργως ἅπτεται. Et mox eodem loco: —εἰ δέ τις τοὐναντίον Ἀρκαδικὸς ἔρχετ', ἤ τις ἀθάλασσος ξένος, Τοῖς ἐκ θαλάσσης λοπαδίοις ἁλίσκεται. Idem ex Menandri Ephesio:—ἐπ' ἀρίστῳ μὲν λαβὼν Ὀψάριον. W.

Pisciculos minutos] Deminutionem addit deminuto, ut vilitas magis appareat; sic in Eun. I. 2. 28. *parvula puella*. Cic. Tuscul. quæst. III. 1. *parvulos dedit igniculos*. Davis. ad Hirt. de B. Afric. c. 27. R. D.

In cœnam] Præpositio *in* cum accusativo sæpe significat causam et finem rei. Plaut. in Trucul. IV. 2. 27. *dedi ei minam in obsonatum*. Propert. eleg. III. 2. 35. *hæc hederas legit in thyrsos*. Sen. de benefic. IV. 1. *qui honesta in mercedem colant*. v. Duker. ad Flor. II. 6. p. 318. Oudendorp. ad Lucan. II. 151. R. D.

33 *Nullus*] Pro, *non*: ut alibi, *nullus dixeris*. D.

Ac nullus quidem] *Nullus*, pro non: ut sit sensus, non quidem liberatus es. Cui subjungitur: *Quid ita? nempe huic illam prorsus non dat. ridiculum caput*] Intellexit Davus stultitiam Charini, qui dixit; *nempe huic illam prorsus non dat*. Secundum quod supra diximus. Non enim necesse illum illam continuo ducere, si hanc non duxerit Pamphilus. Et a possibili dicere debuisse innotuit. E.

Ac nullus quidem] Priscian. lib. 2. L.

Omnes codd. Faerni habent recte, *hodie Dave*, non *Dave hodie*, uti tres e nostris: atque *ac*, non *at*, ut Putschius edidit; nec *ab*, uti quidam perperam lusit. B.

Nullus] *Nullus* pro *non* ponitur præsertim apud comicos, in Eun. II. 1. 10. *tametsi nullus moneas*; in Hec. I. 2. 4. *si don quæret, nullus dixeris*. Cic. de offic. III. 14. v. Rivium ad h. l. R. D.

Quid ita] Una pars orationis. *Ridiculum caput*] Pro toto homine. nemo enim ore contemto, ex aliis membris hominem velit significare. et est συνεκδοχὴ τρόπος. D.

35 *Quasi necesse sit, si huic non det, te illam uxorem ducere*] Ostendit ἐνθύμημα vitiosum hoc esse, in quo, altero sublato, non necessario alterum relinquatur. D.

36 *Nisi vides, nisi senis amicos oras, ambis*] Hoc laborat Davus, quemadmodum Philumenam Charinus propriis laboribus promereatur uxorem. *Nisi vides, nisi senis amicos oras*] Artificiose Davus Charinum excitat, ut, si fieri possit, adjuvetur negotium Pamphili, dum ille sibi providet. *Nisi vides*] Provides. *Ambis*] Magnarum rerum desiderium et appetitus, *ambitio* dici-

ACT. II. SCENA III.

PAMPHILUS. DAVUS.

QUID igitur sibi volt pater? cur simulat? D. Ego dicam tibi.
Si id succenseat nunc, quia non dat tibi uxorem Chremes,
Ipsus sibi esse injurius videatur: neque id injuria;
Prius quam tuum, ut sese habeat, animum ad nuptias perspexerit.

tur. Confirmata re a factis et a personis, deliberativa nascitur. D.

Vides] *Videre* sæpe est providere, curam adhibere in Heaut. IV. 2. 3. *nisi aliquid video.* Cic. ad Attic. V. I. *ut prandium nobis videret.* Liv. XXI. 4. *res quæ agenda et videnda magno duci esset*, ubi v. Gronov. addito Victorio ad Cic. ad Attic. XIV. 21. et Heins. ad Ovid. de Arte Amator. IV. 287. R. D.

Ambis] Ambire est circumire, et proprie dicitur de candidatis, qui populum circuibant, ut sibi suffragia colligerent ad honores consequendos; inde translatum est ad omnes, qui quid summo studio petunt. Sueton. in Cæs. c. 18. *ambienti ut legibus solveretur.* v. Serv. ad Æn. IV. 283. R. D.

1 Hæc scena deliberationem continet Davi et Pamphili. Et bene *igitur*. Si enim falsæ sunt nuptiæ, quid cogitat? stomachose etiam hoc dixit *sibi volt*. Virgilius, Æn. VI. 318. *Quid vult concursus ad amnem?* D.

Quid igitur sibi vult pater? cur simulat?] Nunc quæritur, cur falsæ nuptiæ fingantur a patre. Et hoc loco deliberatio est, in qua persuasio continetur. Deliberat namque an polliceatur patri Pamphilus, se uxorem esse ducturum. Persuasio, ut dixit, ex hoc colligitur: falsæ sunt nuptiæ, nullus metus est polliceri. Sed huic rei argumenta hinc suscipiuntur, quod causam pater irascendi filio invenire desiderat. Sed enim hanc suscipiat, si Chremes nolit dare filiam suam conjugem: si vero negaverit Pamphilus, illic culpæ origo nascetur: tum malum et seditio maxima inter patrem et filium poterit generari. E.

Quid igitur?] In vett. codd. nulla hoc loco distinctio est a priori scena, ut neque in Reg. exemplari. L.

Quid sibi volt pater] I. e. quodnam patris consilium vel propositum est? infra II. 16. 26. *quid hic vult veterator sibi.* Propert. eleg. I. 5. 3. *quid tibi vis insane.* Horat. epod. XII. 1. *quid tibi vis mulier. Sibi* eleganter abundat ut *tibi, mihi, vobis, nobis* aliis locis. v. Drak. ad Sil. Ital. v. 46. R. D.

2 *Si id*] *Id*, ob id, propter id. D.

Complures Faerni libri habent *dat*: nostri omnes *det*, quod ad sententiam est rectius. B.

Succenseat] *Succensere* proprie est censionem censoris ægre ferre et ideo mussare, aliter post illum censendo. Sic verbi rationem explicat Perizon. ad Sanctii Minerv. III. 3. p. 384. inde ponitur pro *stomachari*. Accusativus *id* pendet ab omissa præposit. *propter* ut in Eun. III. 1. 4. *id triumphat* et alibi sæpe. R. D.

4 *Neque id injuria*] Id est, usque adeo injustus sibi videbitur, ut se injustitiæ ipse condemnet. D.

Ipsus sibi injurius] Gloss. *injurius ἄδικος*. Priscian. lib. 13. p. 154. L.

4 *Perspexerit*] *Perspicere* est ad plenum et perfectum videre. D.

Sed si tu negaris ducere, ibi culpam in te transferet. 5
Tum illæ turbæ fient. P. Quid vis patiar? D. Pater est, Pamphile.
Difficile est. tum hæc sola'st mulier: dictum ac factum invenerit
Aliquam causam, quamobrem ejiciat oppido. P. Ejiciat? D. Cito.

Ut sese habeat] I. e. qualis sit, frequens est locutio *res ita se habet*] Liv. V. 5. *ut nunc res se habet, irati sunt*, ubi. v. Drak. pro quo etiam omisso pronomine dicitur *res ita habet* in Ad. III. 3. 10. *omnem rem modo seni, quo pacto haberet, ennarramus ordine.* v. Drak. ad Liv. XXXII. 39. R. D.

5 *Ibi culpam in te*] V. C. *culpam omnem in te.* L.

6 *Tum illæ turbæ*] Τὸ *illæ* ad terrorem retulit. *Quid vis patiar?*] Hoc est patiarne uxorem dicere? *Quid vis patiar?*] Sunt qui *quid vis*, pro, quicquid evenerit, intelligant: quia dixerat, *adeon' me ignavum putas?* Alii pronunciant, ut sit sensus, quid me vis facere? an ut hoc patiar, uxorem mihi dari? *Pater est, Pamphile*] Hoc vultuose pronunciandum est, et mire *pater* dixit: ut ipso nomine videatur habere auctoritatem, et veluti dormitantem et oblitum potestatis paternæ, his tribus excitat; pater est Pamphile, difficile est, hæc sola est mulier. *Pater est*] A necessario argumentum. D.

Quid vis patiar] Sensus hic est: Noli persuadere, quantum velit licet irascatur pater. Quæcunque per iracundiam fecerit, sustinebo: hoc est, quodcunque patiar. Hic jam persuasio est, ut polliceatur, quæ efficitur a terroris parte. E.

7 *Difficile est*] Hoc est, resistere, contradicere, Pamphilo difficile, perniciosum Glycerio. *Difficile est*] Ἀποσιώπησις cum vultu. Deest *resistere. Sola*] Sine auxilio, ac per hoc deserta. *Sola* autem, sine defensoribus propriis. et *sola* et *mulier* dixit. *Dictum ac factum*] Proverbium celeritatis, id est, cito. *Invenerit*] Pro inveniet. Conjunctivo modo pro indicativo usus est: et est honesta locutio. D.

Pater est, inquit, *Pamphile.* An fieri possit, ut imperium sentiat, adjecit, *difficile est.* Deinde ab utili et honesto: *Tum hæc sola est mulier*] Quæ quidem res ad omnia proficit. Nam quæ sola est, facile injuriam pati potest. Denique hoc adjunxit: *Dictum ac factum*] Aliquam causam, ut supra diximus; quoniam actus hominis in his duobus consistit, vel dicto vel facto. Ideo complexio est: *Dictum ac factum, invenerit aliquam causam quamobrem ejiciat oppido*] Tristis adolescens injuria, quod (*injuriæ, quæ*) fieri amicæ possit, continuo consilium quærit. E.

Dictum ac factum] I. e. statim, sine clamore, sine copula in Heaut. V. 1. 31. *dictum factum huc abiit.* Hæc formula proverbialis, qua celeritas denotatur, expressa est e Græco ἅμα ἔπος ἅμα ἔργον. v. Clar. Valkenar. ad Herodot. III. p. 266. alii dicunt *dicto citius* Virg. An. I. 142. *dicto citius tumida æquora placat.* Liv. XXIII. 47. *dicto prope citius equum in viam dejecit.* v. interpret ad Petron, c. 80. R. D.

8 *Quamobrem ejiciat oppido*] Callide ad ejus periculum se convertit, cui plus amator timet, quam sibi. Ideo vincitur statim. Apparet autem Davum male suadere: qui tum caveat Pamphilo, cum maxime formidat senem. *Oppido*] Ex civitate. *Ejiciat*] Miratur et stupet. *Cito*] Illo admirante, hic etiam confirmavit. addidit et tempus celeritatis. D.

Metri causa interserendum est *eum*

P. Cedo igitur, quid faciam, Dave? D. Dic te ducturum. P. Hem! D. Quid est?
P. Egone dicam? D. Cur non? P. Nunquam faciam.
D. Ne nega.
P. Suadere noli. D. Ex ea re quid fiat, vide.
P. Ut ab illa excludar, huc concludar. D. Non ita est.
Nempe hoc sic esse opinor dicturum patrem:
Ducas volo hodie uxorem: tu, ducam, inquies.
Cedo, quid jurgabit tecum? hic reddes omnia,

et legendum *eam oppido ejiciat*. Dein usus loquendi ante *vito* postulat *ac*, quod a præcedente syllaba absorptum est. B.

9 *Cedo*] Singularis tantum numeri est: cætera pluralis, ut *salve, salvete*. *Dic te ducturum*] Pronuncia, *dic*: quasi rem facilem, et nullius præjudicii. *Dic te ducturum*] Hoc est, quod ab initio nitebatur. D.

Cedo igitur quid faciam, Dave?] Ipsa propositio persuasionis. *Dic te ducturum*] Repugnat contra Pamphilus. Persuasio sequitur continuo. Quid fieri habeat, (lege, *debeat*) si hoc fit, hoc est, si polliceatur se esse ducturum. E.

10 *Egone dicam?*] Τὸ *ego*, ἔμφασιν habet: hoc est, vel quem non oporteat dicere, vel quem non conveniat fallere, atque mentiri. *Cur non?*] Non interrogat, sed facilitatem rei ostendit. *Nunquam*] Plus habet negationis, quam *non*. D.

11 *Ex ea re quid fiat vide*] Ἀπὸ τῆς ἐμβάσεως. D.

12 *Ut ab illa excludar, hac concludar*] Mire hanc cum pronomine significat, dicens *ab illa*. Illi nec sexum servavit, ne uxor esse videatur (lectionem corruptam sic restituo: *ab illa. Illinc. Huc. Nec sexum servavit, ne uxor esse videatur*). Et ex ferarum translatione *concludar* dixit. ut alibi, *conclusam hic habeo uxorem sævam*. *Ut ab illa excludar*] Ἐν ὑποκρίσει: nam aliud infert, atque intelligit Davum dicere. D.

Ab illa excludar, hac concludar] Hic levi mutatione verbi fit figura paronomasia, ut a Glycerio excludatur, inquit, hic erit eventus: at ille contra, qui persuadebat, ostendit, quis eventus sit futurus, si polliceatur: et facile esse dicit. E.

Ut ab illa excludar] H. e. ut a Glycerii nuptiis repellar. Cic. de Orat. I. 11. *repelli a gubernaculis civitatum, excludi ab omni doctrina rerumque majorum scientia*. R. D.

Huc concludar] I. e. in Philumenæ nuptias conjiciar. Concludi dicuntur omnes, qui ex difficultatibus expedire se non possunt, quibus exitus non patet. v. in Phorm. V. 1. 17. in Hec. IV. 4. 80. R. D.

13 *Nempe hoc sic esse*] Conjectura atque divinatio, an hoc, an illud venturum sit. *Nempe hoc sic esse opinor*] Ab imitatione, μίμησις enim dicitur, deducitur. *Nempe hoc*] A possibili. D.

Nempe hoc sic esse opinor dicturum patrem: ducas hodie volo uxorem; tu, ducam, inquies] Ut ostendat rem in verbis esse, post nihil futurum sermonis, adjungit. E.

15 *Cedo*] *Cedo* singulariter tantum: cætera pluraliter. *Cedo quid jurgabit?*] Ab utili. *Hic reddes omnia*] *Hic* adverbium loci non est, sed adverbium temporis. Ut Virgilius, Æn. IX. 246. *hic annis gravis atque animi maturus Alethes*. *Reddes*] Facies, restitues. D.

Cedo quid jurgabit tecum?] Ipsum deinde ponit dicentem: *hic reddes omnia, quæ nunc certa sunt, consilia, incerta ut sient*. E.

Quæ nunc sunt certa ei consilia, incerta ut sient,
Sine omni periclo. Nam hocce haud dubium est, quin
Chremes
Tibi non det gnatam. nec tu ea causa minueris
Hæc quæ facis, ne is mutet suam sententiam.
Patri dic velle: ut, cum velit, tibi jure irasci non queat.
Nam quod tu speres, propulsabo facile; uxorem his
moribus 21

Hic reddes omnia] I. e. cum ita res se habeat, res eo loco sit. Cic. Phil. VIII. 4. *hic mihi etiam vir fortis pacis commoda commemorat.* ad Div. V. 15. *hic tu ea me abesse urbe miraris,* ubi v. Manut. R. D.

16 *Incerta ut sient*] Hic est eventus. D.

17 *Sine omni periculo*] Hoc est, sine ducenda Philumena. D.

Ab utili subjungitur: *sine omni periculo*] Sed hoc tum demum consilium bonum est polliceri patri, si Chremes filiam suam Pamphilo nolit tradere uxorem. Nam si velit tentare adolescentis animos senex, et continuo ad Chremetem pergere et petere filiam, periculosum est. Ideo adjungit; fortasse posse aliqua mutari, ut Chremes quidem nunc nolit, tamen tradat aliquando. Adversus istud igitur, *ne consilium mutet Chremes,* nihil aliud consilii datur. E.

Nisi legas *periclo* pro *periculo,* et ex *omni* elidas *m;* versus est impeditus. Faernus apud B.

Sine omni periculo] Sic Plaut. et Terent. loquuntur. Cicero et alii *sine ullo periculo,* v. Vorstium de latin. merito suspecta. c. 8. R. D.

18 *Nec tu ea causa minueris*] Hoc est quod supra, *id mutavit, quoniam me immutatum videt. Nec tu ea causa*] Quia promiseris te esse ducturum. D.

Nec tu ea causa minueris hæc quæ facis, is ne mutet suam sententiam] Hoc quidem obscure dictum est, sed est sensus: unde tu, sententiam suam ne mutet Chremes, hæc quæ facis, mutare noli, ut ad amicam vadas. Redit, rursus ad consilium, *patri dic velle:* et concludit eventum: *cum velit tibi jure irasci, non queat.* Hic quæstio. Sed aliam pater poterit quærere uxorem. Huic respondetur conjecturaliter. *Nam quod tu speras, propulsabo facile. His moribus dabit nemo*] *Speras,* id est, times, ἀνυπολογία: et *propulsabo,* id est, repellam: unde abjectio et depulsio criminis. Si perseveras in his moribus, nec Chremes nec alius dabit tibi filiam suam. Hic rursus incidit alia quæstio. Sed qualemcumque inveniet pater, ne det his moribus (*si* Z.) perseveres. E.

Nec minueris hæc quæ facis] I. e. nec mutabis consilium, nec desines facere quæ soles, sed quotidie eris eum Glycerio in Hec. IV. 3. 10. *non minuam meum consilium* i. e. non discedam a proposito meo. R. D.

19 *Ne is*] Chremes scilicet. *Ne is mutet*] Ad consilium redit, et conjungit eventum. D.

20 *Patri dic velle: ut, cum velit*] Scilicet ne securus, quod non sit Chremes daturus filiam suam, parvi faciat iram patris, et neget uxorem ducere, utpote fretus, neminem alium sibi commissurum conjugem. D.

Patri dic velle] Ms. *velle te.* L.

21 *Nam quod tu speres*] Sunt qui pro *speres, timeas* habeant: ut sit, nam quod tu timeas, scilicet, aliam daturum. *Propulsabo*] Hoc est, causam inanem esse monstrabo, id est, ostendam nihilominus, te esse ducturum aliam uxorem, etiamsi hanc non duxeris. *Propulsabo*] Eleganter, pro eo quod est

Dabit nemo. inveniet inopem potius, quam te corrumpi sinat.
Sed si te æquo animo ferre accipiet, negligéntem feceris.
Alia otiosus quæret: interea aliquid acciderit boni.
P. Itan' credis? D. Haud dubium quidem'st. P. Vide quo me inducas. D. Quin taces?

repellam. Uxorem his moribus dabit nemo] Ne alteram quærat. *His moribus*] Deest aliquid. ut sit, his moribus agenti, aut his moribus prædito. D.

Pro vulgari *speras*, præter Donatum, liber Vaticanus, quem Faernus inspexit. et ex nostris veterrimus, habent *speres*. Recte. B.

Quod tu speres propulsabo facile] I. e. spem *ex patris voluntate a te concipiendum* (Hiatum in Mss. his verbis supplevi. Brums.) refutabo inanem esse ostendens. Sperabat autem Pamphilus neminem sibi his moribus prædito sive meretri- ciis amoribus irretito uxorem daturum. *Propulsare* est refellere. v. Burm. ad Ov. Metam. I. 759. R. D.

His moribus] Sic dicitur pro eo, qui habet hos mores. Sic apud Statium sylvar. V. 2. 107. *tales anni* ponuntur pro persona quæ habet tales annos v. Markland. ad illum locum. R. D.

22 *Inveniet inopem*] Ὑποφορὰ ἐφεκτικὸς (lege, ἐφεκτικῶς). Sed nec inopem quærat. *Inveniet*] Sunt qui κατ' ἀνθυποφορὰν dici putent *inveniet inopem*. D.

Inveniet inopem potius, quam te corrumpi sinat] Hoc ergo præponit quasi ex adversa parte: et est collatio duorum malorum, quorum alterum eligitur. E.

23 *Negligentem feceris*] Hoc est, etiam in paratis nuptiis. D.

24 *Aliam otiosus*] Ex otio, hoc est, securus. *Interea aliquid boni acciderit*] Scilicet ne quærendo inveniat. *Interea aliquid*] Mortem patris adolescenti in delicto pro bono servus ostentat. *Acciderit*] Ex ad causam refertur: et certe quia mortem patris bonum denunciat. *Acciderit*] Nota *acciderit* etiam pro bono, et ab hoc, et apud veteres frequentatum. D.

Aliquid interea acciderit boni] Quoniam in rebus asperioribus, quæ vitari non possunt, remedium est dilationis persuasio: talibus commotus adolescens unam sollicitudinem, non jam ex amore, sed ex pietate supponit, quod metuat, ne natum sibi filium pater posit agnoscere. E.

Etsi omnes codd. quos ego et Faernus inspeximus, habent *alia*: melius tamen videtur *aliam*, sc. cum dote, non inopem. B.

Alia otiosus habet Sandby. Z.

Otiosus] I. e. lente ut non multum festinet. R. D.

25 *Haud dubium*] Plus intulit, quam est interrogatus. *Inducas*] In eadem translatione permansit, quia supra dixit, *hac concludar*. Bona ὑποκορίσει, ut mox juste Davo succenseat Pamphilus. *Quin taces? dicam*] Cur non securus es? significat jam nunc *tacere*, securum esse, ut in Adelph. *tace, egomet conveniam Pamphilum*. Et ideo ille, ut consentire dicenti *quin taces?* videretur, ait *dicam*. ut scias illum, non silentium, sed securitatem imperasse. *Quin taces?* Correptio est silentium præcipientis, de eo duntaxat, ne timeat de nuptiis. id est, esto securus. Nam tacere, securi est. D.

Vide quo me inducas] Est autem *inductio* oratio, quæ rebus non dubiis captat assensionem ejus, cum quo instituta est. E.

Bentl. cum West. tacite edidit *haud dubium id quidem'st*. Z.

Inducas] I. e. fallaciis pellicias, in Heaut. IV. 4. 1. *me Syri promissa huc*

P. Dicam. puerum autem ne resciscat mihi esse ex illa,
cautio est:
Nam pollicitus sum suscepturum. D. O facinus audax!
P. Hanc fidem
Sibi, me obsecravit, qui se sciret non deserturum, ut darem.
D. Curabitur. sed pater adest: cave, te esse tristem sentiat. 29

induxerunt, Transfertur verbum a venatione, qua feræ in retia inducuntur. v. Donat. ad I. 2. 9. et Broukh. ad Tibulli eleg. I. 6. R. D.

26 *Puerum autem*] Videtur hoc illi contrarium esse, quod dixit, *quicquid peperisset decreverunt tollere*. Sic ergo solvitur: quod ibi servus cum stomacho dixit, hic tantum Pamphilum verecunde locutum accipimus. *Puerum autem ne resciscat*] Aut divinat, aut *puerum* pro quolibet sexu; sobolem, hoc est, fœtum: ut, *quicquid peperisset, decreverunt tollere*. ut Græci pueros παῖδας: Homerus, Il. ά. 255, Πρίαμος Πριάμοιό τε παῖδας. et Horatius, Carm. I. Od. XII. 25. *Dicam et Alciden, puerosque Lædæ. Cautio est*] Cautione opus est, hoc est, cavendum est. D.

Vulgo legunt *ab illa*. Sed præferendum *ex illa*, quod Faernus in multis libris, præsertim antiquioribus invenit, et ego in omnibus meis. B.

Cautio est] Cavendum, providendum est. Substantiva verbalia sæpe pro gerundiis ponuntur in Ad. III. 3. 67. *hi pisces ne corrumpantur cautio est* in Hec. IV. 4. 28. *nulla tibi hic jam consultatio est*. v. Perizon. ad Sanctii Minerv. I. 15. p. 146. R. D.

27 *Nam pollicitus sum*] *Promissio et pollicitatio* eandem vim habent: sed *pollicitatio* majoris asseverationis est. *Hanc fidem*] Ordo est, ut hanc fidem sibi darem, me obsecravit, qui se sciret non deserturum. D.

Hanc fidem sibi] Priscian. lib. 13. L.

Hanc fidem, &c.] Constructio est: obsecravit me ut darem sibi fidem; fides est signum et documentum quod efficit, ut aliquid verum esse credamus. Propert. IV. 6. 60. *nostri sanguinis ista fides*. Just. IX. 1. *ea primum fides inopiæ Scythicæ fuit*. v. Grot. ad Statii Thebaid. IV. 417. et Duker. ad Flor. I. 2. p. 40. R. D.

Qui sciret] Ponitur pro: ut sciret in Ad. V. 8. 27. *huic demus qui fruatur*. v. Gron. ad Liv. I. 43. pro *deserturum* Bentl. e. Mss. scribit *desertum iri* quod alioquin in vulgata lectione desit pronomen *me, sciret, me non deserturum se*. Verum pronomina *me, te, se, nos, vos* in tali constructione centies omittuntur. v. quæ annotavimus ad Rutil. Lup. I. 41. R. D.

28 Pro *deserturum* recte legit vetus Mureti cod. *desertum iri*. B.

29 *Curabitur*] Non *curabo*, sed impersonaliter, cum difficultate: quod quasi arduum esset, et grave ostendit. D.

Cave te esse tristem sentiat] Hoc verbum, id est, *cave*, significat *vide* ne. Et hoc interdum. E.

Te esse tristem] Serv. Georg. I. ad illum versum, *ne quicquam spectat Olympo*. L.

ACT. II. SCENA IV.

SIMO. DAVUS. PAMPHILUS.

REVISO quid agant, aut quid captent consilii.
D. Hic nunc non dubitat, quin te ducturum neges.
Venit meditatus alicunde ex solo loco:
Orationem sperat invenisse se,
Qui differat te. proin tu fac, apud te ut sies. 5

1 *Reviso*] Hæc scena nodum injicit erroris fabulæ, et periculum comicum. Facit etiam executionem consiliorum. *Reviso quid agant, aut quid captent consilii*] *Quid agant*, auribus opus est. πρός τὸ (lege et Ms. Hulst. *quid agant*. πρὸς τὸ *quid agant*, auribus opus est) *quid captent consilii*, prudentia et sagacitate. et quod supra dixit, non pœnituit idem repetere, *observes filium; quid agat, quid consilii cum illo captet*. Quod enim prudenter dictum fuerit, non piget repetere. Actio tamen ex his tribus consistit, cogitatione, dicendo, gerendo. *Reviso*] Redeo, ut videam. *Quid agant*] Quid respondeant, quid dicant. D.

Reviso quid agant] Hæc scena eventum supra positi consilii complectitur, ut temperet (*tetet*. Z.) filium pater, cui ex suasione Davi filius promittit. E.

Pro *aut quid* numerus postulat et Terentii consuetudo *quidve*. cf. Eut. II. 3. 12. it. infra IV. 4. 9. B.

Reviso] I. e. redeo ut videam in Eun. V. 4. 1. ita *proviso* procedo in publicum ut videam. in V. 5. 1. et in Ad. V. 6. 1. R. D.

2 *Hic nunc non dubitat*] Non dixit, senex, aut pater: sed *hic*, cum odio, quoniam animo adverso loquitur. D.

3 *Venit meditatus alicunde*] Terror objurgaturi patris, hortatio est ad promittendum Pamphilo, quod jubetur. *Ex solo loco: orationem sperat invenisse se*] *Solo*, deserto, ubi meditari facilius possit. D.

Meditatus alicunde ex solo loco] *Meditatus* ἐσκεμμένος. Et bene *solo loco*: τῆς ψυχῆς γὰρ ἐρημούσης ἡ γνώμη τελειοῦται. In quam rem a Donato elegans Menandri versus laudatur. Vid. Serv. ad Virgil. Æneid. V. versu *at procul in sola*. et Æneid. XI. vers. *solorum memoris*, L.

Venit meditatus] H. e. instructus oratione, quam meditatus est. Similis formula est *venit paratus*. V. 4. 6. v. quæ annotav. ad Rutil. Lup. II. p. 86. R. D.

Solo loco] I. e. deserto, secreto in Phorm. V. 7. 85. *scelus deportari in solas terras*. Plaut. Aul. IV. 6. 7. *cogito solum locum*. Nepos in Eum. c. 8. *sin per loca sola contenderet*. v. Lambin. ad Lucret. IV. 577. Heins. ad Ov. ep. X. 119. et Drak. ad Sil. Ital. III. 429. R. D.

4 Et *orationem* dixit, quod quasi ad plenum cogitari potuisset, quippe meditatus ex solo loco. Menander: ἐυρετικὴν εἶναί φασι τὴν ἐρημίαν οἱ τὰς ὀφρῦς ἄιροντες. D.

Orationem sperat invenisse se, qui differat] Id est, increpet vel dissipet te. Admonet rursus adolescentem, quo facilius respondeat. E.

5 *Qua differat*] Disturbet, et in diversum ferat. Virg. Georg. III. 197. *atque arida differt Nubila*. Et in Adelphis, *miseram me! differor doloribus*, hoc est, in diversum rapit, dissipat (lege omnino, *in diversum rapior, dissipor*). *Apud te ut sies*] Non, ne timeat, cavet Davus: sed ne amore a consilio suo alienetur Pamphilus. *Apud te*

P. Modo ut possim, Dave. D. Crede, inquam, hoc mihi, Pamphile,
Nunquam hodie tecum commutaturum patrem
Unum esse verbum, si te dices ducere.

ACT. II. SCENA V.

BYRRHIA. SIMO. DAVUS. PAMPHILUS.

HERUS me, relictis rebus, jussit Pamphilum

sies] Præparatus sis: cui contrarium est, *non sum apud me.* D.

Fac ut apud te sis] Id est, consilium tibi traditum mente contineas; quo facto, apud te esse poteris. E.

Qua differat] Ms. *qui differat.* L. Libri Basilicanus et Decurtatus habent *qui differat*, et ita quoque in Victoriano et Vaticano est emendatum, ait Faernus. Duo tantum e nostris *qua*, cæteri *qui.* B.

Differat te] Differre aliquem oratione significat aliquem oratorie in varias partes ferre et ita perturbare, ut quid agat nesciat. Belgæ dicunt *verbluffen* Plaut. in Pseud. I. 3. 124. *jam ego te differam dictis meis*, in Phorm. I. 4. 36. dicitur *dictis protelare.* R. D.

Apud se ut sis] I. e, ut præsenti animo sis et minime perturbatus. infra III. 5. 16. *redire ad se* pro animum recolligere perturbatione ejecta. R. D.

6 *Modo ut possim*] *Ut*, pro ne non. *Modo ut possim*] A possibili, possim apud me esse. D.

Crede mihi] Quoniam Pamphilus veluti difficultatem posuerat dicendo, *ut possim:* respondit rursus ad eventum, quod pater verbum non commutaturus (alii, *commoturus*, male. Z.) sit, si se dixerit ducturum. E.

Modo ut possim] Ms. *modo ut possim Dave.* L.

Modo ut possim] I. e. si modo possim in Phorm, I. 2. 9. *modo ut tacere possis.* Cic. ap Div. VII. 1. *modo ut tibi constiterit fructus otii tui*, ubi v. Manut. R. D.

7 *Nunquam hodie*] Ab utili eventu. *Nunquam*, plus asseverationis habet, quam *non.* ut Virgilius, Æn. II. 670. *nunquam omnes hodie moriemur inulti. Commutaturum patrem*] Jurgium habiturum; hoc est enim *verba mutare. Commutaturum verbum*] Altercaturum. Sic in Phormione, *tria non commutabitis verba inter vos hodie*, hoc est, dabitis atque accipietis, id est, jurgabitis. Ego puto *commutare verba* hoc esse, pro bonis dictis mala ingerere: hoc est, iracundia in maledicta compelli. (Verba, *ego puto—compelli*, non videntur esse Donati, et repugnant antecedentibus). D.

Commutaturum unum esse verbum] I. e. tecum jurgaturum in Phorm. IV. 3. 33. *tria non commutabitis verba hodie inter vos. Verbis veletare* dicit Afranius apud Nonum Marcell. P. 3. *verbis certare.* L. 10. c. 19. ubi v. Gronov. R. D.

1 *Herus me relictis rebus*] Vide quam mire, quum omnes consulto consilio sibi agere videantur, tamen omnes rerum exitu inopinato ludificantur, et Simo, et Davus, et Pamphilus, et Charinus, et ipse Byrrhia. *Herus me relictis*] Ad hoc venit Byrrhia, ut in errorem conciliet Charinum. Et in hac scena quatuor personæ sine implicatione intellectus loquuntur. *Herus me*

Hodie observare, ut, quid ageret de nuptiis,
Scirem. id propterea nunc hunc venientem sequor.
Ipsum adeo præsto video cum Davo. hoc agam.
S. Utrumque adesse video. D. Hem! serva. S. Pamphile. 5
D. Quasi de improviso respice ad eum. P. Ehem, pater.
D. Probe. S. Hodie uxorem ducas, ut dixi, volo.

relictis rebus] Imponitur manus rebus, cum perficitur id quod cœperis: ut Virgilius, Æn. VII. 573. *imponit regina manum.* Relinquuntur vero res, cum imperfectæ relinguuntur. Item Virgilius, Georg. III. 519. *atque opere in medio defixa reliquit aratra. Relictis rebus*] Adeo præposuit hoc negotii rebus omnibus. D.

Herus me relictis rebus] Hæc scena fortunæ interponitur. Byrrhia servus Charini, qui Philumenam vult ducere uxorem, quam quidem Pamphilus non vult, dum pater filio offert, intervenit, quo error facilius possit increscere. Apponitur eo tempore, quo Pamphilus ex suasione servi, falso quidem, non voluntate, promissurus est patri, se uxorem esse ducturum. E.

Relictis rebus] I. e. posthabitis negotiis omnibus in Eun. I. 2. 80. *ancillulam relictis rebus omnibus quæsivi.* Lucret. III. 1084. *jam rebus quibusque relictis Naturam primum studeat cognoscere rerum* ubi v. Lambin. Cic. ad Div. II. 14. *omnia relinques, cum tua opera Fabius uti volet.* v. Gronov. ad Liv. XXVIII. 7. R. D.

Jussit Pamphilum, &c.] Bentlei. de conjectura sic legit *jussit Pamphilum hodie observarem quid ageret de nuptiis* et sequentem versum tanquam spurium delet. Burmann. Bentleianis inventis ad Suetou. Vespasian. c. 23. contradicit et constructionem *me jussit observarem* scabiem vocat, sed Gesnerus defendit et construendi rationem explicat in Thes. ling. lat. voce *jubeo.* R. D.

2 *Hodie observare*] Observatio duplex est, vel captionis, vel obsequii. D.

3 *Id propterea*] Necesse est aut alterum esse supervacuum, aut *propterea* post accipiendum. D.

Pro *id* unus e nostris habet *huc*, rectius. Sed totus versus est spurius. Nam Pamphilum, qui, ex quo Byrrhia fugere jussus est, nusquam pedem e scena movit, hic Byrrhia non dici potest sequi huc, h. e. in scenam venientem. Interpolatio vero orta est ex antecedentibus, ubi vitiose omnibus in libris scriptum reperitur *observare, ut, quid,* &c. Emenda sic, *observarem, quid ageret,* &c. Ex *m* igitur natum est *ut,* quia *jussit* cum infinitivo est usitatius. Sed cum conjunct. apud nostrum quoque occurrit, Eun. IV. 4. 25. cf. And. I. 1. 142. B.

4 *Hoc agam*] In gestu est: nam est figura corporis, observantis quid agatur. D.

Adeo] Vis quæ est in hujus particulæ usu sane eleganti vix potest uno verbo explicari, quod in omnia loca conveniat, sentiturque facilius, quam exprimitur; interdum significat aliquam consequentiam, interdum explicationi vel narrationi servit. R. D.

Hoc agam] I. e. ad hoc attendam, v. notata ad I. 2. 15. R. D.

5 *Utrumque*] Et Davum, et Pamphilum. D.

Serva] I. e. observa, quæ tibi mandavi, ut apud te sis. R. D.

6 *Quasi de improviso respice*] Interest ejus qui repente aspexerit: nam videbitur nihil dolose locuturus: ut, Æn. XII. 671. *Magnam respexit ad urbem. De improviso*] Scilicet, ne meditata intelligat eum habuisse consilia. D.

7 *Hodie uxorem ducas, ut dixi, volo*]

B. Nunc nostræ timeo parti, quid hic respondeat.
P. Neque istic, neque alibi usquam tibi erit in me mora.
B. Hem!
D. Obmutuit. B. Quid dixit? S. Facis ut te decet,
Quum istuc, quod postulo, impetro cum gratia.
D. Sum verus? B. Herus, quantum audio, uxore excidit.
S. I nunc jam intro, ne in mora, cum opus sit, sies.
P. Eo. B. Nullane in re esse homini cuiquam fidem!

Nolo et volo, nimis imperiosa et superba dictio est. ut alibi, *pisces cæteros purga, Dromo, Congrum istum maximum in aqua sinito ludere Paulisper. ubi ego venero, exossabitur: Prius nolo.* D.

Hodie uxorem ducas] Supra enim Pamphilus ipse dixit, *præteriens modo mihi apud forum, uxor tibi hodie ducenda est, Pamphile.* Merito ergo nunc, ut dixi. E.

8 *Nunc nostræ timeo parti*] Hoc ex persona Byrrhiæ intelligendum, propter timorem domini, quem habet. E.

Ordo verborum, *nostræ timeo parti* idem reperitur in omnibus codd. Faerni, et meis plerisque. B.

9 *Usquam erit in me mora*] Recusantis est magis, quam non volentis (Bœclero assentior, qui legit, *non recusantis est magis quam volentis*), consensio, ea segnis ac tepida, si penitus consideres. *Hem*] Percolsus hoc dicto Byrrhia, interjectione magis, quam verbo exclamavit. D.

Omnes fere nostri rotundius et metro convenientius legunt, *tibi erit usquam.* B.

Neque istic, &c.] H. e. et in hac et in omnibus aliis rebus tibi morem geram promtissime. R. D.

10 *Quid dixit?*] Nota hic Byrrhiæ personam quartam, sed non admixtam. D.

11 *Quum istuc, quod postulo, impetro*] Nimis consequenter *(obsequenter)* locutus est pater. Et *postulo*, pro jubeo: et *impetro*, pro extorqueo. *Postulo*, juste volo. Petimus enim precario, poscimus imperiose, postulamus jure. *Impetro*, pro cum impetrem. D.

Cum gratia] H. e. ut non invitus sed lubens facias Liv. XXIX. 1. *cum bona gratia est* in Phorm. IV. 3. 16. Sic in lege 32. §. 11. Pandectar. de donationibus inter virum et uxorem matrimonium bona gratia dissolutum dicitur, quod consensu mutuo sine alterius ex conjugibus querela solutum est. R. D.

12 *Sum verus?*] Id est veridicus: ut *falsus*, pro falsidicus. *Uxore excidit*] *Cadere spe* dicuntur, qui levati animo, a summo ad inferiora labuntur. *Uxore*, hoc est, matrimonio ac nuptiis. *Uxore excidit*] Quod Græci dicunt ἐξίστασθαι καὶ ἀπίτυχειν. D.

Sum verus] Id est, vera dico. Davus hoc loquitur, quod secundum promissionem nullum verbum fecerit senex. E.

Sum verus] I. e. omne verum dixi; proprie vates, qui futuris prædicendis non fallunt, *veri* dicuntur, ut apud Græcos ἀληθεῖς. Ovid. epist. V. 123. *ah nimium vates misera mihi vera fuisti.* v. Hemsterh. ad Timæi Lexic. Platonic. p. 82. R. D.

Uxore excidit] *Excidere aliqua re* est perdere rem, quam habuimus vel nos habituros speravimus. Liv. Epit. 29. *regno excidit Masinissa.* Sic apud Jurisconsultos *excidere formula* est perdere actionem vel jus cum aliquo agendi in jure, v. Sueton. in Claud. c. 14. et Gronov. ad Senecæ epist. 122. R. D.

14 *Nullane in re esse homini cuiquam fidem?*] Non, in nullis terris, sed neque

Verum illud verbum'st, vulgo quod dici solet, 15
Omnes sibi malle melius esse, quam alteri.
Ego illam vidi: virginem forma bona
Memini videre. quo æquior sum Pamphilo,
Si se illam in somnis, quam illum, amplecti maluit.

in terris, neque in persona. ut Virg. Æn. IV. 373. *nusquam tuta fides.* cum in amore fracta esset ab eo, Æn. IV. 599. *quem subiisse humeris confectum ætate parentem audierat.* Alibi Terentius, *cujus tu fidem in pecunia perspexeris, Verere ei verba credere? ubi quid mihi lucri est?* D.

Veteres quædam editt. *cuiquam hominum:* cod Petrensis *cuique homini*, quod melius est, ne ictus in ultimam τοῦ *homini* perperam incidat. B.

15 *Illud verbum*] Id est, proverbium et sententia. et sic veteres *verbum* pro sententia. D.

Verbum] I. e. proverbium, sententia, ut in Eun. IV. 5. 6. et alibi. R. D.

16 *Omnes sibi melius*] Sic alibi *proximus sum egomet mihi.* D.

Omnes sibi malle] Salvian. Massil. ad Eccles. Cathol. lib. 3. *etiam vulgo dictum est, omnes sibi melius velle, quam alteri. Novum hoc monstri genus est, cuilibet quenquam velle consulere, tantum ne sibi.* Hegias apud Suidam.: ἐκάστῳ γὰρ εἶναι τὴν ἧφσσαν τοῦ ἀγαθοῦ πρὸς ἑαυτὸν μᾶλλον, ἢ πρὸς ἕτερον. Menander: φιλεῖ ἑαυτοῦ πλεῖον οὐδὲις οὐδένα. L.

Plerique libri cum editt. priscis collocant versum: *omnes sibi esse melius malle quam alteri.* Vaticanus et Basilicanus ita, *omnes sibi malle melius esse, &c.* Ego repono sententiæ gratia, *omnes sibi esse bene mavelle, quam alteri.* B.

Omnes melius esse] I. e. beatos ac felices esse in Ad. I. 2. 9. *et tibi bene esse soli, cum sibi sit malum* ut Horat. Serm. II. 8. 18. *pulchre fuerit tibi.* v. Bentl. ad h. l. R. D.

17 *Ego illam vidi*] Hoc corrigitur a poeta, quod per iracundiam dixit Pamphilus, *aliquid monstri alunt. Forma bona*] Distinguitur. D.

Lege, *ego, cum illam vidi, virginem forma bona memini videre.* B.

18 *Memini videre*] Aut memor sum vidisse; aut *memini videre*, hoc est, intelligo, scio; aut memini quod viderim. *Memini videre*, pro vidisse. Ennius, *memini me tum fieri pavum.* (Ms. Hulst. et ed. Venet. *memini me quam fieri pavidum.* it. Ms. Bœnd. et ed. Du B. Sed H. Junius Animad. III. 11. tuetur *pavum.* of. Pers. Sat. VI. et Donat. ad Phorm. 1. 2. 24). Alibi sic, *memini videre*, non probare. (Ed. Venet. et uterque liber, alibi: *sic memini videre, novi probare*). *Quo æquior*] Hoc est, quare æquior Pamphilo, benevolentior, non iratus, vel minus iniquus. D.

Memini videre] Hoc est, scio et intelligo quid videam. *Quo æquior sum Pamphilo, si se illam in somnis*] Scio etenim videri quod sit pulchra. Cognosco et faveo Pamphilo, quod maluit illam se potius amplecti, quam alteram. E.

Memini videre] Serv. Georg. 4. ad vers. *vidisse senem.* L.

Memini videre] Memini fere cum infin. præsenti construitur, ne duo præterita concurrant. v. Sanct. in Minerv. I. 14. pag. 111. et Drakenb. ad Liv. XXXVI. 34. R. D.

Quo] I. e. quare, quapropter in Ad. IV. 5. 46. *quo magis curæ sunt mihi.* Cic. ad Div. V. 12. *quo mihi acciderit optatius* ubi. v. Manutium. R. D.

19 *In somnis*] Per noctem. ait Virgilius, Georg. I. 208. *libra dies somnique pares ubi fecerit horas.* Plautus, Merc. II. 1. 1. *miris modis ludos faciunt hominibus, mirisque exemplis somnia in somnis.* Alii *insomnis*, vigilans: sed melius, per noctem. *Quam illum amplecti*] Dicit nunc quod vulgo dicitur, *cum illa manere, cum illa dormire.* D.

In somnis] *Somnus* aliquando pro

Renunciabo, ut pro hoc malo mihi det malum. 20

ACT. II. SCENA VI.

DAVUS. SIMO.

HIC nunc me credit aliquam sibi fallaciam
Portare, et ea me hic restitisse gratia.
S. Quid Davus narrat? D. Æque quicquam nunc quidem.

nocte ponitur ut ap. Virgil. Georg. I. 208. ubi. v. Servium, contra *nox* aliquando pro *somno*. v. Dan. Heins. ad Sil. Italic. III. 200. R. D.

Amplecti] Honesto vocabulo rem Veneream exprimit. Ovid. Metam. IV. 184. *in mediis ambo deprensi amplexibus hærent*. Petron. P. 126. v. Drak. ad Sil. Italic. II. 399. R. D.

20 *Malum*] I. e. pœna, ut verbera, &c. in Eun. IV. 4. 47. *non potest sine malo fateri*. Liv. IV. 49. *sicut servis malum minantem militibus*. v. Gronov. ad Sen. de ira I. 17. R. D.

1 *Hic nunc me credit*] Hæc scena dolos continet utriusque personæ, quibus utraque capit, et capitur miro modo. *Hic nunc me credit aliquam sibi fallaciam*] Davus ita videtur loqui, ut nullus spectator audiat: sed hoc ait (lege: *hoc agit*, h. e. id operam dat. Nisi locus, qui interpolatus esse videtur, ita est legendus: *Davus ita loqui videtur, ut nolit audiri a sene*), ut velit audiri a sene. D.

Hic nunc me credit] Hæc scena dolos habet utriusque personæ, senis et Davi. Namque ille inquirit, an filius segre ferat, quod facturus est nuptias. Contra callide servus respondet, non omnino negans, ne fidem perdat, sed esse apud Pamphilum sollicitudinem diem. Nam jam cognitum est, quod propterea * fuerat dimisset. (Ms. alter: *nam jam cognitionem qd poterit. id tum fuerat dimisisse*: alter: *nam jam cognitionem qd præteritum fuerat dimisisse*). Et ut verisimile faciat, quanto sibi decori esse putaverit, quod amore meretricem dilexerit, Pamphilus cogitavit, et nimia temporis ratione compulsus, vult Glyceriam uxorem. At Simo senex amici cogitatum metitur ex vultu, ut dicat pater filium segre ferre, quod subtristis est visus. Hic fiunt quasi per conjecturam argumenta. Ille enim dicit, tristem esse propter nuptias: hic supponit aliam causam. Et quandoquidem repentinum est, quod objecit senex, diu quærens Davus multa promit. Ad postremum derivationem causa hanc ponit, quod nimis parce pater faciat sumtum, cum filio tradat uxorem. Addit causas, quod neminem ex amicis vocet ad cœnam. Adjicit et servus testimonium suum, quod vere parce senex præparet cœnam. E.

2 *Gratia*] *Gratia* veteres pro causa ponebant. D.

3 *Quid Davus narrat?*] Videtur illi blandius loquus esse. *Æque quicquam nunc quidem*] Bene *nunc quidem*: similiter *nunc nihil*, ut paulo ante, cum dixit, *id populus curat scilicet*. *Æque quicquam nunc quidem*] Hoc est, nihil. D.

Etsi omnes codd. repugnant: legendum tamen puto, *quid, Dave, narrat*, sc. Pamphilus, qui superiori scena cum Davo domum ibat. Igitur Davus, quem

S. Nihilne? hem! D. Nihil prorsus. S. Atqui exspectabam quidem.
D. Præter spem evenit: sentio: hoc male habet virum.
S. Potin' es mihi verum dicere? D. Nihil facilius.
S. Num illi molestæ quippiam hæ sunt nuptiæ,
Propter hujusce hospitæ consuetudinem?
D. Nihil hercle: aut, si adeo, bidui est, aut tridui
Hæc sollicitudo: nosti: deinde desinet.

Simo cum filio de nuptiis locutum aliquid putat, hic interrogatur. B.

Æque quicquam nunc quidem] I. e. nihil. Sic explicandum esse contextus docet. Est autem elliptica loquendi formula, quam ita supplet Perizon. ad Sanctii Minerv. I. 13. p. 92. *nunc quidem æque quioquam narro ac narro tunc cum nihil narro.* R. D.

4 *Hem*] interjectio est irati, adversum eum, qui neget se aliquid locutum esse. simul quid sit *æque quicquam nunc quidem*, senex explicat, cum ait, *nihil?* Et est ἐνφημισμὸς antiquorum, pro nihil. *Nihil prorsus*] Id est, neque prorsus. *Nihil prorsus* dicitur, in quo nulla est ambiguitas. et est confirmatio negantis. *Atqui exspectabam quidem*] *Exspectamus* tam bona, quam mala: *speramus* bona. D.

Bentleius semper fere pro *nihil* et *mihi* edidit *nil, mi.* Semel monuisse sat erit. Z.

5 *Præter spem evenit*] *Præter*, pro contra: ut, *præter ætatem tuam. Hoc male habet virum*] Εἰρωνικῶς *virum* dixit defessum senem. modo enim *virum* jocolariter dixit. *Virum*] Ad vituperationem cum ironia: ad laudem vero sine ironia. D.

Hoc male habet virum] H. e. illi molestum est, infra V. 4. 37. *scrupulus qui me male habet* in Hec. IV. 2. 30. *hæc res me male habet.* R. D.

6 *Potin' es verum*] Integrum, *potisne*, id est, potes. Ut Virgil. Æn. III. 671. *nec potis Ionios fluctus æquare sequendo.* Et deest illi *es.* Est enim nomen *potis*; et facit, *potis, potior, potissimus.* D.

Potin' es mihi verum dicere?] Menander: ἀεὶ κράτιστόν ἐστι τ' ἀληθῆ λέγειν. L.

Concinnitatis gratia ante *nihil* pone *ego?* ut Eun. I. 2. 21. B.

Potin es] Vel potisne; *es* habet vim obsecrandi, ut Eun. I. 2. 21. Plenum *potis sum* contrahitur in possum, potis es in potes, potis est in potest, &c. v. Voss. de analog. II. 21. R. D.

7 *Num illi molestæ quippiam*] *Quippiam*, significationem minimæ rei habet. D.

Cod. unus e regiis habet *hæc.* Vetuste et vere. B.

8 *Propter hospitæ hujusce consuetudinem*] Hæc omnia pronominibus bene mollita sunt: etenim atrocia sunt, si eum suis nominibus nuda ponantur. Et *hujusce hospitæ*, non meretricis: et *consuetudinem*, non amorem dixit. ita omnia extenuat, ut Davus audeat confiteri. D.

Etsi omnes codd. quos vidit Faernus, habent ordinem Donati: melior tamen est ordo: *propter hospitæ hujusce.* Cæterum antiquius est *hospitaï.* B.

9 *Aut, si adeo, bidui est aut tridui*] Bene, *aut si adeo:* ne si omnino negaret, *cur igitur tristis est ille?* diceret. D.

10 *Sollicitudo*] Propter turbationem. *Nostin'?*] In significationem multorum, quæ compendio facimus (malim *compendifacimus*), *nostin'* dicimus. D.

Bentleius post *nosti* posuit signum interrogationis, quod non est opus. Z.

Nostin] Hac formula significatur, nos multa compendium facere. Eun. III. 1. 15. et Donat. ad h. l. R. D.

Etenim ipsus secum eam rem reputavit via.
S. Laudo. D. Dum licitum est ei, dumque ætas tulit,
Amavit: tum id clam: cavit, ne unquam infamiæ
Ea res sibi esset, ut virum fortem decet:
Nunc uxore opus est: animum ad uxorem appulit.
S. Subtristis visus est esse aliquantulum mihi.
D. Nihil propter hanc rem: sed est, quod succenset tibi.

11 *Recta reputavit via*] *Reputavit*, retractavit: quia *putare*, purgare est. unde et *arbores*, et *vites putare* dicimus. *Via*] Consilio, ratione. D.

Eam rem reputavit] V. C. *eam secum ipse rem recta reputavit via*. L.

Sic versum legit in cod. Vaticano Faernus, cui consentit unus e nostris vetustissimus. Sed nos delemus *secum* tanquam alienum, et post *rem* reponimus *recta*, quod Faernus vidit in codd. et consuetudo Terentii et Plauti postulat. B.

11 *Recta reputavit via*] I. e. in reputando non erravit. *recte reputare* dixit Justin. II. 15. R. D.

12 *Laudo*] Senex inducitur, et credit. *Dum licitum est*] Deest, *per te*: hoc est, dum tu permisisti. Et mire hic utitur verbis senis. Ipse enim supra dixit, *dum tempus ad eam rem tulit, sini, animum ut expleret suum. Dum licitum est illi*] Sic veteres et *placitum*, et *puditum* dicebant: quæ nos, *placuit*, *puduit*. *Dumque ætas tulit*] Dum esset ætas immatura nuptiis. *Tulit*, duo significat: attulit, et abstulit; passus est, et pertulit. D.

Bentleius metri causa scripsit *eii*. Z.

13 *Tum id clam*] Bene *clam*, quia nunc liquido apparet, Pamphilum voluntatem, propositumque mutasse. *Cavit, ne unquam infamiæ ea res sibi esset*] Mire utitur senis verbis. Ipse enim dixerat, *dum tempus ad eam rem tulit, sini, animum ut expleret suum*. (Verba *mire utitur senis*, &c. inscite ex versu 12. hic sunt repetita). D.

14 *Virum fortem*] I. e. virum honestum bonum; nam veteres, ut Festus auctor est, fortem dicebant frugi et boni, ubi vid. Scalig. in Phorm. II. 2. 10. *O vir fortis atque amicus*. Plaut. in Trin. V. 2. 9. *sororem despondisse in tam fortem familiam*. R. D.

15 *Nunc uxore opus est*] Quasi denunciatio est quædam necessitatis seni impositæ. *Animum ad uxorem appulit*] Et bene *appulit*, quasi ab jactatione fluctuum, et marini æstus. has enim tempestates habet amor. Et sic dixit, *Ad uxorem animum appulit*, ut supra, *Animum ad scribendum appulit*. D.

16 *Subtristis visus est*] *Sub*, temperamentum est plenæ pronunciationis: ut, *subtristis*, *subridet*, non ad plenum tristis aut ridet: ut confessionem eliceret. *Subtristis visus est aliquantulum mihi*] Mire servatum est in adolescente libero τὸ πρέπον, et in amatore τὸ πιθανὸν. Nam et honesto juveni non congruebat versipellis vultus: et in amatore absurdum fuerat, ingenium celare tristitiam. (Pro *ingenium* alii habent *ingenuum*. Lege vel *ingenuam*, vel *in amatore ingenuo absurdum fuerat, celare tristitiam*). Itaque nec ad plenum tristis fuit, quia dixit *celanda res erat* (pro *celanda* Mss. Hulst. et ed. Venet. 1490. habet *occultanda*. Utrumque videtur e margine irrepsisse. Haud dubie Donatus scripsit: *quia dixit*, SUBTRISTIS): nec gaudium fuerat, quia ingenium et amoris necessitas in tristitiam retrahebat. D.

Pro *aliquantulum*, ut trochæus evitetur, lego *aliquantillum*. B.

17 *Sed est, quod tibi succenseat*] Quod ille a summo ad imum opposuit (lege *proposuit*), hic causæ derivationem opposuit. *Quod succenseat tibi*] *Succensere*, potioris est. (Verba, *succensere*

S. Quidnam'st? D. Puerile'st. S. Quid est? D. Nihil. S. Quin dic, quid est?
D. Ait nimium parce facere sumtum. S. Mene. D. Te.
Vix, inquit, drachmis est obsonatus decem.
Num filio videtur uxorem dare?
Quem, inquit, ad cœnam vocabo meorum æqualium
Potissimum nunc? et, quod dicendum hic siet,
Tu quoque perparce nimium. non laudo. S. Tace.

potioris est, absunt a Ms. Hulst. Et sane videtur pro *succensere* hic aliud verbum reponendum esse. Etenim nec Pamphilus patre erat potior, nec semper potiores succensent. Nisi *potioris est* neutro genere dictum accipias pro *majoris est*, h. e. in re majore et potiore adhiberi solitum. Sic mox explicat ipse Donatus. Placet Wielingio *censere potioris est*; vel, *sic censere potioris est*. Posse tamen putat illa, *succensere potioris est*, esse a Donato, illa, *succensere, in re gravi et justa irasci*, ab altero grammatico profecta. Neutrum autem satis accurate). *Succensere*, in re gravi et justa irasci. D.

Dele *rem*, ut *hanc* referatur ad hospitam, Glycerium. Antiquissimi libri habent *suscenset*. B.

Est quod suscenset] I. e. habet causam succensendi in Hec. II. 2. 31. *est quod me transire ad forum jam oportet*. Locutio sic est supplenda: est aliquid, propter quod succenset. v. Voss. de construct. c. 11. R. D.

18 *Puerile est*] Apparet Davum nunc quærere quid respondeat: et ad quam causam derivet aversa suspicione tristitiam Pamphili, quam animadvertit senex. *Puerile est*] Utrum magis ideo suspendit, ut senex audire desideret: an quia necdum commentus est causam, contra rependendam propositioni senis? (Posteriorem rationem probabiliorem esse, et theatro magis consentaneam, ait Dacieria. Z.) *Nihil est*] Videtur invenire non posse. D.

Ante *nihil* repone *quid id est?* B.

19 *Ait nimium parce facere sumtum*] Mire (Ms. Hulst. recte, *mirum*), ipsum dicere veluti *fecit* et *nimium*, et *parce. Nimium parce facere*] Pepercit, ne diceret sordide. *Mene*] Perturbati indicium est, quia se ipsum pronomine ostendit. D.

20 Duo codd. primarii legunt *est obsonatum*. Recte. cf. Plaut. Bacc. 1. 2. 35. B.

22 *Meorum æqualium potissimum*] *Æqualium* ætate, *potissimum* dignitate: etenim *potis, potior, potissimus* facit. D.

Vocabo] I. e. invitabo. Sic *vocationes* pro invitationibus ad cœnam apud Catull. Carm. 48. 7. et servi vocatores, qui homines ad convivium invitant apud Sueton. in Calig. c. 39.

Æqualium] I. e. ejusdem ætatis hominum, quos barbari dicunt cœquales. in Heaut. III. 1. 8. v. Græv. ad Justin. XXXVII. 4. R. D.

23 *Et quod dicendum hic siet*] Bene *hic*, ubi non sit adolescens. D.

24 *Tu quoque perparce*] Bene *quoque*, quasi dicat, cum ille peccet, quod pueriliter succenseat: tu quoque peccas, perparce nimium faciendo sumtum. *Tu quoque perparce nimium*] Et *perparce*, et *nimium*, cum sufficeret unum. Et *nimium*, vituperatio est: ut, *Ne quid nimis. Non laudo*] Et quia *perparce*, et quia *nimium*. Nam, parce agere, laudis: nimium, peccati. Et magna moderatione, *non laudo*, dixit potius, quam *vitupero*. D.

Tu quoque perparce] Prisc. lib. 15. L.

Lege *per parce nimium*, h. e. pernimium parce. Nam quod supra 19. *nimium parce* dixerat, id nunc amplificat. B.

D. Commovi. S. Ego istæc, recte ut fiant, videro. Quidnam hoc rei est? quid hic volt veterator sibi? Nam si hic mali est quicquam, hem illic est huic rei caput.

25 *Commovi*] Ideo *commovi*, quia argumenta dixit seni, quibus proditur non esse veras nuptias. *Commovi*] Supra *sollicitavi* dixit, modo *commovi*. Et *commovi* dicit apud se, ut spectator audiat, non senex. D.

26 *Quidnam hoc est rei?*] Verba sunt secum cogitantis senis, aut de his quæ nunc locutus est Davus, aut de adventu mulierum, quæ in scenam veniant. *Quidnam hoc est rei*] Pulsatus est senex argumento falsarum nuptiarum, *paululum obsonii*: tanquam se illuderet Davus. *Quidnam hic volt veterator sibi?*] *Veterator* est vetus in astutia, et qui in omni re callidus est. Et hi duo versus ostendunt, pulsatum esse senem argumento falsarum nuptiarum: illo argumento, quod ait, *paululum obsonii*: tanquam se illuderet Davus. Sunt ergo verba, ut diximus, secum cogitantis senis, aut de his quæ nunc Davus locutus est, aut de adventu mulierum, quæ in scenam veniunt modo. D.

Quidnam hoc est rei?] Secum cogitat senex orationem Davi, et promissionem filii. Non vera omnia suspicatur ex moribus servi, quem *veteratorem* appellat, hoc est, callidum et astutia vetusta roboratum. Concludit ergo: *si in hac re aliquid malis est, illic est huic rei caput*. Et illis inter se loquentibus, Simo ut agnoscat filium illam peregrinam amare, quo amplius incendatur ad nuptias, ut ei error omni ratione cumuletur, vel ex locutione mulieris, vel ex vocibus parturientis, credit in sua præsentia cuncta simulari. E.

Veterator] Mancipiorum usualium duplex genus, novitiorum et veteranorum. Ac plerumque novitia mancipia intelliguntur, quæ annum nondum servierunt, et propterea rudia sunt ac simpliciora. Veterana autem, quæ anno continuo in urbe servierunt, et id propter astuta et callida. Marcianus l. 16. §. 3. ff. de Publicanis. Ulpianus l. 37. ff. de ædil. edict. Hinc itaque versuti, et multa arte exercitati, *Veteratores* dicti sunt. Glossar. *Veterator*. παλαιομήλων, παλίντριψ, τριβακὸς, ἀπατέων. Vid. Festus in Veterator. L.

Lege, *quid hoc est reii*. B.

Veterator] Veterator proprie est servus veteranus, qui, eum versutior esse soleat novitio, *veterator* dictus est, quilibet astutus et fallendi arte exercitatus. v. Fest. in hanc vocem et Lindenbrog. ad h. l. R. D.

27 *Num si hic est mali quicquam*] Si promissa non compleverit Pamphilus. *Illic est huic rei caput*] *Caput* est origo et summa uniuscujusque rei, ut Virgil. Æn. XI. 361. *O Latio caput horum et causa malorum*. D.

Illic est huic rei caput] Iterum Adelph. act. 4. sc. 2. *Sensit, quod ego, te esse huic rei caput*. Servius Æneid. XI. vers. *caput horum et causa malorum*. L.

Lege *mali'st*, ne *mali* totum in Thesi obscuretur. B.

Illic est huic rei caput] I. e. ille est hujus rei auctor, cum dativo et *est* in Ad. IV. 2. 29. *sentit te esse huic rei caput*; cum genitivo apud alios. Cicero pro Flacco c. 18. *caput est Græcorum concitandorum Heraclides*. v. Cortii ad Porci Latronis declamationem p. 1093. edit. Sallust. *Illic* antique dicitur pro *ille*. v. Bentl. ad h. l. R. D.

ACT. III. SCENA I.

MYSIS. SIMO. DAVUS. LESBIA. GLYCERIUM.

ITA pol quidem res est, ut dixti, Lesbia;
Fidelem haud ferme mulieri invenias virum.
S. Ab Andria'st ancilla hæc. quid narras? D. Ita'st.
M. Sed hic Pamphilus. S. Quid dicit? M. Firmavit fidem. S. Hem!
D. Utinam aut hic surdus, aut hæc muta facta sit.
M. Nam quod peperisset, jussit tolli. S. O Jupiter!

1 *Ita pol quidem res est*] In hac scena novo modo cessante Davo, fallitur Simo per nimiam sagacitatem suam. Simul in hac scena id agit poeta, ut ad nuptias faciendas magis accendatur Simo. Et quædam industria, quædam velut casu eveniunt: ut nunc suspicio senis. In multis enim ἀνωμαλία comicorum poetarum ita se habet, ut casu putet spectator venisse, quod consilio scriptorum factum sit. *Ita pol quidem res est, ut dixti, Lesbia*] Ex hoc sermone, quem habent ingredientes, scenæ apparet principium. Quod enim auditur, non quod incipitur, initium dicunt. *Ita pol quidem*] Productio est narrativa, ad explendum modo potius jusjurandum. *Ut dixti*] Et *dixti*, et *dixisti* legitur. D.

Duo tantum codd. habent *dixisti*. Quæ vera est lectio. Nam concinnius res in Arsi hic ponitur, quam illic in Thesi. B.

2 *Fidelem haud ferme*] *Fidelem* maluit, quam *fidum* dicere. *fidum* enim honestius dixisset. *Ferme* pro facile posuit: et *ferme*, facilitatem significat, quia sunt adverbia extenuationis. *Invenias*] Secundam pro tertia persona posuit, pro *inveniat quis*, vel invenire possit. ut Virgil. Æn. IV. 401. *migrantes cernas, totaque ex urbe ruentes*. D.

3 *Ab Andria est ancilla hæc*] Simpliciter dixit *ab Andria est*, pro Andriæ est: nam et usq sic dicere solemus. Ergo *ab Andria est*, hoc est, Andriæ favet, Andriæ est. ut cum dicimus, *ab illo est*, hoc significamus, illi favet, illi accommodat suffragium. D.

Ab Andria est?] Ex proprietate linguæ agnovit illam. Secum igitur conjecturalibus argumentis cogitat, verisimile non esse suscipere velle liberos ex peregrina. Unde confirmat mulierum calliditate fieri, ut nuptiæ impediantur. E.

Verba ita distribuenda esse censeo, ut, *quid narras*, sint Davi non interrogantis, sed admirantis et quasi negantis, vel gravate concedentis, ut Phorm. V. 7. 42. sed *ita'st* sint Simonis, rem confirmantis. B.

Ancilla ab Andria] I. e. ancilla Andriæ vel ex ejus ædibus veniens. infra IV. 1. 58. *concrepuit a Glycerio ostium* i. e. Glycerii. v. Buchnerum de commutata dicendi ratione et Perizon. ad Sanctii Minerv. III. 3. R. D.

4 *Sed hic*] Semper *sed* contrariæ sententiæ significatio est. Et bene *hic*, ut ostendat de illo fuisse sermonem. *Hem*] Interjectio est accipientis verba, et admirantis. D.

5 *Utinam aut hic surdus, aut hæc muta facta sit*] Comice et facete. *Aut hic surdus*, qui audire non possit: *aut hæc muta facta sit*, ne possit dicere. *Aut hic surdus, aut hæc muta facti sit*] Σύλληψις per genera. D.

6 *Jussit tolli*] Hæc est fides: suscipi filios legitimos faciunt parentes. (Pro

Quid ego audio? actum'st, siquidem hæc vera prædicat.
L. Bonum ingenium narras adolescentis. M. Optumum.
Sed sequere me intro, ne in mora illi sis. L. Sequor.
D. Quod remedium nunc huic malo inveniam? S. Quid hoc?
Adeone est demens? ex peregrina? jam scio, ah!
Vix tandem sensi stolidus. D. Quid hic sensisse ait?
S. Hæc primum affertur jam mihi ab hoc fallacia;

parentes habet Ms. Hulst. et ed. Veneta utraque *partus*. Forte legendum: *hæc est fides, suscipi filios legitimos, quod faciunt parentes.* Sed postquam intellexi, in Ms. Bœnd, et ed Du. B. pro *parentes* esse *partus*, conjicio legendum esse, *suscepti filii legitimos faciunt partus).* Et sublatio matris est: patris, tollere. *Jupiter! quid ego audio?*] Bene rursum adducitur ad desperationem senex Mysidis verbis. D.

7 *Actum est*] In summa rerum desperatione ponitur, *actum est, ilicet, Periisti.* Hæc res secundum jus civile dicitur: in quo cavetur, ne quis rem actam apud judices repetat. Sic ipse in Phormione, *actum, aiunt, ne agas.* D.

Actum est] Desperantis formula. v. Eun. I. 1. 9. Ad. III. 2. 27. et Donat. ad h. l. R. D.

Prædicat] I. e. dicit, narrat. eo sensu frequens est apud comicos. R. D.

8 *Bonum ingenium*] *Ingenium*, naturam. D.

10 *Quid hoc?*] Secum senex ἰλλιπτικῶς: deest enim, *rei est.* D.

10 *Quid hoc*] Scilicet *rei est*, ut supplet Donatus. R. D.

11 *Adeone est demens? ex peregrina*] Ἔλλειψις per ἀποσιώπησιν, apta cogitanti. reliquum autem sic pronunciat, quasi reperto consilio. Et bene *adeo*: quia tam demens est, quod amat ex peregrina, id est ex meretrice. (Corrupta lectio est jam inde ab ed. R. Steph. Vetustiores et Ms. Hulst ita: *et bene* ADEO, *quia* demens est quod amat: EX PEREGRINA, *id est, ex meretrice.* Lege: *et bene* ADEO, *quia jam demens est, quod amat.* Cui quidem dementiæ accedit altera, scilicet quod EX PEREGRINA, *id est ex meretrice*, sub. velit tollere partum. Hæc conjectura confirmatur cod. Bœnd. ubi est hæc divisio: EX PEREGRINA. *Id est, ex meretrice* vid. Phorm. II. 3. 68.) Mulieres enim peregrinæ, inhonestæ ac meretrices habebantur. Sic ipse alibi, *Samia mihi mater fuit, ea habitabat Rhodi.* Et servus, *potest taceri hoc quidem*, hoc est, meretricem habuisse te matrem, verisimile est. *Ex peregrina*] Ἀποσιώπησις. deest enim, *ut filium suscipiat?* aut aliquid tale. D.

12 *Vix tandem sensi stolidus*] Pulchro colore inducto, poeta ostendit non minus falli suspiciosum, quam qui stultus est. Huic enim veritas fallacia videtur, dum nimis est acutus ac perspicax. Et hoc est, quod ab eventu fingit poeta. Non enim in Davo est, sic errare nunc senem. *Vix tandem sensi stolidus*] Quinque sunt sensus, quorum duos, visum et auditum, magis sensibiles habemus, quam pecora. Unde Cicero, (eadem verba ex incerto libro laudat Nizolius, nec fragmentis leguntur inserta), *non solum videam, sed etiam audiam, planeque sentiam*, quasi ad tactum retulit, quo etiam pecora impelluntur ad sensum. Duabus ergo rebus scimus: aut ratiocinatione, aut sensu: quibus maxime præstamus cæteris animalibus. Ergo senex se non sensu, non ratiocinatione sensisse, sed veluti calcaribus et stimulis punctum. D.

13 *Hæc primum*] Satis se sagacem senex ostendit, quando principia ipsa

Hanc simulant parère, quo Chremetem eluderent.
G. Juno Lucina, fer opem; serva me, obsecro. 15
S. Hui, tam cito? ridiculum: postquam ante ostium
Me audivit stare, approperat. non sat commode
Divisa sunt temporibus tibi, Dave, hæc. D. Mihin'?

inceptionesque comprehendit. *Hæc primum*] Bene *primum*: quasi ex multis, quas paraverat Davus contra Chremetem. *Quo*] Qua re. D.

14 *Hanc simulant parere*] Priscian. lib. X. p. 124. L.

15 *Juno Lucina, fer opem: serva me*] Juno Lucina, Junonis filia, Græce εἰλείθυια (Hinc ἀπαλέθυια dicitur ἄτοκος γυνή. cf. Lindenbr.) dicitur. Latine Juno a juvando dicta: Lucina ab eo quod in lucem producat. Et gemina vota sunt, ut et partus, et pariens servetur. Nam *fer opem*, propter partum: *serva me*, propter parientem dicitur. *Juno Lucina fer opem: serva me obsecro*] Nota, hoc versu totidem verbis uti omnes puerperas in comœdiis, nec alias induci loqui in proscenio: nam hæc vox post scenam tollitur. *Fer opem*] Propter quod Lucina est. inde *obstetrix*, quod opem tulerit. *Serva me obsecro*] Hoc extra etiam hanc potestatem Junoni attribuitur: quanquam illam Menander Dianam appellet, et hoc sentiat in Bucolicis Virgil. Ecl. IV. 10. D.

Juno Lucina] Duas potestates habet Juno: eadem namque pronuba est, hoc est, nubentibus præest. Ut est Æn. IV. 59.) *Junoni ante omnis, cui vincla jugalia cura.* Eadem et Lucina, quod præest parturientibus, et lucem nascentibus dat. Hanc quidam tamen potius Dianam esse dixerunt: nam ita Menander ipsam vocat, cum dicit Artemin. quanquam et Virgilius eandem Lucinam, Dianam voluit. unde est Virg. IV. 10. *casta fave, Lucina, tuus jam regnat Apollo.* E.

Juno Lucina] In regio exempl. ut et in aliis Ms. sic erat: *intus, Juno Lucina.* Sed τὸ *intus* ideo ab exscriptore additum est, ut intelligamus hæc post scenam fieri. ut in Adelph. act 3. scen. 4. *miseram me, differor doloribus.* Nam et hic quoque vet. cod. addit *intus.* Itaque huc pertinet versus Horatii in arte.—*nec tamen intus Digna geri, promes in scenam.* Quod frequenter in comœdiis occurrit. Plautus in Asinaria,—*immo intus potius.* Casina, *quod futurum est intus, hic memorabimus.* Cistellar. *intus conficient negotium.* Persa, *I intro, amabo, ad cœnam.* Terent. Andria, *intus despondebitur, intus transigetur.* et alibi non raro. vid. Serv. Æneid. VI. versu *exin bella viro.* et Jun. Philarg. Georg. 3. L.

Juno Lucina fer opem] Est vox conflictantium partus doloribus et Dianæ opem invocantium, quæ sub Junonis Lucinæ nomine partui præesse putabatur. v. Ad. III. 4. 41. et Horat. in Carm. sæcul. v. 13. De formula *serva me* v. Brisson. de formulis I. p. 69. R. D.

16 *Hui, tam cito?*] *Tam cito*, ut facilitatem partus ostendat incredibilem. *Tam cito*, ad reprehensionem. *Ridiculum*] Ad irrisionem et inspice, *ridiculum* adverbium sit, an nomen; ut sit, *vide hominem ridiculum*, sed adverbium est magis. D.

17 *Non sat commode divisa sunt*] Confusa sunt tibi omnia, inquit: nec unumquodque suo tempore geritur. qua re proderis. *Non sat*] non satis. *Divisa sunt*, digesta et composita, et distributa. *temporibus*] id est, per tempora. D.

Non sat commode divisa sunt] Non bene, inquit, hæc divisistis, nec bene temporibus tradidistis. Quasi Davi consilio ista completa sunt, ut cum senex ante hostium staret, tunc continuo pareret puella. E.

Commode] I. e. apte, perite, scienter. Heaut. prol. v. 14. *quantum ille potuit cogitare commode.* Hec. I. 2. 33. *nunquam tam dices commode.* R. D.

18 *Mihin'?*] Adhuc Davus non percipit; et bene. quasi dicat, cum ille loquatur, illæ agant. D.

S. Num immemor es discipuli? D. ego, quid narres, nescio.

S. Hiecine me si imparatum in veris nuptiis
Adortus esset, quos mihi ludos redderet?
Nunc hujus periclo fit: ego in portu navigo.

Divisa temporibus] Res temporibus dividere est ita describere, ut suo quæque tempore geratur. Just. præfat. *ea omnia Pompeius divisa temporibus et serie rerum digesta composuit.* R. D.

19 *Num immemores discipuli?*] Discipuli Mysis, Lesbia, et Pamphilus, omnes per quos agitur fallacia. Bene ergo discipulos imperitos ostendit, et magistrum Davum. quia supra dixit, *tum si quis magistrum cepit ad eam rem improbum. Num immemor es discipuli?*] Alii hic Pamphilum significari putant discipulum: quia Davus magister. Nam nomina ad aliquid (intelligit relata et correlata logicorum) sunt, discipulus et magister. Et tunc *discipuli*, genitivus est singularis casus. Alii nominativi pluralis putant: ut discipulos dixerit, omnes per quos agitur fallacia, secundum illud, *tum si quis magistrum cepit ad eam rem improbum. Num immemor es discipuli*] Deest, *nunc*. Et bene *discipuli*: quia ipsum magistrum supra fecit. *Ego, quid narres, nescio*] Quasi fabulam. *Ego, quid narres, nescio*] Semper ita respondet Davus seni, tanquam non intelligat, quid loquatur. D.

Num immemor es discipuli] Supra enim dixerat, *si quis magistrum ceperit ad eam rem improbum.* Atque ita est sensus hic: num quidnam tu es immémor discipuli tui, hoc est, Pamphili. Et est argumentum a majore ad minus. E.

Lego cum Donato *immemores*. Altera lectio, quam posuit Donatus et expressit Faernus, *immemor es discipuli*, sc. Pamphili, plane inepta est. B.

Immemores edidit Sandby. Z.

Immemores discipuli] I. e. Mysis, Lesbia, Glycerium, Pamphilus obliti sunt præceptorum tuorum nec partes ita agunt, ut illos docuisti. Hæc loquendi ratio a scena ducta est; nam poetæ est *docere*, histrionum *discere* fabulam. v. Hec. prol. II. 10. 48. et interpretes. R. D.

20 *Hiecine me si imparatum*] Redit ad illam sententiam, *simul sceleratus Davus, si quid consilii habet, ut consumat nunc, cum nihil obsint doli.* D.

21 *Adortus esset*] *Adortus* dicitur, qui ex insidiis repente invadit. dictum ab eo, quod corpora aggredientium exsurgant subito atque increscant. *Adortus*] aggressus. Omnia hæc ex translatione (*tranquillitate*, Ms. Bœnd. et ed. Du B.) maris dicta sunt μεταφορικῶς. (Corrupta lectio et mutila. Excidit haud dubie nota Donati ad illa: *ego in portu navigo.* Cujus notæ hæc est lacinia.) D.

Adortus esset] *Adorior*, id est aliquam rem incipio, facit præteritum *adortus sum*. sin vero significat, loqui incipio, *adorsus sum*. Ponuntur tamen pro se invicem. E.

Lege, *quos* ME *ludos redderet?* ut Plautus sæpe *ludos me facitis*. Sed *mihi ludos reddere*, ne latine quidem dici existimo. B.

Quos mihi ludos] Bentl. corrigit egregie *quos me ludos redderet; reddere* est facere Ad. IV. 1. 18. *Ludos aliquem reddere* significat *omnium ludibrio aliquem exponere* Plaut. in Aulular. II. 2. 75. *quem senecta ætate ludos facias* in Bacchidib. V. 1. 4. *pudet hoccine me ætatis ludos bis factum esse indigne.* v. Duker. ad Sueton. Domitian. c. 4. R. D.

22 *In portu navigo*] Mea, inquit, consilia ita sunt, quemadmodum navis in portu. E.

In portu navigo] I. e. extra periculum sum. Plaut. in Mercator. IV. 8. 49. *res est in portu.* v. Erasmi adag. R. D.

ACT. III. SCENA II.

LESBIA. SIMO. DAVUS.

ADHUC, Archillis, quæ adsolent, quæque oportet
Signa esse ad salutem, omnia huic esse video.
Nunc primum fac, istæc ut lavet: post deinde,

1 *Adhuc Archillis*] In hac scena specta, quam scite expressa sit consuetudo medici, vel medicæ egredientis ex ægri domo. Nam veniens, de negotiis ejus loquitur: abiens, de morbo. et hæc sunt præter οἰκονομίαν, quæ dicuntur εὑρήματα. *Adhuc Archillis*] Sic veteres scribebant *adhuc*, quando incerti futurarum rerum, ex præsentibus firme nunciabant (Ms. Hulst. *firma intimabant*. Fortasse, *futura nunciabant*: quod est genus certissimæ promissionis et cautæ. *Adhuc Archillis, quæ adsolent, quæque oportet*] Medicina aut in ratione, aut in consuetudine, aut in exemplis. *Adsolent* ergo, consuetudinis est: *oportet*, rationis. D.

Adhuc, Archillis] Hæc scena ad horrorem cumulandum videtur adjecta, ut Lesbia obstetrix domo egrederetur, et quæ essent intus facienda, de via mandaret. Et quoniam in primo partu gravis semper dolor est, dicit puellam non debere esse sollicitam: quippe omnia signa, quæ ad salutem esse possunt, integra permanere. E.

De orthographia *Archillis* v. supra 1. 4. 1. B.

2 *Signa ad salutem esse*] Deest hærentia, aut pertinentia. sic in Heautontimorumeno, *atque hæc sunt ad virtutem omnia*. Ergo absolute dixit, ut desit aliquid tale. unde et nos dicimus, *quid ad rem?* vel *quid ad me?* D.

Signa esse ad salutem, Donatus, et omnes Faerni et mei habent libri. B.

Signa ad salutem] I. e. signa salutaria quæ salutem promittant. in Heaut. I. 2. 33. *ea sunt ad virtutem omnia* i. e. ad virtutem apta vel idonea. Cæsar de B. C. III. 101. *quæ sunt ad* incendia. R. D.

3 *Nunc primum fac istæc ut lavet*] Imperitiæ notantes Menandrum, aut Terentium, ipsi ultro imperiti inveniuntur: nam et ille λούσατε αὐτὴν dicens, a consuetudine non recessit. Cum lavisse, aut non lavisse dicimus, a parte totum significantes. Et Terentius propius ad significationem accessit, *istæc* dicendo, ne pudenda nominaret. Et sunt qui adhuc Archillis correptionem esse nimium sollicitæ nutricis putent: quod ego non probo. *Fac istæc ut lavet*] *Istæc* quæ ex puerperio sordebant. Quidam *istæc*, ipsam puerperam dicunt. sic enim et Menander λούσατε αὐτὴν ΥΤΙΣΑ (τάχιστα legebat Is. Casaubonus. Alii ἥδιστα.) sed imperitiæ accusantur, quod non continuo solent post puerperium lavare, sed diebus omissis. D.

Nunc primum fac ista ut lavet] Ea quæ peperit, medicinæ ratione ad lavacrum compellitur, ut dolor desinat. Sed melior sensus est, *nunc primum fac ista ut lavet*] Ut illa scilicet, quæ immunda sunt sanguine parturientis, laventur. Et puerum enim et puerperam, post partum statim aqua tepenti perfundi, placet physicis: puerumque genitali alvo profusum, si nimium frigus exceperit, vix ad vitam evadere. Cujus rei exempla sunt vitrea vasa, quæ temperata mutatione fornacum frigus assuescunt: si statim refrixerint, franguntur. E.

Deleo *ut*, ut pes creticus servetur, aut si quis *ut* retinere malit; legat cum veterrimo cod. *fac ista ut*. B.

3 *Lavet*] I. e. lavetur. *Lavare* sæpe per ellipsin pronominis eadem signifi-

Quod jussi ei dare bibere, et quantum imperavi,
Date: mox ego huc revertar.
Per ecastor scitus puer natus est Pamphilo.
Deos quæso, ut sit superstes, quandoquidem ipse'st ingenio bono;

catione dicitur, qua lavari. v. Voss de analog. III. 3. R. D.

Post deinde] Hæc adverbia aliquando per pleonasmum junguntur. Cic. ad Attic. II. 23. R. D.

4 *Quod jussi ei dare bibere, et quantum imperavi, date*] Consuetudine magis, quam ratione dixit, pro, *date ei potionem*. Lucilius in sexto: *date bibere summo* (Lindenbr. mavult, *date bibere e summo*. Douza ad Lucil. V. 21. *date bibere ab summo*). Nam duo verba activa, nullam habent significationem sine nomine, aut pronomine: ut si dicas, *dic facere*. *Quod jussi ei dare bibere, et quantum imperavi, date*] Et qualitatem, et modum rei dixit. D.

Quod jussi dari] Utique hoc ad dolores continendos datur. et hic nescio quin medicinæ intelligitur. E.

Dare bibere] Rectius quod in Ms. *dari bibere*. ut G. Fannius apud Charis. lib. I. *Domina ejus ubi ad villam venerat, jubebat bibere dari*. L.

Lectio *dari bibere*, quam in Vaticano et Decurtato reperit Faernus, et ego in septem e nostris, haud dubie, ut Bacchiacorum modi et leges serventur, est præferenda. B.

Jussi et imperavi] Jubere et imperare proprie dicuntur medici cum remedia præscribunt. Ovid. epist. XX. 132. *medicorum jussa ministro*, ubi v. Burmann. Obstetrices medicorum officio fungebantur apud puerperas. v. legem I, §. 2. de extraordinar. cognitionib. R. D.

Dare bibere] Pro *dare potum*, infinitiv. pro substantivo. Plaut. in Persa V. 2. 40. *bibere da* Cic. Tusc. quæst. I. 26. *ut Jovi bibere ministraret*. Gronov. ad Liv. XXXVI. 33. et Donat. ad h. l. R. D.

5 *Mox ego huc*] Vide ut auctoritatem et jactantiam medicorum imitetur, dicendo, quod jussi. et non sufficiebat; sed etiam, *imperavi*, dixit. simul hæc, quæ solent medici promittere frequenter, *mox ego huc revertar*. D.

Donatus, nonnulli codd. Faerni, et ex nostris meliores recte legant *revertor*. B.

6 *Per ecastor scitus puer natus est Pamphilo*] Per Castorem et Pollucem ornativa sunt jurandi, apta feminis. *Scitus*] Elegans, pulcher, quem Græci κόσμιον dicunt. Quod enim quis scit, hoc scitum et pulchrum. Et est διαίρεσις. Nam ordo est, *perscitus ecastor*. ut in Hecyra, *per pol quam paucos reperias meretricibus fideles evenire amatores*. ut sit, per quam paucos. Et, *natus est Pamphilo*: ut Virgilius Æn. I. 617. *quem Dardanio Anchisæ Alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad undam*. *Scitus puer*] Satis obstetrici est adhuc incertum ævi, et, ut ita dicam, a matre sanguinolentum, non pulchrum, quod ipsum nimium videretur cito, dicere, sed scitum pronunciat. Ideo subblanditur, ut operæ pretium majus accipiat. D.

Per ecastor] Juratio est per Castorem. *Scitus puer*] Id est, elegans et admodum suavis: vel *perscitus*, id est, valde bonus. E.

Per ecastor scitus] Priscian. lib. XIV. L.

Percastor scitus puer est natus Pamphilo, habent omnes fere codd. Terentii et aliqui Donati, quos consuluit Faernus: sed Vaticanus, et omnes præter unum nostri *perecastor*. Lege, per ecastor. Nam *per* pertinet ad *scitus*, h. e. valde scitus. B.

Per Castor scitus] *Per* conjungendum est per tmesin cum *scitus*, ut sit *perscitus* i. e. valde pulcher. in Phorm. I. 2. 60. *satis scita est*. v. Festum voce *scita facie*. De illa etiam tmesi. v. Bentl. ad II. 6. 24. R. D.

7 *Deos quæso ut sit superstes*] *Super-*

Cumque huic veritus est optumæ adolescenti facere injuriam.

S. Vel hoc quis non credat, qui norit te, abs te esse ortum? D. Quidnam id est? 9

S. Non imperabat coram, quid opus facto esset puerperæ? Sed postquam egressa'st, illis quæ sunt intus, clamat de via.

O Dave, itan' contemnor abs te? aut itane tandem idoneus

Tibi videor esse, quem tam aperte fallere incipias dolis?

stes nunc salvus. alias *superstites* sunt sedes et anus: quia ætate multis superstites, jam delirant. Unde et *superstitiosi*, qui deos timent nimis. quod signum est deliramenti. *Ut sit superstes*] *Superstes*, nunc salvus. *Quandoquidem ipse est*] *Quando* et *cum* interdum sunt conjunctiones causales. et *quando* pro quoniam, et pro quia intelligimus. *Quandoquidem ipse*] Transit a puero ad ipsum Pamphilum. D.

Quando quidem ille est ingenio bono] Ut mereatur filius superstes esse. E.

Sit superstes] Scilicet pater, usitata formula bene precandi recens natis. Ad. III. 1. 11. *salvus nobis Deos quæso ut sit.* Piorum etiam parentum votum erat, ut liberi probi essent superstites, in Heaut. V. 4. 7. *ita mihi atque huic sis superstes.* R. D.

8 Lege ex cod. Petrensi *cumque huic est veritus*, metri causa. E.

Cumque] Sæpe veteres particula *cum* utuntur, ubi vulgus *quod* ponit. in Ad. V. 6. 9. *bonus es cum hæc existimas.* v. Gron. ad Statii Thebaid, II. 417. R. D.

9 *Vel hoc quis non credat?*] Εἰρωνία est. *Vel*, modo est disjunctiva conjunctio, sed pro *etiam* posita. ut apud Virgil. Æn. XI. 259. *vel Priamo miseranda manus.* Et. Ecl. VIII. 69. *Carmina vel cœlo possunt deducere lunam.* Et bene, *vel hoc*, subaudias, exceptis illis quæ reprehendit supra. *Abs te esse natum*] Et *ortum* legitur, ut sit, instructum, commentum, et compositum. D.

Nostri omnes et vett. edd. *qui te norit.* recte. E.

10 *Non imperabat coram*] *Coram*, ad certas personas refertur: *palam* ad omnes. *Quid opus facto esset puerperæ*] *Esset*, impersonative dicitur, *opus facto esset*, (Lege, OPUS FACTO ESSET. *Impersonaliter dicitur.* Mox ἀπὸ κοινοῦ, PUERPERÆ. *Dativus casus est,*) *Puerperæ*] Dativus casus est, ut sit, ipsi puerperæ coram non imperabat, quid facto opus esset scil. Sic enim dicimus, *quid vis tibi faciam? Puerperæ*] Omnis quæ peperit, *puerpera*: πρωτοτόκος, quæ primum. Et non quod puerum, sed quod filium peperit, *puerpera* dicta est. Et apud veteres *puer puellus*, *puera puella.* D.

Non imperabat] Quod facto opus esset puerperæ. Argumentum est quo doceat, ab Davo ista universa compleri. *Puerpera* autem dicitur, quæ recens est partu: et a muliebris sexus parte nomen impositum est. Nam utique et puellam et puerum pariens dicitur *puerpera*, quanquam et antiqui *puellam*, *pueram* sæpe dixerunt. E.

11 *Illis quæ sunt intus*] Argumentum ex eo quod non factum est, cum fieri potuerit: et ex eo quod factum est, cum fieri non oportuerit. *Clamat de via*] Mire *clamat*, quasi dicat, maluit clamare, quam sine labore intus imperare. D.

12 *Itane contemnor abs te?*] Hoc est, usque adeone contemnor? valde contemnor? *Temnor* autem, Græcum

Saltem accurate: ut metui videar certe, si resciverim.
D. Certe hercle nunc hic se ipsus fallit, haud ego. S. Edixin' tibi? 15
Interminatus sum, ne faceres: num veritus? quid retulit?
Credon' tibi hoc, nunc peperisse hanc e Pamphilo?
D. Teneo, quid erret: et quid agam habeo. S. Quid taces?

est, id est *cædor* et *rejicior*, τὸ ῥίμπομαι. Nam veteres *temno* dicebant sine propositione. *Itane tandem idoneus*] Indignatio est ad æstimationem revocantis ejus dicta vel facta, a quo contemnitur quis. *Idoneus*] Aptus et ei rei natus. D.

Tandem] In interrogationibus habet vim vehementius instandi Hec. IV. 4. 61. *itane tandem uxorem duxit Antipho.* Phorm. II. 3. 26. *ain tandem.* v. Drak. ad. Liv. III. 9. R. D.

13 *Aperte fallere*] Δύο δὶ ἑνὸς, et fallere, et aperte. D.

Ex consensu codd. lege. *tibi videor esse:* alioqui non staret octonarius. B.

Fallere incipias] I. e. fallas. Sæpe utriusque linguæ scriptores verbis incipiendi, adgrediendi, conandi, non mollitiem rei, sed rem factam indicant. Catull. Carm. 82. *quem tu diligere incipe-res* i. e. ut bene explicat Scaliger, *quem tu diligeres.* Cæs. de B. G. VII. 57. *nostros transitu prohibere instituit* i. e. prohibuit. infra V. 1. 2. *satis pericli cepi adire* i. e. adii v. Isaac. Casaubon. ad Lucæ evang. I. 1. et Markland. ad Ciceron. (Remarks on the Epistles of Cicero to Brutus, &c.) p. 28. R. D.

14 *Saltem accurate*] Mire *saltem:* quod ponitur in desperatione rerum. primo enim fuerat hortatus Davum, ut non conaretur fallere. *Saltem accurate*] Ζεύγμα a superiore, *fallere incipias.* aut certe σύλληψις *fallere incipias. Certe si resciverim*] Et utrum pro cum resciverim: an quia stultum me putas? D.

Saltem accurate] Ita me, inquit, dolis debes fallere, ut in omnibus actibus videar a te timeri. Et est figura antisagoge, proposita superius epimore. *Certe si resciverim*] Scilicet, puniam te: quod per iram dicere non potuerit. R.

15 *Certe hercle nunc hic se*] Hoc ita dicitur, ut audiat spectator, non ut Simo. *Edixin' tibi?*] Hic illud reddit, *edico tibi ne temere facias.* D.

Edixin' tibi?] Abhinc est ἐπιτρεχασμὸς. R.

Lege *edixi tibi*, sine interrogatione. B.

Se ipsus] Notandum est pronomen *ipse* aliis pronominibus adjunctum plerumque in alio casu et fere in nominativo poni. Immo Græv. ad Cic. de offic. III. 15. scribit, eos, qui utrumque pronomen eodem casu ponant, corrupte loqui. Alii tamen utramque loquendi formam probant, ut Manut. ad Cicer. epist. ad Div. VII. 1. De hac re eleganter more suo disputat Duker. ad Flor. III. 18. p. 643. R. D.

Edixi] *Edicere* est verbum eorum qui imperandi potestatem habent, unde *edicta* vocantur eorum jussa. in Hec. IV. 1. 50. *edicam servis ne quoquam efferri sinant.* v. Bentl. ad I. 1. 33. R. D.

16 *Interminatus sum*] Pro minatus sum. Plautus in Aulularia III. 6. 22. *præterea tibicinam, quæ mihi interbibere sola, si vino scateat, Corinthiensem fontem, et Pyrenæum potest. Num veritus?*] *Veretur* liber, *metuit* servus. et deest *es:* apta ellipsis irascenti. Alibi, *non simultatem meam revereri? Quid retulit*] *Retulit*, profuit, vel interfuit: et producit *re* syllabam. et est sensus: sic contemsisti, quasi tibi non comminatus sim. D.

Quid retulit] Hoc est, quid profuit me ante dixisse. supra enim: *neve tu dicas tibi non prædictum, cave.* R.

Lege *veritu's*, h. e. veritus es. B.

D. Quid credas? quasi non tibi renunciata sint hæc, sic fore.

S. Mihine quisquam? D. Eho! an tute intellexti hoc assimulari? S. Irrideor.

D. Renunciatum'st: nam qui istæc tibi incidit suspicio?

S. Qui? quia te noram. D. Quasi tu dicas, factum id consilio meo.

S. Certe enim scio. D. Non satis me pernosti etiam, qualis sim, Simo.

S. Egone te? D. Sed si quid narrare occepi, continuo dari

Quid retulit] I. e. quid profuit, quem fructum inde cepi in Phorm. IV. 3. 41. *parvi retulit non suscepisse* Plaut. in Epid. I. 2. 30. *quid retulit mihi tantopere te mandare.* v. Heins. ad Ovid. epist. VI. p. 137 R. D.

17 Interpunge post *nunc.* B.

18 *Teneo quid erret*] Hoc dixit, non ut Simo, sed ut spectator audiat. hoc denique senex probat dicens Davo, *quid taces? Et quid ego agam, habeo*] Et quid respondeam scio. D.

Teneo quid erret] Intellexit Davus mulierum consilium hoc senem suspicari, quod illæ ad terrendas nuptias videantur ista simulare. Idcirco vult commendare consensum, quo domino suo error augeatur. R.

Aliorum *ego* ante *agam* est contra codd. B.

Habeo] *Habere* aliquis dicitur, quod ingenio suo invenit. v. Donat. ad Eun. III. 2. 22. et Burmann. ad Phædr. IV. 12. R. D.

19 *Quid credas?*] Propter quid, aut propter quam rem, aut quo modo, aut propter quid. *Quid credas?*] Repetit verbum ejus quod ait, *credon'?* quare adjuvandum pronunciatione est. *Quasi non tibi renunciato*] Nunciata: compositum pro simplici. D.

Lege *tibi siet renunciatum, hæc sic fore*, ob sententiam et V. 21. B.

20 *Mihin' quisquam?*] Favet sibi senex in eo, quod se vult perspicaciorem videri. *Eho an tute*] *Eho* modo interjectio est admirantis, alias ad se vocantis, *ehodum ad me.* D.

Aptius erit, si reponas, *min' quicquam?* sc. renunciatum est? B.

21 *Nam qui*] *Qui*, unde. D.

Incidit suspicio] Ita Ms. et Priscian. lib. 15. al. *suspectio.* L.

Ne recipe *suspectio* pro *suspicio*, contra omnes codd. Nam versus est salvus, dummodo pro *istæc tibi* reponas *tibi istæc.* B.

22 *Quasi tu dicas*] *Dicas*, pro credas. Non enim dicimus, nisi quod credimus: ab eo quod sequitur, id quod præcedit: figura μετάληψις, a posterioribus ad priora. Idem alibi (Hæc frustra in Terentio quæsieris. Nec de comœdia deperdita fas est suspicari. An ante hæc verba exciderunt nomen et sententia alterius auctoris? Neque id satis audacter dixerim. Quæ enim sequuntur, Terentiana sunt. Phor. III. 2. 8.) *audacter dicito.* Et alibi, *fœneratum istud beneficium pulchre tibi dices*, id est credes, scies, senties. D.

23 *Etiam qualis*] *Etiam* pro adhuc. ut Virgilius, Æn. VI. 485. *Idæumque, etiam currus, etiam arma tenentem.* D.

Rotundius et verius sic: *non satis pernosti me etiam.* B.

Certe enim] *Enim* hic abundat ut in Ad. V. 5. 22. v. Virgil. Georg. III. 70. et Sp. Servium. R. D.

24 *Egone te?*] Duobus istis prono-

Tibi verba censes. S. Falso. D. Itaque hercle nihil jam mutire audeo.

S. Hoc ego scio unum, neminem peperisse hic. D. Intellexti?

Sed nihilo secius mox deferent puerum huc ante ostium. Id ego jam nunc tibi renuncio, here, futurum, ut sis sciens.

minibus ostendit se senex scire omnia *Sed si quid narrare occepi*] *Occepi* melius, quam *incepi*. dicitur ab occipio: est enim *occepi*, quasi caput rei instituti. D.

Metri et sententiæ gratia lege *ego non te?* Nam Davus dixerat: NON *satis pernosti me*. Cæterum plane inutile est *tibi*, quod nostri codd. habent ante *narrare*. B.

25 *Falso*] Potest et ψευσῶς *falso* pronunciari: potest et, falso loqueris, dici. ut Sallustius Jug. I. *falso quæritur de natura sua humanum genus*. Et vocalitatis causa sic dixit, ut *sedulo, optato, certo:* quasi sedule, optate, certe. *Nihil jam mutire audeo*] Ennius, *nec dico, nec facio*. Unde et *mutos* dicimus. quod Græci φθέγγεσθαι. D.

Illud *falso* quanquam omnes libri tribuunt Simoni: cum tamen persona hominis sit indignum, ipsi Davo quoque adscribendum puto. cf. Heaut. II. 2. 27. Hec. V. 2. 11. B.

Nihil jam mutire audeo] H. e. ne *mi* quidem dicere audeo. *Mi* est ille sonus quem solum muti edere possunt. v. Varron de lingua lat. in Hec. V. 4. 25. *neque opus est adeo mutito;* hinc duplex frequentativum *mussare et mutitare, quod* significat suppressa voce loqui, quod celatum velis Liv. VII. 25. *mussantesque inter se rogitabant* ubi. v. Drakenb. Terent. in Ad. II. 1. 33. *accipienda et mussitanda injuria est* i. e. tacite ferenda et dissimulanda. R. D.

26 *Neminem peperisse hic*] *Neminem* dicendo, majorem confirmationem fecit, non solum Glycerium non peperisse, sed etiam neminem. Et *hic* dicendo ostendit domum. Et est *neminem*, nullum hominem. Et nota in feminino genere etiam *neminem* positum. D.

Hoc ego scio] Priscian. lib. VI. L. Bentleius *intellexti* sine interrogatione. Z.

Neminem] Notandum *neminem* fœminino genere poni. Sic Plaut. in Cas. II. 2. 12. *vicinam neminem amo merito magis quam te.* Sic *homo* fœm. gen. ponitur in Servii Sulpicii epist. ad Ciceron. *quod homo nata fuerat.* v. Voss de analog. I. 15. et Bentl. ad II. 2. 27. R. D.

27 *Mox deferent puerum*] Quasi dicat, *nobis*. D.

Nihilo secius] Pro, *nihilominus deferent, huc puerum ante ostium*, quo facile et de præterito Davus admonuisse dominum declaret, et ut opinionem a se amoveat. E.

Ne *puerum* in Thesi absorbeatur, colloca *mox puerum huc deferent*. B.

Nihilo secius] I. e. neque eo minus. Nep. in Miltiade c. 2. *neque eo secius Athenienstibus officia præstabat.* Cæterum *nihilo secius* et *nihilo segnius* perpetuo confunduntur, quæ sic discernenda sunt, ut, ubi de studio et alacritate sermo est, *nihilo segnius* locum habeat, in cæteris *nihilo secius*. De hoc discrimine v. Heins. ad Ovid. Metam. II. 809. ad Virgil. Æneid. IX. 441. et Oudendorp. ad Cæsar. de B. C. II. 8. R. D.

28 *Id ego jam nunc tibi renuncio*] Fingit se prodere, quod ipse facturus est: ut non credat senex ab eo fieri, quod prædixerit fore. *Id ego jam nunc tibi renuncio, here, futurum*] *Re* syllaba, apud veteres interdum abundat; ut modo *renuncio*, pro nuncio. et Cicero, *renunciatur mihi. Renuncio*] Quasi secretum consilium: ut supra, *renunciatum est*. D.

Ordo codd. et vett. edd. melior est,

Nec tu hoc mihi posterius dicas, Davi factum consilio, aut dolis.
Prorsus a me opinionem hanc tuam esse ego amotam volo.
S. Unde id scis? D. Audivi, et credo, S. Multa concurrunt simul,
Qui conjecturam hanc nunc facio. jam primum hæc se e Pamphilo

tibi, here, renuncio, adde *esse,* ut III. 5. 16. B.

Ut sis sciens] Hoc more, quem apud optimos quosque scriptores Latinos invenimus, dicitur pro *ut scias.* Plaut. in Curcul. II. 3. 13. *quos semper videas bibentes in thermopolio.* Cic. de divinat. I. 25. *est apud Platonem Socrates dicens.* Manil. V. 388. *has erit et similes tribuens olor aureus artes* v. Buchner de commutata ratione dicendi p. 326. et interpretes ad Auctorem de B. Hispan. c. 29. Terentium imitatur Lactant. III. 5. R. D.

29 *Davi factum consilio aut dolis*] Commodius, et magis cum invidia dixit, *Davi,* quam si *meo* dixisset: ut Virg. Æn. XII. 11. cum Turnus incusaretur, dixit, *nulla mora in Turno.* D.

Tolle *mihi* versus gratia. B.

30 *Prorsus a me*] *Prorsus,* quasi porro versus: quod Græci μακρὰν dicunt. *Prorsus a me*] Quidam *prorsus,* pro quare positum putant. Ego pro eo quod est omnino. Sunt qui conjunctionem velint esse. *Opinionem hanc tuam*] *Hanc tuam,* cum tædio dixit, hoc est nimis molestam, nimis suspicacem, nimis accusatricem. Sic dixit *hanc tuam,* ut ille de apibus, Virg. Georg. IV. 22. *vere suo.* Et Æn. VI. 641. *solemque suum, sua sidera norunt.* Et in Adelphis, *jam vero omitte, Demea, tuam istam iracundiam.* D.

Opinionem hanc tuam] I. e. tibi suspiciosissimo seni propriam. Est igitur emphasis in pronomine *tuam.* His autem possessivis non utendum est, nisi ubi sententiæ pondus addant. R. D.

31 *Audivi, et credo*] Locus communis, an famæ credendum sit. Et bene subjunxit, *credo:* non enim audisse, statim credere est. *Multa concurrunt simul*] Restat enim, ut multis concurrentibus signis, una conjectura conficetur. D.

Audivi, inquit, conscius non sum, qui auditu ista cognovi. Sed incipit quæstio per locum communem, an a me credendum sit: adjungit argumenta ex pluribus rebus, et *credo. multa* inquit, *concurrunt.* Quia argumenta colligit ex factis præcedentibus, et dictis, quod gravidam se mulier esse dixerat. Colligit tamen easdem hoc esse facturas, ut puerum ante hostium ponant, siquidem obstetrix jam videtur esse arcessita. Objicitur rursus Davo, cur non hoc, cum expositionem argumentis collegisset, continuo non dixerit Pamphilo. Et hic similiter quasi reus efficitur negligentiæ. At hoc conjecturaliter refutatur, et utitur testimoniis, post fit argumentum a persona, quod ille est filius, ille servus, ut de redhibendo fidem filio nihil restare autumet, nisi ut Chremetem oret. E.

Bentleius, Dacieria, Sandby et alii verba, *multa concurrunt — moventur nuptiæ,* tribuunt Davo. recte. Nam quæ hic dicuntur, Simoni non conveniunt, et a contextu abhorrent. Z.

32 *Jam primum hæc se e Pamphilo gravidum dixit esse: inventum est falsum*] Secundum quod credit senex. Et a summo ad imum, et ex factis, et ex dictis, et ex rebus atque personis sumit argumenta. D.

Jam primum hæc] Mss. *jam prius hæc.* L.

Gravidam dixit esse: inventum'st falsum. nunc, postquam videt
Nuptias domi apparari, missa'st ancilla illico
Obstetricem arcessitum ad eam, et puerum ut afferret simul.
D. Hoc nisi fit, puerum ut tu videas, nihil moventur nuptiæ:
S. Quid ais? cum intellexeras,
Id consilii capere, cur non dixti extemplo Pamphilo?
D. Quis igitur eum ab illa abstraxit, nisi ego? nam omnes nos quidem
Scimus, quam misere hanc amarit. nunc sibi uxorem expetit.
Postremo id mihi da negoti: tu tamen has nuptias

34 *Postquam videt nuptias domi apparari.* Eleganter omisit, in cujus domo. *Missa est ancilla illico*] Quod Græci dicunt αὐτόθεν ἐστίφθη. Nam loci significatio est, etiam brevitatem temporis notans. D.

36 *Nihil moventur nuptiæ*] Non perturbantur nuptiæ. *moventur*, differuntur. D.

Lege *hoc ni fit, tu puerum ut videas.* B.

Nihil moventur nuptiæ.] Donatus interpretatur: non differuntur nuptiæ. Sic infra. IV. 2. 28. *quantum huic promoveo nuptias* i. e. efficio, ut differantur. Sed melius est exponere: nihil eorum quæ ad nuptias pertinent, mutabitur. Nam *moveri* dicuntur, quæ non manent firma, quæ mutantur. Cic. Philipp. I. 7. *sed non muto, non moveo.* Liv. XX. 16. *nulla providentia fatum imminens moveri potuit.* R. D.

37 *Quid ais? cum intellexeras id consilii capere*] Quaqua se verteret Davus, obvium infestumque invenit senem: et tamen ita versute it obviam, ut etiam comprehensus elabatur. D.

Ut sit dimeter iambicus acatalectus, lege, *quid ais? ubi intellexeras.* B.

38 Cum Terentii ævo et diu post *consili* dicerent: lego hic *consilium.* Sic habent omnes nostri codd. præter unum. B.

39 *Quis igitur eum ab illa abstraxit?*] Non frigide intulit, dixisse se: sed cum magna asseveratione. et *abstraxit* proprie, ut supra, *me a Glycerio miserum abstrahat?* et Virg. Æn. II. 434. *divellimur inde Iphitus et Pelias mecum. Quis igitur eum.*] Hoc sic audiendum est (Ms. Hulst. et edd. vett. *hoc subaudiendum est.*) quasi dicat, *dixi.* D.

40 *Misere hanc*] *Misere*, valde, nimis. *Nunc sibi uxorem expetit*] Oratorie, pro eo quod est, non recusat, *expetit.* D.

Collocа verba ita: *scimus, hanc quam misere amarit.* ut Heaut. I. 2. 16. Adelph. IV. 5. 33. B.

Misere] *Misere* est valde, vehementer, quod frequens est hac notione apud Comicos in Heaut. I. 2 16. in Ad. IV. 1. 6. R. D.

41 *Id mihi da negotii*] De projectione pueri pro foribus. *Id mihi da negotii*] Ut caveatur ab appositione pueri ante ostium. *Tu tamen idem*] *Idem* abundat. Apud veteres, *tamen idem*, integrum fuit. unde apud nos, *tandem*, et *tamen* natum est. sic et *idem* et *eo-*

Perge facere ita, ut facis: et id spero adjuturos deos.
S. Imo abi intro: ibi me opperire, et, quod parato opus
est, para.
Non impulit me, hæc nunc omnino ut crederem.
Atque haud scio, an, quæ dixit, sint vera omnia:
Sed parvi pendo: illud mihi multo maximum'st,
Quod mihi pollicitus'st ipsus gnatus. nunc Chremem
Conveniam: orabo gnato uxorem: si impetro,
Quid alias malim, quam hodie has fieri nuptias?
Nam gnatus quod pollicitus'st, haud dubium'st mihi,
Si nolit, quin eum merito possim cogere.
Atque adeo in ipso tempore eccum ipsum obviam.

rundem dictum. *Tu tamen idem*] *Tamen idem*, aut pro tamen positum est, aut pro tandem: ut sit, *tu tandem has nuptias perge facere, ita ut facis.* D.

Lege, *postremo id da mihi negoti.* ut Prol. v. 2. B.

42 Recentes Faerni codd. et unus tantum e ostris habent *adjutores.* Male. B.

43 *Quod parato opus est*] Diserte et Latine dixit, *quod parato opus est.* D.

44 *Non impulit me, hæc nunc omnino ut crederem*] *Non impulit*, non persuasit, non perfecit, ut crederem Glycerium peperisse. Et cum dicit *omnino*, ostendit quædam se credidisse, in quibusdam jam (*tamen* uterque liber) esse circumventum. Mire autem cautum capi inducit senem, ut crederet, quod Glycerium non peperisset. D.

45 *Quæ dixit, sint vera omnia*] Quæ postea dixit Davus. Et bene *omnia*: ut appareat senem multa credere vera esse, quæ Davus dixerit. D.

Haud scio an] Hic dubitandi significatione dicitur, sed plerumque in specie dubitationis, affirmandi significationem habet. Cic. de Offic. III. 2. *quod eum omnibus est faciendum—haud scio an nemini potius quam tibi* i. e. fortasse tibi inprimis. v. Duker. ad Flor. III. 12. p. 603. R. D.

46 *Multo maximum*] *Multo* etiam comparativis (*superlativis* Z.) antiqui adjunxerunt. D.

47 *Quod mihi pollicitus est*] *Pollicitatio*, multarum rerum promissio. D.

Pro *ipsus*, edidit Bentl. *ipse* Z.

48 *Gnato uxorem*] Subauditur, *ut det.* D.

Alia distinctio est in cod. vetusto: *conveniam: orabo: gnato uxorem si impetro.* Placet tamen Prisciani lectio, ID *si impetro.* B.

49 (*Quid*) *alias*] *Quid* pro cur: *alias*, alio tempore. D.

Quid alias malim?] Charisius lib. 2. L.

Quid alias, h. e. cur alio tempore, repugnat sensui. Hoc enim non deliberandum est, sed optandum. Rectissime legit Horatii Schol. Acron ad Serm. I. 4. 63. *quando alias*, &c. B.

Quid alias] Ipsi veteres grammatici in h. l. *alias* capiunt pro *alia*, sed aureæ ætatis scriptores semper dicebant *alias*, ubi addendum *horas*, *aliter* pro alio modo. Græv. ad Sueton. Tiber. c. 71; et Drakenb. ad Liv. XXI. 57. Verum præstat cum Bentlei. legere *quando alias malim has nuptias fieri* i. e. quo alio tempore malim has nuptias fieri, quam hodie, ut simulatum fuit. R. D.

52 *In ipso tempore*] In ipsa opportunitate, in ipso articulo. *Eccum ipsum obviam Chremetem*] (Recte Faernus,

ACT. III. SCENA III.

SIMO. CHREMES.

JUBEO Chremetem. C. O! te ipsum quærebam. S. Et ego te. C. Optato advenis.

cui assentitur Bentleius, conjicit, a manu Donati esse *Chremen*. Nam alioqui sequentia sensum commodum non habent. Z.) Continuo mutavit declinationem: ut, *Jubeo Chremetem*. D.

Pro *obviam*, quod non modo ambiguum est, quia *ipsum* de Pamphilo accipi potest, sed et a sensu alienum, quia Simo adhuc in scena stabat, nec dum Chremen conventum ierat, lege *Chremen*, quod nonnulli codd. adjiciunt. B.

In ipso tempore] I. e. maxime opportuno tempore. Sæpe *tempus* simpliciter est tempus opportunum. Cic. ad Quint. fratr. II. *sed tempore ipso*. R. D.

1 *Jubeo Chremetem*] Hæc congressio duorum senum ad tale periculum adigit fabulam, ut id non videatur consilio, sed eventu posse vitari: qui eventus est Critonis præsentia. Nam nunc ex falsis fient veræ nuptiæ. *Jubeo Chremetem*] Firme aliquid jubere, velle est. *Jubeo* ergo, volo. et deest, *salvere*: quod exprimitur ab alterius personæ interventu. ut Virgil. Æn. V. 386. *reddique viro promissa jubebant*. Et μεταληπτικῶς: quia qui dicit salve, jubet. Volumus enim animo: Jubemus, verbis. *O te ipsum quærebam*] Placabilis et lenis amicus per totam fabulam inducitur Chremes, ut cognitioni ad ultimum interesse possit. *Optato advenis*] *Optato*, adverbium est. ut Virgil. Æn. X. 405. *ac velut optato ventis*. D.

Jubeo Chremetem] Hæc scena petitionem habet: quippe Simo redit ad Chremetem, ut filiam suum det ejus filio. Hic utique qualitatis est et deliberativæ forma: *jubeo*, inquit, *Chremetem*, id est, volo. ut Virgil. Æn. V. 386.?—*reddique viro promissa jubebant*. Convenit et Chremes, certa ratione compulsus: oportuerat enim Chremetem de Pamphilo esse sollicitum, quippe qui prior venerat, ut ei polliceretur nuptias. Non ergo sine conjectura esse debuerat, qui operam, quid ad Pamphilum pertineret, vel argumentis vel rumore cognosceret. Sed etiam nunc, cum Simo nuptias præpararet, falsas quidem, veri rumor fuit; quo debuit Chremes compelli. Sed ipse prævenit: *aliquot me*, inquit, *adierunt*. Unde pulcherrimum argumentum dedit, ut non jam rumor sit, sed pene veritas, quam ab ipso Simone auditam esse dicebat: *hodie*, inquit, *filiam meam nubere tuo nato*. Et indignationis partes exequendo ait: *viso tun', an illi insaniant*. Sed Simo petit audientiam: et principium deliberativæ: *ausculta*, inquit, *et quid egomet te velim, et tu quod quæris scies*. Deinde incipit ipsa petitio; primo a precibus, *per ego te deos oro et nostram amicitiam, Chreme*. Deinde ad ipsam petitionem; *ut nuptiæ fuerant futuræ, fiant*. Et pulcherrime insinuatione usus est, quod in admirabili genere causæ turpitudo auditori persuasa fuerat. Hic responsio datur ab utili: *si in rem est utrique, fiant, arcessi jube*. Quam quidem rem in quæstionis loco positam dissimilat, et fieri posse dicit: *iræ sunt inter Glycerium*. Ut contulisse videatur, tametsi inutiles nuptiæ sint, tamen occasio est ut utiles esse possint. E.

Jubeo Chremetem] Supple salvere, ut in Ad. III. 4. 14. *salvere Hegionem plurimum jubeo ubi Donatus annotat jubere* in hac formula significare vehementer velle, cupere. R. D.

Optato] *Optato* adverbialiter ut auspicato. IV. 5. 12. *haud auspicato huc me attuli*. R. D.

Aliquot me adiere, ex te auditum qui aiebant, hodie filiam
Meam nubere tuo gnato: id viso, tun', an illi insaniant.
S. Ausculta! paucis, et quid ego te velim, et tu quod quæris, scies.
C. Ausculto: loquere quid velis. 5
S. Per te deos oro, et nostram amicitiam, Chreme,
Quæ incepta a parvis, cum ætate accrevit simul;

2 *Aliquot me adiere*] *Aliquot*, hoc est, nec multi, nec pauci. *Adiere*, non accesserunt: quia aditus arduus difficilisque est. Ergo *adiere*, quasi importune, et interpellantes adierunt. Sic alibi, *Byrrhia quid tibi videtur? adeon' ad eum? Ex te auditum*] Ut est, *de Davo modo audivi. Ex te auditum*] Ergo non rumor, sed veritas. *Id viso*] Ob id viso. deest *te*: ut *viso*, ad videndum venio. D.

Adiere edidit Faernus. Sed omnes, quos vidi, cod. et edd. habent *adierunt*. Recte; ut illud *steteruntque comæ*. B.

Aliquot me adiere] Gronov. ad Plauti Truculent. II. 6. 21. ex Mss. legit *aliquot ad me adiere*, de qua repetitione propositionis vide notata ad II. 1. 15. R. D.

3 *Tune, an illi insaniant*] Tu insanis, si dixisti: illi insaniunt, si non audita referunt. D.

4 *Paucis*] Et *paucis*, et *pauca* legitur. *Et quid ego te velim*] A docilitate. D.

Ut iambus quaternarius staret, veteres magistri *pauca* substituerunt pro *paucis*. Sed nostri codd. omnes habent *paucis*. Totus versus sic constituendus est: *ausculta: paucis et quid te ego velim et quod tu quæris scies*. B.

Ausculta paucis] Sic potius legendum, quam *ausculta pauca*. Paucis Bentlei. jungit cum *scies* locum sic interpungens *ausculta: paucis et quid ego volo et quid tu quæris scies*, et cum *ausculta* etiam jungitur in Ad. V. 320. *ausculta paucis nisi molestum est*. R. D.

6 *Per ego te deos oro*] Ordo est, te per deos oro. ut Virg. Æn. XII. 56. *per ego te has lacrymas. Et nostram amicitiam, Chremes*] Legitur et *Chreme*. D.

Per te deos oro] Serv. Æneid. XI. 537. L.

Quinque e nostris habent *per* EGO *te deos*. repone *per te ego deos*. B.

Per te Deos oro] Eleganter Latini in precandi et obtestandi formulis inter præpositionem et casum, quem regit aliud vocabulum, interponunt, inprimis vocabula *ego* et *vos*, in quo imitantur Græcos, qui πρὸς a casu suo distinguunt interposito pronomine. Plaut. in Bacchid. IV. 8. 64. *per te obsecro Deos, immortales*. Tibull. eleg. IV. 5. 6. *tua per dulcissima furta perque tuos oculos, per geniumque rogo*, vbi v. Broukhus. Liv. XXIII. 9. *per ego te fili quæcunque jura liberos jungunt parentibus precor*. v. quæ annotavimus ad Jul. Rufinian. pag. 209. Aliquando in his formulis reticetur *oro* vel *rogo*, ut apud Lucan. X. 370. ubi v. Oudendorp. Recte vero Bentl. edidit *per te ego Deos oro*. Nam pronomen *ego* vim addit orationi; supra I. 5. 54. *quod ego te per hanc dextram oro*. R. D.

7 *Quæ incepta a parvis cum ætate accrevit simul*] Mire autem, *incepta a parvis cum ætate*, ut ostendat non nuper coitam amicitiam, sed antiquam. ut, Æn. III. 82. *veterem Anchisen agnovit amicum*. Idem alibi, Æn. XI. 537. *neque enim novus iste Dianæ Venit amor. Accrevit*] Ut supra, *accurate*. *Ad* prepositione utitur familiariter. *Accrevit*] Hinc Virgil. Ecl. X. 54. *crescente illa, crescetis amores*. D.

Accrevit] I. e. aucta est Nep. in

Perque unicam gnatam tuam, et gnatum meum,
Cujus tibi potestas summa servandi datur:
Ut me adjuves in hac re, atque ita, ut nuptiæ
Fuerant futuræ, fiant. C. Ah, ne me obsecra:
Quasi hoc orando a me impetrare oporteat,
Alium esse censes nunc me, atque olim, cum dabam?
Si in rem est utrique, ut fiant, arcessi jube.

Att. c. 10. *cum Gellio Cano adeo conjuncte vixit, ut ad extremam ætatem eorum amicitia creverit.* R. D.

8 *Et gnatum meum*] Ineptum est sic adjurare aliquem, *per salutem filii mei, ut facias id quod te rogo.* Sed huic etiam subjungit. D.

9 *Cujus tibi potestas summa servandi datur*] In tua est, inquit, potestate, et tuus est. Hæc ergo *obtestatio* dicitur, cum per eas res adjuramus aliquem, de quibus agitur causa. Ut Æn. II. 431. *Iliaci cineres, et flamma extrema meorum* Idem alibi Æn. X. 45.—*per eversæ, genitor, fumantia Trojæ Excidia, obtestor.* D.

10 *Ut me adjuves in hac re*] Atque (in Ms. Bœnd. et ed. Du B. *Atque* refertur ad textum) ipsam petitionem. D.

Lege cum cod. regio, *atque ita uti.* B.

11 *Uti nuptiæ fuerant futuræ, fiant*] Breviter et Latine. Et hoc genus compositionis veteres non mutabant. *Ne me obsecra*] * τω ελπιCμON Mh λιTANEK EMNMACOR * (Pithœus et Lindenbr. legendum putant: τῶ ἐλλπισμῷ. μὴ λιτάνευε, μὴ μάχου) pro, ne obsecres. D.

12 *Quasi hoc te orando a me impetrare oporteat*] Hæc plena vox est et caritatis et officii. Quod enim amicus ab amico petit, justum esse debet: nec pro eo quod non est justum, supplicare oportet. D.

Quasi hoc te orando] I. e. non te oportet orando id a me impetrare. Nam *quasi* sæpe negandi vim habet V. 3. 19. *quasi tu hujus indigeas patris* i. e. non indiges hujus patris. R. D.

13 *Alium esse censes nunc me atque olim, cum dabam?*] Non personæ, sed rei conditio est commutata. *Olim, cum dabam*] Nos dicimus, *cum darem,* Virg. Æn. IV. 597. *tum decuit, cum sceptra dabas. En dextra fidesque.* Et nota *olim* pro nuper. D.

Alium—atque] Barbare et inquinate loquentes dicerent *alium quam.* Sed notandum est, upud optimos quosque scriptores post *alios* sequi *atque, ac* nunquam jungi solere *quam,* nisi negativæ particulæ *non, nihil,* vel similes cum aliis junctæ præcedant. v. Burm. ad Petron. C. 86. R. D.

14 *Si in rem est utrique*] Τῷ δευτέρῳ συλλογισμῷ prave proposuit, ut recte replicaret. Hic syllogismus negativus dicitur. Nam in secundo λήμματι negat quod prius dixit: sed si ex ea re plus mali est, quam commodi. *Si in rem est utrique*] Ab utili argumentum. Uterque duobus constant. Bene *utrique,* mihi et tibi: non, alteri utile, alteri inutile. D.

Nonnulli libri cum Donato legunt *in re.* Sed placet lectio Eugraphii, *si in rem est utrique, fiant, arcessi jube.* B.

Scribe *arcessi,* ab antiquo *arcio.* v. Cellarii Orthogr. Z.

Si in rem est] H. e. utile est. in Hec. II. 2. 7. *magis in rem et nostram et vestram id esset.* Sallust. in Catil. c. 20. *in rem fore credens universos appellare.* Eodem sensu dicitur *ex re esse* in Phorm. V. 7. 76. *non ex re istius me instigasti.* Contrarium est *contra rem esse.* Cic. ad Div. V. 20. *nihil fecisse quod esset contra aut rem aut existimationem tuam.* R. D.

Arcessi jube] Scil. filiam meam. Illa enim ex ædibus patris solenniter ducenda erat in ædes sponsi. R. D.

Sed si ex ea re plus mali'st quam commodi
Utrique, id oro te, in commune ut consulas:
Quasi illa tua sit, Pamphilique ego sim pater.
S. Imo ita volo, itaque postulo, ut fiat, Chreme:
Neque postulem abs te, nisi ipsa res moneat. C. Quid est?
S. Iræ sunt inter Glycerium et gnatum. C. Audio.
S. Ita magnæ, ut sperem posse avelli. C. Fabulæ.
S. Profecto sic est. C. Sic hercle, ut dicam tibi:
Amantium iræ, amoris integratio'st.

15 *Sed si ex ea re*] Id est, nuptiarum: mutavit numerum, ex plurali singularem, *fiant*, et *ex ea re*. D.

16 *In commune consule*] Id est, ex æquali provide. D.

Ne lege cum plerisque codd. *id te oro*, ne suspendatur synalœpha. Donatus legit *in commune consule*, quod parum refert. B.

In commune ut consulas] H. e. ut consilium capias quod communiter utrique utile sit. Pompon. Mela I. 8. *dispersi nihil in commune consultant*. Dicitur etiam consulere in medium. Liv. XXIV. 22. *postquam animadvertit— undique consuli in medium*. Lucan. V. 46. *consulite in medium patres*. R. D.

17 *Quasi illa tua sit, Pamphilique ego sim pater*] Nota suavissimam varietatem; non dicit, quasi tua sit, et ille meus. D.

Cod. academicus: *Pamphiloque*; nescio an verius. B.

Pamphilique ego sim pater] Recte Bentlei. præfert Mss. lectionem *Pamphiloque ego sim pater*. Nam dativus sæpe pro genitivo ponitur. infra IV. 5. 14. *ei* [secundum emendationem Bentl.] *dicta est esse soror*. in Heaut. II. 3. 29. *dicta est mater ei*. v. Burmann. ad Claud. Eidyll. IV. 24. et quæ annotavimus ad Rutil. Lup. p. 38. R. D.

18 *Imo ita volo*] Quia utile est, quia in rem est. *Itaque postulo*] *Itaque*, modo duæ partes orationis sunt: ut in Heeyra, *itaque nos una inter nos ætatem agere liceat*. D.

Itaque] Ponitur pro *et ita* Cic. in Cæcilium divinat. c. 1. *cum quæstor in Sicilia fuissem itaque decessissem*. Liv. V. 4. *ita geniti itaque educati*. Sic *neque* pro *et ne*. v. Drakenb. ad Liv. III. 30. R. D.

19 *Neque postulem*] Quia postulo prætulit. D.

Ut medearis versui, lege cum codd. quibusdam NI *ipsa*. B.

20 *Iræ sunt inter Glycerium et gnatum*] Hoc læto vultu pronunciat Simo: et hoc a possibili est. loquitur enim apud eum, ex quo audiverat, Pamphilum pro uxore habere hanc peregrinam. *Audio*] Ειρωνικῶς. *Mox fabulæ*] Et hic paulo sapientior inducitur, et minus obnoxius dolis. D.

Audio hic ut sæpe alias est negantis et aspernantis, ut mox, *fabulæ*. B.

Iræ] Sæpe amantium rixæ, &c. discordiæ *iræ* dicuntur. Plaut. in Amph. III. 2. 60. *iræ si quæ forte evenerunt*. Virgil. Ecl. II. 14. *tristes Amaridyllidis iras*. R. D.

Audio] I. e. non credo. v. in Phorm. V. 7. 54. Mox. v. 21. eodem sensu dicit *fabulæ* v. Bentl. ad h. l. Alibi *audio* est concedentis aliquid adversario, et idem valet quod *esto, sit ita*. v. in Eun. II, 3. 79. et Cic. pro Rosc. Amer. c. 18. R. D.

22 *Profecto sic est*] *Profecto*, confirmatio est. D.

23 *Amantium iræ amoris integratio est*] Sententia γνωμικὴ, in qua a specie receditur, et in omnes aliquid dicitur:

S. Hem! id te oro, ut ante eamus, dum tempus datur,
Dumque ejus libido occlusa'st contumelis:
Prius quam harum scelera, et lacrumæ confictæ dolis,
Reducunt animum ægrotum ad misericordiam,
Uxorem demus. spero consuetudine et
Conjugio liberali devinctum, Chreme,
Dein facile ex illis sese emersurum malis.

παρομία est autem sine auctore sententia. *Integratio*] Instauratio. D.

Amantium iræ] Hoc argumento usus ex amore refutat superiora, dicens: quod amantes per iram reconciliati, nunquam se deserunt, si se ante perfecte amarunt. A consequenti quid fieri possit providens, procedere tentat, dicens: *dum tempus est.* Et per χαρακτηρισμὸν, id est, informationem futurorum, quid consequens sit, dicit ab utili. *Chreme* autem vocativus Græcus est. E.

Amantium iræ] Plautus Amphitr. III. 2. 60. *Iræ si quæ forte eveniunt hujusmodi, Inter eos rursum si reventum in gratiam est, Bis tanto amici sunt inter se quam prius.* L.

Servius et Acron habent *redintegratio*: Charisius *reintegratio*. Nostri codd. cum Donato, et antiquis Faerni libris *integratio*. Recte. Deinde venustius erit, si, deleto *est*, in fine versus ponas *hem*, quod vulgo principium sequentis occupat. B.

Amoris integratio] I. e. renovatio, instauratio. In nonnullis editionibus legitur *redintegratio* repugnante metro. v. Bentl. ad h. l. sententia expressa est ex Plauto in Amphitr. III. 2. 60. v. Victorii var. Lection. IV. 14. R. D.

24 *Id te oro*] Deest *ob*, ut sit *ob id*. ut Virgil. Æn. II. 141. *quod te per superos oro*. D.

Ut ante eamus] I. e. ut occurramus, ut obviam eamus. R. D.

25 *Occlusa est*] I. e. quasi vincta tenetur ne irrumpere possit. R. D.

26 *Prius quam harum*] Invidiosus, *harum*, quum una fit. sic in Eunucho, *non perpeti meretricum contumelias*. D.

27 *Animum ægrotum ad misericordiam*] Hoc ut supra, *ipsum animum ægrotum ad deteriorem partem applicat*. D.

Alii *reducant*, sed nostri omnes, et quidam antiqui Faerni habent *reducunt*. Recte. B.

28 *Uxorem demus*] Ἠθικῶς: ut in Heautontim. *Quo modo nimio periculo id demus adolescentulo*. D.

29 *Devictum Chreme*] Ms. R. *divinctum Chremes*. L.

Alii *devictum*, sed antiqua et melior lectio *devinctum*. B.

Conjugio liberali] *Conjugium liberale* dixit uxorem liberalis ingenii, qualem describit in Hec. I. 2. 89. *hæc ita uti liberali ingenio esse decet, pudens, modesta*. R. D.

Divinctum] I. e. captum in Hec. I. 2. 42. *animus uxoris misericordia devinctus*. Cic. ad Div. XV. 4. *studiis atque artibus a pueritia dediti atque devincti*. R. D.

Chreme] De hoc vocativo. v. Voss. de analog. II. 3. R. D.

30 *Dein facile*] Al. *dehinc*. L.

Alii *dehinc*, sed aliquot libri Faerni, in his Vaticanus, et nostri, Riviique unus habent *dein*. Recte. B.

Emersurum] *Emergere* proprie dicuntur, qui aqua mersi eluctant et evadunt, unde pulchre nascuntur translationes, verbi causa, de eo, qui ex obscuro loco ad illustriorem adspirat, aut ex infelice fit felix, aut a vitæ pravitate se recipit ad bonam frugem, ut h. l. Cic. pro Cœl. c. 31. *ex eo emersit totumque se ejecit atque extulit*. v. interpret. ad Flor. III. 10. p. 589. Proprie *animum emergere*, sicut simplex *mer-*

C. Tibi ita hoc videtur: at ego non posse arbitror,
Neque illum hanc perpetuo habere, neque me perpeti.
S. Qui scis ergo istuc, nisi periclum feceris?
C. At istuc periclum in filiâ fieri, grave est.
S. Nempe incommoditas denique huc omnis redit:
Si eveniat, quod Di prohibeant, discessio.
At si corrigitur, quot commoditates, vide.
Principio, amico filium restitueris:
Tibi generum firmum, et filiæ invenies virum.

gere activum est et cum accusativo construitur. Nep. in Attico c. 11. *quibus ex malis ut se emerserat.* v. Riv. ad h. l. Heins. Fast. III. 399. et Drakenb. ad Sil. Italic. VII. 413. R. D.

32 *Neque illum hanc perpetuo*] Ἀμφιβολίαν de industria posuit, aut utrumque significat. D.

33 *Nisi periculum feceris?*] *Periculum*, tentamentum. Cicero, *tute melius periculum feceris.* Idem Terentius, *fac periculum in literis.* D.

Qui scis ergo num periculum] *Periculum* est tentamentum. ut Cicero (Cæc. VIII.) *quando tu tui periculum feceris.* Item ipse in Eunucho: *fac periculum in literis.* Et est παλιλογία, quæ fit, quando nomen repetitum vehementius significat. ut, *at istuc periculum in filia.* Nam istud nomen per metonymiam adjectum est: quia in periculis multa tentamus. E.

Non procedat oratio, nisi pro *scis* reposueris *scias*, quod sæpe apud nostrum et Plautum est monosyllabon. B.

Periclum] Proprie est specimen quod fit experiendarum virium causa. v. Donat. ad h. l. Hirtius de B. Afric. c. 33. *non ausum periculum suorum facere* v. Oudendorp. Jam quoniam a tali experimento pendet bonus vel malus eventus, *periculum* etiam de ancipiti discrimine dici cœpit. R. D.

34 *At istuc periculum in filia fieri, grave est*] Memorabile dictum, et id quod merito in proverbium cesserit. D.

35 *Incommoditas huc omnis redit*] Hæc summa est omnium calamitatum. incommoditas est calamitas. Sic Cic. de lege Manil. c. 12. eladem exercitus *incommodum* vocat. *Huc redire* eodem sensu est in Eun. I. 2. 78. *nempe hæc nunc verba huc redeunt.* R. D.

36 *Quod di prohibeant*] Παρένθεσις per ὑφαιρεσιν. D.

Si eveniat discessio] Id est, si fiat divortium. Nam, *quod di prohibeant*, parenthesis est. E.

Quod Di prohibeant] Sollennis abominantium formula, de qua v. Brisson. de formulis. I. p. 85. R. D.

37 *At si corrigatur*] Alter est syllogismus per contraria λήμματα, et ipse negativus. D.

Quot commoditates] His partibus utilitatis et honestatis compulsus Chremes, qui negaverat filiam Pamphilo traditurum, et amicitiæ ratione et conditione utilitatis impulsus, promittit filiam. E.

Sic vetustiores: alii *corrigatur*, vel *corrigetur*. Si conjunctivus placet, muta *at si* in *sin*. B.

38 *Principio, amico filium*] *Principio*, nec intulit, secundo. *Restitueris, et filiæ invenies virum*] Ergo ἀναπόδοτον duplex. *Amico filium*] Ab honesto, *amico filium*. D.

Amico filium restitueris] H. e. feceris, ut eum qui degeneravit pro filio agnoscere possim. in Heaut. III. 1. 83. *dum id quæro tibi qui filium restituerem.* Cic. ad Div. III. 22. *Restitueris* ponitur pro *restitues*, futur. subjunct. pro fut. indicat. in Ad. I. 2. 47. *si pergis abiero.* Virg. Georg. II. 51. *exuerint silvestrem animum.* R. D.

39 Vetustiores nostri, *invenias*. recte; ob antecedens *restitueris*. B.

C. Quid istic? si ita istuc animum induxti esse utile,
Nolo tibi ullum commodum in me claudier.
S. Merito te semper maximi feci, Chreme.
C. Sed quid ais? S. Quid? C. Qui scis eos nunc discordare inter se?
S. Ipsus mihi Davos, qui intimu'st eorum consiliis, dixit.
Et is mihi suadet, nuptias, quantum queam, ut maturem.
Num censes faceret, filium nisi sciret eadem hæc velle?

Inventes virum] *Invenire* virum, uxorem, liberos eleganter dicitur pro nancisci, infra. V. 3. 20. *domus, uxor, liberi inventi.* Sueton. in Calig. c. 25. *matrimonium sibi repertum exemplo Romuli.* R. D.

40 *Quid istic*] Concedentis, et veluti victi verbum: tanquam si diceret, *quid?* et abundat *istuc.* Vel potius, *quid istuc,* significat hominem de loco ac de sententia decedere. ut e contrario, *perstare* ac *resistere* dicitur, qui aliquid negat. *Si istuc animum induxti*] Legitur et *animum induxisti.* sed illud plenum est: hoc per μεταπλασμὸν σχημάτων diminuitur. D.

Faerni libri antiqui et nostri omnes recte habent *quid istic?* pro *quid istuc.* B.

Quid istic] Est concedentis et de sententia decedentis formula v. in Eun. I. 2. 9. in Heaut. V. 5. 9. et Donat. p. l. R. D.

Animum induxti] *Animum inducere* et *inducere in animum* est, sibi persuadere, apud animum constituere. in Eun. III. 2. 37. *qui huic animum assentari induxeris.* Sallust. Catil. c. 54. *Cæsar in animum induxerat laborare.* Liv. I. 17. *nemo alteri concedere in animum inducebat.* ubi v. Drakenb. R. D.

41 Pro *in me claudier* sensus postulat *intercludier* cf. Eun. I. 2. 84. B.

Nolo tibi ullum commodum in me claudier] *Claudi* est non patere, occlusum esse, in Eun. I. 2. 84. *ubi meam benignitatem sensisti in te claudier.* Cic. de Offic. II. 15. *nec ita claudenda est res familiaris, ut eam benignitas aperire non possit.* Alii utroque Terentii loco corrigunt *claudere,* quod ab antiquis pro *claudicare* dictum esse docet Gron. XXII. 29. adde Davis. ad Cicer. Tusc. quæst. V. 8. quanquam exempla, quibus verbum firmatur, dubia sunt et e locis corruptis petita. v. Burmann. ad Ovid. ex Ponto epist. III. 1. 86. Præterea difficultas est in verbis *in me;* eam vero egregie tollit magnus Bentleius in utroque Terent. loco legens *intercludier.* R. D.

42 *Semper maximi feci*] Hoc est, plurimum dilexi, et maximum habui. E.

43 *Discordare inter se*] Hoc est discordes esse. Hanc rem quam quæsisset, ut veresimile diceret, petius dixit hoc sese a Davo audisse, qui eorum intimus videtur esse a consiliis. Atque ut verum consilium Chremeti possit ostendere, et ipsum Davum evocat foras. E.

44 *Ipsus mihi Davus dixit*] Commendatio testis: ut, *in foro modo de Davo audivi.* Ergo *ipsus,* quasi qui maxime sciat. D.

Intimus est eorum consiliis] H. e. omnia eorum arcana consilia novit, in Eun. I. 2. 47. *quam intimum habeam te et mea consilia, ut tibi credam omnia.* R. D.

Tute adeo jam ejus verba audies. heus, evocate huc Davom.
Atque eccum: video ipsum foras exire.

ACT. III. SCENA IV.

DAVUS. SIMO. CHREMES.

AD te ibam. S. Quidnam est?
D. Cur uxor non arcessitur? jam advesperascit. S. Audin' tu illum?
Ego dudum nonnihil veritus sum, Dave, abs te, ne faceres idem,

47 *Tute adeo*] Παρέλκεται *adeo* modo, et abundat, ut Virg. Georg. I. 24. *tuque adeo, quem mox quæ sint habitura deorum Concilia, incertum.* D.

Versus gratia Faernus cum Rob. Stephano, auctoritate unius cod. recte *verba* postposuit τῷ *audies:* nisi pro *evocate* malueris legere *vocate.* B.

48 *Atque eccum*] *Eccum*, quasi ecce eum. Veteres dixerunt, *eccum eccujus, ellum;* quod apertius significat *ecce illum*, et obscurius *ellum.* D.

Video ipsum] Τὸ *ipsum* in Ms. R. non est. L.

1 *Ad te ibam*] *Davus* ut recte scribatur, *Davos* scribendum est: quia nulla litera vocalis geminata, unam facit syllabam. Sed quia ambiguitas vitanda est nominativi singularis et accusativi pluralis, necessario pro hac regula, digamma utimur, *DaFus, serFus, Fulgus corFus. Ad te ibam*] Locus est (edd. vett. *hic est locus.* Cæterum male huic loco παρεμπὲπτῆς ἐπιτάσεως tribui a Donato, recte observavit Bocclerus), in quo jam ad discrimen (*discretionem.* ed. Du B.) mali perducta comœdia, in meliorem partem jam incipit inclinare. D.

Ad te ibam] Hæc scena gratiarum actionem tenet, quod servus consilia domini non fallat. Hic tantummodo qualitatis status est in omnibus gratiarum actionibus. Tunc et consilium suum de nuptiis quid fuerit confitetur: *non fuerant nuptiæ.* Nam antea dixerat, quo corrigeret illum: *timui ne faceres quod vulgus servorum solet.* Siquidem *vulgus* dixit per multitudinem. *Ut me deluderes propterea quod amat filius.* Ubi pulcherrime αἰτιολογίαν expressit. *Egon' istuc?* qua gravitate pronunciationis, ut in ἐρωτήσει fieri solet, ille se absolvit: unde dominus ei jam credit. E.

2 Hic versus diu vexavit interpretes, jam ab Erasmi ætate. Sed tolle illud *tu illum*, et iambicum tetrametrum habebis, quales sex priores. Atque *audin'?* absolute positum est, ut supra I. 5. 66. B.

Westerh. *uxor* omisit. Z.

Advesperascit] Sponsa non nisi ingruente vespera in sponsi domum ducebatur, præeuntibus pueris, qui faces gestarent. R. D.

3 *Ego dudum nonnihil veritus sum, Dave, abs te.* Semper gravis inceptio orationis, quæ exordium sumit a pronomine *ego:* ut Æn. IV. 333. *ego te quæ plurima fando.* et, *ego postquam te emi a parvulo. Ego dudum*] Adverbia temporis, aut certa sunt, ut hodie, eras: aut incerta, ut dudum, nuper. Itaque

Quod vulgus servorum solet, dolis ut me deluderes:
Propterea quod amat filius. D. Egon' istuc facerem?
S. Credidi:
Idque adeo metuens vos celavi, quod nunc dicam. D. Quid? S. Scies:
Nam propemodum habeo tibi jam fidem. D. Tandem cognosti qui siem.
S. Non fuerant nuptiæ futuræ. D. Quid? non? S. Sed ea gratia
Simulavi, vos ut pertentarem. D. Quid ais? S. Sic res est. D. Vide,

incertis certum additur tempus: ut jam dudum, nunc nuper. *Nonnihil veritus sum, Dave, abs te*] Breviter, pro, veritus ne quid abs te fieret. sicut supra, *heu metui a Chryside*. Et Cicero, pro Mur. I. *quod precatus sum a diis immortalibus*, pro eo quod est, quæ a diis petii, precatus eos. D.

Ego dudum] Priscian. lib. 15. p. 141. L.

Ne *Dave* in Thesi pene sit mutum, loca post *abs te*. B.

Ego] Bene Donat. ad h. l. sit: semper gravis inceptio orationis, quæ exordium sumit a pronomine *ego*. Liv. XXI. 3. *ego istum juvenem domi tenendum censeo*. ubi v. Drakenb. R. D.

4 *Quod vulgus servorum solet*] Totum cum extenuatione protulit, tanquam qui satisfactum voluerit Davo, ob comprobatam fidem ejus. D.

Vulgus servorum] Sic in Hec. IV. 2. 24. *vulgus mulierum*. R. D.

7 *Nam propemodum habeo jam tibi fidem*] Ridicula dilatio ejus rei, quæ jam dudum nota est auditori (Ms. Bœnd. et ed. Du B. *Nota est auditoro*. *Nam propemodum*, i. *admodum quandoque etiam significat. jam hoc est propemodum, cujus actus est admodum*). *Nam propemodum habeo jam*] Hoc est *prope modum*, cujus accusativus est a *modus*. D.

Illud *tibi*, quod versum adeo deformat, non est sum Faerno e quibusdam codd. evocandum. Cæterum cum *tandem* habeat ictum in secunda, lege cum interrogatione, *tandem cognosti qui siem?* B.

Habeo tibi fidem] Ita optimus quisque veterum loquitur, pro quo barbari nunc dicunt *adhibeo tibi fidem*, quod longe aliud est apud veteres. Nam *adhibere fidem* dicitur, qui cum fide in aliqua re versatur, qui fideliter rem tractat, qui credit, pro quo poetæ *addere fidem* dicunt. Ovid. Metam. XV. 361. *si qua fides rebus tamen est addenda probatis*, ubi v. Burmann. qui tamen male eo trahit. Liv. I. 96. *consilio unius hominis addita rei dicetur fides*, nam ibi *addere fidem*, significat, facere, efficere, ut quid credatur. v. Drak. ad Liv. II. 24. R. D.

8 *Sed ea gratia*] *Gratia*, pro causa posuit, nove. D.

Sed ea gratia simulavi] Alii *sic malui (dissimulavi)*. Siquidem *simulamus* ignota, *dissimulamus* nota. Et exponit causam consilii sui; *vos ut pertentarem*. E.

9 *Sic est res*] Quod Græci dicunt, οὕτως ἔχει. D.

Vos ut pertentarem] I. e. penitus explorarem, quæ vestra consilia essent. in Phorm. IV. 3. 14. *ut ejus tentarem sententiam* pro quo sæpe dicunt experiri. Sueton. Tiber. c. 14. Thrasyllum *mathematicum ut sapientiæ professorem tunc maxime expertus est*. R. D.

Nunquam istuc quivi ego intelligere. vah! consilium callidum.

S. Hoc audi; ut hinc te introire jussi, opportune hic fit mihi obviam.

D. Hem! numnam periimus? S. Narro huic, quæ tu dudum narrasti mihi.

D. Quidnam audio? S. Gnatam ut det oro, vixque id exoro. D. Occidi.

S. Hem! quid dixti? D. Optume inquam factum! S. Nunc per hunc nulla'st mora.

C. Domum modo ibo: ut apparentur, dicam: atque huc renuncio.

S. Nunc te oro, Dave, quoniam solus mihi effecisti has nuptias.

10 *Numnam*] *Nam παρέλκεται*, ut in *quisnam*. D.

Vah] Interjectio est ex affectu admirantis vel indignantis. R.

Ut ictus sit in *ego*, pone cum uno cod. *istuc ego quivi*. B.

12 *Numnam perimus*] Tunc primum intelligit Davus se malum dedisse consilium Pamphilo, ut patri polliceretur se uxorem esse ducturum. E.

Versus gratia illud *hem* priori versui appone. B.

13 *Quidnam audio?*] Legitur et *audiam*. Menander enim sic ait, τί δῆτ' ἀκούσω. D.

Lege *audiam* in futuro ob sensum. Nam Simo dixerat, *narro*, &c. metuit igitur Davus, quid *auditurus sit*, nempe exoratum esse Chremem. cf. Donatus, ad. h. l. B.

14 *Occidi. optime*] Bene usus est παρομοίῳ, *occidi* et *optime*, ut similitudine falleret audientem. *Per hunc*] Chremetem scilicet. D.

Optime inquam factum] Quoniam audito consilio senis, servus dixerat *occidi*, interrogatus a sene rursus quid dixisset, *optime*, inquit, *factum*. Nam ab una litera utrumque incipit verbum. Nunciatis igitur veris nuptiis, subjungitur adhortatio, ut perseveret filium Davus corrigere, ne adhuc animus amore meretricis impeditus facile nuptias et patris imperium contemnat. E.

Hem, quod dixti] Τὸ *hem*, in Ms. R. deest. L.

Lege *quid dixisti*, uti unus cod. primariæ notæ habet; atque *hem* priori versui appone. B.

Per hunc nulla mora est] I. e. hic nihil nuptias moratur. Supra I. 1. 139. *in Pamphilo ut nihil sit moræ*. R. D.

15 *Ibo: atque huc renuncio*] Varie, *ibo* et *renuncio*. D.

Illud *apparentur* sc. *nuptiæ* est ineptum, quia in domo Simonis, non Chremis erant parandæ nuptiæ. Repone igitur *apparetur*, impersonaliter, ut Eun. III. 5. 35. et Adel. V. 7. 2. B.

Ibo atque renuntio] Junguntur præs. et futur. ut sæpe. v. Burmann. ad Luc. I. 316. R. D.

16 *Nunc te oro, Dave*] *Te*, id est, per quem stat summa negotii. Et modo magis vere rogat, quam tunc cum ait, *dehinc postulo, sive æquum est, te oro Dave*. ibi enim iracundia latet, cum dixit, *sive æquum est*. *Effecisti has nuptias*] Non *fecisti*: est enim *efficere*, per-

D. Ego vero solus. S. Corrigere mihi gnatum porro enitere.

D. Faciam hercle sedulo. S. Potes nunc, dum animus irritatus est.

D. Quiescas. S. Age igitur, ubi nunc est ipsus? D. Mirum, ni domi est.

S. Ibo ad eum, atque eadem hæc, quæ tibi dixi, dicam itidem illi. D. Nullus sum. 20

fiocre faciendo. Et bene *has*: quarum causa laboro. D.

17 *Ego vero solus*] ΔΙΑΝΟΙΑ. Et hoc ad increpationem dicit, non ad confirmationem. *Solus*] Id est, cui non assentiebat Pamphilus. *Porro*] In futurum, deinceps: futuri temporis adverbium: vel adhortantis: ut *porro Quirites*. *Enitere*] Labora: quasi difficile sit, et conatu sit opus. D.

Ego vero solus] Hæ interruptiones in Terentio sæpius positæ, ita sunt suspendendæ, ut series orationis tenorem suum usque ad ultimum servet, sicut hic. E.

Enitere] Eniti proprie dicitur qui in altum ascendere conatur. v. Bentl. ad Horat. III. 3. 10. deinde qui summe studio aliquid efficere conatur, in Heaut. V. 4, 15. *quod potero, enitar sedulo*. R. D.

18 *Hercle sedulo*] Productiones sunt comici stili, ad fucum orationis positæ. *Potes nunc*] A possibili argumentum. *Dum animus irritatus est*] Quia dixerat, *iræ sunt inter Glycerium et gnatum*. *Irritatus est*, commotus, ira provocatus: ut in Phormione, irritor. Ducitur autem verbum a canibus, qui restrictis dentibus hanc literam R imitantur (*iterant*, ed. Du B.) D.

Irritatus] Injuriis provocatus. E.

Irritatus est] I. e. ira commotus est, ut in Phorm. V. 7. 39. R. D.

19 *Quiescas*] Id est, conquiesce: imperativi modi, ne injuriosum videretur. *Quiescas*] Pro quiesce. aut deest volo, aut facito. *Age agitur*] *Age*, dic: ut est, *egi atque oravi tecum*: aut adverbium est hortandi. *Mirum ni domi est*] Existimationem intulit, incertum fugiens: et est compositum, quasi miror. *Mirum ni domi est*] Compositum est, quasi hoc est mirum, ni domi est. Cante servus callidam interrogationem senis paratus excepit. Memor simulatæ discordiæ cum amica, fingit non se alibi eum esse suspicari, quam domi. D.

Mirum ni domi] Ex hoc declarat non esse illum apud meretricem, ideo mirandum est, si non domi est. E.

Quiescas] I. e. quietus esto, securus sis, in Phorm. IV. 3. 65. &c. *quæso ego dabo quiesce* et IV. 5. 1. *quietus esto*. R. D.

Mirum ni] I. e. sine dubio, nimirum, in Eun. II. 3. 52. *mirum ni hanc dicit*. Ovid. Metam. VII. 12. *mirumque nisi hoc est*, ubi v. interpretes; add. Bentl. ad Horat. Serm. II. 3. 55. R. D.

20 *Dicam eadem illi*] In aliis *itidem* scriptum est: quod si est, pro item accipiamus. An ergo *idem* pro item? *Nullus sum*] Plus est *nullum esse*, quam periisse. Nam qui perit, vel corpus habet reliquum: qui vero nullus est, ita non est, ac si natus non sit. D.

Dicam itidem] Adsimiliter, et est adverbium qualitatis. Remansit servus cognito consilio domini, et secum loquitur, se jam esse periturum, quod eventus aliter ceciderit, quam ipse consilium non recta calliditate susceperit. Ita secum loqaitur hæc: et est oblocutio habens quid metuat, et quid velit. Nam quid metuat hoc est: Nihil est preci loci relictum, jam perturbavi omnia: nihil ergo causæ est, quin in pistrinum recta proficiscar via. E.

Dicam eadem illi] Ms. R. *dicam idem illi*. L.

Quid causæ est, quin hinc in pistrinum recta proficiscar via?
Nihil est preci loci relictum; jam perturbavi omnia:
Herum fefelli: in nuptias conjeci herilem filium:
Feci hodie ut fierent, insperante hoc, atque invito Pamphilo. hem
Astutias! quod si quiessem, nihil evenisset mali.
Sed eccum video ipsum: occidi.
Utinam mihi esset aliquid hic, quo me nunc præcipitem darem.

Ut *tibi* et *illi* sit in ictu, præferanda est lectio unius cod. *tibi, quæ dixi, dicam itidem illi.* B.

21 *Hinc*] Id est, ex hoc loco. *Recta proficiscar via?*] Bene *recta*, ut corporis impulsionem lucrifaciam. aut *recta*, ut non eam ad precatorem, aut ad Pamphilum. Et bene *proficiscar*. *Proficisci* enim in rem ægram ac difficilem dicimus. Et *recta via*, plana dixit, non tantum recta. D.

Nullus sum] I. e. perii funditus, comica desperationis formula, quæ etiam apud alios occurrit. Ov. Met. IX. 734. *vellem nulla forem.* Liv. VI. 18. *ubi visum inimicis est, nullus repente fui* ubi v. interpretes. R. D.

Proficiscar] Non semper hoc verbum de longo itinere dicitur, sed sæpe simpliciter est, *prodire aliquo*, etiamsi non sit longius quam ad proximas ædes. v. Eun. II. 2. 49. et Plaut. in Aulul. I. 2. 40. R. D.

22 *Nihil est preci loci relictum*] Subjungit ergo causas cur proficiscatur in pistrinum. *Nihil est preci*] Quod prædixit senex. *Jam perturbavi omnia*] Allocutio, in qua quid metuat, quid velit, manifestum est. D.

Preci] Antiqui declinabant *prex precis*: unde remansit in usu accusativus et ablativus in singularitate. *astutia, scelus, malum*, et reliqua alia, interjectiones sunt dolentis aut irascentis, quando ita pronuntur. E.

Nihil est preci loci relictum] H. e. ita me gessi, ut precibus nihil proficere posse videar. v. Manut. ad Cic. ad Div. I. 1. R. D.

23 *Herum fefelli*] Hæc enumeratio causarum est, qua magnifice (*mirifice* Ms. Bœnd. et ed. Du B.) exaggeravit errores suos. *Conjeci*] Nec immisi, sed *conjeci*: quod impetum et injuriam significat. *Herilem filium*] Τὸν τρόφιμον. D.

24 *Feci hodie*] Nec solum *feci*, verum etiam addidit tempus, *hodie*: ut ne diecula quidem ejus sit, quod fecerat, mali. *Insperante hoc, atque invito*] *Insperante* et *invito*, duplex offensio. D.

Insperante] Insperante sene, Pamphilo invito. v. Muret. ad h. l. *Insperante*, pro *non sperante* rarius est. Ejusdem generis aliquot sunt æque rara, *indicens* pro *non dicens, inficiens* pro *non faciens, intritus* pro *non tritus, innotitia* pro *ignorantia*, de quibus præclare Gronov. ad Liv. XXII. 38. R. D.

25 *Hem astutias*] Bona *sycophantia*. Pluraliter dixit *astutias*, quasi is, qui abundet astutiis, ut ei una non sufficeret. D.

Hem astutias] Ms. R. *hem astutia*. L.

27 *Utinam mihi esset aliquid*] Non dixit gladium, aut laqueum: ne esset tragicum. Ergo expressit bene, dicens, *quo me nunc præcipitem darem*. D.

Præcipitem darem] Solenne in commœdiis desperatorum confugium est *præcipitium*, in tragœdiis *laqueus* et *gladius*, ut eleganter docet Donat. ad h. l. Petron. c. 94. *si te non invenissem, periturus per præcipitia fui*. R. D.

ACT. III. SCENA V.

PAMPHILUS. DAVUS.

UBI illic est scelus, qui me perdidit? D. Perii. P. Atque hoc confiteor,
Jure mihi obtigisse, quando quidem tam iners, tam nulli consilii
Sum. servon' fortunas meas me commisisse futili?

1 *Ubi illic est scelus*] Hæc scena, cujus perturbationis esse debeat, etiam supra poeta præstruxit, quum ad consentiendum Davi consilio tardum Pamphilum faceret. *Ubi illic est scelus*] Accusatio. *Ubi illic est scelus*] Nimium terribile est, sævire ante quam videas eum, contra quem irasceris. *Ubi illic est scelus, qui me perdidit?*] Ad intellectum, non ad verba redegit (adde *genus* Z.) et est figura σύλληψις per genera. Virg. Æn. I. 216. *pars in frusta secant*. Sed hic figura est per numeros: nam quia scelus, scelestus intelligitur, modo *qui* subjunxit, non *quod*. D.

Ubi illic est scelus] Hæc scena controversiam tenet talem: Davus arbitratus falsas nuptias, consilium dedit domino ut annueret patri. Unde ille exoravit socerum, qui se promisit filiam daturum. Fit reus Davus, quod decepit dominum. Hic status est qualitatis venialis, in qua etsi de præterito tempore videtur esse deceptus, docet nihilominus se ad futurum posse providere. Est igitur accusatio hæc: *Ubi illic est scelus, qui me perdidit*] Quamquam conquestio in principio collocata augeat crimen, quod dicit, jure sibi ista obtigisse, quod servi consilio usus in periculo sit, et non sua sibi sententia ingenioque subvenerit. E.

Multi codd. addunt *hodie*, quod postea librarii, ut metro consulerent, ejecerunt, et interpolarunt *perdidit*; quod si abest, fit aposiopesis, quæ iracundo convenit: ut illud, *quos ego*. Deinde *perii* non est Davi, sed ipsius Pamphili. Denique illud *jure* appone huic ipsi versui primo. Igitur lege, *ubi illic est? scelus, qui me hodie. perii. atque hoc confiteor jure*. B.

Scelus qui] Non ad verbum, sed ad intellectum *qui* retulit. in Eun. II. 3. 10. *senium, qui me hodie remoratus est*. Cic. ad Div. I. 9. *illa furia, qui non pluris fecerat*. Plura hujus syntaxeos exempla collegerunt interpretes ad Liv. IX. 12. R. D.

2 *Tam iners*] Sine arte, id est, sine ἀγυρτῇ. *Tam nulli consilii*] Una pars orationis est, *nulli consilii*. nos, *nullius* et *solius*: recte autem veteres, *nullo, nulli, solo soli* (lege ex Ms. Hulst, *nullus nulli, solus soli*), declinabant. D.

Tam nulli consilii] Charisius lib. II. p. 127. Priscian. lib. 13. p. 151. L.

Iners] I. e. stupidus, cui opponitur solers.

Nulli consili] *Nulli* antique pro *nullius*. v. Cort. ad Sallust. Catil. c. 29. *nullius consilii esse*, significat *imprudentem*. Nep. in Datame c. 1. *venio ad virum maximi consilii* i. e. prudentissimum. R. D.

Futili] Proprie est, qui quæ tacenda sunt, continere non potest, sed temere enuntiat, sicut veteres *vas futile* dicebant, quod infusa statim effundebat; deinde *futilis* dicitur homo vanus, levis, v. Donat. ad h. l. R. D.

3 *Me commisisse*] Non commendasse: sed, *commisisse*. *Committimus* enim quæ cum magno periculo volumus esse servata, vid. ad Phorm. V. 1. 19. *Futili*]

Ergo pretium ob stultitiam fero: sed inultum nunquam id auferet.

D. Posthac incolumem sat scio fore me, nunc si hoc devito malum.

P. Nam quid ego nunc dicam patri? negabon' velle me, modo

Levi. Nam a vase, quod *futile* dicitur, quod non deponunt ministri sacrorum, quod est acuto fundo, et patulo ore, eoque instabile est. Virg. Æn. XI. 339. *consiliis habitus non futilis ductor.* D.

Fortunas meas commisisse futili?] Id est, levi et vano servo. E.

4 *Ego pretium ob stultitiam fero*] Ergo pretium et præmium generaliter pro bene aut male facto redditur. sed discernitur ita. Nam pretium pro stultitia, est poena: pretium (*præmium* Ms. Bœnd. et ed. Du B.) pro virtute, honor est et lucrum. *Pretium ob stultitiam*] Sic Plautus (Leguntur verba in Argumento Asinariæ. Creduntur autem Argumenta Fabularum Plauti esse a Prisciano. Igitur cum Donatus duobus fere seculis Prisciano sit antiquior, vel noster locus est interpolatus, quod vero mihi non est verisimile, tam scitum locum inscito interpolatori venisse in mentem, vel ætate Donati Plautum ipsum creditum esse Argumentorum auctorem) locutus est, *pretium ob asinos:* pro, asinorum pretium. Virg. Æn. IX. 232. *rem magnam, pretiumque moræ fore.* Et alibi, Æn. XII. 351. *Illum Tydides alio pro talibus ausis Affecit pretio.* et est figura ἔκλειψις. ut apud Virg. Æn, XI. 269. *invidisse deos patriis ut redditus oris.* D.

Præmium ob stultitiam] Hoc est, meritum atque poenam. Virg. Æn. IX. 232.—*rem magnam, pretiumque moræ.* Et Æn. XII. 351. *illum Tydides alio pro talibus ausis Affecit pretio.—Inultum id nunquam*] Impune nunquam feret, id est, poenam sustinebit. E.

Pretium ob stultitiam] Serv. Æneid. IX. vers. *pretiumque moræ*, et Æneid. XII. vers. *affecit pretio.* L.

Lege ex vett. edd. et uno cod. regio, *sed inultum id nunquam a me auferet.* B.

Pretium] *Pretium* in bonam partem sumitur pro *præmium*, sæpe in malam pro *poena* Ovid. epist. VI. 148. *perfidiæ pretio qua nece dignus eras*, ubi v. Heins Juvenal. sat. XIII. 15. *ille crucem pretium sceleris tulit, hic diadema.* similiter *merces* et Græc. μισθὸς pro poena dicitur. Cic. ad Div. I. 9. *magna mercede cognoscere.* R. D.

Inultum nunquam id auferet] I. e. propter id factum a me punietur, ut contra *impunitum ferre;* sic etiam dicitur *tacitum ferre*, cui nemo reclamat et obmurmurat. v. Riv. ad h. l. R. D.

5 *Posthac incolumem sat scio fore me*] Sic dicere solemus in magno periculo positi: nunquam nos periclitaturos, si illud periculum potuerimus evadere. *Posthac*] Audacter se incolumem in futurum promittit fore, cum vita hominis tam variis multisque sit periculis conferta: sed hoc dicit: sic, inquit, periclitor; si hoc evasero, scio me non postea periclitaturum. Menander sic ἂν Θεὸς ΦΕΥΓΕΙ ΟΥΚ ΑΝΑΠΟΔΥΜΠΠΕ * (Is. Casaub. ita restituit: Ἐνδὲν ἀποφεύγων, οὐκ ἂν ἀπολοίμην ποτὲ), et est sensus. Tam difficile est hinc evadere, ut qui hinc evaserit, videatur immortalis futurus. D.

Posthac incolumem] Facile me intelligo, inquit, incolumem esse futuro tempore, si hoc malum, quod præsens est, evitavero. E.

6 *Dicam patri*] Bene *patri*, non Simoni: ut de auctoritate hujus nominis summus terror exsurgat. *Modo qui sum pollicitus*] *Modo*, mire, etenim majorem vim habent recentiora promissa. D.

Qui sum pollicitus, ducere? qua fiducia id facere audeam?

Nec, quid me nunc faciam, scio. D. Nec quidem me; atque id ago sedulo.

Dicam aliquid jam inventurum, ut huic malo aliquam producam moram.

P. Ohe. D. Visus sum. P. Ehodum, bone vir, quid ais? viden' me consiliis tuis

Miserum impeditum esse? D. At jam expediam. P. Expedies? D. Certe, Pamphile.

Quid ego nunc dicam?] Pamphilus modo deliberationis quærit quid faciat, an neget id, quod jam promiserat. Sed est forma non plenæ deliberativæ, et propterea divisiones integras non habet, At postquam Davum conspexit, continuo proponit quæstionem et crimen intendit. E.

7 *Modo qui sum pollicitus*] Oratorie melius *pollicitus* sum dixit, quam si *promisi* diceret. *Qua fiducia*] *Qua fiducia*, ad personam suam retulit, et *fiducia* modo impudentiam significat. D.

8 *Nec quid me nunc faciam, scio*] Nos, *quid faciam*, veteres autem *me* addebant. Et nota *faciam*, cum ablativo casu. Ablativus casus, *me*. *Atque id ago sedulo*] Id quæro, hoc est, ut inveniam quid faciam. D.

Quid me nunc] Priscian. lib. XIII. p. 151. L.

Lege *nec quid me a.* i. Venustas a repetitione tota est. B. *Nec de me quidem.* Sandby.

Quid me faciam] Ablativus *me* pendet ab omissa præpositione *de*, quam additus sequenti versu. Tribus modis dicitur *quid me faciam, quid de me faciam, quid mihi faciam.* v. Gronov. ad Liv. XXIII. 16. R. D.

9 *Aliquam producam moram*] *Productam* legitur et *producam*. Significat autem differam, protendam, prolatem. D.

Dicam aliquid jam] Ms. R. *dicam aliquid me inveni.* L.

Pro *jam* habent *me* Vaticanus, Basilicanus, et duo e nostris veterrimi, recte. B.

Ut huic malo producam moram] I. e. ut hoc malum differam. infra IV. 1. 24. R. D.

10 *Ehodum bone vir*] Gravis interrogatio, et minantis cum iracundia. Et hoc *ironia* prosequitur, cum omne genus contumeliæ leve in eum dicimus (lege e Ms. Hulst. *ducimus*), in quem ferimur iracundia. *Viden' me?*] Hoc est, numquid negare potes? D.

Eho bone vir] *Bone ἀντίφρασις* est. Et est hic accusatio tota. At contra ille non defendit se, nec purgat; sed spem tantummodo pollicetur. E.

Pro *ohe* scribe *oh*, atque *agis*, quod duo codd. habent, pro *ais*, ut *quid agis?* sit ipsa ironia, sicut *bone vir*. B.

11 *Impeditum esse?*] *Impeditus* est proprie, qui ita pedes habet illigatos, ut progredi non possit. Sed hic ad negotium retulit. *At jam expediam*] Non se defendit, sed emendaturum promittit. et bene ad impeditum, *expediam* retulit. duo promisit simul, et tempus cum celeritate, et effectum. D.

At jam expediam] Ubi est paronomasia. scilicet impeditum solvam. E.

Impeditum esse] I. e. implicitum esse et quasi in pedicas conjectum, ut bene explicat Donat. Ex hac proprietate *impedimenta* in exercitu sunt vasa et necessaria, quibus miles oneratur; expeditus enim miles e castris mittitur sine sarcinis et impedimentis. R. D.

P. Nempe ut modo. D. Imo melius, spero. P. Oh, tibi ego ut credam, furcifer?
Tu rem impeditam et perditam restituas? hem! quo fretus siem,
Qui me hodie ex tranquillissima re conjecisti in nuptias.
An non dixi hoc esse futurum? D. Dixti. P. Quid meritus? D. Crucem.
Sed sine paululum ad me redeam: jam aliquid dispiciam. P. Hei mihi!

12 *Imo melius spero*] Bene *melius* comparativo est usus, quasi hoc bonum sit, illud melius. *Furcifer?*] *Furciferi* dicebantur, qui ob leve delictum cogebantur a dominis, ignominiæ magis, quam supplicii causa, circa vicinos furcam in collo ferre, subligatis ad eam manibus, et prædicare peccatum suum, simulque summonere cæteros, ne quid simile admittant. Itaque et Cicero pro Deiot. IX. de servo, *quid inde furcifer? quo progreditur?* D.

Furcifer] In servos istud sæpe convicium dicitur: quod cum addicuntur pœnæ, furcam ex materia qualibet factam, ligatam collo sustinent. Ut Cicero pro Deiot. 9. *quid deinde furcifer, quo progreditur?* E.

Tibi ut credam] Supplendum *vis, postulas* vel simile verbum. Sic sæpe *ut* per interrogationem et cum ellipsi ponitur, supra I. 5. 28. *eine ego ut adverser.* Horat. Serm. II. 1. 18. *ut ne tegam spurco Damæ latus.* v. Periz. ad Sanctii Minerv. I. 13. p. 94. R. D.

Furcifer] Est servus nequam et dignus (pœna), qui furcam sive crucem ferat. v. Donat. ad h. l. frequens apud comicos convicium. R. D.

13 *Tu impeditam et perditam restituas*] Multum progressus est, *impeditam* dicere (lege *dicens*): modo *perditam* dixit. Sensus hic est, integram perdidisti, et perditam restituas? *Tu*] Hoc est, qui integram expeditamque turbasti. *Quo fretus siem*] Est memor se ante dixisse, Davum video, cujus consilio fretus sum. D.

Versus exigit *sim* pro *siem*. B.

15 *Hoc esse futurum*] Ut ab illa excludar, hic concludar. et vide quo me inducas. *Crucem*] Plena satisfactio est confessio peccati sine recusatione pœnarum. Nam mitiores eos reddimus, quibus vultu (Lindenbr. recte *ultro*. Wielingius conjicit, veram lectionem esse; *quibus, ultro pœnam meritam pro delictis nostris offerimus*). operæ pretium pro delictis hostris offerimus. Virg. Æn. XII. 931. *equidem merui, nec deprecor, inquit.* D.

An non dixi hoc?] Ubi ait, *ut ab illa excludar, hac concludar. Quid meritus? crucem*] Semper pietas commovetur iratis, si illi qui in crimine constituti sunt, se pœnam meritos esse fateantur. idcirco adjecit servus, *crucem*. Et ab Atheniensibus hæc lex fuerat constituta, uti damnatis pœnæ proponerentur, ut eligerent quam vellent: et si leviorem eligerent, graviore afficiebantur. E.

Quid meritus?] Serv. Æneid. I. 519. L.

Scribendum est *meritu's*, ut *es* cum *meritus* coalescat. B.

16 *Ad me ut redeam*] *Redire ad se* dicitur, qui animum recipit, et sedem mentis. Virg. Georg. IV. 443. *victus redit ad se.* et hic de corpore dixit. Ad se autem redit, qui amens esse desistit. *Dispiciam*] *Dispicere* est disquirere consilium: *despicere* deorsum aspicere. D.

Ad me redeam] I. e. ut animum recipiam ex perturbatione. in Ad. V. 3. 8. *reprime iracundiam atque ad te redi.* Huic formulæ contraria est *exire a se.* Petron. c. 90. *quotiescunque caperis a te exire*, ubi v. interpretes, item *non esse apud se*, ut supra II. 4. 5. R. D.

Despiciam] Propriè dicitur, qui occu-

Cum non habeo spatium, ut de te sumam supplicium, ut volo?
Namque hoc tempus, præcavere mihi me, haud te ulcisci, sinit.

ACT. IV. SCENA I.

CHARINUS. PAMPHILUS. DAVUS.

HOCCIN' est credibile, aut memorabile,

lorum aciem demittit ad videndum, ut facere solent, qui ex tenebris attollunt et lumen requirunt. Hinc transfertur ad mentem, quam in omnes negotiorum partes demittimus. Cic. ad Attic. II. 10. *si despicere quid cæpero* ad Quint. fratr. I. 3. R. D.

17 *Cur non habeo spatium*] Ὀικονομία. D.

Unus e nostris recentior CUR *non habeo*. Retineri potest vulgare *cum*. B.

18 *Namque hoc tempus præcavere*] Sic Virgil. Æn. I. 139. *sed motos præstat componere fluctus*. et est σύλληψις: illud enim cogit, hoc sinit. D.

Namque hoc tempus] In periculis posito prior est cura prospiciendi, quam vindicandi. Unde etiam Neptunus, cum mare cerneret esse turbatum, Æn. I. 139.—*sed motos præstat componere fluctus: Post mihi non simili poena commissa luetis*. E.

Sinit cum turbet sensum, audacter repone *monet*. B.

Præcavere] Mente supplendum *jubet* vel *monet*. Nam *sinit* pertinet ad *ulcisci* nec jungi potest cum *præcavere*. Sæpe veteres scriptores duobus substantivis unum subjungunt verbum iisdem respondens, quod tamen alterutri per se posito minus convenit. Cic. ad Attic. X. 3. *horum res gestas non modo antepono meis, sed ne fortunam quidem ipsam, qua illi florentissima, nos duriore conflictati videmur*; ubi *conflictari* non potest jungi cum *florentissima fortuna*. Nam *uti florentissima fortuna* dicimus. Catull. carm. LXV. 102. *aut mortem oppeteret Theseus aut præmia laudis*, ubi v. Passeratium. Florus IV. 3. 12. *aliis occulos, aliis manus amputabant*. Apuleii Metam. IV. p. 53. edit. Lugd. Batav. 1695. *non fusti sed machæra perfossus*, ubi librarii hac ratione loquendi offensi substituere *percussus*; immo aliquando unum verbum duobus respondet, ita ut non vicinam, sed plane contrariam significationem habeat v. c. ut in altera pericope valeat *jubere*; in altera *vetare*. Cic. de nat. Deor. I. 25. *negat esse corpus Deorum, sed tanquam corpus; nec sanguinem, sed tanquam sanguinem*. Phædr. Lab. IV. 17. *nec veto dimitti, verum cruciari fame*. Hoc loquendi genus, in quo sæpe hæserunt viri docti, præclare illustrarunt Gronov. observ. IV. 2. p. 26. Hemsterh. ad Luciani Contemplantes p. 92. et Dorvill. ad Charit. p. 39. R. D.

1 *Hoccine credibile est?*] Elegans perturbatio, in qua inter se Simo, Pamphilus, Davus, Charinus, Byrrhia, Chremes, omnes omnibus redduntur offensi. *Hoccine credibile est?*] Et incredibile est, inquit, et nefandum. E contrario enim ab interrogatione quadam incipiunt, qui nimis irascuntur. ut et illud, *hoccine humanum factum?* Et totum hoc in pronunciatione est. hoc enim genus interrogationis vim negandi exprimit. *Hoccine credibile est?*] A generalitate incipit, ut Cicero Verr. II. 22. *quam facile serpat injuria et peccandi consuetudo, quam non facile reprimatur, videte judices*. D.

Hoccin' est credibile?] Hæc scena ac-

Tanta vecordia innata cuiquam ut siet,
Ut malis gaudeant, atque ex incommodis
Alterius sua comparent ut commoda? ah! 4
Idne est verum? imo id est genus hominum pessimum,

cusationem tenet, quod Pamphilus non servaverit fidem: quippe qui dixerat, se non esse uxorem ducturum eam, quam amabat Charinus. Sed huic accusationi respondet Pamphilus, se potius esse deceptum, neque quod fecerit, hoc fecisse propria voluntate; ut venialis status sit. Accusatio igitur generaliter coepit, quod multi homines mali de incommodis alterius gaudeant. Accusatoris semper est, generalitate proposita ad speciem crimen adjungere. Ut est illud: *nihil enim est, vitæ res poscere cum, qui non possit suæ reddere.* Deinde subjungitur de Cæcilio: *hic ego, Cæcili, de te non dicam.* Ita et hic subjungitur species de Pamphilo, quod ipse malo alterius videatur gaudere. Et est sensus: numquid credi potest, quod sit alicui tanta malitia insita, ut non compatiatur alterius miseriis, sed potius gaudeat: et numquam se felicem credat, nisi sit cui comparatus insultet (*nisi sibi comparavit, cui ins.* Z.) Et definit qui sit invidus. De quo Martialis I. 41. 2. *omnibus invideas, invide, nemo tibi.* E.

Hoccin' est credibile?] Prisc. lib. XII. L.

Ut versus constet totus e Dactylis, legi debet *hoccine credibile, aut memorabile*, quæ lectio reperitur in cod. Academico Prisciani 900 annorum. B.

2 *Cuiquam ut siet*] Singulari et plurali numero respondet. *Cuiquam ut siet, ut malis gaudeant*] Cum dixisset *cuiquam*, intulit numerum pluralem. ut alibi, *si quisquam est, qui placere se studeat bonis Quamplurimis, et minime multos lædere: In his posta hic nomen profitetur suum.* D.

3 *Ut malis gaudeant*] Legitur et *gaudeat*. D.

Malis gaudeant] Ms. R. *gaudeat*. *Ex incommodis alterius*] Cicero 3. De Officiis, *detrahere igitur alteri aliquid, et hominem hominis incommodo suum commodum augere, magis est contra naturam, quam mors.* L.

Donatus, Vaticanus liber, Basilicanus, et unus e nostris habent recte *gaudeant, comparent*. Alii *gaudeat, comparet*. E.

Menander apud Stobæum: Ταῖς ἀτυχίαις μὴ χαῖρε τῶν φίλας. W.

Gaudeant] Ita ex melioribus libris legendum pro *gaudeat*. Nam *quisque* et *quisquam* sæpe junguntur cum verbis pluralis numeri. Sallust. in Catil. c. 37. *sibi quisque ex victoria talia sperabant.* ubi v. Cort. Liv. II. 22. *pergunt domos eorum, apud quem quisque servierant*, ubi plura Drak. R. D.

4 *Atque ex incommodis alterius, sua comparent ut commoda*] Hoc est, non intelligunt commoda sua, nisi ex alterius incommodis ea æstimaverint. *Ex incommodis alterius*] Et hic *gaudeant*, subauditur. *Sua comparent*] Hoc est, acquirant, vel æstimeat (*metiantur* adjectum habet ed. West. Z.) D.

Sua comparent] Ms. R. *ut comparet comm.* L.

Ex incommodis alterius sua] Pro eo Liv. dixit IV. 58. *ex incommodo alieno suam occasionem petere. Comparare* ponitur pro simplici *parare* i. e. quærere, acquirere in Heaut. II. 4. 17. *ut ex illius commodo compararem meum.* R. D.

5 *Idne est verum? imo id genus*] Alii sic, verum est, hoc genus hominum e (pro *e*, West. edidit *hominem*. Non male. Z.) se probavit esse, cum malus sit: et (*sed* Z.) sic contra hoc, imo non hominem, sed pessimum hominem se probavit. *Idne est verum? imo id genus*] Parum accusaverat, dicens, idne est verum hominum genus? et ideo addidit, imo id genus hominum est pessimum. ut hoc facere, non hominis modo sit, sed pessimi hominis. D.

Pessimum hominum genus] Sensus est: hominum genus semper intelligitur pessimum, qui semper fraudibus vi-

In denegando modo quis pudor paululum adest.
Post, ubi tempus est promissa jam perfici,
Tum coacti, necessario se aperiunt, et timent;
Et tamen res cogit denegare.
Ibi tum eorum impudentissima oratio est;
Quis tu es? quis mihi es? cum meam tibi?
Heus, Proximus sum egomet mihi. Attamen, ubi fides?

vunt. At ne quasi contra opinionem omnium istam sententiam videatur dixisse, quod dixerat, *verum hominum genus*, intelligens malos homines, adjecit deinde pessimum hominum genus. E.

Verum] I. e. æquum, justum Cæsar de B. G. IV. 8. *neque verum esse, qui suos fines tueri non potuerunt, alienos occupare.* Liv. II. 48. *verum esse habere eos*, &c. ubi v. interpretes. Sic veritas pro æquitate est apud Rutil. Lup. II. p. 84. ubi v. quæ annotavimus; contra *justum* dicitur pro *verum*. v. Grav. in lectionib. Hesiod. c. 6. R. D.

6 *In denegando modo*] *Modo*, pro tantummodo. *Quis pudor paululum adest*] Adest pudor, ne denegent: non adest, ut et præstent. D.

Cod. Petrensis recte legit *paulum adest*, ut creticus fiat. Atque *in* appone superiori versui. B.

7 *Post ubi tempus*] Deest *est*: ut sit, *tempus est*. D.

Antiqui libri, cum quibus Donatus concordat, omittunt *est*. B.

Perfici] Græco more dicitur pro *perficiendi*. R. D.

8 *Necessario se aperiunt*] Mire ait *necessario*, quia natura sunt tales: necessitas autem in natura est constituta. *Aperiunt*] Mire, *aperiunt*: quoniam tunc eum promittebant, mali erant: sed latebat malitia intra pectoris altitudinem (uterque cod. *in pectoris altitudine*). D.

Bentleius illud *et timent* sequenti præposuit versui. Z.

Se aperiunt] I. e. produnt animum suum. Nepos in Dione c. 8. *quod inimici ejus suos sensus aperturi forent.* Ovid. Art. Amator. 371. *dum sumus incauti studioque aperimur in ipso.* R. D.

9 *Et timent, et tamen res cogit denegare*] Bis numero subauditur *denegare*. Et melius *timent*, quam si diceret, *pudet eos*. Nam timor est etiam malorum: pudor, tantum bonorum. *Res*] Malitia scilicet, tanquam mali sint ad rem, quam præstare non possunt. D.

Res cogit] Ma. R. *premit*: ut et in aliis vett. L.

Faernus in cod. Victoriano pro *cogit* invenit *premit*: quod recepit Bentleius, consentientibus suis. Z.

11 *Quis tu es? quis mihi es?*] *Quis tu es*, ad dignitatem refertur: *quis mihi es*, ad necessitudinem, id est, frater, aut cognatus? Et hæc verba mollia sunt dicta, sed animo aspera. *Cur meam tibi?*] Ἐλλειψις. D.

Post *tu* pone *homo*, et post *cur* desiderat versus *ego*. B.

Quis tu es] Est formula alterum contemnentis. Cic. ad Div. VIII. 16. *ore te quis tu es.* v. Duker. ad Flor. I. 18. p. 176. R. D.

12 *Heus, proximus sum*] *Heus* significatio est modo nominis, ad intentionem considerationemque revocandi. *Proximus sum egomet mihi*] Id est, carior mihimet ipsi sum, quam quisquam alienus. *Proximus*] Carus, benevolus. et hoc est quod ait supra, *quo æquior sum Pamphilo, si se illum in somnis, quam illum amplecti maluit.* Inde proximi et *propinqui* dicuntur, qui nobis cari esse debent. D.

Proximus sum egomet] Hoc est, mihi potius debeo consulere, cum major utilitas nobis nostra est, quam alienæ. *Ubi fides est*] An si interrogeo, ubi sunt quæ promissa sunt, hoc est, ubi fides maneat. E.

Si roges, nihil pudet. hic, ubi opus est,
Non verentur: illic, ubi nihil opus est, ibi verentur.
Sed quid agam? adeamne ad eum, et cum eo injuriam hanc expostulem?
Ingeram mala multa? atque aliquis dicat, nihil promoveris.

Heus pertinet ad finem antecedentis. B.

Ubi fides] Formula querentium de perfidia: in Heaut. II. 3. 15. *O Jupiter, ubinam est fides.* Ovid. epist. VI. 91. *ubi pacta fides.* Cato ap. Gell. X. 3. *ubi fides majorum.* R. D.

13 *Si roges*] Abundat, *si roges*: sed ἰδιωτῶς additum est. *Nihil pudet*] *Pudor* est mali facti: *verecundia* recti et honesti. Ergo mire peccavit. *Hic ubi opus est*] Salvo pudore. *Hic*] Ubi promiserant. D.

Nihil pudet hic ubi opus, illuc ubi opus est, ibi non verentur] *Hic ubi opus est*: hoc est, cum jam debeant complere promissa * (Ms. alter: *complere promissa. Ubi enim opus quo ipsa promissio est.* Alter multa omittit). E.

Nihil pudet hic] Plaut. Epidico II. 1. 1. *Plerique homines, quos, cum nihil refert, pudet: ubi pudendum est, Ibi eos deserit pudor, quum usus est ut pudeat.* L.

Scribe *pudent*, quod est antiquum. Constitue versum sic, *si roges, nil pudent hic, ubi opust: illic ubi.* B.

14 *Illic, ubi nihil opus est, ibi*] *Illic* et *ibi*, aptum irascenti repetitionis genus. *Illic*] Legitur et *illi*. *Ubi nihil opus est*] Ubi nondum promiserunt, ibi verentur; quod ait supra, *in denegando modo quis pudor est paulum.* D.

Non verentur illic] In Ms. R. *vá non verentur*, pro erant: quae neque in Eugraphio. L.

Illud *non verentur*, quod in perantiquo nostro, in regio apud Lindenbrogium, et apud Eugraphium abest, dele, adeo ut versus efficiatur hic: *nil opust, ibi verentur.* B.

15 *Adeamne ad eum*] Hic locus deliberationis est: an adeat ad Pamphilum. et unum *ad* abundat, et moraliter verba Charini sunt posita. *Injuriam*] Pro, de injuria. *Expostulem*] *Expostulatio* est adversus eum, quem incusamus, nam *expostulare*, est querelam apud eum ipsum deponere (excidit, *et.* Z.) de eo ipso qui fecit injuriam: *postulare* autem, querelam dicere de altero apud alterum. D.

Et cum eo injuriam] Cum eo conqueror de hac injuria: hoc enim significat *expostulatio*, cum injuria ei affertur cum aliquo quaestio *. E.

Expostulem] *Expostulare* proprie est vehementer postulare, ut aliquid impleas; quod quoniam fere fit cum querela, *expostulare* saepe etiam significat conqueri de injuria apud eum, qui fecit. v. Donat. ad h. l. et ad Hec. I. 2. 105. R. D.

16 *Ingeram mala multa*] Quasi tela, ita se dicit ingesturum mala. *Atque aliquis dicat, nihil promoveris*] Hoc dicit, et si existat aliquis qui mihi dicat, quid profeceris? respondebo, multum. D.

Nihil promoveris] (Ms. alter: *atque aliquis dicat: nihil promoveris:*) haec quasi per interrogationem pronuntur. Cum sit enim hoc consilium Charini, ut accusationem ingerat in Pamphilum, proponit sibi in irritum accusationem eventuram. Itaque quasi aliquis dicat, frustra accusaturum esse Pamphilum. *Si quis ergo est qui dicat, nihil promoveris:* tanquam responsio subjungitur verbum illud quod sequitur, *multum*: hoc est, multum promovere, dum meam compleam voluntatem. E.

Ingeram mala multa] Plaut. Pseudol. act. I. 2. 125. *Ingere mala multa.* Ps. *Jam ego te differam dictis meis.* L.

Ingeram mala] *Mala* sunt maledicta, convicia. Plaut. in Men. V. 1. 16. *omnia mala ingerebant quemquem adspex-*

Multum. molestus certe ei fuero; atque animo morem gessero.

P. Charine, et me et te imprudens, nisi quid Di respiciunt, perdidi.

C. Itane, imprudens? tandem inventa'st causa, solvisti fidem.

erat. Ingerere est magna copia inferre, translatione ducta, ut Donat. ad h.l. ait, a telis, quæ in hostem ingeri dicuntur. Tib. Eleg. III. 5. 101. *ingeret hic potius juvenis maledicta puellæ.* v. Oudendorp. ad Lucan. V. 681. R. D.

Nihil promoveris] I. e. nihil profeceris. v. Miscellan. observation. nov. T. I. p. 8. R. D.

17 *Multum*] Non subjunxit, quomodo multum? sed illud faciam. *Multum*] Subauditur, *promoveo. Molestus certe ei fuero*] Transitum fecit dicendo, *molestus certe ei fuero.* hoc est, si nihil aliud promovero, certe ei molestus fuero. *Atque animo morem gessero*] Erit fructus iracundiæ ex vindicta. Et per iracundiam atque turbationem non invenit, quod sit multum: aliud ergo invenit, molestus certe ei fuero. D.

Ne temere trochaicos duos iambicus excipiat, mutetur *multum* in *nil?* ut Eun. IV. 2. 10. B.

18 *Charine, et me, et te*] Mire et artificiose fecit, Pamphilum priorem alloqui, ad perfringendum iracundiam Charini. alioquin si prior vociferari potuisset, tragica exclamatione usus fuisset. *Imprudens*] Defensio ab imprudentia. etenim nisi bonæ esset conscientiæ, nunquam diceret *te perdidi*, purgaturus. D.

Charine, et me, et te] Hic incipit defensio, et simul status venialis per imprudentiam. At Charinus perseverat in accusatione, per palilogiam, repetendo *imprudentiam.* Cumque Pamphilus fidem apud amicum perdidisset, qui se et a dictis et a factis nimis insipienter egisse in antecedentibus reprehendit, adhibet testem Davum, cujus consilio ista fecit. E.

Di respiciunt] Ex formula in notis vett. DEUS RESPICE NOS. Plaut. Bacchidibus IV. 3. 24. *tace modo, Deus respiciet nos aliquis.* L.

Nisi quid] *Quid* sæpe abundat post particulas *si* et *nisi.* Cic. ad. Div. IV. 1. *ut si quid tu eum velles ad me mitteres, ne recusaret.* Horat. Sermon. II. 1. 78. *nisi quid tu docte Trebati dissentis.* v. Heins. ad Ovid. epist. VI. 151. et Drak. ad Liv. III. 48. R. D.

Respiciunt] Respicere proprie dicuntur Dii, homines servantes, malis liberantes. Cic. ad Att. I. 15. *nisi quis nos Deus respexerit.* Ovid. Trist. II. 175. *præsens hanc respicis urbem;* in Phorm. V. 3. 34. *Dii nos respiciunt.* v. Brisson. de formul. I. 101. sed homines quoque, qui alterum adjuvant, ejus rationem habent, eum respicere dicuntur in Ad. III. 2. 55. Cic. ad Div. X. 11. *si modo rempublicam respicere volet.* v. Bentleii ad Horat. epist. I. 1. 105. hinc respectus non distinguitur ab auxilio. v. Gronov. ad Liv. XXI. 44. R. D.

19 *Itane imprudens?*] *Imprudens*, distingue. et attende hoc illum repetere, quod indignatur magis, quasi audierit imprudens, et non audierit reliqua. *Itane imprudens*] Quia articulus omnis defensionis per concessivam qualitatem hoc dicto est constitutus: idcirco hoc ipsum Charinus per infirmationem repetit, hoc cupiens eripere Pamphilo, quo ille maxime nititur. D.

Solvisti fidem] Qui quid promittit, *fidem adstringere* dicitur, ut in Eun. I. 2. 22. qui promissum præstat, *solvere.* Cic. ad Div. X. 21. *suam fidem solutam esse.* Plin. epist. II. 12. *prioris epistolæ fidem exsolvi;* ubi v. Cortium, qui *solvere fidem* pro frangere dici docuit. Hoc loco abutuntur; nam hic per ironiam dicitur. v. Duker. ad Flor. I. 1. p. 29. R. D.

P. Quid tandem? C. Etiam nunc me ducere istis dictis postulas.
P. Quid istuc est? C. Postquam me amare dixi, complacita'st tibi.
Heu me miserum! qui tuum animum ex animo spectavi meo.
P. Falsus es. C. Nonne tibi satis esse hoc visum solidum'st gaudium,
Nisi me lactasses amantem, et falsa spe produceres?
Habeas. P. Habeam? ah! nescis, quantis in malis verser miser,

20 *Ducere istis dictis*] *Ducere* hic, ut Græcis ἄγειν. Lucian. in dialog. Jovis et Junon. καὶ ἄγε σὺ καὶ φίλει, τῆς ἡνὸς, φασὶν, ἔλκων. Idem in dialogo Hermotimi et Philopseust. Cui simile est illud Nicostræ: οὐχ ὥσπερ ἀπὸ ἡνὸς, ἕλλ' ἐκ τῶν ὅπων εἶλκε τὸν αὐτοκράτορα. L.

Codd. recentes, auctore Faerno, habent *seducere*, antiqui vero, *ducere*, sc. *falsa spe*, quod placet. Cæterum versus gratia lego, *quid ita tandem? etiam me dictis ducere istis postulas?* B.

Ducere] I. e. fallere, in Phorm. III. 2. 15. *ut phaleratis dictis ducas me*, Plaut. in Captiv. IV. 2. 7. *hic ille est senex ductus, cui verba data sunt.* R. D.

Postulas] I. e. vis, cupis. infra v. 33. *nec postulabat uxorem dare* in Ad. II. 2. 30. *ut hanc mihi eripere postulet.* v. notas ad Rutil. Lup. II. p. 134. R. D.

22 *Qui tuum animum*] Legitur et *cum*. D.

Spectavi] I. e. judicavi. Similis locus Eun. I. 2. 118. *atque ex aliarum ingeniis nunc me judicet.* v. Virgil. Æn. IX. 235. et ibi Serv. R. D.

23 *Falsus es*] Modo participium est, id est falleris: si Pamphilum dicit (forte leg. *Sic Pamphilus id dicit*). Si vero conjungitur, pro *fallax* accipitur (legerim, *si vero* ES *jungitur, pro fallidicus accipitur*). *Hoc solidum*] *Solidum*, plenum. idoneum, integrum. D.

Ne sit versus impeditus et inconcinnus, sublata interrogatione, lego—*non satis tibi esse hoc solidum visum'st gaudium.* B.

Falsus es] I. e. falleris. Sallust. in Jug. c. 85. *næ illi falsi sunt.* R. D.

Solidum gaudium] H. e. verum et magnum. sic solidum beneficium in Eun. V. 2. 32. *solida frequentia* apud Cicero. pro Plane. c. 8. R. D.

24 *Nisi me lactasses*] Produxisses, oblectasses, induxisses. quæ significatio frustrationem ostendit. *Lactare*, est inducere in aliquam voluptatem, a *lactando*, unde et *oblectare* dicitur. D.

Lactasses] *Lactare* ab antiquo *lacio* significat blandis verbis mulcere, delectare. v. Donat. ad h. l. infra V. 4. 9. *sollicitando et pollicitando eorum animos lactas.* R. D.

Falsa spe produceres] I. e. vanis promissis extraheres. Cic. pro Quint. c. 31. *conditionibus hunc quoad potest producit.* R. D.

25 *Habeas*] Permissio animi irati. *Habeam*] Ut supra, *aut si tibi hæ nuptiæ sunt cordi.* P. *Cordi! Quantis in malis verser miser, quantasque hic suis consiliis mihi confecit sollicitudines*] Eiusmodi, ut supra, *cujus consilio fretus sum.* Et cum *verser* protulerit, *conficiat* debuit inferre. est ergo ἀναπόδοτον. aut (recte Ms. Hulst. omittit *aut*. Certe enim non diversum quid narrat, sed ἀναπόδοτον exemplum laudat) ut illud, *principio, amico filium restituo, tibi ge-*

Quantasque hic suis consiliis mihi confecit sollicitudines,
Meus carnifex. C. Quid istuc tam mirum'st, de te si exemplum capit?
P. Haud istuc dicas, si cognoris vel me, vel amorem meum.
C. Scio. cum patre altercasti dudum: et is nunc propterea tibi
Succenset: nec te quivit hodie cogere, illam ut duceres.
P. Imo etiam, quo tu minus scis ærumnas meas 31

nerum firmum, et filiæ invenies virum. D.

Habeas] Σύγχυσις (*συγχώρησις.* Z.) est, quæ fit, quando concedimus mala importune desiderantibus: ut est etiam illud, *habeat, valeat, vivat cum illa.* E.

Habeas] Formula ejus, qui quid cum ira et indignatione concedit. infra V. 3. 18. *immo habeat, valeat, vivat cum illa.* Sueton. in Cæsar. c. 1. *vincerent ac sibi haberent.* v. Donat. ad h. l. R. D.

26 *Confecit*] Legitur et *conflavit. Sollicitudines*] Perturbationes. D.

Libri omnes legunt *confecit.* B.

Confecit] Observanda est modorum variatio *verser*, et *confecit* pro *confecerit*, accuratissimis etiam scriptoribus usitata. Liv. XXXVIII. 33. *non quia salvos vellet, sed quia perire causa indicta nolebat.* v. Duker. ad Flor. II. 15. p. 415. et Cort. ad Sallust. in Jugurtha c. 4. *conficere* ponitur pro simplici *facere.* in Heaut. V. 3. 1. *aliquid gnato conficiès mali.* R. D.

27 *Meus carnifex*] Id est, in me carnifex, qui me torserit. ut alibi, *deo irato meo:* hoc est, in me irato deo. *Si de te exemplum capit?*] Utrum, si te imitatur: an, si de te exigit poenas? ut ipse alibi, *uterque exempla in te edent.* sed melius, te imitatur, accipimus. D.

Quid istuc tam mirum] Ista, inquit, stultitia, et malis moribus vivis, ut juste de te pœnas captet servus, hoc est, *exemplum capit:* ponitur enim hoc ex poena atque supplicio: ut ipse Terentius alio loco dicit, *uterque in te exemplum edent.* E.

Tolle *est*, quod idem Eugraphius nescit. B.

De te exemplum capit] I. e. idem facit quod tu, te imitatur. Plaut. in Most. III. 2. 71. *hinc exemplum capere vult* in Ad. III. 3. 62. *ex aliis exemplum sumere sibi.* R. D.

28 *Haud istuc dicas, si cognoris*] Nosti enim: sed *si cognoris*, non ita dicas. D.

29 *Cum patre altercasti*] Ab iis quæ facta sunt, ad ea quæ facta non sunt. *Cum patre altercasti*] Legitur et *altercatus es.* non enim *alterco* dicimus. D.

Altercasti] Contendisti, diutissime disputasti. E.

Altercasti dudum] Priscian. lib. 8. L.

Altercasti] Antique pro *altercatus es. Altercari* proprie est alternis loqui, etiam sine jurgio. Cæsar de B. C. III. 17. v. Gesner. in Thes. lat. linguæ hac voce. Hinc altercationes opponuntur perpetuis orationibus. v. Drak. ad Liv. IV. 6; deinde hoc verbum translatum est ad contradictiones expostulantium vel rixantium. R. D.

30 *Nec te quivit hodie cogere*] Hoc argumentum attulit ex iis, quæ non sunt facta, cum fieri debuerint. D.

Succenset] Irascitur. E.

31 *Imo etiam*] Propterea (lege *præterea*) et amplius. *Imo etiam*] Deest,

Hæ nuptiæ non apparabantur mihi,
Nec postulabat nunc quisquam uxorem dare.
C. Scio: tu coactus tua voluntate es. P. Mane:
Nondum scis. C. Scio equidem illam ducturum esse te.
P. Cur me enicas? hoc audi: nunquam destitit
Instare, ut dicerem me esse ducturum patri:
Suadere, orare, usque adeo donec perpulit.
C. Quis homo istuc? P. Davos. C. Davos? P. Interturbat. C. Quamobrem? P. Nescio.

audi. Quo tu minus scis ærumnas meas: hæ nuptiæ non apparabantur mihi] *Quo*, id est quod, et deest, *audi*, vel *accipe*: ut sit, quod, vel quoniam minus scis. Vel *quo*, id est, ex quo, aut qua re. Aut certe erit sensus, cum hujusmodi tamen subauditione, imo etiam quo tu minus scis ærumnas meas, eo magis audi. Aut, imo etiam hæ nuptiæ non parabantur mihi, quo ipso minus tu scis ærumnas meas: id est, falsæ nuptiæ erant: quæ res te fallit magis, irasque mihi cogit merito (Lege *immerito*). D.

Ærumnas meas] Miserias et labores. E.

Quo] I. e. propter quod, quare. v. not. ad. II. 5. 18. R. D.

32 *Hæ nuptiæ*] Legitur et *hæc nuptiæ*. sic enim veteres dixerunt. *Non apparabantur*] *Apparari* cum dativo casu semper cladem et perniciem significat. ut Virgil. Æn. II. 132. *mihi sacra parari*. D.

Hæc apud Donatum, recte, more veterum. B.

Hæ nuptiæ] Donat. legit *hæc nuptiæ* et solebant veteres *hæc* nominativo plur. pro *hæ* dicere. v. Bentlei. supra ad I. 1. 99. R. D.

34 *Coactus tua voluntate*] Hæc est accusatio. ille enim excusat per imprudentiam: hic arguit voluntatem. hoc ergo dixit, eo gravius, quo nullo cogente peccasti. D.

Coactus tua voluntate] Quia est necessitas naturalis, est etiam necessitas cum voluntate, est et sine voluntate. Sed postposita naturali, de duabus reliquis hic agitur. Ait enim, quia non pater te coegit, sed tu coactus tua voluntate. E.

Mane] Sic dicunt, qui ægre ferunt, suum sermonem ab altero interpellari, in Heaut. II. 3. 32. R. D.

35 Cod. Palatinus s. Romanus apud G. Fabricium *nondum etiam scis*. recte. Illud *illam* versus quoque respuit. B.

36 *Cur me enecas?*] Excrucias. D.

Cur me enecas?] Cur his dictis crucias. E.

Cur me enecas] I. e. cur mihi molestus es interpellatione tua, in Eun. III. 5. 6. *rogitando obtundat, enecet*. R. D.

37 *Instare, suadere, orare*] Quia dixit, *instare*, *suadere*, *orare*, non plus dicere posset, quando nihil potest esse (Ms. Hulst. *quare nihil potest esse*. Unde suspicor legendum, *quartum nihil potest esse*. Dicit *quartum*, quia tria præcesserunt, *instare*, *suadere*, *orare*. Ed. Venet. 1490. legit *quarto*; similiter Ms. Bœnd. et ed. Du B. Wielingius tuetur *quando*, quod hic valeat, *quia*.) D.

Cum versus hic iusto sit longior, alii *me* ejiciunt, ego deleo *esse*. B.

38 *Donec perpulit*] Id est, persuasit. E.

39 *Davus?*] *Davus*, cum admiratione pronunciandum, *Interturbat*] Deerat et hic, ut Davus diceret: sed plus intulit, *interturbat*. Et *inter*, modo non mediocriter significat (Ms. Hulst. *Et* INTER

Nisi mihi deos satis scio fuisse iratos, qui ei auscultaverim. 40

C. Factum hoc est, Dave? D. Factum. C. Hem! quid ais, scelus?

At tibi Di dignum factis exitium duint.

Eho, dic mihi, si omnes hunc conjectum in nuptias

Inimici vellent: quod, nisi hoc, consilium darent?

modo non pro mediocri significatione est. Varie autem hæc edantur. Sed si verum est, quod Faernus existimat, *τὸ interturbat* ex annotatione irrepsisse, possit etiam hæc animadversio non esse a Donato, ita sibi parum constat:) est enim adauctiva particula. ut *intersectus, interemtus.* Modo *post* ut Virg. Æn. VII. 50.—*hunc inter fluvio Tiberinus amœno Vorticibus rapidis, et multa flavus arena In mare prorumpit.—Nescio*] Quia irascitur Davo, dixit *nescio*: alioquin scit. D.

Dele *interturbat* tanquam glossema. B.

40 *Nisi mihi deos satis scio fuisse iratos*] Deest, quia: ut sit, *nisi quia.* D.

Satis scio] Elegantius abest, et *ei* abundat. B.

Nisi] Pro *sed* ponitur, præsertim post *nescio.* Terentii exempla collegit Bentleius, aliorum scriptorum Grævius ad Plaut. Menæchm. in prol. v. 59. et Duker. ad Liv. XXIX. 20. R. D.

Mihi Deos fuisse iratos] I. e. me stulte egisse, non satis sanam mentem habuisse. Credebant enim veteres, Deos ei, quem punire vellent, mentem et consilium eripere. in Phorm. I. 2. 24. *memini relinqui me Deo irato meo.* Phædr. IV. 19. 15. *Diis est iratis natus, qui est similis tibi.* ubi v. interpretes. Contra iis, qui sanam mentem haberent, Deos propitios esse dicebant, in Phorm. IV. 3. 31. v. Brisson. de formul. L. I. p. 100. R. D.

41 *Factum est hoc*] Non, quod non credat, interrogat: sed quod increpet. D.

Qui auscultaverim] Qui consensum hujus persuasionibus commodaverim. E.

Libb. antiquiores omnes, *factum est hoc*, et mox pro *factum*, Petrensis *factum est.* Utrumque recte. B.

42 *At tibi di*] *At*, principium increpationi aptum. ut Virg. Æn. 11. 535. *at tibi pro scelere.* Et Horatius, Epod. V. 1. *at O deorum quisquis in cœlo regis Terras, et humanum genus.* D.

At tibi] Mss. *ut tibi Di.* L.

At] *At* in principio situm eleganter inservit indignationi et imprecationi. Ovid. epist. XII. 1. *at tibi Colchorum*, ubi v. Heins. Virgil. Æneid. II. 535. *at tibi pro scelere exclamat pro talibus ausis.* v. Donat. ad h. l. et ad Eun. III. 2. 41. et Gronov. ad Justin. XIV. 4. R. D.

Duint] Antique pro *dent.*

Dic mihi] Hac formula utuntur vel curiose inquirentes vel cum stomacho et superbia interrogantes. v. Eunuch. I. 2. 20. in Hec. III. 2. 21. et Broukhus. ad Propert. IV. 3. 23. Burmann. ad Ovid. epist. XVI. 341. R. D.

43 *Eho, dic mihi*] *Eho*, interjectio est intentionem audientis exposcens. *Dic mihi*] Semper *τὸ dic mihi*, injuriosum est. ut Virgil. Ecl. III. 1. *dic mihi, Damœta, cujum pecus?* D.

44 *Quod, nisi hoc consilium, darent?*] Cum odio *hoc* pronuntiandum est. ideo *conjectum* dixit. D.

Eho dic mihi] Stultum admodum, Dave, et contrarium domino dedisti consilium: namque si inimici Pamphilum vellent uxorem ducere, non aliud consilium darent, quam quod tu dedisti: uti cum videres eum alterius amore retineri, cogeres tamen ut promitteret patri uxorem esse ducturum. E.

Inimici ejus vellent] Ita ex Ms. edi-

D. Deceptus sum, at non defetigatus. C. Scio.
D. Hac non successit, alia aggrediemur via.
Nisi id putas, quia primo processit parum,
Non posse jam ad salutem converti hoc malum.
P. Imo etiam. Nam satis credo, si advigilaveris,
Ex unis geminas mihi conficies nuptias.
D. Ego, Pamphile, hoc tibi pro servitio debeo,
Conari manibus, pedibus, noctesque et dies,

tum. tamen in reg. exempl. et aliis τὸ *ejus* non habetur. L.

Ne versus duriter incedat, pro *quod*, *nisi* lege *quidni*. B.

45 *Deceptus sum*] Concessio. *Scio*] Τὸ *scio*, non ad deceptionem, sed ad defatigationem reddit. ergo eum *εἰρωνείᾳ* sonandum. D.

Defetigatus] Mss. *delassatus*. L.

Deceptus sum] Cum non habeat purgationem servus, confitetur de peccato: tamen promittit aliquid spei, ut periculum possit evadere. E.

46 *Hac non successit*] Deest, *quod conabamur*: et proprie de bono sic dicitur. *Alia aggrediemur via*] Vel *adoriemur*, id est enitemur. *Adoriri* proprie dicitur repente ex insidiis aliquem invadere. D.

Codd. superstites omnes, *aggrediemur*. B.

Hac non successit] *Succedere* dicitur, cum bene aliquid provenit. E.

47 Lege, *nisi* SI *id putas*. B.

Nisi id putas] Nisi credis, inquit, exinde jam ne (forte, *me*) bonum consilium reperiri (*reperire*) non posse, quia primum contrarius decepit eventus. E.

48 Lege numerose magis, *non jam ad salutem posse* &c. B.

Menander in Conizomenis apud Stobæum: Ὥστε μηδεὶς πρὸς Θεῶν Πράττων κακῶς λίαν ἀθυμήσῃ ποτέ· Ἴσως γὰρ ἀγαθοῦ τοῦτο πρόφασις γίνεται. W.

Processit parum] I. e. infeliciter evenit. Liv. XXII. 25. *quod ubi parum processit*. Procedere etiam simpliciter dicitur pro ex voto evenire. Liv. II. 44. *velut processisset Sp. Licinio*, ubi. v. Drak. R. D.

49 *Credo si advigilaveris*] Colligit Pamphius consilia Davi ad hoc proficere posse, ut mala duplicata geminentur. et est σαρκασμός. E.

Satis credo] *Satis* elegante jungitur verbo *credo* in Eun. V. 8. 21. Liv. XXI. *ad* 150 *millia habuisse in armis satis creditur*, ubi v. Duk. Sic frequens est *satis constat*. R. D.

Si advigilaveris] I. e. si curam intenderis, in Phorm. I. 4. 26. *tanto magis te advigilare æquum est*. Præpositio *ad* vim verbi auget in compositione, R. D.

51 *Hoc tibi pro servitio debeo*] Μεταληπτικῶς vel μετωνυμικῶς *servitium* pro servitute posuit: ut Virg. Æn. III. 327. *servitio enixe tulimus*. D.

Pro servitio debeo] Ut corpus quod in servitio est, debeat servientis officium: animus vero nunquam a servo quæri debeat: ita consilium quod dedi parum si provenit, debes ignoscere. Hoc cum dominus audisset, petit ut sibi præterita fortuna restituatur. E.

52 *Conari manibus, pedibus, noctesque et dies*] Ad id intulit, quod ait supra, *quem ego credo manibus, pedibusque obnixe omnia facturum*. Et accusativo casu sine intermissione significat, *noctes et dies*. *Manibus, pedibus*, ὑπερβολικῶς. D.

Noctesque et dies] I. e. summa assiduitate, sine ulla remissione, in Eun. II. 1. 13. Sallust. in Jug. c. 23. et ibi Cort. Copula *que* eleganter ponitur ante aliam copulam. in Ad. I. 1. 39. *æquumque et bonum*. Liv. in præfat. *cum votisque ac precationibus*. v. Drak. ad Liv. II. 31. R. D.

Capitis periclum adire, dum prosim tibi.
Tuum'st, siquid præter spem evenit, mihi ignoscere.
Parum succedit quod ago? at facio sedulo. 55
Vel melius tute reperi: me missum face.
P. Cupio. restitue, quem a me accepisti, locum.
D. Faciam. P. At jam hoc opus est. D. Hem! st, mane: concrepuit a Glycerio ostium.

54 *Præter spem evenit*] *Evenit*, productum magis: quia hoc perpetuo non vult Pamphilo accidere. Ergo *evénit*, non autem *évenit* media correpta. D.

Metri ratio *évenit*, non *evénit*, efflagitat. B.

Menander in Δυσιδαίμονι, apud Stobæum: Οὐ δεῖ γὰρ ἀδικεῖν οἰκέτας· ἄλλως τε καὶ Ὅταν οὐ πονηρῶς, ἀλλὰ μετ' εὐνοίας τινὸς πταίσωσιν· ἀισχρὸν τοῦτο γὰρ πίλεται πάνυ. W.

55 *Parum succedit quod ago*] Si nostrum est, officia præbere: at nostrum non est, fortunam posse præstare. Et bene *succedit*, ut, quod agimus, ostendat successus esse fortunæ. *Parum succedit quod ago*] Utilis sententia pro sapiente contra fortunam. *Sedulo*] Id est, ex animo, et sine dolo. *Me missum face*] Id est, noli uti opera mea. D.

Victorianus et alii antiqui codd. *succedit*, recte non *successit*. B.

56 Omnes Faerni et nostri, *tute*, recte; plerique etiam addunt *aliud*, male. B.

57 *Restitue, in quem me accepisti locum*] Sensus hic est, omnia mihi integra et salva redde, qualia tibi tradidi consulturo (Ms. Hulst. *consulto*. Forte *consulturus*; ut notetur ipse Pamphilus,) vel quum nihil promisissem patri. D.

Restitue quem a me accepisti locum] Quoniam servus dixerat: si consilium meum bonum non est, *tute aliud reperi*: dominus dicit se utile sibi esse reperturum, si modo in eo loco sit, ubi fuit ante quam promisisset patri. Tunc enim tuta erant omnia, neque quadam necessitate tenebatur, ut uxorem duceret. Nunc autem quia coactus a servo est, non poterit jam negare, quod pollicitus est. E.

Recentiores *in quem*, sed vetustiores recte omittunt *in*. B.

Restitue in quem, &c.] In optimis membranis legitur *restitue quem a me accepisti locum*, quam lectionem Bentlei. confirmat ex Phorm. prol. v. 34. Locutio translata est a re militari. Milites enim dicuntur tueri locum, cedere locum, dimittere locum, locum non tenere. v. Burmann. ad Ovid. Art. Amator. I. 2. 24. et Cort. ad Sallust. Catil. c. 9. Verum nec altera lectio spernenda restituere in locum. Cic. ad Attic. II. 22. *restituique in eum locum cupere, ex quo decidit*, sed est Græcismus, in ea lectione sic explicandus, *restitue me in illum locum, in quo me accepisti*. Græci enim pronomen eodem casu ponunt, quo nomen antecedens, quam rationem interdum imitantur Latini. Liv. I. 29. *raptim quibus quisque poterat elatis*. R. D.

58 *Hem: sed mane*] Hoc quasi incipientis demonstrantisque, aliquid novi se invenisse. D.

Crepuit a Glycerio ostium] Cur totiens in antiquorum fabulis hæc verba legantur, *fores crepuere*, vel *pulsabo fores*, Plutarchus nos docet in Publicola: κόπτουσι καὶ ψοφοῦσι τὰς ἑαυτῶν θύρας ἴσασθεν, ὡς προϊέναι μέλλοντες, ὅπως αἴσθησις ἔξω γένοιτο τοῖς παρεσχομένοις, ἢ προεστῶσι, καὶ μὴ καταλαμβάνοιντο προϊούσαις ταῖς κλισίαις εἰς τὸν στενωπόν. Optime Helladius in excerptis apud Photium, Biblioth. pag. 875. ἔστι, φησὶ, τούτου χάριν κόπτουσι παρὰ τοῖς καμινοῖς οἱ ἐξιόντες τὰς θύρας, διότι οὐχ', ὡς παρ' ἡμῖν νυνὶ, τὸ παλαιὸν ἀνεῴγνυντο αἱ θύραι, ἀλλ' ἐναντίῳ τρόπῳ. ἔξοδον γὰρ αὐτὰς ἀνατείποντες,

P. Nihil ad te. D. Quæro. P. Hem! nuncine demum? D. At jam hoc tibi inventum dabo.

ACT. IV. SCENA II.

MYSIS. PAMPHILUS. CHARINUS. DAVUS.

JAM, ubi ubi erit, inventum tibi curabo, et mecum adductum

ἐδόθην ἐξήσαν. πρότερον δὲ τῇ χειρὶ ψόφον ἐποίουν κρούοντες, ἐπὶ τὸ γνῶναι τοὺς ἐπὶ τῶν θυρῶν, καὶ φυλάξασθαι μὴ πληγὰς ἐστῶς λάθῃ, τῶν θυρῶν ἀθυμενῶν ἄφνω. Videlicet domus ita ædificatæ fuere, in publicum ut aperirentur: sed publicæ tantum vel nobilium. Conjecturam sic facere licet ex Arist. cum de Hippia scribit οἰκονομικῶν lib. 2. cap. 2. Ἱππίας ὁ Ἀθηναῖος τὰ ὑπερέχοντα τῶν ὑπερῴων εἰς τὰς δημοσίας ὁδοὺς, καὶ τοὺς ἀναβαθμοὺς, καὶ τὰ προφράγματα, καὶ τὰς θύρας τὰς ἀνοιγομένας ἔξω, ἀπώλησεν. Nam hic differitatis causa, τὰς ἔξω ἀνοιγομένας opponit ταῖς ἔσω. Plutarchus in commune de omnibus id scribit: τὰς δὲ ἑλληνικὰς (θύρας) πρότερον οὕτως ἴσχειν ἁπάσας λέγουσιν, &c. sed comœdiis cum rem probare vult, comicam hoc plane testimonium: nisi quod lenonum sive meretricum ædes hoc modo leguntur apertæ, quia et ipsæ quasi publicæ. Falluntur vero qui pulsandi fores, et strependi discrimen confundunt. quod nobis dilucide explicat Scholiast. Aristophan. in Nubib. οὐχὶ κόπτω τὴν θύραν] Παρατηρητέον ὅτι ἐπὶ μὲν τῶν ἔξωθεν κρουόντων, κόπτειν λέγουσιν. ἐπὶ δὲ τῶν ἔσω, ἐψόφησε τὴν θύραν ἐξιών. Ergo κόπτουσι sive pulsant januam intraturi, ψοφοῦσι sive strepunt qui exituri. Vid. Scholiast. Euripid. in Orestem p. 129. Phot. in Biblioth. p. 875. Thom. Magistrum in κόπτει τὴν θύραν. L.

Omnes codd. *hem sed*. Igitur ne *sed* elegans pereat, et versui consulatur, sublatis *hem* et *mane*, substituimus *hinc*. Omnes fores, quæ in fabulis memorantur, intra scenam erant, et eam versus aperiebantur. Lege igitur, *sed concrepuit hinc*, &c. B.

Concrepuit a Glycerio ostium] Frequens est in comœdiis mentio crepantis ostii. Hec. IV. 1. 6. Phorm. V. 5. 12. Scilicet exituros prius intrinsecus fores ædium suarum percussisse, ut illo strepitu admonerentur, qui foris erant, et sibi caverent, absisterentque eatenus, ne læderentur, vel in viam percellerentur, diserte testatur Plutarchus in Publicola. Observat autem Sagittarius, de Januis Veterum, cap. XXII. §. 11. Romanorum fores introrsum apertas, contra ac Græcorum. Idem testatur Plinius, Hist. Nat. XXXVI. 15. Plautus, Mil. II. 1. 76. *Sed foris concrepuit hinc a vicino sene.* W.

59 *Nihil ad te*] Hæc enim ad cogitantem nihil pertinere oportuit *Nuncine demum?*] Pro denique. *At jam hoc tibi inventum dabo*] Consilium scilicet, quo in pristinum locum restituaris. D.

Nihil ad te] Hic diu inquirentem servum, et vana sibi colligentem castigat adolescens. *Inventum dabo*] Hoc quod quæris jam inveniam, et consilio tibi eum locum restituam, quem antea tenebas. E.

Cod. insignis, *hem nuncne demum*. recte. B.

Inventum dabo] H. e. inveniam, in Eun. II. 1. 9. *effectum dabo* i. e. efficiam. R. D.

1 *Jam, ubi ubi erit*] In scena hac, instauratio est adhortationis Pamphili per Mysidem. Opus est enim exhortari rursus adolescentem, ne sub patris oppressione frangatur. *Jam, ubi ubi erit*] Opportune rursus, æstuante Pamphilo,

Tuum Pamphilum: tu modo, anime mi, noli te macerare. P. Mysis, quid est? M. Hem, Pamphile, optume te mihi offers. P. Quid est? M. Orare jussit, si se ames, hera, jam ut ad sese venias: Videre ait te cupere. P. Vah! perii: hoc malum integrascit. 5

amicæ mentio objicitur per Mysidem, ne succumbat ad nuptias patri, quamvis promiserit patri se ducturum conjugem. adversus quam difficultatem, quia ipsius persona non sufficit, id agit, ut ad Glycerium modo adducat Pamphilum: cujus affectum excitat, non ex eo solum, quod eum peulla vocat: sed etiam, quod desiderat eum videre. *Ubi ubi erit*] *Ubi ubi*, in prima parte vim suam tenet, in posteriore productionem: et est quemadmodum *ut ut*, *qua qua*, *unde unde*: pro ubicunque, utcunque, quacunque, undecunque. *Jam ubi ubi erit, inventum tibi curabo.* Non solum se adduoturam promisit, sed et tempus addidit. Et bene *tibi*, quasi amanti. D.

Jam, ubi ubi] Oportune in hac scena incerto adolescenti et anxio plane quod agat, interponitur Mysis ancilla, cujus aspectu et commemoratione facile animus in amorem inclinatus incubat (forte, *incumbat* Z.) quemadmodum et supra diximus. E.

Ubi ubi] I. e. ubicunque. Cic. Tusc. quæst. I. 29. *ubi ubi sit animus*, ubi v. Davis. Liv. II. 2. *ne ubi ubi regum desiderium esset*, ubi v. interpret. *Sic unde unde* pro undecunque ap. Sueton. in Claud. c. 17. *cui cui* pro cuicunque et *qua qua* pro quacunque apud alios, quam repetitionem sæpe a librariis neglectam esse decet Oudend. ad Sueton. loco citato. R. D.

2 *Anime mi*] Mollis oratio et feminea, multis implicata blandimentis. Ait enim, *tu modo, anime mi. Mi*, pro (forte, *πρὸ τοῦ*. Z.) *meus*. D.

Anime mi] Comicum nomen blandientis. E.

Colloca *modo tu*, et versus salvus erit. B.

Macerare] Proprietas verbi apparet in Ad. III. 3. 27. *salsamenta hæc fac macerentur pulchre* i. e. aqua molliantur. Hinc translatum ad animum significat aliquem curis et ægritudinibus conterere, ut macrescat. Ovid. epist. XX. 125. *maceror interdum, quod sum tibi causa dolendi*. Liv. V. 54. *quæ vos macerent desiderio*, ubi v. Drak. R. D.

3 Pone *P. Mysis*. M. QUIS *est? ehem, Pamphile*, OPPORTUNE *te mihi offers*. Deletis ultimis, *quid est?* Nam *quis* habet unus cod. cf. supra II. 2. 7. *ehem* monosyllabon præfer *τῷ hem*, quod est indignantis vel conturbati: *opportune*, ut Adel. III. 2. 24. quod sæpe permutatur cum *optume*, ob similitudinem, *optune* et *optuma*. Denique *quid est*, a correctoribus ortum est ad versum supplendum, postquam vitiose legerunt *optume*. B.

Te mihi offers] I. e. mihi obvium se. Liv. XI. 35. *forte oblatum productumque in regiam*, ubi v. Gron. Pro *se offerre* in Hec. IV. 4. 5. dicitur se ostendere. R. D.

4 *Orare jussit*] Παράλειψις, cum prætermittentes quædam nihilominus dicimus. Nam prætermisso nomine Glycerii ait, *orare jussit*, quia superfluum esset, si nominaret eam. E.

Orare jussit] Priscian libb. 2. et 6.

5 *Hoc malum*] Amor meus, aut Glycerii sollicitudo, quam nescire oportuit nuptias. *Integrascit*] *Integratur*, quod ad integrum redit, quod repetitur, quod instauratur. Virgil. Georg. IV. 511. *remosque sedens miserabile carmen integrat*. D.

Videre ait te cupere] Hoc per affectus necessitatem. Hoc utique Mysis egit, ut adolescens amore rursus incitatus existeret. *Integrascit*] Renovatur. E.

Hoc malum integrascit] Aristophan.

Siccine me, atque illam opera tua nunc miseros sollicitarier.
Nam idcirco arcessor, nuptias quod mihi apparari sensit.
C. Quibus quidem quam facile potuerat quiesci, si hic quiesset?
D. Age, si hic non insanit satis sua sponte, instiga.
M. Atque edepol
Ea res est; proptereaque nunc misera in mœrore est.
P. Mysis,
Per omnes tibi adjuro deos, nunquam eam me deserturum:

in Vespis, prope finem: τουτὶ καὶ δὴ χωρεῖ τὸ κακὸν. L.

Integrascit] I. e. renovatur. R. D.

6 *Sollicitarier*] Perturbari. D.

Lege, ut versus postulat, *sollicitari*. B.

Sollicitarier] I. e. sollicitudine affici. infra V. 3. 16. *cur meam senectam hujus sollicito amentia*, in Ad. I. 1. 11. *quibus nunc sollicitor rebus*. R. D.

7 *Quod mihi apparari*] *Apparari*, ad horrorem et timorem refertur: et dativo casus subjunctum, cladem et perniciem significat. ut Virgilius, Æn. II. 132. *mihi sacra parari*. D.

8 *Potuerat quiesci*] Charini persona istud dicit, quam facile quiesci potuerat, in nuptiis, si Davus non tale domino tradidisset consilium, ut ducturum se promitteret? E.

Antiqui codd. pro *poterat* recte *potuerat*, versu ipso postulante. B.

Quibus quam facile potuerat quiesci] H. e. a quibus nuptiis, quæ nos nunc sollicitant et perturbant, quam facile potuerat esse quies, sive poteramus esse sine ulla cura nuptiarum. Sic locum exponit Perizon. ad Sanctii Minerv. III. 3. p. 375. R. D.

9 *Age, si hic non insanit satis*] Hic excitus (Ms. Hulst. et R. Steph. habent ita. Sed edd. vett. *hic exitus*. ed. Paris. 1552. totam hanc notam omisit. Utraque vero lectio mendo laborat. Malim: HIC, *cerritus*. *Comprimit Charinum*. Certe quidem *cerritus* pro *insano* adhibetur. Nisi *excitus* sit iratus.) comprimit Charinum, ne fomenta iracundiæ Pamphilo præbat. Aut, si, pœnitet te, quantum hic sua sponte insanit. *Si hic non insanit satis*] Εἰρωνεία est, aut laus ad mitigandum (*irritandum*. Ms. Bœnd. et ed. Du B.) Pamphilum. D.

Age si hic non insanit] Si dominus meus, inquit, sua sponte non irascitur, tu, Charine, impelle et coge. *Ædepol ea res*] Mysis respondet ad id, quod Pamphilus fuerat suspicatus; quod Glycerium idcirco se advocet, quod nuptias futuras esse audivit. *Ea*, inquit, *res est*. Hæc causa est miseræ ad dolorem (*quæ miseræ adfert dolorem*. Z.) E.

Translata esse videntur e Menandri Perinthia; in qua sunt hæc: Ὅστις παραλαβὼν δεσπότην ἀπράγμονα, Καὶ κουφὸν ἐξαπατᾷ θεράπων, οὐκ οἶδ' ὅτι Αὐτὸς μεγαλεῖον ἐστι διαπεπραγμένος, Ἀπαβελτερώσας τὸν τὸ πρόσθ' ἀβέλτερον. W.

10 *Ea res est*] Id est, nuptias apparari sensit. *Mysis*] Asseveratio est, si a nomine ejus incipias, cum quo loqueris. D.

In mœrore est] I. e. mœret, sic in Eun. V. 8. 5. *in gaudio esse* pro gaudere. R. D.

11 *Per omnes tibi adjuro deos*] *Ad*, auctiva (*adauctiva* recte est in Ms. Bœnd.) particula est: *ut*, *admirabiliter*. valde mirabiliter: *adjuro*] Et hoc superest, amissa fide ut adjurandum sit. D.

Per omnes tibi adjuro] Sic semper hi, apud quos jam periit fides, cum argumenta deficiunt, per jusjurandum sibi in probationem succurrunt: ut est Si-

Non, si capiundos mihi sciam esse inimicos omnes homines.

Hanc mihi expetivi, contigit: conveniunt mores. valeant, Qui inter nos discidium volunt. hanc, nisi mors, mihi adimet nemo.

C. Resipisco. P. Non Apollinis magis verum, atque hoc, responsum est. 15

non apud Trojanos, qui cum sibi ex captivitate parum credi intelligeret, jusjurandum adhibuit, Virg. Æn. II. 154. *vos, æterni ignes, et non violabile vestrum Testor numen, ait.* E.

Dele *tibi*, ut redundans. B.

Adjuro] *Adjuro* ponitur pro simplici juro. Cic. Phil. II. 4. *adjuras id te invito me non esse facturum.* R. D.

12 *Omnes homines*] Mira verecundia: *omnes homines* maluit dicere, ut in his quoque parentes significaret, quam aperte dicere patrem, cujus metu promisit nuptias. et est contra illud, *sed vim ut queas ferre. Omnes homines*] Ita dixit de uno, hoc est patre, *omnes homines*: ut idem alibi, *O cœlum, O terra, O maria Neptuni.* Nunquid et cœlum Neptuni est? non utique: sed omnia hæc maria voluit esse. ut Virg. Ecl. VIII. 58. *omnia vel medium fiant mare.* D.

Non si capiundos] Hoc ex generalitate conclusit. E.

13 *Contigit*] Quod vix evenit, *contigisse* dicitur. *Conveniunt mores*] Recte: et id quod matrimonium firmat. *Valeant*] Hoc est, abeant, recedant: quia et discedentibus et mortuis, *vale* dicitur. ut Virg. Æn. XI. 97. *salve æternum mihi, maxime Palla, Æternumque vale.* vel potius τῷ ἐυφημισμῷ, cum male optaturus esset, considerato patre παραδόξως locutus est: et non dixit, quod intenderat, pereant. Et attende quam moderate pluraliter dixerit, cum significaret patrem. *Valeant*] Renunciationis et imprecationis est verbum. D.

Valeant] Ἀμφολογία, id est, pereant, R.

Valeant qui inter nos] Serv. Æneid. XI. 97. L.

Valeant] I. e. in malam rem abeant, est formula renuntiandi et male precandi in Ad. IV. 4. 13. Horat. Epist. II. 1. 180. *valeat res ludicra*, ubi v. Lambin. R. D.

14 *Hanc nisi mors, mihi adimet nemo*] Etsi valeant, hanc, nisi mors, nemo adimet. Concessio hic est, hoc enim per concessionem dicitur. *Hanc, nisi mors, mihi adimet nemo*] Perseverat, ne dicat, pater: pro, non adimet pater. D.

Qui inter nos dissidium] Id est, divortium. E.

Recte Faernus pro *dissidium* ponit *discidium*, consentientibus nostris vetustis libris. Nam venit a *discindere*, ut *excidium* ab *excindere*. B.

Discidium] Discrimen est inter *dissidium* a dissidendo et *discidium* a discidendo. *Dissidium* est dissensio voluntatis et animorum, *discidium* vero corporum atque adeo divortii. R. D.

15 *Resipisco*] Spiritum revocat sensus (lego: *spiritum revocat sensim.*) *Magis verum*] Aut *magis verum*, aut *verius* dicimus. D.

Non Apollinis] Παραβολή: siquidem est rerum genere dissimilium. E.

Pro *resipisco*, cod. C. C. *respiro*. Utrumque recte. Cæterum hoc verbum ipsi Mysidi tribue. B.

Resipisco] I. e. animum recipio vel respiro, ut in Heaut. II. 2. 12. R. D.

Non Apollinis magis verum, &c.] Proverbium de iis, quæ verissima sunt. Ovid. Art. Amator. III. 789. *sed neque Phœbei tripodes nec corniger Ammon Vera magis vobis quam mea Musa canent.* R. D.

Atque hoc] *Ac* et *atque* non solum

Si poterit fieri, ut ne pater per me stetisse credat,
Quo minus hæc fierent nuptiæ, volo: sed si id non poterit,
Id faciam, in proclivi quod est, per me stetisse ut credat.
Quis videor? C. Miser æque atque ego. P. Consilium
quæro. C. Fortis.
P. Scio quid conere. D. Hoc ego tibi profecto effectum reddam. 20

post *alius, contra, perinde, similiter*, sed etiam post comparativum pro *quam* ponuntur Cic. ad Attic. XIII. 1. *videtur diutius abfuturus ac vellem.* Catull. LX. 176. *illi non minus ac tibi pectora uritur intimo flamma.* v. Bentl. ad Horat. Sermon. I. 1. 46. R. D.

16 *Ut ne pater*] *Ut ne*, pro ne non. *Per me stetisse*] *Stetisse*, hoc est, factum esse. ut Virgil, Æn. VIII. 191.—*desertaque montis Stat domus.* Aliter, plenum est; ut idem, Ecl. VII. 53. *stant et juniperi, et castaneæ hirsutæ.* Aliter horret; ut Æn. VI. 300. *stant lumina flamma.* Et Lucilius, *stat sentibus fundus. Per me stetisse*] Hoc est, per me factum esse, ne fierent nuptiæ. D.

Per me stetisse] H. e. per me factum esse, me causam fuisse. Cæsar de B. C. I. 141. *per Afranium stare quo minus prælio dimicaretur.* Liv. VIII. 2. *nec quo minus cum eis amicitia esset, per Populum Romanum stetisse*, ubi v. Drak. R. D.

18 *In proclivi est*] Hic dicitur pro *proclive est.* Quidam codices habent *in proclivo est.* De forma *proclivus.* v. Fabricium ad h. l. et Oudendorp. ad Hirt. de Bello Afric. c. 10. R. D.

19 *Miser æque, atque ego*] Bene, *atque ego:* quia hic amore vexatur. Et intulit παράδοξον (lege, ἀπροσδόκητον. Nihil enim minus παράδοξον, quam binos amatores pariter esse miseros. W. Inepte plane corrigitur hoc, quod idem valet. Z.) Nam volebat Pamphilus sibi dici, et fortis (τὸ ει sensum turbat. Id vult Donatus, Pamphilum, ubi rogasset, *quis videor?* exspectasse, ut Charinus diceret, *fortis.* Mihi aliter videtur. Illa enim, *quis videor?* delentis potius sunt, quam laudari volentis. W. Pro *dici* leg. *videri.* Z.) quod illi tamen mox dicetur. Hic igitur aliter respondet, atque interrogat Pamphilus, ideo quod videat impossibile esse, pellam resistere parenti. D.

Quis videor? miser] Quoniam secundum consilium, quod Pamphilus posuit, tale est, ut dixerit patrem se non timere, si intellexerit quod ipse fecit, ne nuptiæ fierent. Idcirco et quæsivit ipse qualis futurus esset ex hoc consilio, et responsum est ei, *miser æque atque ego.* E.

Æque, atque ego] Postremæ duæ voces in Ms. non erant. L.

Consilium quæro dicit Davus: lege *fortis;* hæc Charinus non Pamphilo, sed Davo dicit: sequentia *scio quid conere*, emenda *si quid conere*, et tribue ipsi Charino. Nam nondum potest irritus Pamph. blande loqui cum Davo. B.

Fortis] Bentleius eleganter legit *fortis es, si quid conere* hoc sensu: optimum consilium extundes, si modo nervos intendes. R. D.

20 *Scio quid conere*] Sensus est, scio quidem quid coneris: sed an efficere possis, nescio. *Scio quid conere*] Si Pamphili est persona, cum *sponte* dicitur: si Charini, simplex laudatio est. sed si Pamphili est, hoc significat quod supra, *ex unis geminas mihi conficies nuptias.* Sed non esse personam Pamphili, ex subjectis ostenditur. (Atqui non esse personam Charini, ex responso Davi patet, *hoc ego tibi profecto effectum reddam*, quod sane Pamphilo dictum, ut illa, *huic, non tibi habeo*, dicantur Charino.) D.

Hoc ego tibi] Quis spem habere pos-

P. Jam hoc opus est. D. Quin jam habeo. C. Quid est? D. Huic, non tibi, habeo, ne erres.
C. Sat habeo. P. Quid facies? cedo. D. Dies mihi hic ut sit satis vereor
Ad agendum; ne vacuum esse me nunc ad narrandum credas.
Proinde hinc vos amolimini: nam mihi impedimento estis.
P. Ego hanc visam. D. Quid tu? quo hinc te agis? C. Verum vis dicam? D. Imo etiam: 25

se cognoscitur, quod ipsius opera futurum sit, nuptiæ ne fiant: ideo dixit, *consilium quæro*. E.

21 *Huic, non tibi habeo, ne erres*] Deterret etiam nunc Charinum, ut et ipse adjuvet Davum, ne Pamphilo nubat Philumena. Et eodem sensu utitur Davus adversum Charinum, quo supra: quasi necesse sit, si huic non dat, te illam uxorem ducere. *Huic, non tibi habeo, ne erres*] Velut etiam pro se Charinus sentiat, hoc dicit (lege et distingue: *velut etiam pro se Charinus sentiat hoc dici:*) vel ut salvat servi contumaciores adversum amicum domini, quia nuper a Charino accusatus est: vel quia, et quid dicat non habet, et videt tacendum non esse. D.

Non tibi habeo, ne erres] In Ms. τὸ *habeo* deest. L.

22 *Sat habeo*] Quia dilatio facta est. *Ut sit satis*] *Ut* pro ne non. D.

Dies hic mihi] Davus servus cum consilium quæreret, ut proferat, ipse sibi reperit argumenta, ut dicat diem sibi vix posse sufficere, ut compleat de narratione consilium. *Vereor* autem est, timeo: et tali verbo junctum pro *ne* accipitur. E.

Colloca e libris Faerni *dies mi hic ut satis sit*. Metri causa. B.

23 *Ne vacuum esse me*] *Ne*, pro nedum. aut adverbium est prohibentis: ut sit *ne non*. Sallust. (in Fragm.) secundo libro, *ne illa tauro pariæ sint*, pro nedum. D.

Vacuum esse] I. e. vacuum tempus habere. Cic. in Bruto c. 5. *cum te scirem esse vacuum*. R. D.

24 *Proinde hinc vos amolimini*] *Amoliri* dicuntur ea, quæ cum magna difficultate et molimine summoventur, et tolluntur e medio. sic dixit quasi odioso et molesto (lege, *odiosis et molestis*, uti mox, *impedientibus*.) *Discedere* dicitur, qui facile abit e medio: *amolitur*, qui vix recedit. *Proinde hinc vos amolimini*] Molestum impedimentum ex rei magnitudine incentis in medio, et ideo impedientibus se dixit, *amolimini hinc*, non abite. *Proinde hinc vos amolimini?*] Spe injecta, etiam domino imperat servus callidus. *Nam mihi impedimento estis*] Utrum hoc vere dicit, an fingit, qui adhuc consilium non invenit, quod narrare possit? D.

Amolimini] Discedite. Nam *moliar* est conor vel excogito: unde *amolior* et *demolior*. *Mola* vero, est molam verto. E.

Hinc vos amolimini] I. e. abite. v. Donat. ad h. l. similis formula in Phor. III. 3. 34. *te hinc amove*. R. D.

25 *Hanc*] Glycerium scilicet, et cum miseratione puellæ, *hanc*. *Quo hinc te agis?*] Ut tarditatem discedentis ostendat. *Agere se* enim et tardi et tristes dicuntur. sic Virgil. Æn. V. 271. *amissis remis atque ordine debilis una, Irrisum sine honore ratem Sergestus agebat*. Idem alibi Æn. VI. 337. *esse gubernator sese Palinurus agebat*. *Quo hinc te agis?*] Admonitio discedentis, ut solet. Nam a quo discedere desi-

Narrationis incipit mihi initium. C. Quid me fiet?
D. Eho tu impudens, non satis habes, quod tibi dieculam addo,
Quantum huic promoveo nuptias? C. Dave, attamen. D. Quid ergo?
C. Ut ducam. D. Ridiculum. C. Huc face ad me ut venias, si quid poteris.

ramus, admonemus eum ubi vadat, vel quo eat. Id facere per interrogationem, admonet Davus Charinum, ut ipse abscedat Charinus, qui nunc ultimus remanet. *Verum vis dicam*] Pro initio sedulæ narrationis hoc sumimus. Ac sic respondet Charinus, tanquam qui intelligat, non dicere (sensus postulat vel *dici*, vel *scire*, vel *discere*. Ed. Du B. *dici*. Ms. Bœnd. *dici sibi*. quæ vera lectio videtur) velle Davum quo eat: sed id agere, ut abscedat. D.

Quo te agis] I. e. quo abis. Poetis propria locutio. Plaut. in Mostell. I. 4. 28: *unde agis te* i. e. unde venis. Virg. Æn. VIII. 465. *Æneas se matutinus agebat*. R. D.

26 *Narrationis incipit mihi initium*] Narrationis scilicet, quo eat. quia, *verum vis dicam*, velut prooemium narraturi est. *Quid me fiet*] Quid igitur, inquit, quid ne me fiet? ab eo hoc, quasi a jocante, pronunciandum est. Nam sic illi imprudens respondet, *quid me fiet?* de Philumena ducenda. D.

Narrationis incipit] Davus volens (Ms. alter: *Davus servus domino discedente cum animadverteret Charinum etiamnunc stantem, volens eum depellere.* Mox lacunæ signum nullum. Alter, ut edidit Lindenbr. nisi quod omittit illa: *sed tantum impedimentum. a. i. d.*) Charinum depellere, quo celerius quæ essent agenda compleret, astute interrogavit, cum omnes irent, *quid tu? quo hinc te agis?* non enim vere audire voluerat, sed tantum impedimentum ad interrogationem discederet. * At ille tanquam interrogari se credens, cœperat nescio quid narrare, cum dixit: *verum vis dicam?* Unde iratus vehementer Davus, quod sibi nescio quid narrare vellet, cum hoc astute dictum fuerat, ut discederet. *Immo narrationis mihi incipit initium.* Cum jam enim discessionem tuam complere debueris, nescio quid narrare cœpisti. E.

27 *Eho tu impudens*] Proprie Charino dixit *impudens*, quasi insolita et multa poscenti. quippe qui et sponsam alienam petere ausus sit: et non satis habeat, per Davum sibi moram præstitam Pamphili nuptiarum. *Quod tibi dieculam addo*] *Dieculam*, horam. et est ὑποκόρισμα. *Dieculam*, hoc est tempusculum: et sumitur ab eo, quod est *hæc dies*. *Diecula*, mora, et quasi parva dies. et *dieculam*, in qua scilicet ambias, quantum poteris, ad ducendam Philumenam. Vult enim se Davus adjurari per Charinum et Byrrhiam. D.

Tu impudens non satis] Scit Davus quid petierit Charinus a Pamphilo, et idcirco impudentem appellat, quod amplius petat quam ante desideravit, *saltim aliquot dies profer, dum proficiscar aliquo ne videam.* Veruntamen stat Charinus consilium expetens, non tantum ut differat nuptias, sed ut ipse ducat uxorem. Hinc sequuntur interruptiones quam plurimæ. E.

Non satis habes] Priscian. lib. V. *eho impudens, non sat habes. Dieculam addo*] Charisius libro I. *Quid si tibi addo dieculam.* L.

28 *Promoveo*] Differo. *Promoveo nuptias*] Memoriter Davus. scit enim illum his verbis petisse, *saltem aliquot dies profer, dum proficiscar aliquo, ne videam.* Cujus rei oblitus Charinus, etiam ut ducat uxorem, petit. D.

Promoveo] I. e. produco. removeo in longius tempus. R. D.

29 *Ridiculum*] Deest, *hominem*. D.

D. Quid veniam? nihil habeo. C. Attamen, si quid.
D. Age, veniam. C. Si quid,
Domi ero. D. Tu, Mysis, dum exeo, parumper opperire me hic.
M. Quapropter? D. Ita facto est opus. M. Matura.
D. Jam, inquam, hic adero.

ACT. IV. SCENA III.

MYSIS. DAVUS.

NIHILNE esse proprium cuiquam? Di vostram fidem!

Duo e nostris vetustissimi, *ad me venias, omisso ut*; concinnius. B.

30 *Age veniam*] Vix concedentis, vix consentientis est, *age veniam*. D.

31 *Dum exeo*] A Glycerio scilicet. D.

Delectome, metri leges salvæ erunt. B.

1 *Nihilne esse proprium cuiquam?*] Hæc scena administrationem doli habet, quo fit ut deterreatur Chremes, filiam suam Pamphilo dare. Et vide non minimas partes in hac comœdia Mysidi attribui, hoc est, personæ femineæ: sive hæc personatis viris agitur, ut apud veteres: sive per mulierem, ut nunc videmus. *Nihil ne*] *Ne*, adverbium percunctantis. *Nihilne esse proprium cuiquam?*] Omne quod habemus, aut mutuum est, aut proprium. Ergo *proprium*, perpetuum. ut Virg. Æn. VI. 872. *propria hæc si dona fuissent*. Ergo nihil nobis proprium esse potest. quod enim non fuit, nec esse quidem potest; aut quod eripi potest, non est nostrum: nisi illa quæ eripi non possunt, ut sapientia, justitia, prudentia: quæ fortuna neque dare, neque eripere cuiquam potest. Et simul hoc ipsum et a re, et a persona hic ostendit. A re, *nihilne esse proprium?* A persona, *cuiquam*. *Proprium*] Perpetuum, non temporale ac (*aut*, Ms. Bœnd. et ed. Du B.) mutuum. *Di vostram fidem*] Admirantis adverbium cum exclamatione. *Fidem* dixit opem et auxilium: ut, *Tyrrhenamque fidem*, Æn. X. 71. D.

Nihilne esse] Hæc scena compositionem doli habet, quem Davus domino futurum esse prædixerat: scilicet a mulieribus puerum ante ostium collocandum, quo viso Chremes Pamphilo filiam suam non daret. Ac primo conqueritur Mysis, quod Pamphilus, qui promiserat se ducturam Glycerium, jam incertam habeat voluntatem. *Proprium* dixit perpetuum et fixum, ut Virgilius, Æn. IV. 126.—*propriamque dicabo*. Et Æn. III. 85.—*da propriam, Tymbræe, domum*. E.

Quæ nunc una est scena, in vulgatis divisa erat: sed quicquid hujus factum, vett. codd. fide factum, quos hic secuti sumus auctores: quamvis Donatus priorem editionem agnoscere videatur. *Nihilne esse proprium*] Menander: Βέβαιον οὐδὲν ἐν βίῳ δοκεῖ πέλειν. Diphilus: Βέβαιον οὐδὲν ἔστιν ἐν θνητῷ βίῳ. Quod imitatur Lucilius apud Nonium: *nihil esse in vita proprium mortali datum*. L.

Proprium] I. e. constans, perpetuum, duraturum. Nep. in Thrasyb. c. 4. *parva munera diutina, locupletia non propria esse consueverunt*. Cic. post redit. in Senatu. c. 4. *si illud perenne ac proprium manere potuisset*. v. Lambin. ad Horat. epist. II. 2. 172. R. D.

Summum bonum esse heræ putavi hunc Pamphilum,
Amicum, amatorem, virum in quovis loco
Paratum: verum ex eo nunc misera quem capit
Dolorem? facile hic plus mali est, quam illic boni. 5

2 *Summum bonum esse*] Mire, pro pleno (corrige, *proprio*. Z.) Et neutro extulit, *summum bonum*. D.

Summum bonum] Hoc est, summum et bonum amicum et amatorem. E.

Quinque codd. cum edd. vett. *putabam*. Non male. Verum ne pes tertius uno verbo *heræ* constet, repone *deputabam*, ut Hec. IV. 1. 9. B.

Summum bonum] Sic Ovid. epist. XVI. 307. *nec si bona summa putaret, Quæ tenet externo erederet illa viro*, ubi v. Burm. R. D.

3 *Amicum, amatorem, virum*] *Amicus*, animi est: *amator* vero, corporis. non enim continuo amor est, qui bene vult. ut, Dido amavit quidem Æneam: sed non et amica fuit, quæ ait, Æn. IV. 600. *non potui avulsum divellere corpus, et undis Spargere*. Et item Catullus LXX. 8. *cogit amare magis, sed bene velle minus*. et est hic officium et blandimentum, *amatorem et virum*, et dixit ad discretionem, ut per ea quæ enumerat, maritum ostenderet. *In quovis loco paratum*] *Paratum* dixit ad omnes affectus, quicunque de proximo esse possunt, et maxima me ad Homericam sententiam respexit, Il. Z. 429. Ἕκτορ, ἀτὰρ σὺ μοι ἐσσὶ πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ, Ἠδὲ κασίγνητος, σὺ δὲ μοι θαλερὸς παρακοίτης. D.

Virum in quovis loco] Τὸ *virum* in Ms. deest. L.

Pro *amatorem*, quod et minus est quam *amicum*, et contra fabulæ argumentum, ne Glycerium meretrix videatur, lege *tutorem*. cf. supra I. 5. 6. B.

In quovis loco] H. e. quavis occasione, quovis tempore. in Ad. II. 2. 8. *pecuniam in loco negligere* h. e. opportune. v. Mannt. ad Cic. ad Div. XI. 16. et Græv. ad Cic. de offic. I. 40. R. D.

4 *Verum ex eo*] Id est, Pamphilo. *Nunc misera quem capit dolorem?*] Cum admiratione pronuncint *quem*, et cum exclamatione quadam. D.

Ex eo nunc misera] Ἀποσιώπησις est, quod dixit *hera* et *misera* ab animo et extrinsecus. Ubi est argumentum a minore ad majus. unde sequitur: *facile hic plus mali est, quam illic boni*, scilicet in relinquendo, quam in amando. *Laborem* vero pro dolore; sicut *periculum* pro tentamento. E.

Misera quem capit dolorem] Al. *laborem quem capit*. L.

Quem capit laborem] Sic ex melioribus libris legendum, non, *capit dolorem*. *Labor* est malum, serumna. infra V. 2. 29. *tantum laborem capere ob talem filium*. Justin. XXII. 6. *laboribus adversisque rebus*, ubi v. Græv. R. D.

5 *Dolorem*] *Dolorem* (Westerh. hic ubique edidit *laborem*. Z.) distinxit probe: et post intulit separatim quod sequitur, *facile hic plus mali est*, in dolore et metu scilicet amittendi, quam in voluntate retinendi. *Facile hic plus mali est, quam illic boni*] *Facile*, adverbium confirmantis est, id est liquido et manifesto. Veteres dicebant *facile*, pro certo. Ut Cicero, *illius civitatis facile princeps. Facile hic plus mali est*] *Plus mali*, in dolore et metu, ut diximus. *Quam illic boni*] In summo bono. Dicit enim, ex bonis quæ bona existimamus, plus nos mali capere, cum aut amissuros nos credimus, aut amittimus, quam boni, cum habemus. *Quam illic boni*] Id est in amico, amatore, et viro. D.

Plures codd. Faerni et nostri iique antiqui pro *dolorem* habent *laborem*, cf. Eugraph. B.

Facile] I. e. certo, liquido, sine dubio. v. Donat. ad h. l. in Eun. IV. 3. 6. Cic. ad Div. VI. 6. *homo facile ortu nobilissimus*. v. Duker. ad Flor. III. 14. p. 615. R. D.

Sed Davus exit. mi homo, quid istuc obsecro'st?
Quo portas puerum? D. Mysis, nunc opus est tua
Mihi ad hanc rem expromta memoria atque astutia.
M. Quidnam incepturus? D. Accipe a me hunc ocius,
Atque ante nostram januam appone. M. Obsecro,
Humine? D. Ex ara hinc sume verbenas tibi,

6 *Mi homo, quid istuc obsecro est?*] Ex Mysidis verbis, quid Davus faciat, demonstratur. *Quid istud obsecro est?*] Involutum puerum portabat Davus: et ideo dicit mulier, *quid istuc obsecro est?* Tum ille evolvit puerum, et profert. quem postquam expedivit, tum illa dixit, *quo portas puerum?* D.

7 *Mysis, nunc opus est*] Hæc scena actuosa est. magis enim in gestu, quam in oratione est constituta. *Mysis, nunc opus est*] Properantis et impense agentis Davi verba monstrantur. D.

8 *Expromta*] In medium prolata. *Memoria atque astutia*] *Memoria*, ut præcepta Davi retineat. *Astutia*, ad agendum strenue quæ imperet. *Memoria*] Simpliciter magis, ut memor sit Davi præceptorum. Et *memoria*, modo pro intelligentia. ut Virg. Æn. II. 244. *instamus tamen immemores*. D.

Expromta malitia] Id est, manifesta calliditate opus est et astutia. E.

Expromta memoria] V. C. *malitia*. L.

Pro *memoria* Vaticanus liber, Basilicanus, et aliqui alii, quos inspexit Faernus; it. Eugraphius legunt *malitia*, recte, h. e. calliditas, vafrities. In quibusdam corrupte legitur *militia*. B.

Expromta memoria] I. e. promta, parata, cui opponitur memoria tarda. R. D.

11 *Ex ara hinc sume verbenas tibi*] *Ex ara*, scilicet Apollinis (vid. infra Lindenbr. Cæterum pro δήλιον Ms. Bœnd. et ed. Du B. legit *Cassion.*) quem δήλιον Menander vocat, aut quod Apollini comœdia dicata est: in cujus honorem aram constituebant, comœdiam celebrantes. Apollini ergo comœdia, Libero patri tragœdia. *Sume verbenas tibi*] *Verbenæ* quasi *herbenæ*, redimicula sunt ararum. *Tibi*] Τὸ *tibi*, quasi gestum quendam et motum stomachantis habet: ut alibi, *quid vis tibi?* Et, *tibi sume*, dixit: non, *tibi substerne*. *Ex ara sume verbenas*] *Verbenæ* sunt omnes herbæ frondesque festæ ad aras coronandas: vel omnes herbæ frondesque ex aliquo loco puro decerptæ. *Verbenæ* autem dictæ, quasi *herbenæ*. sic Menander * ΚΟΔΕΞΙΑC CΥΜΥΡΡΥΝΑC ΧΧΗCΔΙCΥΡΙΝΡ * (Jo. Clericus restituere locum corruptum ita est conatus: σκολύψασα σὺ μυῤῥίνας τῇδε ἔκτεινε, h. e. *evulsos myrteos ramos hac extende*. Propius ad vestigia vetera, opinor, ἀπὸ δ' ἑστίας σὺ μυῤῥίνας. ἐὰν ἔχῃς, διατεῖνε. Phileleuterus Lipsiensis postquam Clericum exagitavit, ita locum restituere Menandri tentavit: ἀπὸ δεξιᾶς σοι μυῤῥίνης κλάδους λάβε. Philargyrius Cantabrigiensis Clerici agens causam hæc reponit: ἀπὸ δ' ἑστίας, σὺ Μυῤῥίας, σχῆς δυσγενεῖ. At vero nisi hic *aræ* et *verbenarum* fiat mentio, verba Menandri sunt aliena. Si Μυῤῥίνα feceris nomen proprium, pereunt herbæ sacræ. Verbi δυσγενεῖ nulla hic reperiuntur vestigia. Atque κλάδους λάβε licet sensrium juvent, nullam Menandri præferunt auctoritatem.) D.

Ex ara hinc] Romanis omnibus mos est in atrio, hoc est in vestibulo, habere vestam, quippe cum inde *vestibulum* nominarint, cui sacrificium quotidie facerent. Illic ei fuerat collocata ara; idcirco dictum est, *ex ara sume hinc verbenas tibi*. E.

Ex ara] Binæ in scena aræ erant, dextra Baccho sacra in tragœdia, Apollini in comœdia, sinistra Deo Deæve, in cujus festo ludi agerentur, ut hic in Megalensibus Deæ Matri. Scalig. ad Plaut. Most. V. I. 45. et Lindenbrog, in Donat. ad h. l. R. D.

Atque eas substerne. M. Quamobrem id tute non facis?
D. Quia si forte opus sit ad herum jurandum mihi
Non apposuisse, ut liquido possim. M. Intelligo:
Nova nunc religio in te istæc incessit, credo?
D. Move ocius te, ut, quid agam, porro intelligas.
Pro Jupiter! M. Quid est? D. Sponsæ pater intervenit.

Verbenas] *Verbena* est herba e loco sacro sumta vel frondes arborum Diis sacrarum, ut lauri, olivæ, myrti. Myrtum hic intelligi apparet ex Menandri loco apud Donat. quem Terentius expressit. v. Serv. ad Virg. ecl. VIII. 65. R. D.

12 *Quamobrem id tute non facis?*] *Tute* tunc dicitur, cum pronomen ad eam revocatur personam, a qua sumitur: ut verbi gratia, cum dicimus, *tu lege:* ille nobis respondeat, *cur tute non legis?* D.

Ob numeros meliores *id* pone post *tute*. B.

13 *Quia, si forte opus sit ad herum jurandum mihi*] Sic locutus est, ut explicari atque intelligi non possit. aut enim deest jus, ut sit *jurandum* pro *jusjurandum:* aut, ut vulgo dicitur, *juramentum*. Et, *opus est illam rem:* non, *opus est illa re*. D.

Jurandum mihi] Ms. R. *jusjurandum mihi*. L.

Jurandum est vox nihili. Omnes, quos vidi codd. habent *jusjurandum*, præter unum academicum, ubi est *jurejurando*. Nos ut versui medeamur, legendum censemus *jurato*, quod eodem dicitur modo, quo infra *transcurso*, Hec. III. 4. 17. B.

Ad herum] I. e. apud herum. Cæsar de B. G. III. 9. *legatos nomen ad omnes nationes sanctum*. Liv. VII. 7. *neque segnius ad hostes bellum apparatur*, ubi v. Gronov. in Heaut. V. 2. 26. *esse ad sororem intelligo*. R. D.

14 *Ut liquido possim*] *Liquido*, pure et manifeste. Nam quæ sunt pura et defæcata, liquida sunt. D.

Ut liquido possim] Ut pure, inquit, et manifeste possim jusjurandum adhibere, me puerum non exposuisse. E.

Ut liquido possim] Scilicet jurare. *Liquido* est vere, sine fraude, salva conscientia, ut vulgo loquuntur. Ovid. epist. ex Ponto III. 3. 49. Seneca de benef. VII. 9. in Eun II. 3. 39. *liquet mihi dejerare*. R. D.

15 *Nova nunc religio*] Bene; jusjurandum metuere servum, monstri simile est. *Nova religio*] In servo, et (*est*. Z.) subita. *Nova nunc religio*] Servum nolle mentiri, nova religio est. *Credo*] Porrigentis est manum. *Porro intelligas*] *Porro*, modo adverbium est ordinis: alias temporis. D.

Nova nunc religio] Subito, inquit, religiosus effectus es. et est σαρκασμός. E.

Nova nunc religio] Gloss. Lat. *religiones, superstitiones*. B. Augustinus lib. I. cap. 3. de ordine, *nihilne mihi, inquit, vel tu qui compulisti, ad ista respondes? Cui ego: nova nunc religio isthæc in te incessit. credo? inquam, &c.* L.

Dele *in*, quod repugnat usui *incessere*. B.

Religio] Est metus conscientiæ, ni hoc facias, vel si hoc facias, in Heaut. II. 1. 16. *religio est dicere* h. e. non audeo dicere ob metum Deorum. Nam quoniam religione vel metu Deorum sæpe impedimur, quo minus, quod volumus, faciamus, *religio* dici cœpit de impedimento vel scrupulo. infra V. 4. 38. *dignus es cum tua religione odio*. Cic. in Orat. c. 11. *hac ego religione non sum ab hoc conatu repulsus*. R. D.

In te incessit] I. e. te invasit. Liv. XXV. 1. *tanta religio civitatem incessit*. Hoc verbum variis modis construitur *religio incessit me, mihi et in me*. v. interpret. ad Cæs. de B. C. II. 29. R. D.

17 *Sponsæ pater intervenit*] Mire, non dixit, *Chremes:* ne quum dixisset, quis

Repudio quod consilium primum intenderam.
M. Nescio quid narres. D. Ego quoque hinc ab dextera
Venire me assimulabo: tu, ut subservias
Orationi, utcunque opus sit, verbis, vide.
M. Ego, quid agas, nihil intelligo. sed, si quid est,
Quod mea opera opus sit vobis, aut tu plus vides,
Manebo, ne quod vostrum remorer commodum.

ACT. IV. SCENA IV.

CHREMES. MYSIS. DAVUS.

REVERTOR, postquam, quæ opus fuere ad nuptias

Chremes? rursus hic responderet, sponsæ pater. Et non temere hoc facit poeta: nam promiserat se rediturum domum Chremes, *domum modo ibo: ut apparentur, dicam: atque huc renuncio.* D.

Quid est recte habent omnes eodd. B.

18 *Quod primum intenderam*] Verbum a venatoribus translatum, qui retia intendant ad feras captandas. Quia ergo parat Chremem et Simonem fallere, *intenderam* dixit. Vel a sagittis atque arcu. D.

Repudio quod consilium primum intenderam] I. e. abjicio rei gerendæ moderationem in quam animum intenderam. v. Perizon. ad Sanctii Minerv. IV. 8. 8. R. D.

19 *Nescio quid narres*] Bene *narres*. *Narrare* enim aliena, et quæ nobis non sunt necessaria, dicimus. *Ego quoque*] Bene ait *quoque*; quia ait Chremes veniebat. D.

20 *Tu ut subservias*] Recte, *ut subservias*, dixit. non enim tantum loquitur Mysis, quantum Davus. D.

Ut subservias orationi verbis] H. e. ut tua verba accommodes ad mea, ut tuis verbis apposite respondeas ad mea, ne simulatio intelligatur. R. D.

21 *Orationi, utcumque opus sit verbis*] Tuis verbis orationi meæ. plura enim loquetur Davus, inde *orationi* dixit. illa subsequetur, ideo *verbis*. *Vide*] Cauta esto, intellige, specta. D.

Opus in Thesi totum occultatur. Lege, *opu'st*. B.

23 *Aut tu plus vides*] Si sapis, intelligis. D.

Pro *aut* lege cum Guyeto *ut*, h. e. quia. Etenim dubium non est, Myside Davum esse longe callidiorem. B.

Si plus vides] H. e. si plus intelligis, si prudentior es. Cic. ad Div. VI. 4. *vidisse me plus quam cæteros*. ubi v. Græv. in Heaut. III. 1 98. *aliena ut melius videant quam sua*. R. D.

24 *Remorer commodum*] *Remorer*, retardem, retineam. *Remorari* a remora pisce minutissimo, qui naves retinet: nam Græce ἐχενηὶς vocatur. D.

1 *Revertor*] Adest nunc ipse Chremes, cujus causa scena fraudibus instructa est, ne promissas compleat nuptias. *Ut jubeam arcessi*] Recte *jubeam*: quia summa potestas nuptiarum in patre puellæ est. D.

Revertor postquam] Hæc scena dolum complet, et habet subtilem causam et orationem, in qua aliud dicit, aliud intelligi vult. Quippe Davus in hoc toto consilio constitutus est, uti prodat

Gnatæ, paravi, ut jubeam arcessi. sed quid hoc?
Puer hercle'st. mulier, tun' apposuisti hunc? M. Ubi illic est?
C. Non mihi respondes? M. Nusquam est. væ miseræ mihi!
Reliquit me homo, atque abiit. D. Di vostram fidem!
Quid turbæ est apud forum? quid illic hominum litigant? 6
Tum annona cara'st. quid dicam aliud? nescio.
M. Cur tu, obsecro, hic me solam? D. Quæ est hæc fabula?

Chremeti, quod Pamphilus ita Glycerium diligit, ut eam pro uxore habeat. Siquidem ex ea susceperit filium. Qua re cognita, a nuptiis Chremes possit abscedere. E.

2 *Sed quid hoc?*] Non interrogantis, sed mirantis et non intelligentis est. et apparet eum non oculis prius, quam corporis offensu puerum sensisse latentem. D.

3 *Puer hercle est*] Ornativa particula est *hercle*. *Mulier*] Magis quam Mysis. *Ubi illic est?*] Davum quærit, qui nunc abscessit, ut et ipse de foro venire videatur. D.

Ubi illic est?] Cum vidisset Chremetem venire, discessit prope, repentinum simulaturus adventum. Ideo nunc interrogata mulier quærit ubi sit. E.

Tun' apposuisti] Ms. *tun posuisti*. L.

Ne versus sit justo longior, aut dele *hunc*, aut scribe *tu*, ut edd. vett. habent. B.

4 *Non mihi respondes?*] Bene, *non respondes*. Se enim memor est vetitam quidquam dicere, nisi subserviat orationi Davi. D.

5 *Reliquit homo me*] Mire *hominem*, non *Davum* dixit: ut, etiam si audiat Chremes, incertam personam hominis audiat, non Davum. *Di vostram fidem*] Adverbium admirantis cum exclamatione. D.

Di vostram fidem] Quasi nunc Davus veniat, aliam orationem fingit, de multitudine populi apud forum litigantis, quod cara annona sit; et jucunde subjungit, *quid dicam aliud nescio*. Hæc enim repentina vox suscepta est, qui adventus simularetur. E.

Homo] *Homo* ponitur pro ille. Phædr. II. 5. 19. *agnoscit hominem*. v. Manut. ad Cic. epist. ad Div. I. 2. R. D.

6 *Quid turbæ est apud forum?*] Hæc verba sunt venientis de foro. *Quid illic hominum litigant?*] Legitur et *litigat*. D.

Ne versus ultra mensuram excurrat, placet Guyeti ratio, *quid turbæ apud forum'st*. B.

Quid turbæ] Pro quantæ turbæ. Sic veteres loquebantur, cum magnam rei alicujus vim aut copiam indicare vellent. in Heaut. II. 3. 6. *portant quid rerum* ubi v. Muret. R. D.

Quid illic hominum litigant] Notanda locutio propter syntaxin. *quid hominum* cum plurali jungitur. in Ad. IV. 4. 25. *aperite aliquis actutum ostium*. v. Heins. ad Virg. Æn. X. 238. R. D.

7 *Tum annona cara est*] Commiscentis est potius, quam alicui referentis. *Quid dicam aliud?*] Hoc post spectatores. D.

Annona cara est] Similiter garrulus apud Theophrast. in characterib. c. 3. narrat frumentum in foro vili venisse pretio, ubi. v. Casaub. R. D.

8 *Cur tu obsecro hic me solum?*]

Eho, Mysis, puer hic unde est? quisve huc attulit?
M. Satin' sanus es, qui me id rogites? D. Quem ego igitur rogem? 10
Qui hic neminem alium videam? C. Miror, unde sit.
D. Dicturan' es quod rogo? M. Au. D. Concede ad dexteram.
M. Deliras: non tute ipse? D. Verbum si mihi
Unum, præterquam quod te rogo, faxis, cave.

Ἀποσιώπησις tertia. *Fabula*] Fabulam se dicit audire, qui rei principium, rationemque ignorat. D.

Plures et meliores codd. concinnius, HEM, *quæ hæc est fabula?* B.

Quæ hæc est fabula] Hac formula veteres utuntur de rebus miris et inexspectatis, quarum rationem non intelligunt. in Eun. IV. 4. 22. R. D.

9 *Eho*] *Eho* interjectio est, vel principium (dele *principium*, quod ex antecedentibus hic temere est repetitum. Z.) animadversionem in se poscentis, aut repente cernentis. D.

Au Mysis puer hic] Dissimulat omnia, ut et Chremetem non videre videatur. *Au*, interjectio est irascentis. E.

Unde est] I. e. cujus est, a quo est, in Eun. prol. v. 10. *causam dicere prius unde petitur*. Cic. pro Flacco. c. 26. *Athenienses unde humanitas, doctrina— in omnes terras distributæ putantur*. v. Gronov. observ. IV. 11. R. D.

10 *Satin sanus es*] In Ms. R. τὸ *es*, desideratur. L.

Quamvis contra omnes codd. repone tam *Satin sánu's, mé qui id rógites? Quém igitúr rogem?* Vel ictus ipsi satis hoc probant. B.

11 *Hic neminem alium video*] Callide affirmat non sibi visum Chremem, cum et præviderit venientem, et præsentem videat. *Miror unde sit*] *Miror* veteres cum *unde*, pro nescio ponebant. Nam admiratio ab ignorantia descendit. Plautus, Aul. prol. 1. *ne quis miretur qui sim, paucis eloquar*. D.

Omnes Faerni et nostri libri habent *videam*, non *video*. B.

Miror] Venustissime dicitur pro *nescio*. v. Donat. ad h. l. in Phorm. II. 14. *quam causam reperient, miror*. Plaut. in Aulul. prol. v. 1. *ne quis miretur, qui sim, paucis eloquar*. R. D.

12 *Au*] Interjectio consternatæ mulieris. *Concede ad dexteram*] Et bene *dexteram*. sinistra enim venit Chremes: et non vult proximum ei Chremetem, sed juxta. Supra enim dixit, *ego quoque hinc ab dextera venire me assimulabo*. D.

Concede ad dexteram] Id est, transi. Levi hoc voce pronunciandum est. E.

Au. concede] Priscian. lib. XV. L. Lege *dictura es*. B.

13 *Deliras, non tute ipse?*] Deest, cum mihi dedisti. Sed et supra, et nunc interturbat Davus: ne mulier totum dicat. *Non tute ipse?*] Submissa voce. *Verbum si mihi unum*] Accommodate comminatur Davus; pene enim Mysis universa narrabat. D.

Deliras] Ideo hæc Mysidis præcisa oratio est, quia jam cœperat indicare, quod ipse Davus puerum attulisset. Pro quo statim Davus interposuit orationem, comminans, *verbum si mihi unum, præterquam quod te rogo faxis, cave*] *Si* pro siquidem: *cave* autem, pro vide ne. Et quia illa sensit indignationem, ait, *maledicis*. E.

Dele *si*, quod est contra leges linguæ, et transfer e versu sequenti *unum* in locum illius. B.

14 *Præterquam quod te rogo*] Hoc est sensim, et ut senex sentiat, pronunciari potest. (Verba corrupta. R. Steph. aliquanto melius: *hoc et sensim, et ut*

M. Male dicis. D. Unde'st? dic clare. M. A nobis.
D. Ha ha he.
Mirum vero, impudenter mulier si facit meretrix.
C. Ab Andria est ancilla hæc, quantum intelligo.

senex sentiat, pronunciari potest. Ms. Hulst. et edd. Venet. vett. *hoc, ut et senex sentiat, pronunciari potest.* Haud dubie scripsit Donatus: *hoc sensim, et ne senex sentiat, pronunciari patet.* Ms. Bœud. et ed. Du B. *hoc ut senex sentiat, pronuuciari potest). Faxis cave?*] Gestu comminantis est et vultu: ut suspenderet comminationem, deinde inferret gestum. Ordo, *cave faxis.* D.

Lege cum libris nostris *præterea quam*, h. e. præterquam, ut *posteaquam.* B.

15 *Male dicis*] Cum contemtu loqueris, convicium facis. Apparet ergo *male dicis* lentius esse dictum, quum subjungit, *dic clare. Male dicis*] Nove *male dicis* pro comminatione posuit, quum pro convicio soleat poni. Nisi forte, quia contumeliæ genus est comminatio. Quidam putant esse unam personam, Davi scilicet, dictum superius Mysidis, non satis manifestum Chremi, in maledicti similitudinem derivantis. *Unde est dic clare*] Hic expressus dixit. D.

Unde est dic clare] Ut senex possit audire. *A nobis*] Obscura responsio, et metuit Davus, ne (pro *ne* leg. aut, *ut*, aut, *ne non* Z.) senex sciat, unde fit illa mulier, quæ dixit *a nobis.* Idcirco ipse cum indignatione ridens, qua manifestior fieret, adjecit: *mirum si impudenter mulier facit meretrix.* Argumentum est a causa ductum, per ironiam, ut indicaret hanc esse meretricis. Id quod continuo Chremes agnovit, et subjecit, *ab Andria est ancilla hæc quantum intelligo*, hoc est, a Glycerio, quæ Andria est. E.

Ut sensus et versus sit salvus, lege, *quin dicis, undest, clare?* M. *A nobis*, D. *Attate.* Nam non modo ridendi locus hic non est, sed. codd. quoque habent, *ahahe.* Legimus igitur *attate*, quod est admirantis et conterriti. B.

Male dicis] Est querentis et indignantis, contra *bene dicis, bene facis*, gratias agentis. v. in Eun. III. 1. 61. et Bentl. ad h. l. R. D.

Dic clare] I. e. magna et elata voce. Sueton. in Vitell. c. 14. *quod enatæ factioni clare maledixerant.* Barbari dicunt *alta voce* pro clara voce, sed *alta nox* apud veteres est superba. v. Burmann. ad Ovid. Trist. IV. eleg. 9. 24. sed hic melius fuerit *clare* accipere pro certe, sine ambagibus. Sic clara et certa junguntur. in Hec. V. 1. et sic accepit Bentl. *ὁ σάφ.* R. D.

A nobis] I. e. ex nostris ædibus. R. D.

16 *A vobis*] Quia *a vobis* parum intelligebatur, hic addit morem meretricis, ut vel sic intelligat senex (hoc scholium omne non ad *a vobis*, sed ad, *mirum vero*, pertinet. Z.) *Mirum vero*] Sæpe ad *εἰρωνίαν* refertur. *Impudenter mulier si facit*] (Adde *meretrix.* Nam hoc quoque nomen explicat) Bono ordine locutus est. primo enim, causa impudentiæ natura est: deinde conditio. D.

Ne versus sit longior, *meretrix* præpone sequenti. B.

Mirum vero] *Vero* eleganter inservit ironiæ, in Eun. I. 2. 9. Plaut. in Aulul. II. 4. 6. *bellum et pudicum vero prostibulum.* Virg. Æn. IV. 93. *egregiam vero laudem.* R. D.

Mulier meretrix] Abundat mulier. Similis pleonasmus in Phorm. II. 1. 62. *homo servus.* Cic. ad Div. XII. 22. *homo gladiator.* v. Cort. ad Sallust. Jugurth. c. 12. R. D.

17 *Ab Andria est ancilla hæc*] Effecit quod volebat Davus. Nam intellexit Chremes, ex qua sit Pamphilo natus puer. D.

Dele *ancilla*, quæ poterat e vestitu cognosci. B.

D. Adeon' videmur vobis esse idonei,
In quibus sic illudatis? C. Veni in tempore.
D. Propera adeo puerum tollere hinc ab janua.
Mane; cave quoquam ex istoc excessis loco.
M. Di te eradicent: ita me miseram territas.
D. Tibi ego dico, an non? M. Quid vis? D. At etiam rogas?
Cedo, cujum puerum hic apposuisti? dic mihi.
M. Tu nescis? D. Mitte id, quod scio: dic, quod rogo.

18 *Adeone videmur vobis esse idonei*] *Idoneus* est aptus ad omnia, et bona, et mala. *Adeon'*] Adeone, an adeone ad eum? (verba *adeone ad eum?* sunt absurda, nec Donato digna. Unde absunt a Ms. Hulst. et plerisque edd. vett. nisi legas: *Adeon'*] Adeone, an adeo; *ne* enim est *an*). D.

Adeon' videmur vobis?] Fingit Davus iracundiam et accusationem, nova sanè locutione, *in quibus sic illudatis*. E.

19 *In quibus sic illudatis?*] Et *illudo in te*, septimo casu: et *illudo te*, accusativo dicimus. sed in primo supervacuum est (sensus postulat: *sed* IN *in primo supervacuum est*): ut sit, quibus illudatis. *Veni in tempore*] Cum prævisus sit, intervenisse putat. *Veni in tempore*] Opportune. nos sine præpositione dicimus, *tempore* et *tempori*. D.

In quibus illudatis] Inusitata constructio. Nam usitate dicitur *illudere alicui, aliquem* et *in aliquem*. R. D.

20 *Propera adeo puerum tollere*] Hic versus clare dicitur: sequens, ne senex audiat, presse. D.

Propera adeo puerum] Imperat, uti ab janua puer, qui ibi positus, auferatur. Veruntamen post, submissa voce, ne Chremes audiat, imperat Mysidi, ut maneat, nec e loco recedat. Nondum enim fuerant Chremeti cuncta patefacta. Quia puerum esse ante ædes a meretrice positum, solum fuerat indicatum, necdum, quod is puer Pamphili filius esset. E.

21 *Cave quoquam ex istoc excessis loco*] Necessario Davus retinet Mysidem. nondum enim omnia audivit Chremes, nondum comperit unde sit mulier, et puer de quo susceptus sit. *Excessis*, pro excedas: ut *faxis*, pro facias. D.

Excessis] Antique pro excesseris. R. D.

22 *Dii te eradicent*] H. e. funditus perdant. Comica phrasis est. v. in Heaut. III. 3. 28. R. D.

23 *At etiam rogas?*] Rursum jurgium repetit, et turbulentam orationem. D.

Venustius edd. vett. *tibi dico ego annon?*

24 *Cedo*] *Cedo* idem significat quod dic, et da mihi. Ergo repetitionem significat, non supervacuam orationem. et est dictum cum quadam fiducia, et contemtu ejus, cum quo sermo est, interrogantis aliquid. D.

Denique præparat illam rursus interrogationem, *cujus vero puerum hic apposuisti, dic mihi. Mitte id quod scio*] Quia obscure responderat interrogata Mysis, cujus puer esset *tu nescis*: ut facilius Chremes audiret, respondet Davus, | *Omitte quod scio: quod rogo dic*. E.

Cujum puerum] Antiquo more pro *cujus* a cujus, cuja, cujum. infra V. 4. 29. *cujam filiam*. Virgil. ecl. III. 1. *cujum pecus*. R. D.

25 *Mitte id quod scio*] Hoc lentius et summisse. D.

M. Vestri. D. Cujus? nostri? M. Pamphili. D. Hem! quid? Pamphili?
M. Eho, annon est? C. Recte ego semper fugi has nuptias.
D. O facinus animadvertendum! M. Quid clamitas?
D. Quemne ego heri vidi ad vos afferri vesperi? 29
M. O hominem audacem! D. Verum. vidi Cantharam

Denique cogit ad apertiorem expositionem. Nam cum illa dixisset *vestri*, et nunc interrogat, cujus, *nostri?* ut ad nomen proprium veniretur, quod illa continuo dixit: *Pamphili?* Post iratus Davus quasi et nomen repetit, ut duplicatio vocis Chremeti plenius rem indicaret. E.

26 *Hem! quid? Pamphili?*] Apparet mulierem *vestri* et *Pamphili* lentius pronunciasse quam Davus vellet: et ideo nunc repetisse nomen *nostri* et *Pamphili*. *Hem! quid? Pamphili?*] Duas res operatur Davus simul, et ut ignarissimum se ostendat, et ut Pamphilus nominetur. Et argute repetit nomen Pamphili: quasi per indignationem, ut soceri auribus adolescentis nomen inculcet. metuit enim, ne non audiat velut senex. D.

27 *Recte ego semper fugi has nuptias*] Et hic efficit quod voluit Davus, ut Pamphili Chremes puerum esse cognoscat, et recuset generum. *Has*] Id est, hujusmodi. D.

Quomodo *semper* fugit, qui I. 1. 73. ultro ad Simonem venit? repone igitur *nempe*. Deinde *has* pone ante *fugi*, auctoritate unius codicis. B.

Recte] I. e, merito, non sine causa. infra V. 4. 50. *recte admones*. in Hec. V. 4. 22. *recte amasti uxorem tuam*. R. D.

28 *O facinus animadvertendum*] Ἀποσιώπησις quarta. *Quid clamitas?*] Clamavit enim Davus, ut puerum (lege, *utpote verum* Z.) audiret Chremes. D.

29 *Quemne ego heri vidi ad vos afferri vesperi?*] Vult negando irritare mulierem ad confirmanda quæ vult. D.

Ego heri vidi ad vos] Astute et callide Davus mendacium esse dicit, quod puer a meretrice sit suppositus. E.

Afferri vesperi] Priscian. lib. XV. L.

Quemne ego heri vidi] Oratio sic explenda: tune dicis hunc esse puerum Pamphili, quem ego heri vidi ad vos adferri? Catull. Carm. LXV. 180. *an patris auxilium sperem quemne ipsa reliqui* i. e. ejusne quemne ipsa reliqui, ubi v. Muretum. R. D.

30 *O hominem audacem*] Exclamatio Mysidis testimonium veritatis est. *Verum vidi cantharam suffarcinatam*] Vide infirmum argumentum prius, *vidi puerum afferri*, dixit: post, non puerum, sed *Cantharam suffarcinatam*. *Cantharo*, nomen est anus. Et hoc dicit, ut leviter redarguat Mysidem, non ut vincatur. hoc enim vidisse se innuit, *cantharam suffarcinatam*, non, puerum portantem. *Suffarcinatam*] Proprium est anibus suffarcinatas esse. ut Persius, IV. 21. *pannucia Bauci*. Et Plautus, Pseud. II. 2. 64. *doliarem, claudam, crassam*. D.

Cantharam suffarcinatam] *Suffarcinari* dicitur, quasi farcina aliqua fulciri. Siquidem *farcio farsi, et farcinor fartus*: unde *suffarcinor* facit. Et *Cantharam suffarcinatam* dixit, quasi corbem supponendo puero repletum. E.

Cantharam suffarcinatam] More sive lege potius Athenis receptum fuit, cum quid natum, quod natum nollent, ut morti id darent, vel alienæ misericordiæ exponerent. Aristotel. lib. VII. Polit. cap. XVI. περὶ δὲ ἀποθέσεως καὶ τροφῆς τῶν γιγνομένων, ἔστω νόμος, μηδὲν πεπηρωμένον, τρέφειν. Istæ expositiones, ἐν χύτραις fiebant, unde χυτρίζειν: et obstetrices, quæ hoc munus obibant,

Suffarcinatam. M. Dis pol habeo gratias,
Cum in pariundo aliquot affuerant liberæ.
D. Næ illa illum haud novit, cujus causa hæc incipit.

ἐγχυτρίστριαι dictæ. Etymolog. magnum: Aristophan. Scholiast. in Ranis. Vel etiam in corbibus vel vannis exponebantur infantes, ut Eugraphius observavit: nam et quos tollere volebant, in illis ponebant. Scholiast. Callimach. Hymn. in Jovem: ἐν λίκνοις τὸ παλαιὸν κατεκαίμιζον τὰ βρέφη, πλοῦτον καὶ καρποὺς οἰωνιζόμενοι. Hinc ergo interpretatio hujus loci petenda est. Cæterum ut impium hoc consilium tanti philosophi, inhumanaque sapientis populi lex: sic meliore jure Thebani usi; apud quos capitale erat, partum exposuisse. Ælian. Variar. lib. II. cap. VII. Νόμος Θηβαϊκὸς, ἔτι οὐκ ἔξεστιν ἀνδρὶ Θηβαίῳ ἐκθεῖναι παιδίον, οὐδὲ εἰς ἐρημίαν ἀυτὸ βίψαι, θάνατον αὐτοῦ καταψηφισάμενος, &c. Ut et apud Romanos L. 4. ff. de agnoscend. lib. L. 2. et final. C. de infantib. exponend. Unde non minus graviter quam diserte in eos, qui socius faciunt, invehitur Philo Judæus lib. I. περὶ τῶν ἐν εἴδει νόμων, qui locus dignus ut cum his conferatur. *Suffarcinatum*] Plaut. Curcul. II. 3. 9. *Qui incedunt suffarcinati cum libris, cum sportulis.* L.

Recte a Westerh. repudiatur ratio P. Nannii, qui in Miscell. Lib. I. legendum putat *Cantharum suffarcinatum*, et intelligit χύτραν, h. e. vas fictile, quo Athenienses in exponendis pueris sint usi. Nam primum repugnant omnes codices. Deinde commodum efficit sensum vulgaris lectio, quæ significatur *sufferta onere*, quod sub axillis gestatur et veste tegitur. Cf. locus Plauti ante laudatus. Z.

Verum] I. e. omnino, plane, qua voce utuntur, qui cum confirmatione respondent. in Eun. II. 3. 55. R. D.

31 Duo e nostris *gratiam*, recte, cf. Eun. I. 2. Hec. III. 2. 11. B.

Subfarcinatam] Subfarcinatus dicitur, qui quid sub veste gestat, quod eum crassiorem et magis tumentem faciat. Plautus in Curcul. II. 3. 10. *qui incedunt subfarcinati cum libris* h. e. qui libros sub pallio gestant. v. Donat. ad h. l. R. D.

Habeo gratias] Bentleius e Mss. recte edidit *habeo gratiam*, nam hoc est ex more comicorum. R. D.

32 *Cum in pariundo aliquot affuerunt liberæ*] Indicium secuta confirmatio est, quam expressit Davi refutatio. Superest etiam ut et concludatur effectus doli, negante Chremete se daturum filiam: quod subinde efficit Davus dolo. *Aliquot liberæ*] Nec paucæ, nec multæ. *Liberæ*] Testimonia libera contra servum. Et hoc proprium Terentii est. Nam de Romano more hoc dixit. D.

In parturiendo aliquot adfuerunt] Sic enim confirmatur partus, cum liberæ præsentes sunt, quæ possint dicere testimonium. E.

Aliquot adfuerunt liberæ] Ut hic, sic et in l. 2. §. 10. de ventr. inspic. l. 3. §. 5. ff. de Carbonian. edicto muliebre testimonium sufficit, quoniam virorum propter pudorem non admittitur. Vid. Synops. Attaliat. XV. Harmenopul. lib. I. Tit. 6. §. 14. et 52. 53. Ubi Scholiast. Græcus: ἐπὶ μέντοιγε τοκετοῦ, αἱ τὸν τῆς σεμνότητος τρόπον φυλάττουσαι, δύνανται μαρτυρεῖν. Nam quæ integræ famæ non est, aut palam corpore quæstum facit fecerit ve, non admittitur. l. 3. §. 5. ff. de testib. L.

Liberæ] His enim, solis testimonii dictio erat, non servis. v. in Phorm. II. 1. 63. Etiam apud Romanos si quæ mulier post mariti mortem pareret, liberas mulieres adesse oportebat. v. legem L. §. 10. Pandect. de ventre inspiciendo et Lindenbrog. ad h. l. R. D.

33 *Næ illa illum*] *Næ*, valde. Cic. Cat. II. 3. næ illi vehementer errant. *Næ illa illum*] Chremetem scilicet. D.

Ne illa] Pro valde illa. vel *illa ne*, id est, nunquid illa? per solœcismum, immutato ordine. E.

Chremes, si positum puerum ante ædes viderit,
Suam gnatam non dabit: tanto hercle magis dabit.
C. Non hercle faciet. D. Nunc adeo, ut tu sis sciens,
Nisi puerum tollis, jam ego hunc in mediam viam
Provolvam, teque ibidem pervolvam in luto.
M. Tu pol, homo, non es sobrius. D. Fallacia
Alia aliam trudit. jam susurrari audio,
Civem Atticam esse hanc. C. Eho! D. Coactus legibus
Eam uxorem ducet. M. Au! obsecro, an non civis est?
C. Jocularium in malum insciens pene incidi.

34 *Chremes, si positum puerum*] Ἐν ὑπωρέσει. Et est *μίμησις*: transit enim a mixto ad imitativum characterem. *Chremes, si positum puerum*] Μίμησις, quando aliqua verba sic pronunciamus, ut vana videantur. D.

Lege *appositum*. B.

36 *Non hercle faciet*] Bene enim de se tertiam personam fecit, ut supra, *at nunc faciet*. *Ut tu sis sciens*] Eloquenter; sic enim veteres pro *scias* dixere. D.

Nunc adeo ut tu sis sciens] Quoniam omnia quæ indicanda fuerant, patefacta sunt Chremeti, vere imperat et minatur, ut puerum ab ædibus auferat. Sed hæc omnis oratio superior illud egit, ut ad disturbandas nuptias Pamphili pater doceretur, et amor commendaretur tantummodo; non tamen, ut omnino Chremes se crederet expulsum. E.

37 *In mediam viam provolvam*] Bene *in mediam viam*! quia ante fores positus jacebat. D.

31 *Teque ibidem pervolvam in luto*] De proximo *παρόμοιον* repetit. Et quando nomina sunt, *παρονομασία*; quando verba, *παρόμοιον* (*dicitur*, recte addit West. Z.) *Pervolvam*] Id est, porro volvam. Et dolo quidem minatur, quod facturus non est: verum sedulo id agit, ut jam puer tollatur e medio: simul eum servat Chremeti, ut ipse recuset generum, non ut a quoquam passus videatur injuriam. D.

39 *Tu pol homo non es sobrius*] *Sobrius*, est sanæ mentis, quasi *sebrius*, hoc est, ab ebrio separatus, secretus, separatus ab iis qui discernuntur (Ms. Hulst. et edd. vett. Venetæ melius: *hoc est, ab ebrio separatus. ut* secretus, *ab iis, quæ discernuntur*). D.

40 *Fallacia alia aliam trudit*] Proverbium, cui subjacet, *memorem mendacem esse oportere*. D.

Fallacia alia aliam trudit] I. e. alia aliam sequitur. Hor. Carm. ubi. v. Torrent. add. interpretes ad Petron. c. 45. R. D.

41 *Civem atticam esse hanc*] Transit ad imitationem. *Eho*] Interjectio est conturbatæ mulieris. D.

Coactus legibus] Sæpe veteres *leges* dicunt de lege una vel legis parte. Sic *legibus solvi* dicitur, qui una alterave lege solvitur, ut docet Grævius ad Cic. Philipp. II. 13. Lege vero Atheniensium qui virgini civi vitium obtulerat, eam uxorem ducere cogebatur. v. in Ad. IV. 7. 7. R. D.

42 Omnes nostri libri *eho obsecro*, recte. B.

43 *Jocularium in malum*] E contrario pro gravi, et molesto, ac nimio. *Jocularium* igitur *κατ' ἀντίφρασιν*. D.

Jocularium in malum] Ut in Phormion. *Jocularis audacia*. Glossar. *Jocularis γελοιώδης*. Cicero de Fato: Amm. Marcel. lib. XX. *Jocularis casus*. L.

Jocularium malum] I. e. joco et risu

D. Quis hic loquitur? O Chreme, per tempus advenis:
Ausculta. C. Audivi jam omnia. D. Ah, ne tu omnia.
C. Audivi, inquam, a principio. D. Audistin' obsecro?
Hem scelera! hanc jam oportet in cruciatum hinc abripi.
Hic est ille: non te credas Davom ludere.
M. Me miseram! nihil pol falsi dixi, mi senex.
C. Novi rem omnem. est Simo intus? D. Est.
M. Ne attingas, sceleste: si pol Glycerio non omnia hæc.

dignum. in Phorm. I. 2. 84. Cic. de fato c. 8. *licentiam jocularem*. A *joco* est diminutivum *joculus*, unde *jocularis*, et *jocularius*. v. Lindenbrog. ad h. l. R. D.

44 *Quis hic loquitur? O Chreme, per tempus advenis*] Principium loquendi Davus Chremeti dat, perfecturus quæ ipse conatus est. *Per tempus advenis*] Idem est, *per tempus*, quod in tempore, aut certe *per tempus*, tempestive. *O Chreme, per tempus advenis*] Astute. quasi enim nunc primum viderit. D.

Per tempus] I. e. opportuno tempore. in Hec. IV. 3. 16. *video Phidippum per tempus egredi*. R. D.

45 *Ah, ne tu omnia*] Aut *ne* (verba corrupta: lege, *Aut*, ANNE *pro* AN *legitur*, *aut*, AH, NE TU OMNIA) pro non legitur, aut *ne tu omnia*, ut *ne* producatur, et accipiatur pro non. *Tu omnia*] Audisti, subauditur. D.

An ne tu omnia] Ms. R. *an hæc tu omnia*. L.

In omnibus nostris deest *jam*, male. Cæterum plures et meliores, *an hæc tu omnia*. Lego, *anne hæc tu omnia?* B.

46 *Audistin' obsecro? hem*] Exsultans Davus infert, et inculcat frequenter repetendo. *Audistin' obsecro? hem*] Difficile credendo, affirmat se non scivisse presentem Chremetem, ut hac confirmatione nihil illum de se facist suspicari. D.

47 *In cruciatum*] Non in crucem, sed cruciatum. D.

Hem apponi debet superiori. B.

In cruciatum] I. e. ut veritas per tormenta exquiratur. R. D.

48 *Hic ille est*] Cum ἀμφίσ., quasi vir magnus. sed hoc, Chremetem ostendens, dicit cum ειρωνίᾳ. *Non te credas Davum ludere*] Virg. Æn. X. 581. *Non Diomedis equos, non currus cernis Achillis*. D.

Plerique nostri habent, *hic est ille*. R.

Hic est ille] Namque Chremes, de quo dixerat supra. Elegans formula *hic ille est*. in Eun. IV. 6. 14. *hæc ea est*. Liv. XXVI. 17. *hic is est qui pugnam præcessit*; similiter *hoc illud est*. Cic. de Senect. c. 20. *hoc illud est quod Pisistrato*, &c. v. Drakenb. ad Liv. H. 2. R. D.

49 *Mi senex*] Bene *senex*, quia quasi alienior est, et ignotus Mysidi. *Mi*, suppalpatio maliebris. D.

50 Ne inter Senarios male dimeter et tetrameter locum occupent, dudum Guyetus et alii versum effecerunt unum: *Novi omnem rem. est Simo intus? D. est. M. ne me attigas*. Plautinum est *attigas*. Epid. V. 2. 58. Hinc intelligitur, Davum Mysidi osculum obtulisse. B.

51 *Ne me attingas*] Quædam ostendantur aperte in comœdiis: quædam ex aliis personis intelligantur. *Si pol Glycerio non omnia hæc*] Ἀποσιώπησις tertia, quod alienæ personæ interventu reticetur. Fiunt autem ἀποσιωπήσεις, id est, reticentiæ, tribus modis. Aut

D. Eho, inepta, nescis quid sit actum? M. Quid sciam?
D. Hic socer est. alio pacto haud poterat fieri,
Ut sciret hæc, quæ volumus. M. Prædiceres.
D. Paulum interesse censes, ex animo omnia,
Ut fert natura, facias, an de industria?

ACT. IV. SCENA V.

CRITO. MYSIS. DAVUS.

IN hac habitasse platea dictum est Chrysidem:

enim tacet per se ipsum, et ad alium transit: et est prima. aut tacet, nec ultra aliquid dicet: et est secunda. aut alterius interventu personæ silet: et est tertia. D.

Ne me attingas] Turpilius apud Nonium, in Attingas. L.

Si pol Glycerio] Plena oratio est, *perdam, si non omnia narraro Glycerio.* R. D.

52 *Nescis quid sit actum*] *Nescis*, plerumque dicitur ei, non quem volumus redarguere imperitiæ aut ignorantiæ, sed quem facere volumus ut velit libenter audire. D.

Pauci codd. habent *quid sciam?* Cæteri nostri, et Faerni omnes, *qui sciam?* B.

53 *Socer est*] Socer, gener, maritus, conjux sæpe dicitur non qui est, sed qui fore speratur. v. Serv. ad Virgil. Ecl. VIII. 18. et Burmann. ad Val. Flacc. III. p. 447. R. D.

54 Faernus e. codd. suis legit *volumus*: nos *voluimus*, fide codicis 900 annorum. B.

Prædiceres] Pro *prædixisses*, imperfectum pro plusquamperfecto, de qua temporum enallage v. Gronov. ad Liv. XXXIV. 11. Perizon. ad Sanctii Minerv. I. 13. Nota 5. R. D.

55 *Paulum interesse*] Nove, pro multum. Et est ταπείνωσις σχῆμα. *Ex animo omnia, ut fert natura, facias*] Figura ἐπεξήγησις. Nam quid est *ex animo*, nisi, ut fert natura? Et hæc sententia a Terentio ἐρωτηματικῶς prolata est, quam Menander ἐπιδεικτικῶς posuit. D.

Paulum si cum Donato per *multum* explicas, sensus loci quidem patitur, sed repugnat usus loquendi. Legendum esse censemus *hilum*, quod est Lucret. III. 881. B.

Paulum interesse] Locus corruptus, de quo. v. Bentl. R. D.

56 *Ut fert natura*] Hoc est, naturalis et ingenita actio. *An de industria?*] Id est, scientia et providentia. ea enim quæ discimus et scimus, operatione genita et industria quadam scimus (lege: *ope rationis, et industria quadam scimus*), ut Virg. Georg. II. 204. *et cui putre solum, namque hoc imitamur arando.* D.

1 *In hac habitasse platea*] In hoc loco persona ad catastrophen machinata, nunc loquitur. Nam hic Crito nihil argumento debet, nisi absolutionem erroris ejus. Simul ex verbis suis, quam gravis, quam modestus, quamque justus sit, ostendit. *In hac habitasse*] Non *habitare*: sed quia mortua est, *habitasse* dicit. *Platea*] Græci πλατεῖαν dixerunt, quam nos *plateam* dicimus. Secundum formam ejusmodi, μηδεῖαν et *medeam*, σπονδεῖον et *spondeum* scribimus. D.

In hac habitasse] Hæc scena percon-

Quæ sese inhoneste optavit parare hic divitias
Potius, quam in patria honeste pauper vivere.
Ejus morte ea ad me lege redierunt bona.

tationem tenet, ubi Chrysis habitet. Habet tamen deliberativæ formam. Nam Crito sobrinus est Chrysidis, qua mortua, ad eum lege hereditas pertinebat. Deliberat ergo, an ad eandem hereditatem aspiret, maxime cum sciat, Glycerium, sororis loco, habitam esse: eamque esse jam adolescentulam. Hæc igitur deliberativa in eo, quod audierit mortuam Chrysidem, puellam vero et nunc necdum parentes suos hic cognovisse, quam constat esse Atticam civem Continuo tractat esse articulos honesti et utilis, dicendo: *haud auspicato huc me appuli.* Hoc est, non recte neque bono omine huc veni. Siquidem quæ soror dicta est Chrysidis, et nunc parentes suos non repperit: unde non possum petere hereditatem. Nam ab utili satis pro ipso est, cum dicit, *nunc me hospitem lites sequi.* Huc accedit quod jam illi est defensor aliquis vel amicus vel maritus, contra quem peregrinum hominem litigare videtur esse difficile. Concluait ab honesto: *ipsam* præterea *despoliare non licet (libet).* Boni viri personam merito sustinet et honesti hominis. Sed quoniam meretricis affinis est, ne aliquid criminis in se redundet, in eo quod sibi juncta est sanguine, accusat illam, quod *inhoneste optavit parare (parere) hic divitias.* E.

2 *Quæ se inhoneste optavit*] *Optare*, est unum de duobus eligere. Virg. Æn. I. 425. *pars optare locum tecto. Parare hic divitias potius*] Animo heredis dixit *parare divitias.* D.

Ut *pauper* sequentis versus possit casum nominativum obtinere, sequor lectionem cod. ubi pro *sese parare* reperitur *sibi parere.* Præsertim cum omnes Faerni habeant *parere.* B.

Sese] Poterat abesse, sed sæpe abundat. in Eun. prol. V. 1. *qui placere se studeat bonis quam plurimis.* Sallust. in Catil. c. 1. *qui sese student præstare cæteris animalibus.* R. D.

Optavit potius quam] *Optare* est eligere. Liv. XLII. 32. *sine sorte Macedoniam obtenturum.* R. D.

3 *Quam in patria*] Primum dolet Crito, quod meretrix fuit Chrysis. secundo progressus, queritur quod mortua est. Et nota quod tria dixit Crito, contemsisse Chrysidem patriam, honestatem, et paupertatem. Τὸ πρίαιν etiam servatum est gravi viro, quum illum sobrinæ pudet. Simul hic ostenditur ejus generis fuisse Chrysidem, ut quæ probe vivere potuerit, nisi, ut ait, necessitas cogeret. *Quam in patria honeste*] Ἀστῆθεν primum. *In patria honeste pauper vivere*] His verbis a poeta jam honestus inducitur Crito, et dignus cui credi oporteat. *Pauper vivere*] Ad illud reddidit, *sed inopia, et cognatorum negligentia coacta.* D.

Honeste pauper vivere] Ita plerique Mss. et Priscian. lib. V. p, 41. tamen in Ms. R. *viveret*, erat. L.

Ordo *honeste in patria* et efficit suaviores numeros, et comprobatur meis et Faerni libris, sed recentioribus. Deinde lego cum codd. duobus Bodleianis *viveret*, cf. infra Adel. I. 2. 28. B.

Menander: Πολὺν τ' ἄλυπον μᾶλλον, ἢ πλοῦτον πικρόν. W.

In patria pauper viveret] Sic e Mss. optime reposuit Bentlei. Ante edebatur *in patria pauper vivere* quod per Græcismum dictum putat Periz. ad Sanctii Minerv. IV. 12. Nota 9. In lectione, quam revocavit Bentl. talis syntaxis qualis in Ad. I. 2. 28. *sineres nunc facere potius quam faceret aliena ætate.* Cæsar de B. G. II. 10. *optimum esse domum suam quemque reverti et—ad eos defendendos undique convenirent* pro convenire, ubi v. Oudend. Plura notavimus ad Rutil Lup. XLV. R. D.

4 *Ea ad me lege redierunt bona*] Hic jus tractavit dicendo *redierunt*: quia in familiam redeunt, si non est heres de proximo, aut ex testamento. D.

Redierunt] *Redire* potissimum dicitur de hæreditatibus legitimis, *venire*

Sed quos perconter, video. salvete. M. Obsecro
Quem video? estne hic Crito, sobrinus Chrysidis?
Is est. C. O Mysis, salve. M. Salvos sis, Crito.
C. Itane Chrysis? hem! M. Nos quidem pol miseras perdidit,
C. Quid vos? quo pacto hic? satin recte? M. Nosne? sic
Ut quimus, aiunt: quando, ut volumus, non licet.

de hæreditatibus testamento relictis. Hec. I. 2. 99. *ea ad hos redibat lege hæreditas.* Cic. Verrina II. c. 14. *huic hæreditas redit testamento.* v. Brisson. de verbor. significat. Lege fieri dicuntur, quæcunque fiunt secundum præscriptum legis. R. D.

5 *Perconter*] Interrogatio est, cui necessario respondetur, aut *etiam*, aut *non*. Percontatio, cui nihil horum. Ut si quis dicat. Ubi habitabat Chrysis, dicatur, ecce hic. *Percontatio*, ut si quis dicat, cur adulterium commisisti (lege: *ut si quis dicat, Ubi habitat Chrysis? dicatur, Ecce hic, percontatio est. Aut si quis dicat, Cur adulterium commisisti?* sub. similiter *percontatio erit?*) Simul etiam modeste et mature, et de se nihil interrogaturus, cœpit a blandimentis. D.

Sed quos perconter?] *Percontatio* namque est apud dialecticos inquisitio, cui respondetur aliter, quam est illa responsio: ubi aut *est* ponimus, aut *non*. Hæc enim interrogatio dicitur: vidisti hominem? necessario respondemus, aut vidi, aut non. At vero percontatio est: ubi habitat Chrysis? huic responderi non potest aut est, aut non; sed hic, illic. E.

6 *Estne hic Crito sobrinus Chrysidis?* *Sobrini* sunt consobrinorum filii: nam sic dicit Menander. verum ut alii putant, de sororibus nati, ut sint *sobrini*, quasi sororini. D.

7 *Salvus sis Crito*] *Salvus*, asseveratio salutantis est, non quasi responsio. D.

8 *Itane Chrysis? hem*] Non nunc interrogat, sed commiseratur: et ita sequebatur ut diceret, periit. sed magis gemitus (lege, *gemitu*) significat, quod minus dixerat. *Nos quidem pol miseras perdidit*] Hic intelligitur, supra subaudiendum, periit. Nam pro *periit*, hæc reposuit *perdidit*. D.

Itan' Chrysis?] Breviter interrogationem de Chrysidis morte effecit cum dolore: et recte et ordine requisivit, an Glycerium cognoverit suum patrem. Nam honeste peteret hereditatem, si illa jam civis cognita videatur. E.

Lege, *nos pol quidem*, ut III. 1. 1. B.

Itane Chrysis] Scilicet mortua est, quod omittitur ex more veterum, qui libenter male ominatis verbis abstinebant. R. D.

9 *Quid vos? quo pacto hic?*] Progressio loquentis ad interrogandum. Id est puto, inquit, quod illa periit: vos autem quo modo? *Quo pacto hic?*] Significatio est peregrinantis. D.

Ratio versus exigit, ut *satine* legatur. B.

Satin recte] Subintelligendum *agitis*; solennis interrogatio peregre redeuntium vel aliunde advenientium. Quinctil. VI. 4. *rectene omnia si se habent.* v. Brisson. de formulis VIII. p. 750. Dicunt et veteres *satis salvæ* scilicet res sunt, ut in Eun. V. 5. 8. sed disputant viri docti, an etiam dixerint *satisne salve* ut *salve* sit adverbium. Verum rectissime judicat Gronov. ad Plauti Stichum L. I. c. 1. p. 10. hanc formam non satis rectis testimoniis niti. Gronovio accedit Duker. ad Liv. I. 58. R. D.

10 *Nosne? sic ut quimus, aiunt, quando*

C. Quid Glycerium? jam hic suos parentes repperit?
M. Utinam! C. An nondum etiam? haud auspicato huc
me appuli.
Nam pol, si id scissem, nunquam huc tetulissem pedem.
Semper enim dicta est ejus hæc atque habita est soror.
Quæ illius fuerunt, possidet: nunc me hospitem 16

ut volumus, non licet] Et ad præsentis, et ad præteritæ vitæ excusationem pertinet ista responsio, qua purgatur voluntas Chrysidis in quæstu meretricio. Cæcilius in Plocio, *vivas ut possis, quando nequis ut velis.* D.

Ut quimus aiunt] Apud Zenobium: ζῆμεν γὰρ, οὐχ ὡς θέλομεν, ἀλλ' ὡς δυνάμεθα. Horat. Carm. lib. I. od. 24. *Levius fit patientia, Quicquid corrigere est nefas.* Ubi vet. Scholiast. hunc Terentii locum laudat. L.

11 *Quid Glycerium? jam hic suos*] Convenit hereditatem petenti, convenit judici (*indici.* cod. Bœnd. et ed. Du B.) futuro, de pluribus indagare. Ergo recte et ordine quæsivit, quid Chrysis? quid vos? quid Glycerium? D.

12 *Utinam*] Novo genere exoptationem pro negatione intulit. *Haud auspicato huc me appuli*] Id est, inauspicatus, quod non esset auspicatus. Et usitatum veteribus sic dicere, si quid aliquando aliter evenisset, quam vellent. D.

Unus e nostris bonæ notæ, *attuli* pro *appuli*. recte. ut Plaut. Amph. III. 4. 6. B.

Haud auspicato] I. e. haud feliciter. Justin. VIII. 2. *urbes auspicato condiderant.* R. D.

Huc me appuli] Bentl. e. Mss. legit *huc me attuli.* Sic Plautus in Amphit. III. 4. 6. *Jovis jussu nunc huc me affero.* Sic *se auferre* est discedere, abire. in Phorm. III. 3. 26. R. D.

13 *Nunquam huc tetulissem pedem*] Virg. Æn. II. 657. *mene efferre pedem, genitor, te posse relicto sperasti?* Et Georg. I. 11. *ferre simul Faunique pedem, Dryadesque puellæ.* Sed critici adnotant, alienius esse a charactere comico, *tetulissem pedem.* D.

Nunquam tetulissem pedem] Id est. nunquam venissem. et *tetulissem* dixit per prothesin. est enim *ferre*, ire et proficisci. ut Virgil. Æn. II. 657. *mene efferre pedem, genitor.* E.

Tetulissem pedem] Ita Diomedes lib. I. ac Mss. L.

Tetulissem pedem] Antique pro *tulissem. Ferre, inferre pedem*, et contra *efferre, referre pedem* poetis inprimis usitata sunt, qua de causa critici quidam, teste Donato annotarunt locutionem *tetulissem pedem* alienam esse a charactere comico. Sed et Plaut. sic locutus est in Menæchm. II. 3. 26. *qui huc in hanc urbem pedem nisi hodie nunquam intro tetulit.* in Ad. II. 2. 19. *nusquam pedem* scilicet fero. R. D.

14 *Semper enim ejus dicta est hæc, atque habita est soror*] Aut veris credendum est, aut etiam falsis, quæ tamen inveteraverint. Hinc Cicero, *ita habeantur, itaque dicantur. Habita* ergo plus est, quam *credita. Semper ejus*] A possibili et utili. D.

Semper ejus dicta est hæc] Quo magis difficile esse ostendat hereditatem petere, adjecit, quod hæc *soror et dicta est et habita*: unde jure in hereditate Chrysidi succederet. E.

Dicta est ejus hæc] Variant hic scripti codices: *ejus dicta esse hæc.* sed melius quod in Ms. R. *semper enim dicta ejus hæc, atque habita est soror.* L.

Vaticanus et Basilicanus sic: *semper enim dicta est esse hæc, atque habita est soror.* Reliqui omnes Faerni, *semper* EJUS, &c. Lege *semper* EI *dicta est esse hæc atque &c.* Sensus est gravior per asyndeta, sublato *enim.* cf. Heaut. II. 3. 29. B.

15 *Nunc me hospitem liten sequi*]

Lites sequi, quam hic mihi sit facile atque utile,
Aliorum exempla commonent. simul arbitror,
Jam aliquem esse amicum et defensorem ei. nam fere
Grandiuscula jam profecta'st illinc. clamitent,
Me sycophantam hereditates persequi,
Mendicum. tum, ipsam despoliare non licet,
M. Optume hospes, pol, Crito, antiquum obtines.

Mire dicit *me*, (lege e Ms. Hulst. *Et* ME *et* HOSPITEM *et* LITES SEQUI, *mire dicit et cum* ἐμφάσει. ME, *id est, senem et remotum a litibus,*) cum ἐμφάσει, id est senem et remotum a litibus. *Hospitem*, id est, peregrinum. *Lites sequi*, id est, pauperem, totum per ἔμφασιν (Verba *lites sequi—emphasin* forte ita sunt sananda : LITES SEQUI, *id est, hereditatem persequi.*) D.

16 *Quam hic mihi sit facile atque utile*] Id est difficile et inutile. et est comicum. D.

Facile atque utile] Hic et an fieri possit tractabat, et an expediat : quod utique deliberativæ e partibus dicitur. E.

Pro *hic* lego *id*, ob fidem quatuor codd. antiquorum, et ob sensum. Nam cum *aliorum exempla* dicat, non solas Athenas vult intelligi, sed quamvis civitatem. B.

Lites sequi] I. e. in judicio litigare. in Ad. II. 2. 40. *potius quam lites sequar*. in Phorm. II. 3. 61. *potius quam lites sectar*. Sic. *belli sequi* apud. Virg. Æn. X. 66. R. D.

Quam facile atque utile] I. e. quam difficile et inutile. Loquendi rationem supra illustravimus. R. D.

18 *Defensorem ei*] V. C. *ejus*. L.

Concinnius erit, si cum quatuor codd. et editione vet. colloces : *jam esse aliquem*, &c. B.

19 *Grandiuscula jam*] Ad partem ætatis refertur grandis, id est, grandis natu est. Major autem generaliter, et ad summam ætatis refertur, et ad comparationem ætatis pariter (Ms. Hulst. *pariliter*. sed Ms. Rœnd. et ed. Du B. *pertinet, et comparative, et similitudinarie*) positum est. D.

Grandiuscula] Argumentum est ab ætate. E.

Profecta'st illinc] Ms. R. *profecta'st illinc clam* : *clamitent*, &c. L.

20 *Sycophantam*] Hoc est, quum in me conveniunt lites (forte, *quam in me conveniant lites*. respicit versum 15.) *Sycophantam*] Bene, *sycophantam* : quia bonam causam habet, nihil aliud timens quam convicia. Et *sycophantam* subdistingue : et sic infer sequentia. D.

Codd. omnes, *hereditatem*, sc. hanc Chrysidis. Melius. Cæterum cum Donato post *sycophantam* interpungendum puto. B.

Sycophantam] I. e. calumniatorem, qui sciens litem falsam intentat. R. D.

21 *Tum ipsam despoliare non licet*] (Forte a manu Donati est, *lubet* Z.) Ab honesto. et bene, quia nihil suum habet, nisi Chrysidis. D.

Codd. duo perantiqui, et totidem apud Rivium habent *lubet* : quod persona Critonis est dignius. B.

Mendicum et sycophantam idem valere, patet e Menandri Γεωργῷ ap. Stob. Tit. 96. εὐκαταφρόνητόν ἐστι, Γεργία, πένης, Κἂν πάνυ λέγῃ δίκαια, τοῦτο γὰρ λέγειν Ἕνεκα μόνου νομίζεσθ' οὗτος τοῦ λαβεῖν, Καὶ Συκοφάντης εὐθὺς ὁ τὸ τριβώνιον Ἔχων καλεῖται, κἂν ἀδικούμενος τύχῃ. W.

22 *Antiquum obtines*] *Antiquum* absolute dixit, ut *æquum* aut *bonum*, quod antiqui solebant : aut certe per ἔλλειψιν, id est, morem et ingenium. D.

Perpol, antiquum obtines] Scilicet morem ; id est, sine dubio sic loqueris, quemadmodum antiquorum hominum mores sunt. *Pol* autem, juratio est per Pollucem, quomodo, *Hercle, Æcastor*. E.

Duo e nostris, *O optume*. recte. B.

C. Duc me ad eam: quando huc veni, ut videam. M. Maxume,
D. Sequar hos: nolo me in tempore hoc videat senex.

ACT. V. SCENA I.

CHREMES. SIMO.

SATIS jam, satis, Simo, spectata erga te amicitia'st mea:
Satis pericli cœpi adire: orandi jam finem face.
Dum studeo obsequi tibi, pene illusi vitam filiæ.

Antiquum obtines] Scilicet morem vel ingenium. Plena locutio est. in Hec. V. 4. 20. *at tu morem antiquum atque ingenium obtines.* Est etiam *obtinere*, pertinaciter tenere, perseverare intendendo, in Ad. V. 3. 28. *gloriam tu istam obtine.* Cic. ad Quint. fratr. I. 1. *ut nos eam necessitudinem obtinere et conservare patiantur.* R. D.

23 *Duc me ad eam, quando huc veni, ut videam*] Vel hoc inquit, ut videam. cur autem ut videam? quia timet. Et est ordo, *duc me ad eam, ut videam, quando huc veni.* D.

Quando] I. e. quoniam. Liv. XXIII. 2. *quando tuta ea pacataque a tergo relinquebantur*, ubi v. Drakenb. R. D.

24 *Videat senex*] Bene *senex.* Simo enim cum Chremete est. Propter hoc videri non vult, ne ejus utatur apud socerum testimonio, rem esse Pamphilo adversus Glycerium: et rursus nuptiæ confirmentur. D.

In tempore hoc] Pro *tempore hoc.* Sæpe nominibus temporis in ablativo positis præpositio *in* additur. Cic. pro Quint. v. 1. *hæ contra nos faciunt in hoc tempore.* R. D.

1 *Satis jam, satis Simo*] Hæc scena officiorum disceptationem continet, patrum inter se de officio amicorum, et paterna pietate tractantium. *Satis jam, satis*] Hæc veluti quædam controversia est: namque injuriarum reus fit Simo. Contradicitur per conjecturam, falsum esse quod intendit: cum Pamphilus neque amet, neque ex eo natus sit filius. et adhibetur derivatio causæ, qua dicitur meretricem ista omnia esse molitam, ad disturbandas nuptias. *Satis jam, satis*] Bene, negaturus filiam, purgat prius officium suum de fide promissi (*promissa* Ms. Bœnd. et ed. Du B.): et ultro accusat ipsum. *Spectata*] Probata. ut Virgil. Æn. VIII. 151. ait, *rebus spectata juventus.* D.

Satis jam, satis] Chremes Simonem reum injuriarum facit, quod eo usque persuasione duxerit animum ejus, ut ad periculum deveniret: quippe qui coegerit se filiam dare ei adolescentulo, qui non solum amicam haberet, verum et peregrinam nescio quam pro uxore retineret, et ex ea filium suscepisset. Huic responsio fit et status conjecturalis, falso istud esse, neque adolescentem habere illam pro uxore, neque talem illum esse filium: sed meretricem ad disturbandas nuptias ista cogitasse. *Spectata jam satis amicitia*] Probata, inquit olim est amicitia mea, jam desiste amplius calamitatis imponere, usque ad periculum, custodita familiaritate, perveni. E.

2 Lege cum codd. nostris et edd. vett. *incepi*, quod plus est quam cœpi, et suavior fit versus per elisionem. B.

3 *Dum studeo obsequi tibi*] Hæc om-

S. Imo enim nunc quam maxime abs te postulo, atque oro, Chreme,
Ut beneficium verbis initum dudum, nunc re comprobes.
C. Vide, quam iniquus sis præ studio, dum id efficias quod cupis.
Neque modum benignitatis, neque, quid me ores, cogitas.
Nam si cogites, remittas jam me onerare injuriis,

nis accusatio est. Dum obsequor, inquit, tibi, jam et filia mea periclitari cœpit. E.

Dum studeo] C. V. *studui*. L.

Illusi vitam filiæ] I. e. feci ut fama et existimatio filiæ ludibrio esset aliis. R. D.

4 *Imo enim nunc quam maxime abs te postulo*] Renunciare affinitati Chremetem, aut parum adhuc intelligit Simo, aut subtiliter dissimulat, ut ad fidem promissi (*promissam*, Ms. Bœnd. et ed. Du B.) hominem compellat. *Imo enim*] *Enim* παρέλκον est figura. D.

Immo enim nunc maxime] Generalem enim supra positam accusationem parum intellexerat Simo: et idcirco se convertit ad preces, ut hic Chremes potius in promissionibus perseveret, et quod verbis ante dixerat, ipsa compleat veritate. E.

Donatus et Eugraphius, auctore Faerno, recte legunt *cum maxime*. B.

Enim] Ponitur pro *vero*. in Eun. II. 3. 63. *immo enim si scias*. in Phorm. V. 7. 90. *etenim solus nequeo*. v. interpretes ad Cæs. de B. G. V. 6. et Bentl. ad Eun. II. 3. 64. R. D.

5 *Initum*] Cœptum, ab ineundo: unde et *initia* quoque dicta. D.

Beneficium verbis initum nunc re comprobes] I. e. quod promisisti, nunc re præstes, *initum* est inceptum; *re* contrarium est verbis. v. in Ad. II. 1. 10. et Duker. ad Flor. IV. 7. p. 821. R. D.

6 *Quod cupis*] Quod velis. Legitur et, *quod jubes*. D.

Vide, quam iniquus sis] Supra generaliter Chremes accusaverat, nunc descendit ad speciem: *Vide quam iniquus sis præ studio, dum id facias quod velis, neque modum benignitatis, neque, quid me ores, cogitas*. Cupiditatis, inquit, studio, et ardore nimio voluntatis, non animadvertis benignitatis modum: vel, quod postulas, diligenter intelligis ac cogitas. E.

Præ studio] Priscian. lib. XV. L.

Interpunge sic, *vide quam iniquus sis præ studio: dum id efficias quod cupis, Neque modum*, &c. B.

Præ studio] I. e. propter studium. Liv. XXXI. 24. *nec juris quidquam præ impotenti ira est servatum. Studium* est cupiditas. R. D.

7 *Neque modum benignitatis, neque quid me ores, cogitas*] Id est, non cogitas, aut quantum de benignitate amoris exigendum, aut præsumendum sit: aut quam sit impossibile, quod petis. D.

Neque modum benignitatis cogitas] I. e. neque finem benignitatis meæ statuis. *Modus* est finis, quem transire non licet. in Heaut. IV. 5. 7. *sumtus cotidianos fieri, nec fieri modum. Benignitas* est humanitas, ut apud Plaut. in Trin. II. 4. 58. *benignum* pro facili. R. D.

8 *Remittas jam*] *Remittas*, pro mittas. D.

Onerare injuriis] Plaut. Pseud. Scen. Pseudole non audis: *assiste altrinsecus, atque onera hunc maledictis*. L.

Remittas] I. e. omittas. Sallust. in Jug. c. 52. *neque remittit explorare*. Hor. Carm. II. 11. 3. *remittas quærere*. R. D.

Onerare injuriis] Sic etiam dicitur onerare aliquem maledictis, mendaciis, contumeliis, aliquando in bonam partem onerare laudibus, honoribus. v.

S. Quibus? C. Ah! rogitas? perpulisti me, ut homini adolescentulo,
In alio occupato amore, abhorrenti ab re uxoria,
Filiam darem in seditionem, atque incertas nuptias;
Ejus labore, atque ejus dolore, gnato ut medicarer tuo.
Impetrasti: incepi, dum res tetulit. nunc non fert; feras.
Illam hinc civem esse aiunt: pues est natus: nos missos face.

Drakenb. ad Liv. IV. 13. *Injuriæ* h. l. dicuntur preces iniquæ et injustæ. Sic ap. Plaut. in Poenulo III. 6. 10. *injuriæ* est res injusta. R. D.

9 *Perpulisti me, ut homini adolescentulo*] Hæc est tota accusatio. *Homini adolescentulo*] Sic Sallustius B. Jug. 12. *occultans se tugurio mulieris ancillæ.* D.

Perpulisti me] Hic est omnis aperta illa accusatio, quæ summam continet omnium factorum: et est συνθυασμὸς, qui fit, cum bona malis conferimus. *Adolescentulo*] Cui lubrica ætas varium dat ingenium. E.

Lege cum nostris *at rogitas?* ut Hec. IV. 1. 11. et, *homini ut.* B.

10 *In alio occupato amore*] Qui amet alteram. *Abhorrenti ab re uxoria*] Qui uxorem nolit ducere. E.

Ab re uxoria] H. e. nuptiis. Eadem circumscriptione res pecuniaria dicitur pro pecunia, res frumentaria pro frumento, res rustica pro agricultura. R. D.

11 *Filiam darem*] Invidiose; non, promitterem, inquit, sed darem, quantum in te est. D.

Filiam ut darem] Huic adolescenti amanti, invito uxorem ut darem coegisti filiam: cum futuræ seditiones essent, cum incertæ nuptiæ. quippe ille amore meretricis quotidie seditiones faceret, et neque certas nuptias perimpleret. Exsequitur deinde, quanta calamitas filiæ esse potuisset, si adolescenti amanti illa traderetur. Verum hæc quoniam sciens ante promiserat Simoni, levia sunt. Hæc est omnis accusatio, quod jam idem adolescens ex meretrice suscepit filium. Unde omnino fieri non potest, ut ei filiam suam Chremes tradat uxorem. E.

Cum plerisque Faerni lege versus causa, IN *incertas.* B.

In seditionem] I. e. in discordiam et rixas. Seditio sæpe est tumultus domesticus inter conjuges; sic *mulier seditiosa* apud Cic. ad Attic. II. 1. ubi v. Græv. R. D.

Incertas nuptias] I. e. parum firmas, non diu duraturas, contra *certus maritus* est apud Ovid. epist. V. 107. R. D.

12 *Gnato ut medicarer tuo*] I. e. ut filio tuo remedium adhiberem; supra I. 2. 22. dixerat filii *animum ægrotum.* Ut morbi, ita et medicinæ vocabulum ad animum transfertur. v. Bentlei. ad Horat. epist. I. 16. 40. R. D.

13 *Dum res tetulit*] Compositum pro simplici est *tetulit.* et altius quam decet comicum characterem, dictum videtur (videtur aliter legisse Donatus. Certe quidem in Ms. Hulst. est *detulit.* Si vero *tetulit* legit, qui compositum vocat? qui porro *altius quam decet comicum characterem?* quod et monuit supra ad IV. 5. 13. Plautus certe Amph. II. 2. 84. *mi vir, et manum prehendi, et osculum tetuli tibi.* Et alibi sæpe). D.

Impetrasti, incepi] Ut darem filiam amanti filio tuo *impetrasti*, et, *cœpi.* dum res passa est. *Nunc non fert. feras*] Quidam sic distinguunt, ut dicant: *nunc non fert*, scilicet res ipsa jam non sustinet: ex persona Simonis. subjungitur *feras*, quasi dicat, sustineas. Cui respondet, quod jam omnino ferri non potest, quod illa civis dicatur, quod filius natus. E.

S. Per ego te deos oro, ut ne illis animum inducas credere,
Quibus id maxime utile'st, illum esse quam deterrimum.
Nuptiarum gratia hæc sunt ficta atque incepta omnia.
Ubi ea causa, quamobrem hæc faciunt, erit ademta his: desinent.
C. Erras. cum Davo egomet vidi jurgantem ancillam.
S. Scio.
C. At vero voltu; cum, ibi me adesse, neuter tum præsenserat.
S. Credo: et id facturas, Davos dudum prædixit mihi:

15 *Per ego te deos oro*] Defensio per conjecturam. et est ordo, *per deos oro te ego*. D.

Per ego te deos oro] Hic incipit defensio secundum conjecturalia, uti falso esse doceat ea, quæ ad accusandum sunt collocata: *ut ne illis animum inducas credere*. Facit autem argumentum a persona, quippe cum meretrix sit. Deinde a causa: quod illis utile est, Pamphilam *esse quam deterrimum*, et per ὑπιτροχασμὸν exsequitur, cur id fiat. E.

16 *Quibus id maxime utile est*] Argumentum a persona. *Quibus id maxime utile est*] A causa ratiocinativa. D.

17 *Hæc sunt ficta, atque inventa*] Quæ causa si auferatur, cum duxerit Pamphilus uxorem, dimittet hæc omnia, et a proposito desistet. E.

Tres codd. habent *facta* pro *ficta*. recte. Nam sequitur statim *faciunt*, non *fingunt*. B.

18 *Ubi ea causa, quamobrem hæc faciunt*] Ἀναπόδοτον. Nam non intulit, *ob quam causam*: cum supra dixerit *ea causa*, sed quasi dixerit, *ubi ea res*, intulit, quamobrem hæc faciunt. *Ubi ea causa, quamobrem hæc faciunt*] Aut *rem* abundat, aut *causa*. D.

19 *Erras*] Jam hic probatio est, vera esse illa, quæ Simo dixerat falsa, quod viderit Davum jurgantem cum ancilla. Et ne simulatio esset, adjecit, *vero* se vultu vidisse. Et ne vultus ad veritatem fuerit compositus, adjecit: *cum, ibi me adesse, neuter dum præsenserat*. Cum, inquit, neque Davus, neque Mysis sciret me esse præsentem. E.

Lege numerosius, *vidi ancillam jurgantem*. B.

20 *Vero voltu*] Quasi dixerit Simo, *simulabat ancilla. Cum, ibi me adesse, neuter tum præsenserat*] Credit (edd. Venett. *creditur*. Ms. Hulst. *queritur*. Lego audacter: *queritur: quid si visus a Myside erat. Tamen ignorabatur esse Chremes*. Nisi τὸ credit e seq. versu irrepsisse, et delendum statuas, quod suspicatur Wielingius. Sed superiorem nostram conjecturam comprobat Ms. Bcind. ubi interrogationis nota est addita.) aut etsi visus a Myside erat, tamen ignorabatur esse Chremes, donec diceret Davus, *hic ille est. non te credas Davum ludere. Cum ibi me adesse*] *Tum* deest, ut sit integrum. *tum, cum* D.

Tolle *at*, quod obest versui. Lolgius legit *neuter dum*, h. e. *neuter adhuc*. Sed omnes codd. *tum*, quod plane idem valet. B.

Vero vultu] I. e. non simulato. Ovid. Metam. XIII. 43. *verus furor*. Valer. Flacc. VI. 459. *veri timores*. R. D.

21 *Davus dudum prædixit mihi*] Hic ostenditur quod vidit callidus Davus, ut prædiceret futurum seni id, quod ipse erat facturus. D.

Credo] Redit rursus ut neget vera, quæ erant dolo ficta. E.

Et nescio quid tibi sum oblitus hodie, ac volui, dicere.

ACT. V. SCENA II.

DAVUS. CHREMES. SIMO. DROMO.

ANIMO nunc jam otioso esse impero. C. Hem Davom tibi.

S. Unde egreditur? DA. Meo præsidio atque hospitis. S. Quid illud mali est?

DA. Ego commodiorem hominem, adventum, tempus, non vidi. S. Scelus,

Pro *facturas*, quod alienum est, repone *futurum*. cf. supra III. 2. 27. B.

22 *Nescio quid*] Deest *propter*: ut sit, propter nescio quid, aut *nescio* pro (*cur*, Z.) quare: ut fit adverbiale. *Ac volui*] *Ac*, pro contra quam. D.

Lege, *et nescio* QUI, i. e. quomodo. Pro *ac*, quod Donatus male retulisse videtur ad *oblitus*, repone *ut*, et refer ad dicere. cf. supra IV. 5. 10. Phorm. V. 1. 32. B.

1 *Animo jam nunc otioso esse impero*] Hæc scena principium indicii, et iracundiam senis continet: atque in ea vehementer exprimitur consuetudo patris ac domini offensi, et indignantis. *Animo jam nunc otioso*] Exsultans egreditur Davus, nuncians prona esse omnia ad securitatem. Et *otioso*, securo: quia negotium, sollicitudo est. *Impero*] Pro volo. an ut statim fiat (forte leg. NUNC JAM. *Ut statim fiat t. i. q. i.* Z.) tanquam illud quod imperatur? Et *impero*, superbe dixit. summum enim indicium securitatis est superbia. D.

Animo nunc jam] Davus egrediens de domo Glycerii, gaudet quod læta sint omnia suo præsidio, et ejus hospitis Critonis, qui advenit: cujus indicio scit illam civem esse Atheniensem. Verum hæc scena tantummodo iram continet domini commoti; quod Davus, de domo Glycerii exiens, continuo in pistrinum mittitur. Hoc enim ei futurum ante promiserat, cum dixit, *in pistrinum, Dave, te dedam ad necem; si sensero quicquam in hisce nuptiis fallaciæ conari.* E.

Animo otioso] I. e. securo, tranquillo. v. Eun. V. 5. 10. *videsne ut otiosus it.* Cic. ad Div. IX. 25. *si otiosum fabrum reddideris.* Sen. controvers. I. 4. p.115. *quam otiosi quam securi adulteri transierunt præter oculos meos*, ubi v. Joh. Schulting. R. D.

2 *Unde egreditur*] Hic non interrogat: sed cum admiratione, vel magis cum indignatione, dicit. *Meo præsidio atque hospitis*] Id est, animo jam nunc otioso esse impero. *Atque hospitis*] Scilicet Critonis. D.

3 *Ego commodiorem hominem*] Hic Davus admiratur, quod in ipso articulo periculi supervenerit Crito. *Ego commodiorem hominem, adventum, tempus non vidi*] Potest enim et commodus esse quis, et alieno tempore supervenire potest, et commodum in homine est. sed et opportunus malum etiam adventum habere potest. Nam (ante hoc verbum legitur in utroque cod. *potest et* commodum *esse in homine, sed opportunum malum et adventum habere potest*) *commodum*, in homine est: *adventus*, in facto ejus: *tempus* in opportunitate facti. *Commodiorem hominem, adventum, tempus*] Σύλλημις. D.

Adventum tempus] Pro, ad tempus

Quemnam hic laudat? DA. Omnes res est jam in vado.
S. Cesso alloqui?
DA. Herus est: quid agam? S. O, salve, bone vir! DA.
Ehem Simo! O noster Chreme!
Omnia apparata jam sunt intus. S. Curasti probe.
DA. Ubi voles, arcesse. S. Bene sane: id enim vero
hinc nunc abest.
Etiam tu hoc respondes? quid istic tibi negotii'st? DA.
Mihin'?

ventum, id est, venisse. et singula sunt pronuncianda. E.

Adventum tempus] Ms. R. *adventum ad tempus*. L.

Legitur in codd. *adventum ac tempus*, in aliis *adventum ad tempus*, in uno *ad tempus adventum*. Bipontinis placuit *adventum ad tempus*, mihi non recedendum videtur a lectione vulgari. S.

4 *Scelus, quemnam hic laudat?*] Non est *hic* solœcismus: ad sensum enim, non ad verba respexit. etenim propter sensus, verba sunt: non propter verba sensus. *Omnis res est jam in vado*] *In vado*, in securitate. Nam ut in profundo periculum est: ita in vado securitas est. Proverbiale, *in vado*, in tuto. D.

Res in vado] Hoc est, in tuto sunt jam universa. *Vada* enim sunt loca humilia * (in Ms. lacuna nulla, inquit West. Sed mihi videtur excidisse, *maris*, seu, *fluvii*. Z.) E.

Res est in vado] I. e. tuto. Plaut. Aulul. IV. 10. 73. *jam esse in vado salutis res videtur*. Proprie in vado esse dicitur, qui in flumine vel mari ad locum minus profundum venit, in quo vadere et pedibus niti possit. R. D.

5 *Quid agam?*] Plus est dicere, *quid agam?* quam cogitare de fuga. *Salve bone vir*] Ελεγεῖα major est, quam increpatio. Quum enim omne genus criminis aliquis superaverit (melius Ms. Hulst. *spreverit*): tunc exclusi (lege *elusi*), ελεγεῖα laudamus. *Hem*] Interjectio perturbati est. *O noster Chreme*] *Noster* dicendo, latenter significat Glycerium filiam Chremetis esse inventam. D.

6 *Omnia apparata jam sunt intus*] Quia infecta sunt de paratis. *Curasti probe*] *Probe*, memoriter ut solet. supra enim dixerat senex, *imo abi intro; ibi me opperire: et quod parato opus est, para*. D.

Omnia jam parata] Dissimulat servus domino viso, et dicit ad nuptias cuncta disposita esse. E.

Jam sunt intus] Ms. R. τὸ *jam* deest. L.

7 *Ubi voles, arcesse*] *Ubi*, pro quando. non est enim loci, sed temporis adverbium. *Bene sane*] Valide: quia qui sanus est, idem et validus. *Adest*] Pro *deest*. D.

Bene sane, id enimvero] Recte, inquit, dicis: hoc enim solum jam deest, ut ipsa puella debeat evocari. E.

Id enimvero] Ms. R. *is enimvero*. L.

Tres ex nostris, IS *enimvero*. Male. Faernus et unus cod. e nostris HIC *nunc*. frustra. B.

Id enim vero hic nunc abest] Per ironiam dicit, hoc solum nunc deesse perficiendis nuptiis. Plaut. in Stich. V. 4. 29. *id abest, aliud nihil abest*, in Epidico I. 1. 25. *at unum a prætura tua abest*. v. Bentl. ad h. l. et Burmann. ad Virg. Æn. VIII. 47. R. D.

8 *Etiam tu hoc respondes*] Deest, *an non*. (Ob *annon* haud dubie legit A. *respondes*. Sed ex sequenti explicatione τοῦ *etiam* auctorem legisse *responde*, patet. Quæ repugnantia interpolationem indicare videtur. Z) *Etiam tu hoc*

S. Ita. Da. Mihine? S. Tibi ergo. Da. Modo introii.
S. Quasi ego, quam dudum, rogem.
Da. Cum tuo gnato una. S. Anne est intus Pamphilus?
Crucior miser.
Eho, non tu dixti esse inter eos inimicitias, carnufex?
Da. Sunt. S. Cur igitur hic est? C. Quid illum censes?
Cum illa litigat.
Da. Immo vero indignum, Chremes, jam facinus faxo
ex me audias.

respondes?] *Etiam*, aut hortatio est, aut conjunctio. Et vide quanta dixerit. *et quid*, et *istic*. et *tibi*. D.

Quid istic tibi?] Interrogatus Davus quare domum Glycerii intrasset, non cur, sed quando respondet. E.

Lege *responde*, ob auctoritatem omnium codd. nostrorum, præter unum. et Servii ad Æn. XI. 373. ubi ait *etiam* esse hortantis adverbium. B.

Etiam tu hoc respondes] Si legamus respondes, particula *etiam* increpandi vim habet, in Ad. IV. 2. 11. *etiam taces*. Petron. c. 21. *etiam dormire vobis in mente est*. Sin meliorum codicum lectionem *responde* sequamur, *etiam* est particula hortantis. v. Serv. ad Virg. Æn. XI. 313. R. D.

9 *Mihine?*] Quando non sumus parati ad respondendum, ducendo tempus eludimus. *Mihine?*] Apparet ita turbari Davum modo consilio poetæ, ut omnes amittat fallacias: et oppressus prodat Pamphilum, dum malum cominus perhorrescit; totumque hoc ex argumento est. Vult enim jam poeta catastrophen fieri. *Modo introii*] Hoc signum, perturbatum induci ob conscientiam Davum. D.

Modo introii] Ideo Simo adjecit: *quasi ego, quam dudum rogem*] Quasi ego interrogem, quam dudum sis ingressus. E.

Quam dudum, rogem] V. C. *quam dudum id rogem*. L.

Codex C. C. C. *introivi*. Apud nostrum *introire* cum semper in medio Synakrephum faciat, tanquam bina fuerint verba: versum totum, ubi *ita* superiori apposueris, restitue sic: *Mihi? Tibi ergo. Modo ego introivi*, &c. B.

10 *Cum tuo gnato una*] Servi excusatio, filii accusatio est. et hoc quasi a perturbato dicitur servo: sed consilio poetæ ad exitum festinantis et resolutionem fabulæ. *Anne est intus Pamphilus?*] Causa iræ vehementior (*vehementioris* Z.) inventa est. D.

Cum tuo nato una] Conturbatus servus, quoniam se defendere non potuit, a domino constringitur. E.

12 *Sunt*] Nulla ratione dicit, *sunt*: sed ne nihil respondeat. Nam turbatus est, utpote oppressus. *Quid illum censes?*] Deest, *propter*: ut sit, propter quid illum esse censes? *Cum illa litigat*] Chremeti convenit hic sermo: hic enim irridet: qui et supra dixit, *amantium iræ, amoris integratio est*. Et sic hoc dicit, ut alibi, *credo, ut fit, misera præ amore exclusit hunc foras*. *Cum illa litigat*] Irridet Simonem Chremes, quia dixerat, *iræ sunt inter Glycerium et gnatum*. D.

Quid illum censes] Supple hic esse. Comica est formula, qua interrumpebant narrationem rei, præsertim inopinatæ, in Ad. IV. 5. 22. *quid illas censes*. v. Gronov. ad Plauti Curcul. I. 1. 59. R. D.

13 *Imo vero indignum, Chreme*] Bene ad eum loquitur, qui est a nuptiis deterrendus: vel qui non interturbet orationem suam: vel quem etiam sibi precatorem destinet. Ita loquitur quasi hæc sit causa, cur sit Pamphilus in-

Nescio quis senex modo venit. ellum, confidens, catus:
Cum facilem videas, videtur esse quantivis pretii.
Tristis severitas inest in vultu, atque in verbis fides.
S. Quidnam apportas? DA. Nihil equidem, nisi quod illum audivi dicere.
S. Quid ait tandem? DA. Glycerium se scire civem esse Atticam.

genus: quod quasi ei lis intendatur a Critone hospite ducendæ uxoris, quam (*quum* Z.) civem Atticam vitiaverit. (Argutiæ mihi videntur. Davus hic, ut Simonis animum, joco Chremetis ridentis commotum leniret, quasi refellere conatus est sententiam Chremetis. Dicit enim, *immo vero*, h. e. illud non est, sed Z.) D.

Lege *Chreme* cum uno ex nostris; et cum quatuor *audies*. ob unum *vōi faxo* apud Terentium. B.

14 *Nescio quis senex modo venit*] Bene, *nescio quis*. etenim si notus esset, videretur gratificari, id est, gratiosus esse testis et minus verus. *Ellum*] Veteres quod nos *illum* dicimus, vel *ellum*, vel *ollum* dicebant. quamvis *ellum*, quidam *eos illum*, velint intelligi: tanquam pro ipso domum (Ms. Hulst. *pro ipsa domo*, h. e. ante ipsam domum). Glycerii ostendat Davus, dicens, *ellum*, quasi *eum illum*. est enim, ut alii volunt, pronomen: ut, *at* Z. alii, adverbium demonstrantis: nam pronomen hujusmodi veteres sic proferebant, *ille, ellus, illus*. Sed, ut diximus, adverbium compositum ex pronomine videri potest: ut sit, *en*, vel *ecce illum*. *Confidens*] *Confidentem* hic pro constanti, non male significatione, posuit. *Catus*] Callidus, doctus, ardens: παρὰ τὸ καίειν, unde *Cato* dictus: ingeniorum etenim igneus vigor esse videtur (M. H. *ingeniorum etenim ingenuus vigor est*. Et refert illud *videtur* ut sequentia, *esse quantivis pretii*. Hoc recte, illud minus). D.

In antiquo Decuriato Faerni, et uno e nostris est, *nescio qui*. recte. B.

Confidens] Plerumque non temerarius. Hic in bonam partem sumitur pro constanti, gravi. v. Donat. ad h. l. R. D.

Catus] I. e prudens, expertus; *cate* et *sapienter* jungit. Plaut. in Pœnulo I. 1. 3. R. D.

15 *Quantivis pretii*] Ad magnitudinem refertur *quantitas*, non ad parvitatem pretii (Ms. Hulst. *ad gravitatem*, PRETII, omisso *non*). Et totum oratorie scite enim locutus est. Sed interest inter *quamvis* et *quantivis*. Nam alterum contemtionis, alterum laudis. D.

Videtur esse] Ms. *videatur quantivis p.* est autem Plautina imitatio, in Pseudol. I. 2. 9. *at facies cum sapiens eorum, haud mali videntur, opera fallunt*. L.

16 *Tristis*] Ad laudem interdum animum, non ad amaritudinem, *tristis*, Cicero, Aut. I. in Verr. 10. *judex tristis et integer*. D.

Tristis severitas] Thraseas apud Tacit. Serv. Georg. 3. ad vers. 37.—*quamquam severum*. et Æneid. X. 612. *tua tristia dicta*. L.

Tristis severitas] H. e. severa gravitas. Sæpe graves et severi tristes dicuntur, quoniam a jocis et hilaritate alieni sunt. Cic. in Verr. Actio. I. 10. *tristis judex*; pro Quint. c. 18. *natura tristi ac recondita fuit*. Nepos in Epamin. c. 2. *tristem et severum senem*. R. D.

18 *Glycerium se scire civem esse Atticam*] Bene: constanter et ea quæ locutus est, *scire* se dixit. D.

S. Hem, Dromo, Dromo. Dr. Quid est? S. Dromo. Da. Audi. S. Verbum si addideris. Dromo.
Da. Audi obsecro. Dr. Quid vis? S. Sublimem hunc intro rape, quantum potes.
Dr. Quem? S. Davom. Da. Quamobrem? S. Quia lubet. rape, inquam. Da. Quid feci? S. Rape.
Da. Si quicquam invenies me mentitum, occidito. S. Nihil audio.
Ego jam te commotum reddam. Da. Tamen etsi hoc verum est. S. Tamen

19 *Dromo, Dromo*] Commotus ira te dolore nihil dixit, nisi quod lorarium repetendo sæpius vocat. *Verbum si addideris*] Bene, qui omnia, præsente socero, contra nuptias loquitur.

Hem appone antecedenti. B.

20 *Audi obsecro*] Plerumque a verberandis, vel mora (R. Steph. quia sensum nullum putabat in vulgari lectione, post *verberandis*, interservit *vel indulgentia loquitur*. Id autem velle videtur Donatus: quia Davus supplicii meta dixerit, *audi, obsecro*, sperasse, se mora impetraturum indulgentiam, quod nempe vel indulgentia, vel mora loquatur a verberandis. Idem igitur Donato est loqui ab aliquo, quod, stare ab aliquo. Nisi pro *loquitur*, legendum sit, seu *rogatur*, seu *quæritur*, seu potius *captatur*). *Sublimem*] Id est in sublime, per altum. *Quantum potes*] Hoc est, celerrime: quia segniores se ostendant servi ad puniendos collibertos (lege *conservos*), scilicet mora veniam captantes indignantium dominorum. D.

Sublimem] H. e. ita sublatum, ut terram pedibus tangere non possit. in Ad. III. 2. 18. *sublimem medium arriperem*. Plaut. in Asinar. V. 2. 18. *quin tu illum jubes ancillas rapere sublimem*. Claudian. in Eidyll. VII. 7. *grandævi femina sublimes prole feruntur*. R. D.

Quantum potes] Quam celerrime; est formula indicans. in Eun. II. 3. 85. *duc quantum potes*. in Phorm. IV. 3. 69. *quantum potes me certiorem fac*. R. D.

21 *Quia lubet*] Hoc sensu et supra dictum est: *aut si libitum fuerit, causam ceperit, quo jure, quaque injuria. Quia lubet*] Davo dicit. *Rape, inquam*] Hoc Dromoni. D.

Rape inquam] Vulgo contra antiquorum rationem verbo *inquam* utantur ad lapsum linguæ corrigendum. Veteres enim hoc verbo vel cœptam et nonnihil interruptam orationem redintegrabant, vel illud post vocem aliquam repetitum emphasis causa repetebant. Cic. ad Attic. I. 20. *per mihi per inquam gratum feceris*. Varr. V. 10. *crux crux inquam misero comparabitur*. Linguæ lapsum corrigentes dicebant *illud volui dicere*. ut Plaut. in Pseudolo II. 4. 21. *adduxi volui dicere*. R. D.

22 *Si quicquam mentitum invenies, occidito*] Hic plus dixit. Ubi enim *verbera* supra dixit: nunc *occidito* (atqui Davus in tota fabula id non dixit. Igitur memoria lapsus Donatus videtur, nisi animo obversatæ sunt Simonis minæ, supra I. 2. 28.) D.

23 *Commotum*] Citum, celerem (Donato indignam explacationem hanc censet Dacieria, cum *commotum redders* hic sit, *commovere*, διαυνῦν, seu *verberibus cædere*. Z.) D.

Tamenetsi hoc verum. S. *Tamen*] In vett. libb. *tamenetsi hoc verum est*. S. *Audin'? quadrupedem*. L.

Post *tamen* in fine est distinguendum, ut ad Davi interrogationem referatur. B.

Cura asservandum victum; atque audin'? quadrupedem constringito.
Age nunc jam; ego pol hodie, si vivo, tibi
Ostendam, herum quid sit pericli fallere;
Et illi, patrem. C. Ah, ne sævi tantopere. S. O Chreme,
Pietatem gnati! nonne te miseret mei?
Tantum laborem capere ob talem filium?
Age Pamphile, exi Pamphile, ecquid te pudet?

Commotum reddam] H. e. commovebo, faciam, ne animo sis otioso, ut Davus v. 1. dixerat. in Heaut. IV. 4. 8. *dormiunt, pol ego istos commovebo.* R. D.

24 *Quadrupedem*] Utrum ligaturæ genus sic dicitur, *quadrupes?* an quadrupedem, ut feram? an quadrupedem, id est cum pedibus et manibus? an quadrupedem, pro cervo ac fugitivo posuit? Sic Virgil. Æn. VII. 500. *saucius at quadrupes nota intra tecta refugit. Constringito*] Mire. ne quid fiat tragicum in comœdia, usque ad vincula ira progreditur: nec quicquam tentat ulterius (uterque liber legit: *nec quicquam tentat, ne quoquam tendat ulterius*). D.

Quadrupedem constringito] Hoc est, ita eum (et nodis), et vinculis colligato, ut quadrupedem (facias) cum ejus manus retrovertens compedum ligaturis efficias, quasi quadrupedem. Quidam hoc aliter: quasi dominus iracundiam suam derivaverit, et leni voce dixerit, ut non ipsum, sed jumentum aliquod alliget. Et confirmant ex eo, quod conquerenti Pamphilo, non recte Davum vinctum, respondit Simo: *haud ita jussi*, sed superior sensus est melior. E.

Quadrupedem constringito] H. e. ita eum constringito, ut instar quadrupedis manibus pedibusque consistat, capite lignorum pondere in terram depresso; est genus supplicii, quod Attici *κυφωνισμὸν* vocant. v. Schol. in Aristophan. Plut. V. 76. R. D.

25 *Si vivo*] Qui certa minari volunt, incertam faciunt vitam suam. D.

26 *Herum quid sit pericli fallere*] Herum et patrem cum ingenti pronunciatione dixit. Et alibi, *nam qui mentiri, aut fallere insuerit patrem, aut Audebit, tanto magis audebit cæteros.* D.

Lege commodiore ordine, *ostendam, quid herum sit*, &c. B.

27 *Ne sævi tantopere*] *Ne*, imperativo magis quam conjunctivo adjungitur. ut Virg. Æn. VI. 544. *ne sævi, magna sacerdos.* D.

Ah ne sævi] Priscian. libr. VII. Plaut. Bacchid. III. 2. 4. *leniter qui sæviunt, sapiunt magis.* Servius in Æneid. VI. 544.—*ne sævi, magna sacerdos.* L.

Ne sævi tantopere] H. e. ne nimium irascaris. Plaut. in Bacchid. III. 3. 4. *leniter qui sæviunt, sapiunt magis.* Sic *sævus* dicitur pro irato, ut in Phorm. V. 1. 17. v. Burm. ad Ovid. Art. Amator. I. 18. R. D.

28 *Pietatem gnati*] Ἔλλειψις. deest enim *vides*, aut quid tale. Et est *εἰρωνία*, pro impietate. Et vide invidiam, quasi parricidam accusantis. non enim pudorem dixit, sed pietatem. D.

Ætatem gnati] H. e. ubi est filii pietas, quam tantopere jactavit. R. D.

29 *Tantum laborem capere*] Σύλληψις. assumendum est enim extrinsecus *me* (Westerhovius addita habet, sed nescio unde; *labor, pro molestia* Z.) D.

Tantum laborem capere] Scilicet me, quod assumendum est ex præcedenti *mei*. v. 28. v. Donat. ad h. l. et Cort. ad Sallust. Catil. c. 52. R. D.

ACT. V. SCENA III.

PAMPHILUS. SIMO. CHREMES.

QUIS me volt? perii, pater est. S. Quid ais, omnium? C. Ah,
Rem potius ipsam dic, ac mitte male loqui.
S. Quasi quicquam in hunc jam gravius dici possiet.
Ain' tandem? civis Glycerium'st? P. Ita prædicant.
S. Ita prædicant? O ingentem confidentiam! 5

1 *Quis me volt? perii*] Hic accusatio est: quæ solvitur defensione, in eo quod ad amorem pertinet, per concessionem; in eo quod ad Critonis personam, per conjecturam. *Quid ais omnium?*] Ἀποσιώπησις tertia: et est ad deformationem personæ. Et est irato familiaris ἀποσιώπησις, quum, pro dignitate peccati, non inveniat convicium. *Quid ais*] Non interrogantis, sed invehentis; et est ἐλλειψις, multa significans, in eo quod ait, *omnium* D.

Quis me volt?] Hæc scena venialem statum habet. Accusatur enim (excidit, *filius* Z.) a dictis, a factis, ab habitu faciei: quod peregrinam meretricem velit uxorem ducere. Sed purgat se, ut necessitate compelli possit. Nam inserit, ut noscatur, quod Crito dicat se scire, civem esse Atticam Glycerium. *Quid ais, omnium?*] Iracundiæ familiare hoc esse, sæpe dictum. Hic intercessit Chremes et dixit: *rem potius ipsam dicito*, omissis maledictis. Tantum filio crimen intentat (forte, *intenta*, deleto puncto post maledictis). Accusatio incipit: *num cogitat quod dicat? num facti pudet?* Deinde defensio a precibus: *me miserum!* Tota rursus accusatio supponitur factis præteritis, quod diu amaverit meretricem: a præsentibus, quod jam uxor sit, quod susceptus filius. Deinde concluditur accusatio per σύγχυσιν lege, συγχώρησιν Z.) *imo valeat; habeat; vivat cum illa.* E.

Omnium] Scilicet nequissimus; est aposiopesis. R. D.

2 *Male loqui*] I. e. male dicere. in Phorm. II. 25. *pergin hero absenti male loqui.* R. D.

3 *Quasi quicquam in hunc jam gravius dici possiet*] Quam quod fecit, quam quod peccavit. D.

Gravius] H. e. asperius. in Ad. I. 2. 60. *nolo in illum gravius dicere.* Cic. Verr. III. 58. *eum ne verbo quidem graviore appellasses.* R. D.

4 *Ain' tandem?*] Quærit Probus, *ain'* quæ pars orationis sit: et an una sit. Est autem *ain'* quasi *aisne*. Et mire, quasi ipse dicat, quod Davus dixerit. Ergo *ain'*, percontativum verbum est. *Tandem*] Pro tamen. *Prædicant*] Artificiose pro *dicunt* posuit, adeo in hac re vehementer commotus senex hoc ipsum repetit, *ita prædicant* per iracundiam. Et, *ita*, est ἐν ὕθει, ut repetantur verba, in quibus arguitur impudentia. D.

Ain' tandem] Sic dicimus interrogantes ea de re, quæ admirationem nobis attulit. v. in Phorm. II. 3. 26. et Cic. ad Div. IX. 21. et ibi Manut. R. D.

5 *O ingentem confidentiam!*] Et *confidentia* modo pro audacia est cum improbitate. ut in Phormione, *homo confidens.* Aliter hic (excidit *quam*, seu, *ac* Z.) supra *confidens*, pro constanti et gravi. Ergo confidentia interdum in bona significatione, interdum in mala ponitur: sed fiducia semper in bona. D.

Num cogitat quid dicat? num facti piget?
Num ejus color pudoris signum usquam indicat?
Adeon' impotenti esse animo, ut præter civium
Morem atque legem, et sui voluntatem patris,
Tamen hanc habere studeat cum summo probro?
P. Me miserum! S. Hem! Modone id demum sensti, Pamphile?
Olim istuc, olim, cum ita animum induxti tuum,

6 *Num cogitat quid dicat? num facti piget?*] Amens est qui nesciat quid dicat: amentior, quem non pœniteat facti sui. *Num cogitat quid dicat:*] Quia injuriarum se alligat. *Num facti piget?*] Quia dicit *prædicant*, non *dicunt*. Et, ut solent irascentes, avertit orationem a secunda ad tertiam personam: ab ea, cum qua loquebatur, ad aliam. D.

7 *Num ejus color pudoris signum usquam indicat?*] *Signum*, est parva quædam significatio, indicans totius rei qualitatem. *Num ejus color pudoris signum usquam indicat?*] Paterno animo dicit. Namque patribus velle erubescere filios, pudentesque esse, familiare est: cui contrarium est, *erubuit, salva res est*. Hoc ergo dicit: Nec timet, inquit, nec enim (Ms. Bœnd. cum edit. Du B. habet *eum*) pœnitet, nec pudet. D.

Color pudoris signum] Alexand. Aphrodis. problemat. lib. I. Διὰ τί αἰδούμενοι ἐρυθριῶσι. Aristophan. in Equitib. ὅς δὲ πρὸς πᾶν ἀναιδεύεται καὶ μεδίστησι τοῦ χρώματος τοῦ παρεστηκότος. L.

Faernus legit, VIDE *num ejus*, &c. et omnes ubique codd. Ego legendum puto, *numnam ejus*, &c. ne versui quid desit. B.

8 *Impotenti*] Nimis potenti. vel certe debili et devicto. D.

Ne fugiendum sit cum Faerno ad Synizesin, ad Pyrrichium efficiendum, pro *adeon'* lege *adeo*. B.

Impotenti] Impotens est, qui non potest moderari animi affectionibus. in Heaut. II. 3. 130. *novi quam soleas esse impotens*. R. D.

9 *Civium morem atque legem, et sui voluntatem patris*] Tria contemta sunt, mos, lex, imperium patris. *Præter civium morem*] *Præter*, contra nunc significat. D.

10 *Tamen*] Quum non dixerit *quamvis*, subjecit *tamen*: et figura est ἀναπόλουθον. D.

Cum summo probro?] In Ms. R. sic legitur: *tamen habere cupiat cum summo probro*. L.

Pro *studeat* in edit. Sandbyensi legitur *cupiat*; quod sane Simoni irato aptius videtur. Z.

Probro] Probrum generale est nomen, quod in omnia turpia facta convenit, sed peculiariter dicitur de stupro et adulterio unde *probrosæ feminæ* apud Sueton. in Domit. c. 8. sunt stupris et lenociniis infames. R. D.

11 *Me miserum*] Initium defensionis et deploratio calamitatis et miseriæ: quia in amorem culpam removet a voluntate sua, quum pater, quod amat filius, vitium mentis dicat esse, non impulsum Dei. (Ms. Hulst. *vitio mentis dicat quasi esse impulsum*. Vereor, ut ex mente Donati, cui Amor Deus est. Vid. infra vers. 25.) *Modone id demum sensti. Pamphile?*] Comprobatione ostendit eum esse miserum. *Demum* autem, signum est tarditatis. Et *sentire* dicitur, qui vix colligit se, vixque animadvertit: ut alibi, *vix tandem sensi stolidus*. D.

12 *Olim istuc olim*] Objurgatio est, quod dictum est *olim*. Confirmationem autem per repetitionem ostendit. Ut Virgil. Æn. II. 602.—*divum inclementia, divum, Has evertit opes*. D.

Animum induxti tuum] Prosæ orationis scriptores in hac locutione omit-

Quod cuperes, aliquo pacto efficiundum tibi;
Eodem die istuc verbum vere in te accidit,
Sed quid ego? cur me excrucio? cur me macero?
Cur meam senectutem hujus sollicito amentia?
An ut pro hujus peccatis ego supplicium sufferam?
Imo habeat, valeat, vivat cum illa. P. Mi pater.
S. Quid mi pater? quasi tu hujus indigeas patris.
Domus, uxor, liberi inventi, invito patre.
Adducti, qui illam civem hinc dicant: viceris.

tunt *meum, tuum, suum.* v. Vorstium de latinit. merito suspecta c. 10. R. D.

13 *Aliquo pacto*] Quoquo modo. D.

14 *Accidit*] Evenit, fuit. D.

In te accidit] H. e. in te convenit, *pertinet ad illos;* eodem sensu dixit Phædr. fab. I. 14. 17. R. D.

15 *Sed qui ego?*] Proprium est parentibus indignatione velut abjicere curam filiorum, quum destomachati fuerint. *Sed quid ego?*] Ἔλλειψις per ἀποσιώπησιν. D.

Cod. academicus: *sed quid ego me autem? cur excrucio?* &c. recte, dummodo deleveris *cur.* B.

Sed quid ego, &c.] Bentlei. legit *sed quid ego me autem excrucio.* Sic. Virg. Æn. II. 101. *sed quid ego hæc animum nequidquam ingratu revolvo;* est frequens transitionis formula. Liv. XXXVIII. 48. *sed quid ego hæc ita argumentor.* v. Oudendorp. ad Apulei. Metam. II. p. 106. R. D.

16 *Sollicito*] Sollicitam reddo, id est, contristo et perturbo. *Cur meam senectutem*] Non *me*, sed meam senectutem: quod plus est, et miserabilius dicit. D.

18 *Imo habeat, valeat*] Non irascitur ut pater, sed dissimulat ut alienus: quia vehementer dolet. Et *habeat*, subauditur *illam*. *Mi pater*] *Mi*, meus. Et principium factum a conciliatione personæ. D.

Mi pater] Ex nomine benevolentiam comparat. Deinde petitur audientia. Post subjungitur narratio, in qua est venialis status: *ego me amare hanc confiteor.* E.

19 *Quasi tu hujus indigeas patris*] *Hujus*, ostendens se dixit. ut Virg. Æn. IX. 205. *est hic, est animus lucis contemtor.* D.

20 *Domus, uxor, liberi inventi*] Mira gravitate sensus elatus est. nec de Menandro, sed proprium Terenti. Et *liberi inventi* dicit, quum unus esset: sed invidiosius *liberi.* Et *inventi*: non *geniti*, secundum illud, *hoc ego scio, neminem peperisse hic. Domus* addidit, non lupanar. Et oratorie de uno pluraliter loquimur. D.

Domus, uxor, liberi] Hæc ergo causarum una est, cur filii familias sine consensu paterno matrimonium contrahere nequeant: ne videlicet invito patri suus heres agnoscatur. Instit. Tit. de nupt. l. 35. ff. de rit. nupt. l. 12. cod. eod. Quapropter in emancipatis hæc sollemnitas non observatur. l. 25. ff. eod. L.

Domus] Hujus enim prima cura erat uxores ducentibus. v. Periz. ad Æl. var. hist. IV. 26. R. D.

Liberi] In plurali dicitur de uno filio, ut *nati* apud. Virgil. Æn. X. 532. Plura exempla habet Duker. ad Flor. IV. p. 791. R. D.

21 *Viceris*] Verbum est ejus, qui vix sibi extorquet, ut abjiciat curam. Et proprium patribus, ac familiare iratis. D.

Viceris] Est vox per iram aliquid concedentis. Cæs. de B. G. V. 30. *vincite si ita vultis.* Sueton. in Cæs. c. I. *vincerent ac sibi haberent* ubi. v. Casaubon.

P. Pater, licetne pauca? S. Quid dices mihi?
C. Tamen, Simo, audi. S. Ego audiam? quid ego audiam,
Chreme? C. At tandem dicat sine. S. Age, dicat: sino.
P. Ego me amare hanc fateor; si id peccare'st, fateor id quoque.
Tibi, pater, me dedo. quidvis oneris impone, impera.
Vis me uxorem ducere? hanc vis amittere? ut potero, feram.

Vincere dicuntur, quarum sententia probatur. Drakenb. ad Liv. IV. 2. R. D.

22 *Pater, licetne pauca?*] Titubans et balbutiens oratio pudore et conscientia. D.

23 *Tamen, Simo*] Ms. R. *Tandem, Simo.* L.

Faerni liber Bembinus, et Basilicanus, *Tamen, Simo, audi.* recte. Sed lege EGON' *audiam*? B.

Tamen audi] Quamvis vox *tamen* plerumque alteri voci subjungitur; sæpe tamen initio ponunt, quibus locis aliquid mente supplendum est: *quamvis Pamphilus nihil dicere possit, tamen audi.* v. Liv. XL. 56. et ibi Drakenb. R. D.

24 *Age dicat: sino*] Hoc totum non ex animo permittentis, sed cum stomacho patientis est. D.

Pro *at tandem*, quod tres codd. vetustiores habent, ne duplici ictu sit invenustum, lege *at tamen*, ut supra IV. 2. 28. B.

25 *Ego me amare hanc, fateor*] Ἀμφιβολία τῆς ἐρωμένης, *Hanc fateor*] Et bene *hanc* dicit, non *Glycerium*, cujus nomine offenditur senex: nec *peregrinam*, ignominiam scilicet vitans. *Si id peccare est, fateor id quoque*] Noli, inquit, me accusare quia (*quod* Z.) amo. amantem enim nemo accusat, ut febricitantem nemo accusare potest cur febricitet. Sed amare, inquit, si putas esse peccatum, fateor etiam me hoc peccasse. Mire igitur et subdefendit (forte, *subdole defendit* Z.) culpam: et assensus irato est. *Si id peccare est*] *Peccare* dicit: quia amor deus est, non voluntas. *Fateor id quoque*] Peccare me scilicet. D.

Quamquam incidit veluti diffinitivus status. *Id peccatum est.* Quæritur enim, an amor crimen sit? Petit veniam sic: *tibi me, pater, dedo.* E.

26 *Tibi pater me dedo*] Bene *dedo*, quasi hostilia et contraria volenti. Nam deditio in hoste fieri solet. *Quidvis oneris impone: impera*] Exsecutus est translationem oneris, dicendo *impone, ut potero, feram.* D.

27 *Vis me uxorem ducere? Hanc vis amittere?* Et (*ex eo* Z.) quod unum est, duo fecit: ut ostendat se non posse ferre. *Ut potero, feram*] Obsequium sine voluntate ostendit: et multum valet sub Chremetis præsentia hæc confessio, ad recusandas nuptias. D.

Exponuntur duæ partes: una ex voluntate, altera citra voluntatem: *vis me uxorem hanc ducere? vis amittere?* Concluditur cum affectu, *ut potero, feram.* Hic enim ostendit, se nihil aliud velle, nisi ut eam uxorem ducat. Insinuatur et illud, quod supra diximus, ut, Crito quod nunciat, audiatur. E.

Faernus recte *mittere* pro *amittere*, et metri et sensus causa. Nam *amittitur* uxor jam domum ducta; *mittitur*, quæ nondum ducta est. B.

Amittere] I. e. dimittere. in Phorm. I. 2. 91. *nunc amitte quæso hunc.* v. Burmann. ad Phædr. I. 13. 10. at Bentl. edidit *hanc vis mittere*, quippe *amittitur* uxor jam domum ducta, mittitur, quæ nondum ducta est. v. in Phorm. IV. 3. 70. R. D.

Hoc modo te obsecro, ut ne credas a me allegatum hunc senem.
Sine me expurgem, atque illum huc coram adducam. S. Adducas! P. Sine, pater.
C. Æquum postulat; da veniam. P. Sine te hoc exorem. S. Sino.
Quidvis cupio, dum ne ab hoc me falli comperiar, Chreme.
C. Pro peccato magno paululum supplicii satis est patri.

ACT. V. SCENA IV.

CRITO. CHREMES. SIMO. PAMPHILUS.

MITTE orare. una harum quævis causa me, ut faciam, monet:

28 *Ut ne*] Pro, ut non. *Allegatum*] Adhibitum. *Hunc senem*] Critonem scilicet. Et non Critonem, sed senem dicit: ut de hac appellatione pondus adjiceret testimonio. D.

Allegatum] I. e. submissum, subornatum. *Allegare* in utramque partem dicitur: in bonam, est mittere amicum, sequestrum, pararium, qui cum aliquo de negotio aliquo agat, quam ejus vim præclare explicuit Gronov. ad Liv. XXXVI. 11. in malam, est dolos inter se componere, per fraudem aliquem subornare. Plaut. in Poen. III. 5. 28. 28. *eum allegaverunt suum qui servum diceret* in Trinumno V. 2. 18. *meo allegatu venit, quasi qui aurum mihi ferret abs te.* R. D.

30 *Æquum postulat. da veniam*] Artificiose interponit loquentem Chremetem: quem volens usque ad cognitionem filiæ suæ retinere, non facit irasci Pamphilo ob contemtum filiæ suæ, et post hoc abire de medio. *Da veniam*] Concede, indulge. *Sine te hoc exorem*] Id est, ut me purgem, non (pro *non* Ms. Hulst. habet *hunc*: rectius: utrumque enim rogaverat Pamphilus) adducam. D.

Da veniam] I. e. fac, quod te rogat, concede, quod petit. in Hec. IV. 2. 29. *da veniam hanc mihi.* Cic. pro Archia c. 2. *quæso a vobis, ut in hac causa mihi detis hanc veniam.* R. D.

31 *Ab hoc me falli comperiar*] O paterna pietas! ipse accusator est, et redargui se cupit. D.

Quid vis cupio, ne ab hoc me falli comperiar, Chreme] Pati omnia volo, dummodo non cognoscar, ab hoc me falli. E.

32 *Paulum supplicii*] *Supplicium* dicit ipsam accusationem. D.

Paululum supplicii] Adverbia frequenter fiunt nomina . . accipiuntur (*et casui adjunguntur* Z.) ut *paululum* et *satis.* Horatius I. 2. 1. *jam satis nivis misit pater.* Et est diffinitio a causa, id est, a filio, cui semper indulgere convenit. (Hæc tota nota abest a Ms. utroque). E.

Etsi libri antiqui habent *paululum*: versus tamen exigit, ut cum recentioribus quibusdam libris sequamur *paulum.* B.

1 *Mitte orare*] Hic in scenam progreditur Crito: in cujus verbis non modo quod ipse promittit, sed etiam

Vel tu, vel quod verum est, vel quod ipsi cupio Glycerio.
Ch. Andrium ego Critonem video? certe is est. Cr. Salvos sis, Chreme.
Ch. Quid tu Athenas insolens? Cr. Evenit. sed hicine'st Simo?
Ch. Hic. S. Men' quæris? eho, tu Glycerium hinc civem esse ais? 5
Cr. Tu negas? S. Itane huc paratus advenis? Cr. Qua de re? S. Rogas?

quod et Pamphilus dixerit, demonstratur. Et hic omnis error aperietur fabulæ. *Mitte orare. una harum quævis causa*] Pamphilo dicit. et dicendo *una harum*, ostendit multas esse causas: etiam pares magnitudine esse, dicendo *quævis*. D.

Mitte orare] (Initium hujus scenæ in Ms. altero lacerum: in altero eædem lacunæ, quæ in editis). Hæc scena cognitionem habet puellæ, quod civis Atheniensium sit, ut omnis error in comœdia solvi possit. Senes igitur duo sunt, Chremes et Simo . . . . etiam Pamphilus et Crito egreditur, ... Pamphilo ut diceret Atheniensem civem . . . . dicit autem justum esse ac propterea . . . . ridet eo quod verum est, et quid meretur . . . . jam Glycerium digna sit. Ita se. . . . . pelli ut istuc faciat unde . . . . rogari (forte sic locus est restituendus: senes igitur duo sunt, Chremes et Simo, *quorum interest nodum solvi. Redit* jam Pamphilus, et Crito egreditur *una, qui oratus est* Pamphilo, ut doceret Atheniensem civem *esse Glycerium. Hic* dicit autem justum esse, ac propterea, *ut faciat, se moneri* de eo, quod verum *sit*, et *quod mercatur ejus virtus, et quod dudum* jam Glycerium digna sit. Ita se *una harum quævis causa* impelli, ut istuc faciat: unde *opus non esse ab illo* rogari Z.) E.

Cupio Glycerio] I. e. faveo. Plancus Cicer. ad Div. X. 4. *tibi cui maxime cupio. Cupere* et *favere* conjungit Cæsar de B. G. I. 18. ubi v. interpretes. Eodem sensu Cicero dicit *cupio tua causa* et *volo tua causa*. v. ad Div. I. 1. et ibi Manut. R. D.

3 *Andrium ego, Critonem video?*] Bonum initium agituri filiam. Itaque compendii causa, non laborat de agnitione personæ Critonis, ut ab eo facile doceri possit. *Salvus sis Crito*] Ne laboret ad persuadendum: miro compendio poetæ, jam Crito notus est Chremi. D.

Lege *is certe est*. B.

4 *Quid tu Athenas insolens?*] *Insolens*, insolitus, insuetus. Cicero pro Deiot. 2. *moveor etiam loci insolentia*. Sallustius in Fragmentis, *insolens vera accipiendi*. *Insolens* et arrogans intelligitur. Qui præter legem agit humanam et naturalem, *insolens* dicitur. Cicero pro Marcello 3. *in victoria, quæ natura insolens et superba est. Evenit*] Pudet fateri propter hereditatem venisse. Et vide ipsam esse, qui dixerit supra *clamitent me sycophantam, hereditatem persequi*. D.

Athenas insolens] Id est, non solitus venire Athenas. Unde Cicero pro R. Deiot. 2. *moveret et loci insolentia*. Alioquin *insolens*, superbus dicitur. E.

Quid tu Athenas insolens? Cr. *Evenit*] Priscian. lib. XV. pag. 168. L.

Insolens] *Insolens* dicitur, qui aliquid facere non solet. Cæs. de B. C. II. 36. *multitudo insolens belli*, ubi v. Davis. R. D.

5 Ut metro consulatur, amplectar lectionem duorum codd. meliorum, qui pro *men' quæris?* habent, *Simo, men' quæris?* tribuuntque Critoni. B.

In edit. Sandby. est *hic est*. Z.

6 *Paratus advenis?*] Hoc est, sub-

Tune impune hæc facias? tune hic homines adolescentulos,
Imperitos rerum, eductos libere, in fraudem illicis?
Sollicitando et pollicitando eorum animos lactans? Cr. Sanusne es?
S. Ac meretricios amores nuptiis conglutinas? 10
P. Perii. metuo ut substet hospes. Ch. Si, Simo, hunc noris satis,

ornatus, et compositus dolo (Ms. Hulst. forte rectius, *compositor doli:* nisi id voluit interpres, illud *paratus* valere et ab aliis subornatum, et ultro compositum ad fraudem.) D.

Pro *qua de re* duo codd. habent *qua re.* Recte. Nam ita trochaicus stare potest. B.

Paratus advenis] I. e. dolis et mendaciis instructus. in Phorm. II. 3. 80. *itane es paratus facere me advorsum.* Rutil. Lup. II. p. 86. *sed ut paratus venisse videbatur, jam se negabit accepisse.* R. D.

7 *Tune impune hoc facias?*] Mire. acriter Critonem aggressus (Ms. Bœnd. *nunc acriter Critonem aggressus,*) dilatavit incusationem, et generale (lege vel *gravem,* vel *graviter.* Nam hæc est illa δεινότης) fecit virtute oratoria, quæ δεινότης dicitur. *Tune hic*] Id est Athenis, ubi delicta vindicantur. D

Tun' homines] Hoc versu antitheton est, id est, compositum ex contrariis. E.

Antiqui libri pro *hoc* legunt recte *hæc:* quod invidiosius esse judicat Faernus. B.

8 *In fraudem illicis?*] Illigas. unde Virgil. Ecl. VIII. 73. *terna tibi hæc primum triplici circumdata filio Licia circumdo. Licia* enim dicta sunt, quasi ligia. D.

Imperitos rerum] Hoc est, in rebus imperitos tuis dolis in persuasionem deducis. E.

Imperitos rerum] *Imperiti rerum* sunt simplices, nec satis muniti adversus fraudes. Cæs. de B. C. I. 85. v. Gron. observat. IV. 3. R. D.

Eductos libere] I. e. liberaliter et, ut liberis hominibus, non servis convenit, educatos. R. D.

In fraudem illius] H. e. in damnum et periculum. Virg. Æn. X. 72. *quis Deus in fraudem, quæ dura potentia nostri egit,* ubi v. Serv. Bentlei. recte interpungit *in fraudem illicis sollicitando, et pollicitando eorum animos lactas.* R. D.

9 *Eorum animos lactans?*] Hinc etiam *oblectatio* dicitur. *Lactans*] Quasi teneros animos. *Lactare,* est dulcedine aliqua tenere, ad persuasionem inducere (*ac persuasione inducere.* Wieling.) unde et *delectare* et *oblectare* dicimus. D.

Eorum animos lactas?] Eorum ingenia fallis et decipis: hoc est enim *lactare,* quasi consuto nutrimento decipere. Vel *jactas,* per hypallagen, id est, injactationem et superbiam mittis. E.

Pro *lactans* lego *lactas,* atque distinguo ita: *in fraudem illicis sollicitando, et pollicitando e. a. lactas?* Postea ne essent literæ supervacuæ, edidi, *sanun es?* B.

10 *Ac meretricios amores nuptiis conglutinas?*] Vide oratorie agi, et gravius Critonem accuset Simo, nunc defendit filium, quem dudum increpaverat. *Ac meretricios amores*] Pejus lenocinio crimen ingessit; non amicam facere de meretrice, sed conjugem. *Nuptiis conglutinas*] Hoc gravius est lenocinio D.

Meretricios amores] Efficis ut meretrices fiant uxores. E.

Meretricios amores nuptiis conglutinas] I. e. copulas. Cic. ad Div. XI. 27. *voluntates nostras consuetudine conglutinari.* R. D.

11 *Metuo ut substet hospes*] *Ut,* ne

Non ita arbitrere: bonus est hic vir. S. Hic vir sit bonus?
Itane adtemperate venit hodie in ipsis nuptiis,
Ut veniret antehac nunquam? est vero huic credendum, Chreme?
P. Ni metuam patrem, habeo pro illa re, illum quod moneam probe. 15
S. Sycophanta, CR. Hem! CH. Sic, Crito, est hic: mitte. CR. Videat, qui siet.
Si mihi pergit, quæ volt, dicere: ea, quæ non volt, audiet.

non. Lucilius, *tuum ut memoriam retineas*. Et bene *hospes* ait, non *homo*, vel *Crito*. est enim (*in* Z.) ipso nomine causa diffidentiæ. D.

Metuo, ut substet hospes] Vereor, inquit, Pamphilus, ne patris sermone hospes Crito territus, non possit resistere fortiter. E.

Ut substet] I. e. ut sustineat, ut satis firmus sit ad patris intemperiem. R. D.

12 *Non ita arbitrere*] Id est, non arbitreris. *Bonus hic vir est*] Cum pondere et distinctione inferendum. *Hic vir sit bonus*] Hic, per εἰρωνείαν nec virum, nec bonum esse dixit. *Hic vir sit bonus*] Mire poeta, cum oportuerit Critonem inimiciorem Chremi esse quam Simoni, sic rem inducit, ut notior ei sit contra quem maxime venerat, atque ab eo defendatur, magis ut res progredi ad catastrophen possit. D.

13 *In ipsis nuptiis*] In ipso articulo nuptiarum. D.

Itane adtemperate] Ms. R. *ita adtemp.* L.

Plures codd. *evenit*, ut ante 4. quod hic Simo iratus repetit. Cæterum distingue sic: *itane a. evenit, h. i. i. nuptiis. Ut veniret, a. n.? e. v. h. c.* C. ultima effer, sine interrogatione, per ironiam. B.

Attemperate] I. e. opportune. R. D.

14 *Ut veniret antehac nunquam?*] Plerumque casus imitatur industriam: et hoc sæpe fit, ut etiam sedulo facta, sint suspecta. D.

15 *Pro illa re*] H. e. quod utile sit in hanc rem. R. D.

16 *Sycophanta*] Hoc est, quod minime voluit sibi dici Crito. Nam ita loquutus est supra, *clamitent me sycophantam, hereditates persequi. Hem*] Principium iracundiæ. audivit enim quod maxime vitabat: nam ut supra, *clamitent me sycophantam. Sic, Crito, est hic: mitte*] Hic Chremes traducit illum ab iracundia, dicendo *sic eum esse*. Menander. οὗτος αὐτος ἐστὶν * (οὕτως αὐτὸς ἐστὶν, ed. Westerh. forte pro ἐστὶν leg. ἀφῦκτος Z.) Et recte: quia naturæ ignoscitur, voluntati non item. B.

Sycophanta] Calumniator. Hoc verbum est ab his, qui apud Athenienses accusabant eos, qui cum ficu frumenta extra civitatem ferebant. E.

Sic est hic] I. e. talis est natura, nempe prona ad iram. in Phorm. III. 2. 42. *sic sum* i. e. tales sunt mores mei. Plaut. in Amphitr. II. 1. 57. *sic sum ut vides*. v. interpret. ad Petron. c. 38. R. D.

Videat qui sit] H. e. ipse sciat qui sit, ad me non pertinet, nec curo qui sit. Hanc formulam explicant viri docti quos laudat Drak. ad Liv. XLII. 14. R. D.

17 *Si mihi pergit, quæ volt, dicere*] Graviter et mature. D.

Si mihi pergit] Alexis: Τοῦ κακῶς λέγειν γὰρ ἀρχὴ γίγνεται, ἂν δὲ σὺ παῦσαι, Εὐθὺς ἀντήκουσας ἤδη, λοιδορεῖσθαι λέγεται. L.

Pro *pergit* codd. et edd. vett. recte habent *perget*, ut *audiet*. B.

Si mihi pergit] Simillimus est versus

Ego istæc moveo, aut curo? non tu tuum malum æquo animo feres?
Nam, ego quæ dico, vera an falsa audieris, jam sciri potest
Atticus quidam olim, navi fracta, apud Andrum ejectus est,
Et istæc una parva virgo. tum ille egens, forte applicat
Primum ad Chrysidis patrem se. S. Fabulam inceptat.
Ch. Sine.
Cr. Itane vero obturbat? Ch. Perge. Cr. Tum is mihi cognatus fuit,

Alcæi ap. Proclum in Hesiod. ἔργα. v. 721. Græevii lection. in Hesiod. Opera et dies. R. D.

18 *Ego istæc moveo, aut curo?*] Est enim sycophantæ perturbare rem bonam, et curare malam. Hoc igitur dicit cum ὑποκρίνεται, ego hæc turbo, aut cogito quemadmodum tu dicis, Simo? *Non tu tuum malum æquo animo feres?*] Non filium, sed amorem in filium (Ms. Hulst. et ed. Venet. 1490. melius, *amorem filii*) significat. An quia ingratus est? Et quæritur, an conveniant hæc verba Pamphilo veniente (Ms. H. *Pamphilo venienti*: ed. Venet. *pro Pamphilo veniente.* Haud dubie legendum: *Pamphilo præsente.* Neque enim veniebat Pamphilus, sed præsens adstabat. Nisi *Pamphilo* vel *pro Pamphilo veniente*, notet, Pamphilo advocati instar advenienti.) Imo enim conveniunt: nam quanto magis dissimulat favorem, tanto plus acquirit fidei ad ea quæ loquitur. D.

Moveo et curo?] Hoc est, ista facile contemno. *Tuum malum æquo*] Calamitatem tuam, Simo, et quodcunque tibi accidit, æquo animo ferre debes, neque alteri maledicere. E.

Ego isthæc moveo] Mss. *metuo*, al. *moneo.* L.

Istæc moneo] I. e. istorum auctor sum, ea concito. Ovid. Art. Amator. II. 575. *quam mala, sol, exempla moves.* R. D.

19 *Jam sciri potest*] Addidit et temporis celeritatem. et magna maturitate dixit. D.

Liber Bembinus et Collegii C. C. cod. recte legunt *audierim* sc. ex Phania. cf. v. 28. B.

20 *Atticus quidam olim*] Hæc pars argumenti est: quæ et supra jam dicta. D.

Atticus quidam fuit] Narratio incipit ad cognitionem. E.

Olim navi fracta] Priscian. lib. IIX. L.

Liber Bembinus recte legit *ad Andrum.* B.

21 *Forte applicat*] *Applicat*, proprie de naufrago in litus ejecto atque egenti. D.

21 *Applicat*] *Applicare se ad aliquem* significat sibi aliquem patronum adsciscere, quod peregrini et exules Athenis facere solebant. Talis patronus habebat aliquid juris in eum, in ejus bona, hæreditatem &c. si intestatus mortuus esset. v. Gronov. Obs. I. 9. R. D.

22 *Primum ad Chrysidis patrem*] Quid est, *primum?* an quia postea mortuus est? *Fabulam inceptat*] Aut ad comœdiam retulit *fabulam:* quia *fabula* comœdia: et quia argumentum quasi fabulæ narratur. aut certe ad irrisionem narrationis dicit. etenim *olim* fabulæ proprium, ut Horatius Serm. II. 6. 70. — *olim Rusticus urbanum murem mus paupere fertur Accepisse cavo, veterem vetus hospes amicum.* D.

23 *Itane vero obturbat?*] Si subdistinguit (*subdistinguis* Z.) *interstrepit* accipe: si non distinguit (*distinguis* Z.) *evertit* intelligas. *Itane vero obturbat?*] Potest, *itane vero*, subdistingui: et sic cum comminatione inferri, *obturbat.* D.

Qui eum recepit. ibi ego audivi ex illo, sese esse Atticum. Is ibi mortuus est. CH. Ejus nomen? CR. Nomen tam cito tibi? Phania.

CH. Hem, perii. CR. Verum hercle opinor fuisse Phaniam; hoc certo scio,

Rhamnusium se aiebat esse. CH. O Jupiter! CR. Eadem hæc, Chreme,

Multi alii in Andro tum audivere. CH. Utinam id sit, quod spero. eho, dic mihi,

Ita vero obturbat?] Ita scilicet interloquitur? E.

Pro *tum*, quod prorsus ineptum est, corrige *tu*, et refer ad *perge*. B.

Obturbat] H. e. obstringit, interpellat sermonem. Plaut. in Pœnulo I. 2. 49. *ne me obturba ætatem*. Plin. epist. IX. 13. *incipit respondere, obturbatur, obstrepitur*. R. D.

24 *Ibi ego audivi ex illo*] Magna confirmatio veritatis est. D.

Menander in τῷ ἀπολουμένῳ. apud Athenæum VI: —— τάλας Ἑστηκας ἔτι πρὸς ταῖς θύραις, τὸ φορτίον θεὶς. σιτόκουρον, ἄθλιον εἰς τὴν εἰκίαν Ἐιλήφαμεν. W.

25 *Nomen tam cito tibi?*] Non negantis est, sed difficile se dicturum ostendit. *Phania*] Hoc ita dicit Crito, ut nemo audiret: scilicet adhuc dubitans, an ipse sit. D

Fallitur Donatus, qui putat illud *Phania* summisse dictum a Critone. Nam Chremen audivisse, patet ex proxime sequentibus. Nos pro *tibi*, quod in codd. quibusdam perantiquis abest, reponimus PAM. Nam olim jam fuisse, qui illud *Phania* tribuerent Pamphilo, patet ex Donato. B.

26 *Hem*] Sunt qui putent Simonem dicere, irascentem filio, Critonem submonenti. *Perii*] Hoc Pamphilus post iracundiam patris. An Chremis est dolentis, vel ad ejus mentionem, vel quod in filiam pene peccarat? *Verum hercle opinor*] Hoc adhuc cunctanter est dictum: et ideo indiget confirmatione. D.

Hem appone superiori, ut semper. B.

Perii] Hoc loco non desperantis sed admirantis formula est, ut in Eun. II. 3. 68. R. D.

27 *Rhamnusium se*] Piræus et Rhamnus, et cætera hujuscemodi maritima Atticæ oppida intelligenda sunt. *Rhamnus*, pagus Atticæ est. D.

Rhamnusium se aiebat] Locus est prope Athenas. E.

Lege *Rhamnusium sese aibat esse*. B.

Rhamnusium] I. e. ex Rhamnunte pago Æantidis tribus. v. Stephan. Byzant. in hac voce. R. D.

28 *Multi alii in Andro*] Hoc *testimonium cæcum* dicitur. Testimoniorum enim modus duplex est: *manifestus* et *cæcus*. *Manifestus* est, qui certos testes et præsentes habet. *Cæcus*, in quo multitudinem, aut civitatem dicimus scire: ut Cicero, pro Leg. Man. II. *testis est tota Sicilia*. quod tamen audientem consternat. Est etiam in cæco jusjurandum, tabulæ, absentesque personæ. D.

Alii in Andro] Ne parum sibi fides haberetur, alios id cognovisse asserit. *Utinam id sit*] Chremes posteaquam audivit nomen fratris sui, qui Phania fuit, suspicatus eam puellam, quæ cum illo navigaverat, filiam suam, ideo dicit: *utinam hoc sit*, inquit, *quod spero*. Et interrogat an ille Phania filiam suam diceret. Quod cum audisset, confirmavit dicendo, *certe mea est*. E.

Dele *tum*, quod abest a cod. Petrensi, nihil confert sententiæ, et metro repugnat. B.

Quid eam tum? suamne esse aiebat? CR. Non. CH. Cujam igitur? CR. Fratris filiam.
CH. Certe mea est. CR. Quid ais? S. Quid tu ais? P. Arrige aures Pamphile.
S. Qui credis? CH. Phania ille, frater meus fuit. S. Noram, et scio.
CH. Is hinc bellum fugiens, meque in Asiam persequens. proficiscitur.
Tum illam relinquere hic est veritus; postilla nunc primum audio,
Quid illo sit factum. P. Vix sum apud me, ita animus commotu'st metu,

29 *Cujam igitur?*] Vetuste, *cujam*. quod omnibus generibus et casibus servit. D.

Lege *aibat* ob metrum. B.

30 *Arrige auris, Pamphile*] Translatio a pecudibus, quibus verbis intendit, accipiendam esse vocem (an, *arripiendam?* W. At haud dubie leg. *quibus aures intenduntur ad accipiendam vocem.* Z.) *Arrige auris, Pamphile*] Hoc Simo videtur dicere. Ut alii putant, ipse sibi Pamphilus. D.

Arrige aures] Κακίμφατον est. Significat tamen, intende auditum: votiva enim sunt quæ nunciantur. E.

Arrige auris] Plautus Rudent. V. 2. 61. *suo mihi hic sermone arrexit auris.* hujus locutionis illud Sallust. apud Diomed. *arrexit animos militum.* L.

Arrige aures] I. e. bene attende. Pamphilus se ipse hortatur ad attendendum. Locutio ducta est ab animalibus, quæ ad subitum strepitum aures arrigunt. Virg. Æn. I. 152. *scilicet arrectisque auribus adstant,* ubi v. Serv. *aures erigere* dixit Cic. Verr. I. 10. quod sine causa in *aures arrigere* mutari docet. Drak. ad Liv. II. 54. *suspendere aures* de attento studio dixit Propertius III. 5. 8. *suspensis auribus ista bibant.* R. D.

31 *Noram, et scio*] *Noram* Phaniam, *scio* fratrem fuisse. Ergo et ad personam, et ad rem retulit. D.

Ille, frater meus] Implet quod errorem fecerat, ut doceat filiam suam. E.

32 *Meque in Asiam persequens, proficiscitur*] Bene in Asiam, ubi bellum non erat, sed in Græcia. Et *persequens* dicit, perseverationem sequentis ostendens. *Persequitur* enim qui non desinit sequi. Virgilius, Æn. IX. 217. *quæ te sola, puer, multis e matribus, ausa persequitur.* D.

Prosequens] *Prosequens* ponitur pro simplici *sequens.* Liv. V. 40. *magna tamen pars earum in arcem suos prosecuti sunt* ubi v. Drakenb. R. D.

33 Lege hoc ordine: *tum illam hic relinquere veritus est.* B.

Post illa] Pro postea; frequens est comicis. R. D.

34 *Vix sum apud me*] Hoc est argumentum, sapientibus lætitiam vehementem in bonis moderandam: cum unusquisque gaudens ita perturbetur, ut apud seipsum jam non sit. *Vix sum apud me*] *Non sum apud me,* magis consuetudine quam ratione dicitur. Aut forte sic dicit, quasi abierit animus, et rursus redierit. *Ita animus commotus est metu*] Duo carnifices futurarum rerum sunt, spes et metus. Dolor enim et gaudium, præsentium rerum sunt, Virg. Æn. VI. 733. *hinc metuunt, cupiuntque: dolent, gaudentque: nec auras respiciunt.* Sed dolorem hic in lætitia non posuit.

Spe, gaudio, mirando hoc tanto, tam repentino bono.
S. Næ istam multimodis tuam inveniri gaudeo. P. Credo, pater. 36
Ch. At mihi unus scrupulus etiam restat, qui me male habet. P. Dignus es,

et mire ordinem servavit. sic enim se hæc invicem sequuntur. Et ἀσυνδέτως distinguendum est, *spe, gaudio*, ut separatim inferantur. D.

Commotus metu] Metum de præterito intelligimus, qui tamen adhuc manet. Denique ordine fecit. Nam post metum spes collocata est, quæ boni imminentis est semper. Deinde adjecit confirmatum bonum quod dixit, *gaudio*. ipsumque totum supposuit: *mirando hoc tanto, tam repentino bono*. E.

35 *Mirando*] *Mirando*, dum miror. Et est participium. D.

36 *Næ istam multis modis tuam*] Non, *multis modis inveniri gaudeo*: sed, *tuam inveniri*. Alii, *multis modis tuam inveniri gaudeo*: non, *inveniri gaudeo*. Hic jam redit in gratiam Simo cum filio: nisi forte patrem socerum appellat. ut Turnus apud Virgilium, Æn. XII. 50. *et nos tela pater, ferrumque haud debile dextra Spargimus* (ut sensus constet, verba *nisi forte—Spargimus*, transponenda sunt post verba quæ mox sequuntur, *quamvis Pamphilus respondeat.*) Sed quomodo infra dicit, *quid restat pater?* an *restat* ideo, quia hæc jam major pars reconciliationis est? *Næ istam*] *Næ*, nimis. Cicero, Catil. II. 3. *næ isti vehementer errant*. Sallustius, B. Cat. 52. *næ ista nobis mansuetudo et misericordia*. *Gaudeo*] *Gaudemus* nostris: *gratulamur* alienis. Ut Sallustius, *et ei voce magna vehementer gratulabantur*. *Credo, pater*] Incertum utrum, cui gratulatur, Simo sit, quamvis Pamphilus respondeat. potest enim Chremes et pater videri. *Credo pater*] Sic responderi solet dicenti, *gaudeo*. D.

Næ istam multimodis] Næ, id est, valde. ut, *faciunt, næ intelligendo, ut nihil intelligant*. E.

Næ istammultimodis] V. C. *sane istam multis modis*. L.

Pro *tuam inveniri*, cum non Chremeti, sed Pamphilo dicantur, repone *civem inventam*. ut Eun. V. 5. 10. V. 9. 6. B.

Multimodis] I. e. multis de causis, valde, vehementer. in Heaut. II. 3. 79. *multimodis injuriu's*, in Phorm. III. 1. 1. *multimodis es vituperandus*. v. interpretes ad Nepot. Themistocl. c. ult. Alibi Terent. *miris modis, omnibus modis*. R. D.

Credo] Hoc usitatum est iis, qui respondent gratulantibus, quasi dicas *gratias ago*. v. in Eun. V. 8. 21. in Ad. V. 9. 15. R. D.

37 *At mihi unus scrupulus etiam restat*] *At*, discrevitum est superiorum dictorum. *Scrupulus* a scrupo lapide dictus, lapillus minimus. Nam nimis molestæ sunt pedibus scrupulosæ viæ. ut Virg. Æn. VI. 238. *scrupea tuta lacu nigro, nemorumque tenebris*. *Etiam*] Pro adhuc. D.

Scrupulus etiam] Sollicitudo et quasi quiddam quod animum compungat. *Scrupuli* dicuntur lapilli admodum leves et parvi. Unde *scrupeam speluncam* Virgil. Æn. VI. 237. dixit, hoc est, lapillis asperam. Ponitur ergo *scrupulus* pro dubietate, per metaphoram. *Dignus cum illa tua*] Σαρκασμὸς. E.

Dignus cum tua religione odio] Ita Nonius Marcell. al. *odium*. Plaut. Trucul. II. 1. 1. *Haha, hercle quievit, quia introivit, odium*. L.

Scrupulus] I. difficultas, molestia. in Phorm. V. 8. 30. *qui fuit in re hac scrupulus*. Metaphora est a *scrupis* et *scrupulis* i. e. parvis lapillis, qui ambulantium pedibus molesti sunt. v. Festum v. scrupi. R. D.

Cum tua religione, odium. Nodum in scirpo quæris.
Cr. Quid istuc'st?
Ch. Nomen non convenit. Cr. Fuit hercle huic aliud parvæ. Ch. Quod, Crito?
Numquid meministi? Cr. Id quæro. P. Egone hujus memoriam patiar meæ
Voluptati obstare, cum ego possim in hac re medicari mihi?
Non patiar: heus, Chreme, quod quæris, Pasibula'st.
Cr. Ipsa'st. Ch. Ea'st.

38 *Dignus es cum tua religione odium*] Aut accusativus pro ablativo casu est positus, pro odio. aut separatim *odium* legendum est, ut sit, dignus qui male habearis. *Nodum in scirpo quæris*] *Scirpus*, palustris res et levissima. Lucilius in primo, *nodum in scirpo insane facere vulgus*. Est autem *scirpus* sine nodo, et levis junci species. Alibi ipse, *reddunt curatura junceas*. Plautus, Aul. IV. 1. 9. *Scirpea inducitur rutis*. D.

Nodum in scirpo] *Scirpum* dicimus herbæ genus, ut est juncus, qui omni levi corpore, longitudinem suam æquali parte custodit. ut dixit in Eunuch. *Reddunt curatura junceas*. Ergo hoc dixit: rem, quæ omnino esse non potest, nimia sollicitudine et cura inquiris. E.

Nodum in scirpo] Isidor. Orig. 17. cap. 9. *qui inimicus est, etiam in scirpo nodum quærit*. Ennodius Episc. Ticin. libell. Apol. p. 350. *nunquam bene nodus in scirpo quæritur*. Vid. Festum in *scirpus*. L.

Odium habet, præter Donatum, liber Bembinus, Vatic. et noster veterrimus. B.

Cum tua religione] I. e. qui talem religionem sive nimiam solicitudinem habes. Sic indignantes adhibent præpositionem *cum*. in Eun. I. 2. 12. in Phorm. III. 1. 1. *multimodis cum isthoc animo vituperandus es*. in Hec. I. 2. 59. *Dii te perdant cum isthoc odio* i. e. cum tam odiosus sis. R. D.

Odium] *Odium* legitur in membranis optimis, non *odio*, ut editiones quædam habent. Vossius de constructione c. 13. aliique *odium* cum *dignus* jungunt, ut *dignus odium* elliptice dicatur pro *dignus ad odium*. Sed melius est post vocem *religione* interpungere, et *odium* accipere pro *homine odioso*, ut *scelus* pro *homine sceleste*. In verbis vero *dignus es cum tua religione* est aposiopesis, comicis valde usitata. v. Donat. ad h. l. R. D.

Nodum in scirpo quæris] I. e. quæris difficultates, ubi nullæ sunt. Scirpus est juncus, qui nullos nodos habet. v. Festum in hac voce. R. D.

40 *Id quæro*] Rursus Crito obliviosus est, utpote alienarum rerum. D.

Egone hujus memoriam] Pamphilus scit nunc quod quæritur. Nam ab ipsa Glycerio frequenter audivit, quali nomine vocaretur. Idcirco ait, non pati se Critonis memoriam voluptati suæ obstare. cum sibi ipse auxilium ferre possit, nomen suggerendo, quod audierat. E.

Numquid] Ponitur pro simplici *num*. Liv. VII. 25. *numquem plebeii consulis pæniteret*, ubi v. Drak. R. D.

41 *Voluptati obstare*] Nunc lætitiæ et gaudio. D.

Pro *ego* tres codd. cum edd. vett. recte habent *égomet*. B.

42 *Heus, Chreme*] *Heus* dicendum erat, quia Chremes Critonem intuebatur. D.

Scribe simpliciter metri causa, *Pasibúla*. Cæterum *ipsa'st* dicit Chremes, et *ea'st*, Crito. B.

P. Ex ipsa millies audivi. S. Omnes nos gaudere hoc, Chreme,
Te credo, credere. CH. Ita me Di ament, credo. P. Quid restat, pater?
S. Jamdudum res reduxit me ipsa in gratiam. P. O lepidum patrem!
De uxore, ita ut possedi, nihil mutat Chremes. CH. Causa optuma'st:
Nisi quid pater ait aliud. P. Nempe. S. Id scilicet. CH. Dos, Pamphile, est
Decem talenta. P. Accipio. CH. Propero ad filiam. eho mecum, Crito:

43 *Ex ipsa audivi millies*] Duas res ostendit Pamphilus, et quod verum sit quod ex ipsa sæpe audierit: et quod sit Glycerium. *Omnes nos gaudere hoc, Chreme*] Aut *hoc* correpte, aut *hoc* producte: ut sit, hac re gaudere. Et *gaudere*, nostris est, ut supra adnotavimus: alienis vero, *gratulari*. Sallustius, *et ei voce magna vehementer gratulabuntur*. Plus est ergo gaudere, quam lætari. D.

Nos gaudere] Prisc. VII. L.

44 *Quid restat, pater?*] Hoc est, ne irascaris. D.

Quid restat, pater?] Illud significat ut eam ducat uxorem, et sibi hoc permittat pater. E.

Credo credere] Talis geminatio est infra V. 1. et 2. *me putet non putare*. v. Duker. de latinit. veter. Juriscons. p. 331. R. D.

45 *O lepidum patrem*] In quo leporis est plurimum, *lepidus* dicitur. Nam *lepos* est venustas. D.

46 *Nil mutat Chremes*] Ut neque conditionem novam ferat, et omnia quæ ejus fuerunt, habeat. E.

De uxore] I. e. quod ad uxorem attinet. in Ad. II. 1. 50. *de argento, somnium*. Cic. ad Div. I. 1. *Hortensii sententia cedit religioni de exercitu*. Sueton. in Tiber. c. 13. *de cognitione intercessit Augustus*. R. D.

47 *Nempe scilicet*] *Nempe*, et *scilicet*, dicentes, manu vel vultu dotem significant. quod mox intelligit Chremes. Alii ἀπὸ τοῦ *scilicet*, Chremetis personam faciunt (Dacieria contendit *nempe* et *scilicet* habere vim assentiendi et comprobandi, et hæc simul a filio et parente pronunciari. Z.) *Dos, Pamphile, est*] Id est, Pamphilo pro uxore dabuntur decem talenta. D.

Nisi quid pater] (Hic intelligi vult Chremes, nihil se de bonis Glycerii ablaturum, sed quærere ne amplius quid velit *). Nempe hoc verbo indicat (dotem, et quasi manu *) . . . vestis tangatur, ita intelligi debet, ut dotem expetere videatur. Ideo adjecit scilicet, postquam (*plusquam*, lege) intellexit * Nam antiquitus dos dabatur a patre puellæ. Est q . . (autem *) dos quo se conjuges . . . an (sine *an* et signo lacunæ posuit Westerhovius) more antiquo . . (coemunt*) qua coemtione mater-familias dicitur *. E.

Dos est decem talenta] Allusit ad hunc locum Sidon. Apollin. lib. II. Ep. XI. *Namque ut familiæ superiori per filium saltem, quamquam honestissimam jungeretur, contra rigorem civici moris, splendidam ut ferunt, dotem Chremes noster Pamphilo suo dixerat*. L.

Lege *nisi si quid*, et *id* tribue ipsi Pamphilo loquenti *nempe*. B.

48 *Accipio*] Ille nisi dixisset, *accipio*, dos non esset. datio enim ab ac-

Nam illam me credo haud nosse. S. Cur non illam huc transferri jubes?

P. Recte admones. Davo ego istuc dedam jam negoti. S. Non potest.

P. Qui? S. Quia habet aliud magis ex sese, et majus. P. Quidnam? S. Vinctus est.

P. Pater, non recte vinctus'st. S. Haud ita jussi. P. Jube solvi, obsecro.

S. Age fiat. P. At matura. S. Eo intro. P. O faustum et felicem hunc diem!

ceptione confirmatur: nec potest videri datum id, quod non sit acceptum. *Eho*] *Eho* hic admiratio est intentionis (lege, *admonitio est attentionis*. sed Wieling. emendat; EHO *hic advocationis est interjectio*), ad id quod dicturi sumus. D.

(*Decem Talenta*] Talentum est magnum pondus, cujuslibet metalli *.) E.

Cod. academ. *propere*. male. B.

50 *Dedam jam*] Addidit et temporis celeritatem. D.

Omnes libri, vetusti imprimis, post *Davo* habent *ego*. B.

51 *Qui?*] Quamobrem. D.

Qui?] V. C. ut et regium exempl. *qui non potest?* L.

52 *Non recte vinctus est*] Id est, non juste. Sed hic ad causam retulit *non recte*: senex vero, ad rem retulit. *Haud ita jussi*] Quia quadrupedem stringi jusserat, quasi recte ac diligenter. Et hoc ipsum non vacat. Nam jam joculariter loqui, et minus irascentis est, et placabilis animi. *Haud ita jussi*] Eleganter lusit ad ἀμφιβολίαν, et simul ostendit, quam propitius sit Pamphilo pater, et quam facile veniam Davo impetrare possit ab eo: quippe qui jam etiam jocetur. Pamphilus autem dixerat non juste: ille sic respondit, quasi dixerit, non diligenter vinctus est. Et *haud ita jussi*, sic enim præceperat, *quadrupedem constringito*). Non male conjicit Bentleius ex hac explicatione patere, Donatum, pro *haud*, legisse, *at*. Z.) D.

Non recte vinctus] Probatum est Davum non esse mentitum: qui nescio quem dixerat venisse, qui sciret Glycerium civem esse Atticam. Ideo dixit Davum non recte vinctum, quia non falsa nunciaverit. *Haud ita jussi*] Hoc est, non vehementer ligari jussi. E.

Pro *haud*, quod alienum est, recte cod. acad. habet *at*. Jocatur enim senex ex ambiguo verbi *recte*: jussi nempe, ut recte vinciretur. B.

Non recte] I. e. non juste, non ob justam causam. Est lusus in duplici sensu vocis *recte*. Nam Simo joculariter sic intelligit, quasi Pamphilus dixisset; non diligenter vinctus est. v. Don. ad h. l. R. D.

53 *Mature* T. Faber recte reposuit. Deinde *hunc* abest in Bembino et aliis; et ex consuetudine loquendi abesse posse, recte vidit Faernus. B.

ACT. V. SCENA V.

CHARINUS. PAMPHILUS.

PROVISO quid agat Pamphilus: atque eccum. P.
Aliquis forsan me putet
Non putare hoc verum: at mihi nunc sic esse hoc verum lubet.
Ego Deorum vitam propterea sempiternam esse arbitror,

1 *Proviso quid agat Pamphilus*] Hæc scena alterum generum Chremeti comparat: ne aut Charinus tristis recedat, aut non provisum videatur Philumenæ. *Proviso quid agat*] Hoc colloquium post (pro *post* lege *per*. cf. Donatus ad V. 6. 5. et 8.) compendium fabulæ inducitur: ut una narratione etiam negotium Charini transigi possit. *Proviso quid agat*] Dupliciter res ab oculis spectatorum moventur: aut enim futura promittuntur, aut facta narrantur. *Proviso*, duo significat: et provideo et procedo. D.

Proviso quid agat] Hæc scena Charini adventum tenet, ut et ipsi lætitia generari possit ex cognitione. Si enim Pamphilo Glycerium datur, dari potest ipsi Philumena quam diligebat, quæ Pamphilo offerebatur. *Aliquis forsitan*] Lætitiæ plenus Pamphilus, forsitan, inquit, putet alius me hoc, quod mihi contigit, verum non credere. At vero sic esse, ego hoc vero credo et gaudeo, *ut deorum vitam propterea credam sempiternam, quod eorum voluptates propriæ sunt.* Ergo quemadmodum intelligo, hoc verum *ut immortalitas parata sit, si nulla gaudio ægritudo intercesserit.* E.

Forsan me putet] Ms. R. et. V. C. *forsitan.* L.

Proviso] I. e. prodeo, ut videam. in Eun. III. 1. 4. *huc proviso*, in Ad. V. 6. 1. *ego hinc ad vos proviso.* v. not. ad II. 4. 1. R. D.

2 *At mihi nunc sic esse hoc verum lubet*] *Sic* delicate pronunciandum est, et separatim distinguendum. *At mihi nunc sic esse hoc verum lubet*] Sensus hic est, alii putent, ut volunt: ego autem verum esse confirmo, quod mihi lubet verum credere. D.

Nunc sic esse] Τὸ *sic* in Ms. deest. L.

Illud *lubet* cum alienum efficiat sensum, muta in *liquet*, h. e. constat, certum est. cod. academicus habet *licet*. B.

Lubet] Bentl. eleganti conjectura legit *liquet*. R. D.

3 *Ego deorum vitam propterea sempiternam esse arbitror*] Omne quod habemus aut mutuum est, aut proprium. *Mutuum* est quicquid ad tempus habemus, nec postmodum nostrum futurum est, ut uxor, domus, villa, servi, et cætera in hunc modum: *proprium*, ut virtus animi, et bonum sempiternum, quod proprie de diis dicitur: non enim aliunde venerunt, sed apud se ipsos sunt semper. Et Epicurum secutus hoc dixit: proprie ergo de diis *sempiternum* dicitur. Nam inter *sempiternum* et *perpetuum* hoc interest: quod *sempiternum* ad deos, *perpetuum* proprie ad homines pertinet. *Ego deorum vitam propterea*] Hanc sententiam totam Menandri de Eunucho transtulit. et hoc est quod dicitur, *contaminari non decere fabulas. Ego deorum vitam*] Non dixit, quod scit (*sit* Z.): sed quod verum putet. Et est δόγμα ἐπικούρειον, quod a cæteris philosophis repudiatur, de otio deorum ac perenni voluptate. D.

Deorum vitam] Apollodorus: οὐ τοῦτο

Quod voluptates eorum propriæ sunt. Nam mihi immortalitas
Parta'st, si nulla ægritudo huic gaudio intercesserit.
Sed quem ego mihi potissimum optem nunc, cui hæc narrem, dari?
C. Quid illud gaudi est? P. Davom video. nemo'st, quem mallem, omnium.
Nam hunc scio mea solide solum gavisurum gaudia.

ACT. V. SCENA VI.

DAVUS. PAMPHILUS. CHARINUS.

PAMPHILUS ubinam hic est? P. Dave. D. Quis homo'st? P. Ego sum. D. O. Pamphile.

τὸ ζῆν ἐστὶ τὸ παλαίμων θεῶν ἀληθῶς βίος. in Heautont. *Deorum vitam apti.* L.

Lege metri gratia *ea propter*; sic laudat locum Servius. B.

4 *Propriæ sunt*] Perpetuæ, sempiternæ, quæ non sunt accommodate ad tempus, ac mutuæ. sic et supra, *nihilne esse proprium cuiquam?* D.

Mihi immortalitas parta est] I. e. beatissimus sum. Plaut. in Merc. III. 3. 18. Eadem sententia dicitur in Heaut. IV. 3. 15. *Deorum vitam apti sumus.* in Hec. V. 4. 3. *Deus sum, si hoc ita est.* De hac formula v. Passeratium ad Propert. II. 14. 9. et interpretes ad Petron. c. 132. R. D.

5 *Si nulla ægritudo huic gaudio*] Scilicet secundum supra dictam sententiam, si propria, inquit, hæc fuerit voluptas, deus sum. D.

Parta est] V. C. *parata est.* L.

6 *Sed quem ego*] Adolescentum iste affectus est, velle indicare gaudium. Unde in Eunucho Chærea: *sed neminemne curiosum intervenire nunc mihi?* E.

Faerni libri habent, *sed quem ego mihi potissimum exoptem nunc*, &c. nisi quod Bembinus legit *optem.* Sed, ne versus laboret, pono cum duobus codd. *cui nunc.* B.

Mihi dari] H. e. mihi obviam dari. in Eun. IV. 3. 5. R. D.

7 *Quid illud gaudi est?*] In aliis, Davi persona infertur. D.

8 *Num hunc scio mea solide solum gavisurum gaudia*] Ἀγχίσημις. *Solide solum*] Figura πυρίμου. D.

Gavisurum gaudia] Sæpe Latini Græcos imitati verbis neutris accusativum suæ cognationis addunt ex. gr. gaudere gaudium, jurare jusjurandum, servire servitutem, bellare bellum, cœnare cœnam, somnium somniare, errorem errare, vitam vivere. v. Periz. ad Sanct. Minerv. III. 3. p. 303. R. D.

1 *Pamphilus ubinam hic est?*] In hoc actu mira arte ea quæ restant de comœdia breviter explicantur, et designantur duarum sororum (vulgo *duorum sociorum.* Legerim *duorum procorum*) binæ nuptiæ. *Pamphilus ubinam hic est?* P. *Dave.* D. *Quisnam homo est?*] In affectu gaudentis Pamphili, et Davi gratulatione cognitionem

P. Nescis quid mihi obtigerit. D. Certe: sed quid mihi obtigerit, scio.

P. Et quidem ego. D. More hominum evenit, ut, quod sim nactus mali,

Prius rescisceres tu, quam ego illud, quod tibi evenit boni.

P. Mea Glycerium suos parentes repperit. D. Factum bene! C. Hem! 5

P. Pater amicus summus nobis. D. Quis? P. Chremes. D. Narras probe.

P. Nec mora ulla est, quin eam uxorem ducam. C. Num ille somniat

rerum Charino præbuit: cujus persona paroe utitur post (*propter* Z.) compendium. D.

Eandem lectionem ipse Faernus expressit. Sed duo codd. *ubinam est*: et cod. acad. *ego sum Pamphilus*. recte. Nam illa exclamatio, cum nil aliud addatur, prorsus inepta putanda est. B.

2 *Sed quid mihi obtigerit, scio*] *Scio*, id est, persensi. D.

Nescis quid mihi obtigerit] Quo gaudium melius nunciet, primo generaliter interrogationem proponit. *Nescis*, inquit, *quid obtigerit*. Sed Davus, qui vinctus fuerat, aliquid accepit, ac respondet: *certe nescio quidem quid obtigerit, sed quid mihi obtigerit scio*: quod in pistrinum missus, et vinctus est. E.

3 *More hominum*] *Hominum* abundat. *More hominum evenit, ut id quod sim nactus mali*] Quia fama mali celerior, quam boni: id est, ut facilius mala, quam bona nuncientur. Ad hoc ergo dixit, quod ille prior scierit quod esset vinctus, quam ipse cognitam Glycerium cognosceret. D.

Et quidem ego] Quod tu passus sis, Dave, scio. *More hominum*] Famam malorum celerem nuncium omnes dixerunt: idcirco *hominum more hoc contigit, ut, mali quid ego passus essem, prius scires, quam ego, quid tibi contigisset*. E.

Post *eim* interfere *ego*. B.

Nactus] Nancisci, adipisci, potiri tam de malis quam de bonis dicitur Phorm. III. 3. 10. Nepos in Attic. c. 21. Gellius I. 2. 4. potiri, in malam partem est in Phorm. III. 1. 5. v. Græv. ad Gellii loc. cit. R. D.

4 Omnes codd. præter cod. Palat. quidem habent *illud*, sed male: ut ex oppositione constat. Atque pro *quod tibi* repone *tibi quod*. B.

5 *Mea Glycerium suos parentes reperit*] Hæc ita narrantur Davo, ut eadem opera etiam Charinus audiat. D.

6 *Pater amicus summus*] Hæc omnia, ut diximus, propter Charinum dicuntur, ut audiat. *Amicus summus*] Deest *ejus*. D.

7 *Num ille somniat ea, quæ vigilans voluit?*] Hinc Virgil. (Ecl. VIII. 108. *Credimus? an, qui amant, ipsi sibi somnio fingunt?* D.

Somniat ea] Argumentum a repugnantibus. Nam vigilare repugnat somniare, sicut nigrum pallido. Charinus ergo non credit ista omnia contigisse, quæ Pamphilus narrat. E.

Quin eam uxorem] Ms. R. *Quin jam*. L.

Duo veterrimi habent *quin* JAM *uxorem*. recte, ut Adel. IV. 5. 66. B.

Ea, quæ vigilans voluit? P. Tum de puero, Dave? D. Ah, desine.
Solus est, quem diligant Di. C. Salvus sum, si hæc vera sunt.
Colloquar. P. Quis homo'st? O Charine, in tempore ipso mihi advenis.
C. Bene factum. P. Audistin'? C. Omnia: age, me in tuis secundis respice.
Tuus est nunc Chremes: facturum, quæ voles, scio esse omnia.

8 *Desine*] Compendium attulit. D.

9 Duo libri cum edd. vett. recte habent *solus es*, quia hoc non tam infanti convenit, quam patri. Atque pro *diligant* lege cum Faerno *diligunt*. ut et in gr. proverbio: ὅν οἱ θεοὶ φιλοῦσιν, ἀποθνήσκει νέος. B.

Solus est] Sic legendum, non solum est. v. Bentl. His autem verbis summa felicitas describitur in Phorm. V. 6. 14. Sic contra *infelices* Diis iratos dicebant. v. Schulting ad Sen. controvers. I. p. 83. R. D.

10 *Colloquar*] Ms. R. *adibo et colloquar*. L.

Deleatur illud *o* ante *Charine*, tanquam inutile. B.

11 *Bene factum*] A gratulatione cœpit. *Omnia*] Compendium. *Age, me in tuis secundis rebus respice*] Hæc sunt quæ absolute dicuntur: et est commonitio. Sunt enim qui felicitate elati, ne respicere quidem velint amicos. Et *respicere*, est proprie retro aspicere. Id est, quem præcedis felicitate, non obliviscaris. D.

Age, me in tuis secundis] Exhortatur Charinus Pamphilum, ut auxilium sibi præbeat. *In secundis*, inquit, *rebus tuis respice me*, habes in potestatem (*potestate* Z.) Chremetem, omnia potest facere ille, quæ tu voles. Post hunc versus sequuntur continentes illam sententiam, quemadmodum itum est ad Chremetem, quemadmodum exoratus Charino promiserit filiam. Sed hos tollendos versus esse persuadet, quod sequitur: *memini. atque adeo longum est exspectare, dum exeat*. Si enim acta sunt ista omnia in publico, quomodo dici potest, maxime cum sequatur, *ne exspectetis, ne exeant huc: intus despondebitur: intus transigetur, si quid est quod restat*. Ergo cum legerimus primum, *tuus nunc Chremes: facturum, quæ voles, scio esse omnia*, continuo debemus subjungere, *atque adeo longum illum exspectare, dum huc exeat*. Ita enim integritas fiet sensus, sublatis versibus, qui intus gesta retinebant. Quod vero sequitur Ω. *Plaudite*, verba sunt Calliopii ejus recitatoris, qui cum fabulam terminasset, elevabat aulæum scenæ, et alloquebatur populum, *vos valete, vos plaudite*, sive, favete. E.

Me in tuis secundis respice] Sophocles Œdip. Colon. Εὐδαίμονες γένοισθαι, κἂτ' ἐυπραξίᾳ Μέμνησθαι μου. L.

Pro *hem audistin'?*] Repone simpliciter *audisti?* B.

12 *Tuus est nunc Chremes*] Lucilius in secundo, (Ms. Hulst. et Lindenbr. *in septimo*). *Nunc prætor tuus est, meus si discesserit horno Gentilis*. D.

Tuus est] I. e. tibi favet. ad Quint. fratr. II. 1. *Plancius totus noster est*. Ovid. epist. III. 80. *hæc quoque nostra fuit*. in Eun. II. 2. 39. v. Burmann. ad Ovid. Trist. V. 4. 23. R. D.

P. Memini: atque adeo longum'st, nos illum exspectare, dum exeat.
Sequere hac me intus ad Glycerium nunc. tu, Dave, abi domum:
Propera, arcesse, hinc qui auferant eam. quid stas? quid cessas? D. Eo.
Ne exspectetis, dum exeant huc: intus despondebitur:
Intus transigetur, si quid est, quod restet. Ω. Plaudite.

CALLIOPIUS RECENSUI.

13 *Atque adeo longum est nos illum exspectare*] Quia et audacter et artificiose binos amores duorum adolescentium, et binas nuptias in una fabula machinatus est: et id extra præscriptam Menandri, cujus comœdiam transferebat: idcirco aliud in proscenio, aliud post scenam retulit: ne vel justo longior fieret, vel in eandem propter rerum similitudinem cogerentur. D.

Longum est] I. e. nimium temporis elaberetur. Sæpe etiam hæc formula usurpatur, cum brevitatis causa quædam prætermittuntur. Ovid. Fast. III. 719. vbi v. Heins. Sic *infinitum est* apud Cic. ad Div. I. 9. Veteres autem fere semper dicunt, longum est, non *longum foret* vel *esset*, ut hodie loquuntur. R. D.

14 *Sequere hac me intus: ad Glycerium*] Jam post scenam itur: quia ulterius in proscenio nihil agitur. *Tu Dave abi Domum*] Hi versus, usque ad illum, *Gnatam tibi meam Philumenam uxorem*, negantur Terentii esse: adeo ut in pluribus exemplaribus bonis non inferantur (Ms. Hulst. *ferantur*. rectius; nisi malis, *inveniantur*. Wielingius mavult, *inserantur*. Citat hos versus septemdecim, quos Donatus et Eugraphius recte spurios judicant, Guyetus e quibusdam codd. quos vidit. In decem codd. quibus sum usus, eos non inveni. Ut autem lector non ignoret, quid iste auctor de Charini somniaverit nuptiis, ex Guyeto versus istos infra adscribere lubet). D.

Abi domum: propera] Ms. R. *abi domum propere*. Ut Heautont. act. 2. scen. 2. *abi obviam propere*. et *traduce huc ad nos propere*. Hecyr. act. 5. scen. 3. 10. *propere curre ad Pamphilum*. L.

Bembinus cod. *ad Glycerium*; Donatus apud Faernum, *apud Glycerium*. Nostri omnes, *nunc est*, quod versus ipse postulat. Lege et distingue: *sequere hac me. intus apud Gl. nunc est*. B.

15 Meliores et plures libb. *propere arcesse*. B.

Auferant eam] Quæ per se incedunt, non *auferri*, sed *abduci* dicuntur. v. Vossium de latinit. merito suspecta. c. 16. Sed utitur hic verbo *auferre*, quod puerpera nondum incedere poterat. R. D.

16 *Ne exspectetis*] Mire dicit, latenter se laudans: quo verbo avidum adhuc audiendi populum, adeoque cupidum et intentum ostendit, ut finem comœdiæ evenisse non senserit. D. † p. 302.

17 *Intus transigetur, si quid est quod restet*] Artificiose poeta hereditatis justam petitionem ex Critonis persona prætermisit, quæ ei, Glycerio cognita, jure tribuebatur: ne vel parvo rei Critonis tractatu, aut defraudatione Glycerii infuscaretur finis fabulæ, ad lætum exitum spectans. *Si quid est quod restet*] Quia narratione dignum non est, quod Charinus rogat. D.

Ω. *Plaudite*] Hæc nota in omnibus vett. codd. ut et in regio exemplari habetur. L.

Alii aliter de *plaudite* et nota *u*, quæ præposita est, sentiunt. Ego ex Horat. Art. Poet. 154. *cantorem* puto significari, cujus, ubi actores omnes e scena exierunt, fuit, depositis ex ore tibiis illis dextris et sinistris, *plaudite* sonare. Igitur hujus cantoris nota in libris olim fuit CA. quæ postea vel ex ignoratione, vel compendii causa in formam ei simillem *o* degeneravit. B.

Calliopius] In quibusdam libb. *Calliopus*. De Calliopio quædam Eugraphius. Sed ne amplius nugemur, criticum eum fuisse, mea quidem fert opinio, qui hasce fabulas ad prisca exemplaria correxit. Sic Vettius Agerius Basilius Horatium recensuit, ut testantur vetusti codd. in quibus ita scriptum: *vettius Agerius Basilius Mavortius* V. C. et INL. ex commen. Dom. Excons. ord. legi et ut potui emendavi: Nicomachus dexter et Victorianus V. V. C. C. Titum Livium: Julius Celsus Constantinus V. C. et Flavius Licerius Firminus Lupicinus Ephemerin Julii Cæsaris: Flaccus Theodorus Memorialis sacri scrinii epistolarum, et adjutor viri magni Quæstoris Sacri palatii Priscianum: Securus Melior Felix Asper Com. consist. rhetor urb. R. Martianum Capellam. uti hæc nomina in vetustissimis scriptis codicibus adnotantur. Sic Apuleii Milesiarum libros et Apologeticum Crispus Sallustius quidam legit, emendavit, et recognovit: ita enim in antiquissimis codicibus legitur, qui Florentiæ in bibliotheca Magni Ducis Hetruriæ asservantur. Ad horum ergo exemplum Calliopius nomen quoque suum, sive varum fiotumve hoc sit, fabulis a se recensitis adscripsit. L.

† ÆLII DONATI V. C. ORATORIS URBIS

ROMÆ COMMENT. IN TERRENTII ANDRIAM EXPLICIT.

Ms. Hulst. ita: *Donati in Andriam commentum explicit feliciter.* In aliis aliter. Cæterum multis exemplis confirmatur, quod scribit Hieronymus ad Marcellam, Epist. 138: *scire debemus, apud Ebræos in fine librorum unum e tribus solere subnecti, ut aut* Amen *scribunt, aut* Sela *aut* Salom, *quod exprimit pacem, unde et Salomon, pacificus dicitur: ut solemus nos completis opusculis, ad distinctionem rei alterius sequentis, medium interponere* explicit, *aut* feliciter, *aut aliquid istius modi.* Ut autem de aliis taceam, est in fine unius cod. Lugduno-Batavi, *P. Terentii Afri Comœdia Phormio Calliopio bono Scholastico explicit feliciter.* Alius additum habet: *Calliopius recensui. P. Terentii Afri Comœdia Phormionis explicit. Amen.* Alius habet: *finito libro sit laus et gloria Christo.* Ms. Bodl. præter *explicit* nihil subjungit, idque ter; sub finem Eunuchi, Adelphorum et Hecyræ. De cujus vocis origine. Ever. Otto in Diatr. de Papiniano cap. XII. 6. *Locutio,* inquit, *desumta est a vetusto voluminum evolvendorum more: quæ demtis loris, uncisque relaxatis* explicabantur, *adeoque lectoribus ad finem usque patebant.* Martial. XI. 108.

> Explicitum nobis usque ad sua cornua librum,
> Et quasi perlectum, Septiciane, refers.

Inde profecta antiquorum consuetudo, ut completo libro vocem explicitus, *dein posterioribus seculis curtius* explicit *subjicerent, statimque scriptionem continuarent.* W.

APPENDIX SPURIA.

P. Te exspectabam. est de tua re, quod agere ego tecum volo.
Dedi operam, ne me esse oblitum dicas tuæ gnatæ alteræ.
Tibi me opinor reperisse dignum te atque illa virum.
CHA. Dave, ah perii. de meo amore ac vita nunc sors tollitur.
CHR. Non nova istæc mihi conditio est, si voluissem, Pamphile.
CHA. Occidi, Dave, perii! CHR. Sed id quamobrem non volui, eloquar.
Non idcirco, quod eum affinem mihi nollem. P. Hem, tace.
CHR. Sed amicitia nostra, quæ est a patribus nostris tradita,
Non aliquam partem studii adductam tradi liberis,
Nunc cum copia atque fortuna utrique ut obsequeretur, dedit, detur. P. Bene
Factum: abi, atque age gratias homini. CHA. Salves, Chremes amicorum
Meorum omnium mihi carissime, quod mihi commodum est, gaudio,
Quam id, quod a te expeto, me reperisse, ut habitus antehac fui
Tibi animum, quo adeumque applicaris studium exinde ut erit,
Tute existimaveris id ita esse facere ex me conjecturam ex me licet.
Alienus abs te tamen quis tu esses, noveras, ita res est. CHR. Gnatam tibi meam
Philumenam uxorem, et dotis sex talenta spondeo.

FRIDERICI LINDENBROGII

OBSERVATIONES

IN ÆLII DONATI. V. C.

COMMENT. IN ANDRIAM.

COMMENTARIUM hunc, qui Ælio Donato, oratori urbis Romæ adscribitur, sic quidem illius esse censeo, ut integriorem multo eum olim extitisse, mea quidem opinio sit: qualem autem nunc habeamus, collectanea potius sive excerpta dicenda esse, quam ipsissimum Donati opus. Id quod arguere videntur frequentes asterisci; et quod totiehs eadem repetantur, nonnulla etiam parum dilucide explicentur. Quin etiam Hieronymus Comment. in Eccles. cap. I. attestatur, Donatum præceptorem suum, cum versiculum illum, *nihil est dictum, quod non sit dictum prius*, interpretaretur, *pereat*, dixisse, *qui ante nos nostra dixerunt*. Quæ sane verba in hisce commentariis nunc minime leguntur. Dein, quæ ex Probo et aliis hic afferantur, quis negaret ea collectoris potius studio, quam Donati judicio inserta esse. Præter hunc enim et alios plures certum est in Terentium commentaria edidisse: Evanthium puta, Aruntium Celsum, Flavium Caprum, Helenium Acronem, Asprum, Probum, Nigidum, et si vera lectio, Adesionem. De Evanthio Rufinus grammaticus de metris Terentianis: *Evanthius in commentario Terentii de fabula, hoc est, de comœdia, sic dicit*. Reliquos Charisius Sosipater, et Donatus ipse in hisce commentariis laudant. At quicquid sit, contenti simus hoc Catone, qui ex tantorum naufragio solus periculum qualiter evasit.

Ælii Donati] Ita expressim libb. Pithœor. et P. Danielis, quos hic auctores sequor. Quamvis in Commentariis Virgilianis, quæ et illa Donato attribuuntur; et quidem ab antiquis, Cl. Tiberius vocetur. Etiam in vetustissimo Ms. cod. quem Florentiæ in Bibliotheca Ducis Hetruriæ vidi, Donatus nomen Africanum est. B. Augustin. Epist. 163. *Quamquam enim Donati nomen Afrum esse soleat, non tamen repugnaret a vero, ut vel partium illarum aliquis vocaretur nomine Afro*. Inde Donatus Proconsul Africæ, ad quem scribit Augustin. Epist. 127; et Donatus iste Carthaginiensis, qui postea sectæ suæ nomen dedit; et Donatus Bagajensis, et alii, qui hic minime sunt recensendi.

IN ARGUMENTUM ANDRIÆ.

Hæc prima acta] Vet. cod. Petr. Danielis: *hæc prima facta est, acta ludis. M. Fulvio et*] Al. *M. Fulvio ædile, et M. Glabrione. Q. Minucio Valerio curulibus.*

Diverbiis authenticis] Sic quidem omnes scripti libri; sed non dubito quin vera sit emendatio hæc: *diverbiis aut canticis*. Tertullian. de Spectacul. *si scenicæ, doctrinæ delectant, satis nobis litterarum est, satis versuum est, satis sententiarum, satis etiam canticorum*. Vitruvius de architect. lib. 5. præfat. *comici interponentes e choro canticum, diviserunt spatia fabularum, ita partes cubica ratione facientes, inter capedinibus levant actorum pronunciationes*. Vid. Tit. Livium Decad. I. lib. 7. Diomed. lib. 3. et prolegom.

Post scenam fieri] Vid. quæ notavi ad Andr. act. III. sc. I.

Sibi exhibeat] Excerpta Ms. R. *sibi exhibiturus.*

Hunc enim orbem] Ita Ms. R. al. *ordinem.*

Poeticæ virtutis] Al. *poeticæ artis et virtutis.*

IN PROLOGUM.

1 *Minimeque errantem*] Ms. R. Dan. *minimeque errati.*

Lucio Lanvino] Dan. *Luscio Lanivino.* al. *Luscio Lanvino.* Hieronym. Quæst. Hebraic. *Qui in principiis librorum debebam sequuturi operis argumenta proponere, cogor respondere maledictis: Terentii quippiam sustinens, qui comœdiarum prologos in defensionem sui scenis dabat. Urgebat enim eum Luscius Lavinius nostro Luscio similis, et quasi publici ærarii furem postam criminabatur.* Vid. Sarisber. Policrat.

5 *Quæ ab amantibus salvo*] Vitiosus hic locus. liber Daniel. *quæ amantibus salvo.* Excerpta Reg. *quæ a manentibus.*

7 *Quasi rancidi*] Ms. *rancioli.*

8 *An nunc vitio*] Ms. *non nunc vitio dent?*

12 *Prolata oratione*] Ms. *in probata oratione.*

In poemate] Excerpta Reg. et Dan. *Et poema.*

22 *Nam quiescere illi*] Rectius puto quod in Ms. R. et Dan. *Nam* QUIESCE *illi dicitur. Ante denuntio*] Ms. Dan. *prædico, admoneo.*

ACT. I. SC. I.

1 *Properanter discernit*] Mss. *properat et discernit.*

2 *Figura ellipsis*] Excerpta Reg. *figura syllepsis.*

3 *Medicinæ famulatrix*] Ms. *adulatrix.*

4 *Generales sunt partes*] Ms. R. *species.*

Et temperantia] Ms. R. *Patientia.* Hieronym. ad Pammach. *Quatuor virtutes scribant Stoici ita sibi invicem nexas, et mutuo cohærentes, ut qui unam non habuerit, omnibus careat: prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam,* Vid. Martian. Capell. de nupt. Philol. lib. 2. pag. 33.

Perfectionem designat] R. *desiderat.*

9 *Moderata, æqualis*] R. *moderata qualitas.*

Patres plebem] Ita Ms. al. P. C. locus est lib. I. Histor. cap. 2,

10 *Ad aliquid dicitur*] Ita Excerpta Reg. al. *ad aliquem.*

12 *Beneficium erogatum*] R. *beneficiis prorogatum.*

13 *Secundum jus*] L. 6. §. 1. ff. de alend. et agnos. lib. l. 5. ff. de jur. patronat. l. 2. C. de libert. et eor. lib. Legum Burgund. Tit. 40. de manumiss. Ambros. de Jacob et beata vita.

Admirabiliter] Mss. et excerpta Reg. *adverbialiter.*

22 *Quod præcedit*] Reg. excerpta: *quod sequitur, id quod præcedit.*

Incipit mala ibi] Ms. *I. m. ab.*

28 *Plerique παρίλκον*] A. Gell. lib. 8. cap. 12.

Omnes subiguntur] Al. *subjungunt.*

34 *Ut ne quid nimis*] Convenit cum hoc loco quod Servius notat in Virgil. Æneid. X. vers. 861. *Phœbe, diu. Terentius servis dat plerumque sententias prudentissimas quidem, sed quæ per naturam se offerunt cunctis, ut* NE QUID NIMIS.

41 *Obsequium primum*] Quinct. lib. 8. c. 3.

43 *Huc loci vel huc locorum*] Reg. excerpta. *ut huic locorum.*

45 *Neque addendum jam sit*] Aristot. ad Nicomach. lib. 2. cap. 6.

48 *Victus, in parvis arduisque*] Plaut. Capt. Act. I. 2. 85.—*Asper meus victus sane est.* Ibidem Act. III. 1. 37. *Redibo huc ad senem, ad cœnam asperam.*

52 *Conditio est pactio*] Ut Plaut. Capt. I. 2. 78. *Quasi fundum vendens meis me addicam legibus.*

56 *Habes, qui letaliter*] Ita Prudent. in Psychomach. Virgil. et alii. (Ad illustrandum locum Terentii et sententiam Donati confirmandum valet locus Anacreontis XLV. 18. ubi Ἔλαβεν βίλεμνον Ἄρης, non significat *Mars telum manu apprehendit,* quæ est vulgaris opinio, sed satis inepta; sed *telo vulneratus est.* Z.)

Mane adverb.] Ms. *Utrum Pamphilum an adverbialiter.*

58 *Ut sis, si vis. nam delirat, &c.*] Hæc est lectio vett. codd. Apparet autem faisse tam acute fatuos nonnullos

qui hariolarentur, *Sodes* Græcam esse vocem, ἀντὶ τοῦ ζῶος ζῇς, *ita vivas*, quæ est usitata obtestandi formula, ad verbum: *Ita salvus atque incolumis vivas.*

Peregrinæ mulieri] Mss. *peregrinis meretricibus.*

61 *Et quidem*] Ms. *Et quod tacitum.*

80 *Frequens ut miles*] A. Gell. libr. 16. cap. 4.

81 *Noctu efferebantur propter celebration.*] Servius ad Virgil. Æneid. XI. versu 143. *Funereas rapuere faces.*

82 *Alienis lacrumis suas commodabat*] Hoc non protriti sermonis est. Zeno Veronensis Episcopus, Serm. de continentia: *Cui magis lacrumas commodabis? mortuone, an morienti?* Et quovis pacto contendere ausim, sic Petron. Arbitrum c. 3. scripsisse: *Adsidebat ægræ fidissima ancilla, simulque et lacrumas commodabat lugenti, et quotiens defecerat, positum in monumento lumen renovabat.* ubi vulgo legitur *commendabat lugenti*, male.

88 *Funes et* * *in genu*] Ita in Ms. Pith. at in P. Daniel. *Funes et ingenium cerei f.* æque corrupte. Sed vitiosam scripturam exprimere malui, quam ex ingenio parum feliciter quid substituere. Nam quod in vulg. legitur: *delibuti funes et cerei fomites*, dubito an pro vero accipiendum sit. De hisce autem funalibus Serv. XI. 143. Æneid. *Funera alii a funalibus candelis, sebo et cera circumdatis dicta, quod his prælucentibus noctu efferrentur mortui.* Isidorus Orig. libb. XX. cap. 10. *Funalia sunt quæ intra ceram sunt, dicta a funibus, quos ante usum papyri cera circumdatos habuere majores, unde et funera dicuntur. Funalia autem Græcis scolaces dicuntur, quod sint scolicæ, hoc est, intortæ. Hos Romani funes et funalia nominabant,* &c. Vid. Serv. Æneid. I. 727. *Flammis funalia vincunt.* Ubi etiam de papyro additur. uti et apud Pont. Paulin. in natali felicis: *Limina ceratis adorentur odora papyris.* Ennodius Episc. in benedict. cerei: *ceram pavit nectareis partubus fœta virginitas, papyrum ad alimenta ignium lympha transmisit, lumen adhibetur e cœlo.* Antipater Epigramm. lib. VI. Λαμπάδα κηροχίτωνα κρόνου τυφήρεα λύχνον, Σχοίνῳ καὶ λεπτῇ σφιγγόμενον παπύρῳ.

92 *Forma immobilis*] Isidor. libr. different.

100 *Post ipsam morituri*] Referri huc commode potest, quod Servius notat Æneid. III. 60. *magna supremum voce ciemus. Hoc loco dicimus more solemni, id est, tertio vale; nos te ordine, quo natura permiserit, cuncti sequemur* Plane ut in vet. inscript. Hispan.

VALE. ET. SALVE. ANIMA.
Ϙ. OPPIANÆ. FELICIS.
NOS. EO. ORD. QUO. NATURA.
PERMISERIT. TE. SEQUEMUR.

101 *Sepulchrum κατ' ἀντίφρασιν dicimus*] Ita Ms. alii, *ut diximus*, quod tamen jam non dixerat: itaque mutila hæc esse commentaria, vel hinc etiam colligere licet.

115 *Per ratiocinationem*] Ita Ms. Alii, *per rationem.*

118 *Appareat verum*] Ms. *eversum.*

134 *Omnibus membris*] Ms. R. Pith. Dan. *omnibus verbis.* fortassis an fuit *nervis?*

136 *Nulla causa*] Ms. *ulla causa.*

ACT. I. SC. 2.

1 *Narratione jam habita*] Ms. *narratione peracta.*

2 *DaFus, SerFus*] Vid. Quinctil. libr. I. cap. 4. de literis.

4 *Florentis Homeri*] Hæc vera est lectio in lib. Dan. Alii codices male, *florentis honoris.* Locus Lucretii extat lib. I. 125.

11. *Miranda locutio*] Reg excerpt. *imitanda lucutio.*

13 *Vultuose agunt*] Excerpt. R. *invidiose agunt.*

15 *Spectat pronuncians*] Ni tardius ad manus meas pervenisset Ms. cod. Danielis, sic ex eo edi debuisset: *vos hoc agite, spectatores, nunc jam. Pronuncians* &c. quæ vera est lectio. Locus Plauti extat prolog. Asinar.

21 *Trepida confessio*] Ms. *tepida consensio.*

29 *Auspiciis servatis*] Reg. excerpt. et Dan. *auspiciis servatitiis.* de hoc autem ritu, quo leges auspicato rogabantur, vid. Ciceron. Philipp. V.

34 *Unam affirmativum*] Mss. *confessivam*.

ACT. I. SC. 3.

1 *Metu et cura æstuantis*] Ita excerpta Reg. quibuscum in parte consentiunt Mss. reliqui.

13 Παρόμοιον *dicitur*] Reg. *paromonea*. Dan. ΠΑΡΩΝΟΜΑCΙΑΙ.

21 *Nomina comicorum servor.*] Bene de his servorum nominib. Helladius in biblioth. Photii. cujus locum integre adscribam: ὅτι δὲ κωμικοὶ τοὺς οἰκέτας τὰ μὲν πλεῖστα ἀπὸ τοῦ γένους ἐκάλουν, οἷον Σῦρον, Καρίωνα, Μίδαν, Γέτην, καὶ ὅμοια. ἐκάλουν δὲ τὰ ἐξ ἐπιθέτων, ὡς ἀπὸ τοῦ χρώματος μὲν Πυῤῥίαν καὶ Ξανθίαν: ἀπὸ τοῦ τρόπου δὲ Παρμένοντα, καὶ Πιστὸν, καὶ Δρόμωνα; ἐκάλουν δὲ καὶ ἀπὸ τῆς ἡμέρας, ἐν ᾗ ἐωνήσαντο τὸν οἰκέτην, ἐξ οὗ καὶ τοὺς Νουμηνίας ἐνόμαζον. Vid. Aristophan. in Ranis, et quæ notat Donat. ad act. I. scen. 1. vers. 1. Adelph. Illud porro antiquitus observabatur, ut comica nomina duarum syllabarum, tragica vero plurium essent. Athenæus id docet, lib. XIV. c. 1. φιλήγελως δὲ ἦν καὶ Δημήτριος ὁ πολιορκητὴς, ὡς φησὶ Φύλαρχος ἐν τῇ ἕκτῃ τῶν ἱστοριῶν, ὅς γε τὴν Λυστιμάχου ἀρχὴν κωμικῆς σκηνῆς οὐδὲν διαφέρειν ἔλεγεν. ἐξέπνει γὰρ ἀπ' αὐτῆς πάντας δισσυλλάβους. De tragicis ibidem mox additur.

In comœdia frequentissimus Davus. Philostrat. lib. I. Icon. χρῶνται γὰρ αὐτῇ (ἀλωπέκι) ὁ Αἴσωπος διακόσμῳ τῶν πλειστῶν ἱστοδιδασίων, ὥσπερ ἡ κωμῳδία τῷ Δάῳ. Horat. de arte, 114. *Intererit multum, Davus loquatur, an heros.* Ex eodem libro 237.

Ut nihil intersit, Davusne loquatur, et audax
Pythias, emuncto lucrata Simone talentum.

Dio Chrysostom. πρὸς Ἀλέξανδρ. Lucian. περὶ ὀρχήσεως. At minus recte a patria Davum dici autumo: verius vero a Glossario scriptum, *Davus* ἄφρων, ἄπειρος. indeque interpretandum illud, *Davus sum, non Œdipus.* Sic Getæ nomen non raro frequentabatur. Arrian. in Epict. lib. III. cap. 26. πρῶτον μὲν ἐξελήλυθε νυκτὸς, ὅτι οὐ Γέτας οὐ τολμᾷ ἐξελθεῖν. Cæl. Sedulius in opere Pasch. *Sive clamoribus cothurnatæ tragœdiæ, seu ridiculi Getæ comica fœditate.* Quod Caracallæ temporibus adeo odiosum fuit, ut si quis illud vel scripsisset, vel verbo tenus protulisset, statim is de vita periclitaretur. Ὅθεν οὐδὲ ἐν ταῖς κωμῳδίαις οἱ ποιηταὶ ἔτι ἐχρῶντο. Xiphilinus in Caracalla. De Phormione Cicero pro Ceoinna 10. et ex eo Quinct. libr. VI. cap. 4. *Sex. Clodius, cui nomen est Phormio, nec minus niger, nec minus confidens, quam ille Terentianus est Phormio.* Aug. Ep. 22. *Canus, comosus, hispidus, trux, attubus, Terentianus Phormio.* Parmenonem et Syrum, præter Terentium, Plautus inducit Bacchidibus IV. 4. 7. *Non mihi isti placent Parmenones, Syri, qui duas aut tres minas Auferunt heris.* Parmeno παρμένων, τουτέστι παραμένων. Dio Chrysost. Rhodiac. p. 219. ἀνδράποδον μὲν τὸν ὀνούμενος, εἴ ποτε ἀνίδρα σώσει, καὶ εἰ μὴ παρέμεινεν τῷ πρώτῳ δεσπότῃ. Igitur Parmeno, qui non fugitivus: neque de quo dici potest illud Horat. l. 2. Ep. 2. v. 14.—*semel hic cessavit, et, ut fit, In scalis latuit*—Ubi sic Porphyr. *Jam nunc verba sunt quibus mango utitur, ut monstret cessatorem esse quem vendidit, hoc est, fugitivum.* Atque hæc vera nominis ratio.

Ut Thylacus] Sic ex Reg. excerptis restituimus, cum antea corrupte legeretur *Chylacus.* Est autem hic *Thylacus*, ut in Paudecte *Saccus.* I. 44. de manum. testam. *Saccus servus meus, et Eutychia, et Hirena ancillæ meæ.* Quo quidem nomine ventriosi et vinarii potissimum vocabantur. Antiphanes vetus comicus apud Athen. Dipn. l. XII. c. 13.—τοῦτον οὖν Δι' οἰνοφλυγίαν καὶ πάχος τοῦ σώματος Ἀσκὸν καλοῦσι πάντες οἱ ἐπιχώριοι. Ut et Alexis quodam in loco testatur: cujus verba in notis ad Theophrast. notavit vir doctissimus Isaac. Casaubonus.

ACT. I. SC. IV.

2 *Abstemius, sobrius*] Quinct. 1. 7. Aul. Gell. X. 23. Ovid. Metam. XV. 322. *Clitorio quicunque sitim de fonte*

levarit, Vina fugit, gaudetque, meris abstemius, undis.

ACT. I. SC. V.

2 *Cum stomacho dictum*] Ms. *cum stom. δειπτικὸν.*

15 *Infringi, impingi*] Ms. *infligi, impingi.*

18 *Conflatur excusatio*] Ms. *accusatio.*

26 Ἀπὸ τοῦ αἰσίου] Ms. ἀπὸ τοῦ ὀσίου.

33 *Nam utraque*] Ms. *nam utrumque.*

35 *Voluntas non factum damnatur*] Punitur videlicet voluntas in gravioribus delictis. l. 1. ff. ad Leg. Jul. Majest. l. 1. ff. ad l. Corn. de sicar. l. 1. π. De leg. Pomp. de Parricid. l. 16. §. 8. ff. de pœnis. l. 1. init. ff. de extraord. At quod l. 18. ff. de pœnis habetur, *cogitationis pœnam nemo patitur*, id de levioribus culpis intelligendum est. ut recte in Synopsi Attaliat. Tit. 78. pag. 69. ὑπὲρ ψηλῆς ἐννοίας οὐδεὶς ὑφίσταται ποινήν.

60 *Junctis dextris*] Ms. *jungens dextras.*

62 *In manum convention.*] Cicero et Bœtius in Topicis.

ACT. II. SC. I.

1 *Pavoribus, gaudiisque*] Dan. Ms. *periculis gaudiisque.*

Ne τραγικάτερον fieret] Ms. *ne* ΑΨΟΘΕΑΤΟΝ. Quæ vox si proba satis esset, non male isti loco aptari posset, pro re quam inviti spectant spectatores; vel aliena a theatro, id est, contra artem et legem scenicam. Sed non facile in animum induco, esse id verbi δόκιμον. Itaque vulgatam lectionem retinere satius est.

ACT. II. SCENA V.

18 *Tum fieri pavum*] Hæc verissima lectio est, quam Mss. debemus. antea nimis quam inepte, *tum fieri pavidum.* Tertull. de anima cap. 33. *Pavum se meminit Homerus, Ennio somniante: sed poetis nec vigilantibus credam, et si pulcherrimus pavus, et quo velit colore cultissimus,* &c. Cornutus in Persium; Hor. l. II. Ep. 1. et ibid. Acro.

ACT. II. SC. VI.

1 *Nullus spectator*] Ms. *spectator non senex.* et post. *hoc agit*, non *ait.*

ACT. III. SC. I.

1 *Peregrinæ, inhonestæ*] Vide quæ notat Is. Casaubonus ad Theophr. Charact.

12 *Præstamus cæteris animalib.*] Sallustianum est.

15 *Juno Lucina*] Restitui hic locus in melius potest ex scripto cod. Daniel. hoc modo: *Juno Lucina Junonis filia, Græce* εἰλήθυια, *Latini nixos dicunt. Juno a juvando dicta; Lucina ab eo,* &c. Phornut. δοκεῖ δὲ καὶ πλείστοις ἡ αὐτὴ εἶναι καὶ εἰλήθυια, ἀπαύστως εἰλουμένη καὶ θέουσα περὶ τὴν γῆν. ἣν ἴυγγοντες ἐλθεῖν αὐταῖς ἠπίαν καὶ λυσίζωνον αἱ ὠδίνουσαι. De *Nixis* Nonius in voce ΕΝΙΧΑΕ. et Festus: *Nixi dii appellantur tria signa in Capitolio ante cellam Minervæ genibus nixa, velut præsidentes parturientium nixibus.* Ut in illo versu. Ovid. l. IX. Metam. 294. *Lucinam Nixosque pares clamore vocabam.* Et *nixus* sunt ὠδῖνες. Virg. IV. 199. Georgicor. Et Rufinus in expositione Symboli: *apes nescire conjugia, nec fœtus nixibus edere omnibus palam est.* Gloss. Philox. *Nixæ*, ὠδῖνες.

ACT. III. SC. II.

1 *Firme nunciabant*] Ms. *firme intimabant.*

3 Λούσατε αὐτὴν ΥΤΙSΑ*] Hæc est scriptura Mss. codd. Param vero legi debet vel ἥδιστα, vel, quod Is. Casaubono placebat, τάχιστα, vel quid tale. In versu Lucilii, *date bibere summo*, divisim legendum censeo: *date biber e summo. Biber* τὸ πῖνειν, ut notavit Charis. l. I. Dein, *e summo*: ut Plautus Asinar. V. 2. 41. *Da, puere, ab summo.* Confer. vero cum hoc loco Donati Quinctilian. lib. 9. et Serv. ad illud Virgil. Æn. I. 319. *comam diffundere ventis.*

4 *Duo verba activa*] Ms. *duo verba injuncta.*

6 *A matre sanguinolentum*] Juvenal. Satyr. VII. 196. *Et adhuc a matre rubentem.* Mar. Vict. in Genes. III.

547. *Iussus pueros a matre recentes.* De Sanguinolentis in Rubr. cod. De infantibus exposit. et l. 1. Cod. Theod. eod. tit. l. 2. C. De patrib. qui filios suos distrax. Lactant. lib. VI. 20.

11 *Fieri potuerit*] Ms. *oportuerit.*

25 *Nec dico, nec facio*] Sine dubio legend. *Nec dico, nec facio mu. Unde et mutire dicimus,* &c. vid. Charis. lib. 2.

ACT. III. SC. 3.

11 Τῷ ελληCμΟΝ] Vitiosam scripturam reliquimus, ut cuivis emendandi liberum esset arbitrium. Non multum autem a vero abesse censeo, si legatur τῷ ἑλλησμῷ. Μὴ λιτάνευε, μὴ μάχου. Ut etiam Pithœus suo codici adscripserat.

ACT. III. SC. 4.

13 Τί δῆτα' ἀκούσω] Ms. ΠΡΟΤΟΝΚΥΜΕ.

ACT. III. SC. 5.

5 'ΑΝ ΘΕΟC ΦΕΤΓΕΙ. &c.] In Dan. lib. sic erat: ΑΝΘeΟCΘeΤhΟΚΑΝΑ ΠΟΛeΙΜΓΤΨe. æque corrupte: tamen Isaaco Casaubono sic legendum videbatur, ἴνθεν ἀποφεύγων, οὐκ ἂν ἀπολοίμην ποτέ. vel, ἐντεῦθεν φεύγων, &c.

15 *Quibus vultu*] Nihil hic variant scripti codd. rectius tamen opinor esse: *quibus ultro operæ pretium.*

ACT. IV. SC. 2.

23 *Ne illa tauro paria sint*] Al. *parita.* Sed alterum minus vitiosum; quod intelligi de Phalaridis tauro potest. Senec. Controvers. 8. libr. 5. *Siciliæ dicitur fuisse dominus, qui inclusos æneis tauris homines subjectis urebat ignibus, ut mugitum ederent.* Tertul. de Pall. *Inclusus in Phalaridis tauro hanc vocem emittat* Juvenal. VII. 82. — *admoto dictet perjuria tauro.* Lactant. III. 26. *Jam cruces, et ignes, et Phalaridis taurum contemnet.*

ACT. IV. SC. 3.

1 *Fortuna neque dare, neque*] Sallustianum hoc est.

11 *Ex ara Apollinis,* &c.] Suid. ἐστι δὲ μετὰ τὴν ἐγχειστριβομιὸς τοῦ Διονύσου, ὃς καλεῖται Θυμέλη, παρὰ τὸ θύειν. Isid. Orig. lib. XVIII. cap. 47. *Pulpitum quod thymele vocatur.* Justinian. Novel. 5.—*et thymeles delectatione.* Vidd. Plutarch. Quæst. Rom. Sueton. in Calig. cap. 54. Vitruv. Architect. V. 6.

Libero patri tragœdia] Olympiodorus non solum tragœdiæ sed etiam comœdiæ præsidem facit Dionysum. Ejus hæc verba sunt in Platonis Phædone: ἔφορος γὰρ πάσης βακχείας (Dionysus scil. nam de illo hic sermo) διὸ οὐ μόνον κωμικῶν ἔφορός ἐστιν, ὡς περὶ ἡδονὰς καταγινομένων, ἀλλὰ καὶ τραγικῶν, περὶ λύπας καὶ θανάτους καταγινομένων, ὡς τὸ εἰκός. Hujus opinionis et alii videntur esse.

Herbenæ ridimicula] Horat. Carm. IV. 11. 6.—*ara castis*

Vincta verbenis, avet immolato
Spargier agno.

Verbenæ sunt omnes herbæ frondesq.] Servius in Æneid. lib. XII. 120. *Abusive verbenas vocamus omnes frondes sacratas, ut est laurus, oliva, vel myrtus. Terentius: Ex ara sume hinc verbenas: Nam myrtum fuisse Menander testatur, de quo Terentius transtulit.* Vera Servium dicere, corruptus apud Donatum Menandri locus indicat.

ACT. IV. SC. 4.

15 *Contumeliæ genus est*] Ulpian. l. 15. §. 3. ff. de injur. et fam.

40 *Memorem mendacem*] Apul. Apologet. *Sæpe audivi non de nihilo dici: Mendacem memorem esse oportere.* Hieronym. advers. Rufin. *Interim in te dum aliud agis, crimen fortissimum prodidisti, et oblitus es veteris proverbii, Mendaces memores esse debere.* Optat. Milevit. lib. 2. pag. 23. *Vulgo dicitur: Memoriam custodem habere oportet mendacem.* Inde Quinctilian. *Mendacia plerumque confutari solent inconstantia sermonis.*

ACT. IV. SC. V.

4 *In familiam redeunt*] Institutt. Justin. lib. 3. Tit. II.

15 *Totum per ἔμφασιν*] Ἐμφάσεως.

19 *Pariter positum est*] Ms. *pariliter.*

ACT. V. SC. 3.

4 *Et an una*] Ms. *Et an unde sit.*

5 *Sed fiducia*] *Sed fidentia.*

25 Τῆς ἐραμένης] Al. τῆς ἐραμένης.

ACT. V. SC. 4.

18 *Amorem in filium*] Ms. *filio.*

28 *Cæcum testimonium*] Græcis ἐκμαρτυρία. Val. Harpocration. ἐκμαρτυρία τῶν ἀπόντων: ut Donatus, *in cæco absentes personæ.* Aristid. πρὸς Πλάτωνα. p. 116. εἶμαι γὰρ ἡμῖν ὥσπερ ἀπόντος ἐκμαρτυρίαν εἶναι. Ita Latini inter *testes* et *testimonia* distinguunt. In rescripto D. Hadriani ad Junium Rufinum. l. 3. §. 3. ff. de testib. Hoc autem probationis genus Græci πίστιν ἄτεχνον vocant. Mar. Victorin. in Ciceron. Rhetor. 2. pag. 199.

48 *Nec potest videri datum*] L. 69. ff. de reg. jur. l. 19. §. 2. ff. de donat.

ACT. V. SC. 6.

1 *Duarum sororum*] V. C. *duorum sociorum.*

12 *Lucilius in secundo*] Ms. *in septimo.*

C. SULPITII APOLLIN.

PERIOCHA IN TERENT.

EUNUCHUM.

SOROREM falso dictitatam Thaidis,
Id ipsum ignorans, miles advexit Thraso,
Ipsique donat. erat hæc civis Attica.
Eidem Eunuchum, quem emerat, tradi jubet
Thaidis amator Phædria, ac rus ipse abit,
Thrasoni oratus biduum concederet.
Ephebus frater Phædriæ, puellulam
Cum deperiret, dono missam Thaidi,
Ornatu Eunuchi induitur: suadet Parmeno:
Introiit: vitiat virginem. sed Atticus
Civis repertus frater ejus collocat
Vitiatam ephebo; Phædriam exorat Thraso.

ÆLII DONATI V. C. ORATORIS URBIS

ROMÆ PRÆFATIO IN EUNUCHUM TERENTII.

HÆC masculini generis nomine nuncupata fabula est Eunuchus: et est Palliata Menandri vetus: quam ille auctor de facto adolescentis, qui se pro Eunucho deduci ad meretricem passus est, nominavit. Itaque ex magna parte motoria est. Atque in hac comœdia qui personam Parmenonis actor sustinet, primas habet partes. Secundæ sunt Chæreæ. Tertiæ ad Phædriam spectant. Hujus prologus sane est concitatior. Nam et obiicit crimina adversantibus: et comminatur in posterum: et accusatorie narrat injuriam Terentio factam: et ad ultimum tumultuose, et cum magna invidia defendit pœtam. Hæc et πρότασιν et ἐπίτασιν, et καταστροφὴν ita æquales habet, ut nusquam dicas longitudine operis Terentium delassatum dormitasse. Actus sane implicatiores sunt in ea, et qui non facile a parum doctis distingui possint: ideo quia tenendi spectatoris causa vult poeta noster omnes quinque actus velut unum fieri, ne respiret quodammodo: atque distincta alicubi continuatione succedentium rerum, ante aulæa sublata fastidiosus spectator exsurgat. Acta plane est Ludis Megalensibus, L. Posthumio, L. Cornelio Ædilibus curulibus: etiam tunc personatis L. Numidio Posthumio, L. Ambivio Turpione: item modulante Flacco Claudio tibiis dextra et sinistra ob jocularia, multa permixta gravitate. Et acta est tanto successu ac plausu atque suffragio, ut rursus esset vendita, et ageretur iterum pro nova: proque ea pretium, quod nulli ante ipsam fabulam contigit, octo millibus sestertium numerarent poetæ. Proverbia (Legendum arbitror, *diverbia*. Vid. supra ad argument. Andr. pag. 249. L.) multa sæpe pronunciata, et cantica sæpe mutatis modis exhibita sunt. Προτατικὸν πρόσωπον nusquam habet: sed suis tantum personis utitur. In hac Terentius delectat fa-

cetiis, prodest exemplis, et vitia hominum paulo mordacius, quam in cæteris, carpit. Exempla autem morum hic tria præcipua proponuntur, urbani scilicet, parasiti, militaris. Hæc edita tertium est: et pronunciata, TERENTII EUNUCHUS: quippe jam adulta commendatione poetæ, ac meritis ingenii notioribus populo. Facta autem ex duabus Græcis una est Latina. Nam ex EUNUCHO et COLACE, MENANDRI fabulis, hæc Eunuchus Terentiana scripta est, non sine crimine, quod multa in hanc translata sint ex multis poetis Latinis. quod totum, per prologum purgat atque defendit.

ARGUMENTUM.

RAPTA quædam ex Attica virgo nobilis, atque abducta est Rhodum; ibique matri Thaidis meretricis ab amico dono data est, et educata velut soror, una cum filia Thaide. Sed Thais, relicta matre, Rhodo cum amatore quodam Athenas se contulit: ab eoque heres instituta mortuo, mox a milite Thrasone diligebatur nimis. Qui cum Athenis profectus matrem Thaidis mortuam Rhodi comperisset, et eam virginem, quam diximus, ab heredibus mortuæ animadvertisset venum esse propositam: quamvis ignarus rerum omnium, emit tamen, et dono amatæ Thaidi vexit Athenas. Verum postquam adveniens rivalem Phædriam apud amicam reperit, quem per ejus absentiam sibi meretrix consiliarat: affirmavit, se non ante daturum promissam virginem, quam Thais foras æmulum pepulisset. Illa igitur, etsi amaret Phædriam, cupiditate tamen recuperandæ virginis et civis Atticæ, et quam a parvula ut sororem dilexerat, excludit Phædriam. Hinc ille primo irascitur: post accepta facti ratione, a Thaide lenitur: et in bidui spatium sponte concedens militi, rus proficiscitur: statimque ne ab æmulo muneribus superaretur, Eunuchum et puellam Parmenoni jubet abiens ad Thaidem deducere. Verum Chærea frater Phædriæ tunc ephebus, visa in via virgine, inflammatur amore ejus; atque eo evasit vehementi ardore, ut pro Eunucho ipse deducetur ad Thaidem. Hac occasione vitiata virgo, et mox civis, et nobilis cognita, datur uxor Chæreæ. Phædria vero et miles rivales, ambo concordes per parasitum redditi, communi amica sine certamine potiuntur. In *primo* actu Phædria exclusus a Thaide, et secum primo, et mox cum Parmenone conqueritur fortunas suas: et ad postremum coram accusat Thaidem. Rursus permulcetur ab eadem, et voluntate digrediens, rus sese concessurum in spatium bidui esse promittit. *Secundus* actus, profectionem Phædriæ continet, delegantis servo deductionem Eunuchi et

puellæ ad Thaidem; tum parasitum loquentem, per quem virgo a milite dono amicæ missa est; tum interventum Chæreæ amantis virginem, ejusdemque cum Parmenone consilium de eadem potienda per fallaciam: quia pro Eunucho ipse supponitur Thaidi. *Tertius* actus characterem exprimit militis et parasiti per ridiculum colloquium: tum invitationem ad cœnam Thaidis: tum oblationem velut Eunuchi Chæreæ et puellæ ex Æthiopia per Parmenonem factam: tum verba Chremetis ad Thaidem venientis, perductique ad militem: Antiphonis Chæreæque colloquium de vitiata per dolum virgine. In *quarto* actu Dorias nunciat jurgium inter militem et Thaidem: tum reditum habet ex villa Phædriæ, et querelam Pythiæ de vitiata virgine apud Phædriam: et eundem stupentem quod audiebat: errorem ebrii Chremetis: et verba petulantia Thaidis adversum militem, et militis adversum Thaidem: parata prælia, ridiculeque deposita. *Quintus* actus hæc continet, querelam Thaidis de vitiata virgine, primo cum Pythia, postea cum ipso Chærea: tum interventum Chremetis atque nutricis: tum perturbationem Parmenonis per dolum Pythiæ; atque ejus indicio per senem, qui rure tunc advenerat, confirmatas nuptias: et ad ultimum reditum in gratiam militis cum Phædria et Chærea.

FABULÆ INTERLOCUTORES.

ANTIPHO adolescens.
CHÆREA adolescens.
CHREMES adolescens rusticus.
DORIAS ancilla.
DORUS eunuchus.
GNATHO parasitus.
LACHES senex.
PARMENO servus.
PHÆDRIA adolescens.
PYTHIAS ancilla.
SANGA lixa.
SOPHRONA nutrix.
THAIS meretrix.
THRASO miles.

IDIOMATA PERSONARUM.

Antipho, quod obvius appareat. *Chærea*, a gaudio: ephebus ad quidvis audax, incogitans, et impotenter amans. *Chremes*, adolescens ruri educatus, eoque civilium blanditiarum insolens, et artium imperitus. *Dorias*, ab hasta, quod in bello capta sit. *Dorus*, quod dono mittatur Thaidi. *Gnatho*, a mandibula, ut edax. Fingitur assentator et callidus. *Laches*, a sortiendo sive ab intendendo actionem injuriarum, pius in filios et vehementi ingenio. *Parmeno*, quod sedulo adsit domino suo, callidus et osor meretricum. *Phædria*, ab hilaritate morum, cordatus adolescens, et cum morbo suo pugnans. *Pythias*, ob calliditatem, aut quod omnia percontetur. *Sanga*, a σάττω, hoc est, a componendis sarcinis dictus videtur. Fingitur liber ac domini contemtor, quales fere coqui. *Sophrona*, a temperantia et morum frugalitate. *Thais*, a pavone videtur dicta, addita aspiratione. Inducitur cordata et civilis, et inter meretrices probis moribus. *Thraso*, a confidentia. Fingitur stolidus et arrogans.

P. TERENTII EUNUCHUS.

Acta ludis Megalensib. L. Postumio Albino L. Cornelio Merula Ædilib. curulib. egere L. Ambivius Turpio, L. Attilius Prænestinus, tibiis duabus dextris. Græca Menandru acta II. Modos fecit Flaccus Claudi M. Valerio, C. Fannio Coss.

PROLOGUS.

SI quisquam est, qui placere se studeat bonis

Modos fecit] Vett. fere omnes et Ms. R. *Modulavit.* Postea, *Flac. Claudi tibiis duabus dextris*, &c. Et sane alieniore loco in vulg. libb. posita videntur. L.

Caio Fannio] Sic melioris notæ exemplaria: in quibusdam tamen Mss. erat, *G. Mummio Fannio.* L.

1 *Si quisquam est, qui placere*, &c.] Attendenda Postæ copia, quod in tot prologis de eadem causa iisdem fere sententiis, variis verbis utitur. D.

Si quisquam est] Hic prologus habet controversias: unam ex accusatoris persona, aliam ex defensoris. Nam et Terentius objicit crimen, et objectum purgat. In eo, quod objicit, talis est controversia: comœdias dedit adversarius, in his unam, qua priori loco causam dicit, quo petitur, non ille qui petit. Hoc ita quod (forte, *itaque*) crimen stultitiæ est et imprudentiæ. Ita status est qualitas. Alia controversia est, qua objicitur Terentio, quæ talis est: Græcam comœdiam in Latinam transferre licet (videtur excidisse: *sed Latinam in Latinam transferre non licet.* Z). Eunuchum Terentius dedit comœdiam, parasiti et militis. Quod Plautus in sua comœdia habuerit, nunc Terentius in Eunucho posuit. Reus est quod contra legem fecerit. Hic status primo qualitas absoluta ex juris ratione, deinde qualitas venialis per ignorantiam. Nunc jam singulas, ut proposuimus, explicemus. *Si quisquam est, qui placere se studeat bonis*] Controversiæ principium semper est ad benevolentiam captandam auditorum, aut a nostra persona, aut ab auditorum, aut a judicum, aut a rebus ipsis. Hic nunc utrumque complectitur, et a nostra persona, et ab auditorum. A nostra sic: *si est aliquis, qui placere se studeat bonis, et minime multos lædere, in his poeta nomen profitetur suum.* Ab adversariorum: *tum si quis est, qui dictum in se inclementius existimavit esse sic existimet. Bonis quam plurimis*] Quidam intelligunt, *quam plurimis bonis.* Nos intelligamus extrinsecus *plurimos*, nihil aliud posuisse nisi malos: boni enim admodum pauci sunt: ita quod dixit in numero, *plurimis*, qualitatem potius declaravit. E.

Nisi pro *studeat* legeris *studeant*, verba *in his* inepta videntur. cf. And. IV. 1. 3. unde intelligitur, ipsum Donatum hic sic legisse. B.

Studeat] *Studeant* legendum esse, non *studeat*, egregie docet Bent. Nam quisquam etiam cum plurali verbo construitur. Liv. IX. 36. *eam silvam intrare haud vere quisquam audebunt.* XXXVIII. 26. *nec procurrere quisquam ab ordinibus suis, ne nudarent undique corpus ad ictus, audebant.* Sic e Mss. restituit magnus Gronov. at Drakenb. in priore loco revocavit vulgarem scripturam *audebat*, male dubitans, an *quisquam* plurali verbo jungatur. Similiter *aliquis* plurale verbum adjunctum habet. in Ad.

Quam plurimis, et minime multos lædere:
In his poeta hic nomen profitetur suum.
Tum si quis est, qui dictum in se inclementius
Existimavit esse: sic existimet,
Responsum, non dictum esse, quia læsit prius,

IV. 4. 25. *aperite aliquis.* v. Gronov. de vet. Jurisconss. II. 4. 76. R. D.

2 *Bonis quam plurimis*] Commendat personam. *Et minime multos lædere*] Ἀντίθετον πρῶτον. D.

Et minime multos lædere] Duo præcepta posuit, *placere bonis, nec multos lædere:* hæc et hic tenuit in causis judiciisque publicis. ita sit versatus, ut defenderit multos, læserit neminem. E.

Quam plurimis] Capiendum, quasi sit vox una; opponitur *minime multis* i. e. paucis. v. Periz. ad Sanct. Min. IV. 7. 693. et Bentl. ad h. l. R. D.

3 *In his poeta hic nomen profitetur suum*] Cum dixisset *quisquam*, intulit *in his*. Et, (lege *ut*) alibi, *cujus mos maxime est consimilis vestrum, hi se ad vos applicant.* D.

In his] I. e. inter hos. Nepos in Miltiad. c. 4. *domi creati* x *prætores, in iis Miltiades.* v. Grævium ad Sueton. August. c. 2. R. D.

Nomen profitetur] Sic dicitur, qui se vult inter aliquos numerari. Loquendi ratio ducta est vel a delectu militari, in quo cives, qui conscribebantur, nomina profiteri dicebantur vel a magistratum petentibus, quorum nulla ratio habebatur, nisi nomina inter candidatos professi essent. v. Liv. II. 19. XXVI. 18. R. D.

4 *Tum si quis*] Bene *si quis:* cum L. Lavinium significet, ne vel ipsum a se læsum fateretur. Et *tum*, præterea: ut Virg. Ecl. VI. 61. *tum cunit Hesperidum. Inclementius*] Pro *inclementer.* ut Æn. VI. 304. *jam senior, sed cruda deo, viridisque senectus.* D.

Inclementius] Id est, injustius, acerbius. E.

Dictum in se inclementius] Sic Plautus passim *inclementer loqui.* Græci μὴ δικαίως λέγειν. Dio Prusæus περὶ βασιλέως. Plautus in Bachid. *ne recte.* L.

Inclementius] I. e. asperius, acerbius. Plaut. Amphitr. II. 2. 110. *interum hæc in me inclementer dicit.* Liv. IX. 34. R. D.

5 *Existimet*] Pro *existimavit* (Bentl. corrigit *existimarit;* sed Westerh. *existimabit* Z.) D.

Plures e nostris habent *existimavit;* unus *existimabit.* Et sane sensus postulat futurum; lege *existimavit,* ob versum 1. B.

6 *Responsum, non dictum esse*] Deest *ei,* ut in Phormione, *si quis quid reddit, magna habenda est gratia. Non dictum esse*] Superius *dictum,* participium est: inferius, nomen. A quo etiam *dicaces* dicuntur, qui jocosis salibus maledicunt. *Responsum, non dictum esse*] Figura πλεκή. Nam *dictum* modo bis numero positum, supra nomen significat, infra participium. ut in Heautont. V. 1. 3. *In quem quidvis harum rerum convenit, quæ sunt dicta in stultum.* D.

Responsum, non dictum esse, quia læsit prior] Ne videatur (*videretur* Z.) Terentius improbam continuo maledici subisse personam, quod prior læderet, dixit, respondisse potius, non maledixisse: hoc enim est quod positum est, *non dictum. Dictum* enim Cicero de Oratore maledictum ponit, hoc est, maledicere, *dicta dicere* (omittendum censeo *maledicere.* Forte enim respexit locum Cic. de Orat. II. 60. *Ne, quotiescunque potuerit* dictum *dici, necesse habeamus* dicere). Sequitur controversia ipsa, et criminatio a parte accusatoris; *qui bene vertendo et easdem describendo male*] Bene vertit de Græco in Latinum: male scribit, male verba componit. E.

Nostri libri habent *prius,* sed *prior,*

Qui bene vertendo, et easdem scribendo male,
Ex Græcis bonis Latinas fecit non bonas:
Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit.
Atque a Thesauro scripsit, causam dicere

quod in Bembino, Vaticano et apud Eugraphium reperitur, Faerno recte probatur. B.

7 *Qui bene vertendo*] *Bene*, pro valde. *Et vertendo*, in linguam Latinam transferendo. Plautus, *vertit barbare* (lege, *Plautus: Plautus vortit barbare*. Trin. Prol. 19.) Aut *vertendo*, corrumpendo. D.

Bene vertere est fideliter vertere, verbum verbo reddere e Græco; id ipsum vero, ob utriusque sermonis diversitatem est *male scribere Latine*. Talem anxie fidum interpretem egerat Lavinius Luscius. B.

Eas describendo] Bentleius ex antiquis libris legit *qui bene vertendo et easdem scribendo male*. Sensus hic est: Lavinius Luscus bene nimis et fideliter verbum e verbo vertendo easdem male scripsit i. e. malus scriptor Lavinius fuit servili illa industria. Bentleianam rationem probat Gesnerus in thesauro lat. ling. v. describo. R. D.

8 *Ex Græcis bonis*] Hieron. in lib. Didymi de S. S. *Juxta Comici sententiam, ex Græcis bonis Latina vidi non bone*. L.

Illud *Ex* priori appone versui. B.

9 *Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit*] Τὸ ἀντὶ (Erasmus restituit, ἰμφατικῶς) apparet pronunciatum, quasi hoc ipso admonuerit spectatorem, quam turpiter et imperite hæc fabula scripta sit. Et bene, *nunc nuper*: ut ex vicinitate facti ostendat nihil esse dicendum, quam displicuerit hæc comœdia L. Lavinii: præterea quod res recens sit, et omnes meminerint. *Phasma* autem nomen est fabulæ Menandri: in qua noverca superducta adolescenti, virginem, quam ex vicino quodam conceperat, furtim eductam, cum haberet in latebris apud vicinum proximum, hoc modo secum habebat assidue nullo conscio: parietem, qui medius inter domum mariti ac vicini fuerat, ita perfodit, ut in ipso transitu sacrum locum esse simularet. Cumque transitum intenderet (*obtenderet* Z.) sertis ac fronde felici, rem divinam sæpe faciens, evocabat ad se virginem. Quod cum animadvertisset adolescens, primum aspectu pulchræ virginis, velut numinis visu perculsus, exhorruit: unde *Phasma* est nomen fabulæ. deinde paulatim re cognita, exarsit in amorem puellæ: ita ut remedium tantæ cupiditatis, nisi ex nuptiis, non reperiretur. Ita ex commodo matris ac virginis, et ex voto amatoris, consensuque patris, nuptiarum celebratione finem accipit fabula. Utrum ergo hoc dicat, quod, totam fabulam transferendo, læserit L. Lavinius: an hoc tantum, de quo reprehendat (Ms. Hulst. Bœnd. et ed. Venet. 1490. *ac non hoc, de quo tantum reprehendat*. Forte locum corruptum sic restitueris: *an hoc tantum dicat, non quo reprehendat, sed his signis velit ostendere, quam dicat vitiose*, &c.) sed his signis velit ostendere, quem dicat vitiose thesaurum composuisse: ut in thesauro sit culpa, non in phasmate? *Nunc nuper dedit*] *Nuper*, ex illis verbis est, quæ veteres propter ambiguitatem cum adjectione proferebant. Nam nisi adderet *nunc*: hoc *nuper*, olim, pridem, et jam significasset. *Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit*] (verba sequentia non sunt Donati) Hanc fabulam totam damnat, ut apparet, silentio: thesaurum vero, non totum, sed ex uno loco. (In Donati Msto reperi additum, *item, id est, similiter*. B.) D.

Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit] Aliter *fana*. nomen fabulæ *fana* est. Et bene addidit *nunc nuper*, ut crimen istud, quod objicit, non longi temporis, sed ut recens memoria videatur peccati esse. E.

Ne totus versus instar arenæ sine calce sit, lege, *item ut*, &c. h. e. *similiter, ac*. B.

10 *Atque in Thensauro scripsit causam*

Prius, unde petitur, aurum quare sit suum,
Quam ille qui petit, unde is sit thesaurus sibi,

dicere] *Thensaurum* Latini veteres secundum Græcos, sine *n* litera proferebant. *Atque in thensauro scripsit causam dicere*] Arguit Terentius quod Luscius contra consuetudinem litigantium, defensionem ante accusationem induxerit; hujusmodi enim est Luscii argumentum: adolescens, qui rem familiarem ad nequitiam prodegerat, servum mittit ad patris monumentum, quod senex sibi vivus magnis opibus apparaverat, ut id aperiret, illaturus epulas, quas pater post annum decimum caverat sibi inferri. sed eum agrum, in quo monumentum erat, senex quidam avarus ab adolescente emerat. Servus ad aperiendum monumentum auxilio usus senis, thesaurum cum epistola ibidem reperit. Senex thesaurum tanquam a se per tumultum hostilem illic defossum retinet, et sibi vindicat. Adolescens judicem capit: apud quem prior senex, qui aurum retinet, causam suam sic agit: *Athenienses, bellum cum Rhodiensibus Quod fuerit, quid ego hic prædicem?* (Hæc verba notata, esse duo versus ipsius Luscii, primus deprehendit Bentleius. Z.) et cætera, quæ contra naturam jurisque consuetudinem posita argumenta notat Terentius: quod ille ordo potior erat, ut adolescens prior proponeret causam, qui petitor inducitur. D.

Scripsit, causam dicere] In comœdia sua hoc argumentum est: quidam agrum vendidit: illic habuit patrium monimentum, in quo thesauros emptor invenit: comperit emtor (venditor Z.) in judicium venitur. Utique ex ratione et ex consuetudine prior loqui debet ille, qui petit. Petitor autem hic venditor est: ut secundo loco respondeat, a quo petitur, hoc est, emtor. At contra Luscius Lanvinus fecit, ut prior loqueretur, unde petitur, quam ille, qui petit. Ergo propositio criminis collocata est: incipit enim ejus causæ quæstio. Ao primo præscriptionis est status, potestque dicere Luscius Lanvinus, reprehendi non possum. Placuit in hac comœdia hanc præscriptionem solvi sic: *ne frustretur ipse se, aut sic cogitet: Defunctus jam sum, nihil est quod dicat mihi.* Sed hanc præscriptionem donat, et admonet, ne peccet; quam rem subtili accusatione composuit. Ex hoc enim plus acousatur: siquidem de præteritis se donare promittit crimen, et monet quasi iterum peccaturum. Simul et alia multa crimina se donare dicit; nunc nolle, et nihilominus postea nolle (lege, *velle*) maledicere, si tum lædat inimicus: quibus rebus et personam suam commendat, et adversarium ad confirmandam impudentiam injecit. E.

Atque a thensauro] Ita plurimi vett. in regio tamen exemplari, *atque a thesauro*. Sed *thensaurus, formonsus*, aliaque similia olim dicebant, ut in Pandecte Florentino, cod. Theodos. Schol. Juven. et alibi legitur. *Thesaurum* Menander scripserat et Philemo: eamque Plautus vertit, ut ipse inquit, *Trinummum* vocans. L.

Vulgo legunt, *in thesauro*. Dacieria dicit, valde errare, qui *thesaurum* nomen comœdiæ, Phantasmate diversæ putent, cum sit locus ejusdem fabulæ, ubi de thesauro reperto agatur. *In* igitur hic significare *ob*, uti in Prologo Andr. 15. *in eo disputant*. Z.

11 *Prius, unde petitur aurum*] *Unde*, a quo. Virg. Æn. 1. 6. *genus unde Latinum*. Nam possessorem fecit priorem agere, quam petitorem; quod abhorret a consuetudine et juris et litium. D.

Unde petitur] I. e. a que petitur sive reum. Est ex sermone Jureconsultor. qui actorem dicunt, *petere* et *petitorem*, reum, unde petitur. v. Manut. ad Cicer. epist. ad Div. VII. 11. et Gronov. ad Senec. de constant. c. 14. Videtur autem in poeta ignorantia ordinis judiciorum; nam actor prius causam dicebat, tum reus, qui respondebat. R. D.

12 *Quam ille qui petit*] Deest *dicat*. *Qui petit*] Id est, petitor. *Quam ille qui petit*] Esset recta locutio si diceret,

Aut unde in patrium monumentum pervenerit.
Dehinc, ne frustretur ipse se, aut sic cogitet;
Defunctus jam sum, nihil est quod dicat mihi. 15

quam petitorem: aut *quam illum qui petit*. Sed *quam ille*, maluit: ut subaudiamus *causam dicat*, per ζεῦγμα a superiore figuratum. D.

Liber Bemb. Vaticanus, Donatus, et tres e nostris *ille*, multi *illi*, unus *illum*. Nos recepimus *illic* e tribus codd. Rivii, Fabricii et Lindenbrogii. B.

Quam ille] Supplendum facit; alioquin *illum* dicendum erat. v. Giphan. in ind. Lucretii. v. comparativus. R. D.

13 *In patrium monumentum*] Mos prisci seculi, thesauros in monumentis sepelire: cujus exemplum nobis exhibet historia Cyri, quam affatim descripsit Arrianus περὶ Ἀλεξάνδρου ἀναβασίως lib. VI. In illius monumento inventa fuerunt, ut pauca e plurimis referam, καὶ στρεπτοὶ, καὶ ἀκινάκαι, καὶ ἐνώτια, χρυσοῦ τε καὶ λίθων πολλητὰ. Quin etiam ex iis, quæ Hyrcanus atque Herodes e monumento Davidis abstulerunt, abunde apparet, quantis cum divitiis is sepultus fuerit. Josephus enim Antiquit. lib. XVI. cap. II. enumerat: ἀργυρίου τρισχίλια τάλαντα, κόσμον δὲ χρυσοῦ καὶ πετραλίων πολὺν. Romanis vero legibus interdictum est, ne pecunia sepeliatur. l. 4. §. 6. ff. ad L. Jul. pecul. Neve etiam aurum vel ornamenta cum corporibus condantur. l. 14. §. 5. ff. de religios. Et in fragmentis XII. Tabb. Quod tamen a simplicioribus fieri, Ulpianus d. l. notat. Hinc apud Scævolam Jurisconsult. in l. fin. ff. de auro, arg. *In testamento matronæ cujusdam ita cautum fuerat: funerari me arbitrio viri mei volo, et inferri mihi quæcunque sepulturæ meæ causa feram, ex ornamentis lineus duas ex margaritis, et viriolas ex smaragdis.* Vid. l. 113. §. 5. de leg. I. Dein, juris quæstio olim fuit, thesaurus inventus cujus esset? Apud Philostratum lib. 2. Apollonii sententia obtinuit, ut totus cederet inventori, ἐκράτησεν ἡ τοῦ Ἀπολλωνίου γνώμη, καὶ ἀπῆλθεν ὁ χρηστὸς, ὡς παρὰ τῶν θεῶν ταῦτα ἔχων. quasi Dei munus, ut loquitur Tryphonianus l. 63. §. I. ff. de acquir. et omit. poss. l. 2. C. Theod. de Thesaur. Liban. Sophista declam. XI. pag. 397. θησαύρου τις περιπέπτωκε, θεοῦ τὸ δῶρον ἀντικρὺς. At jure civili aliter sancitum: Institut. Tit. de divis. rer. l. 63. ff. de acquir. et omit. possess. Eratque sive lege sive consuetudine receptum, ut quicunque thesaurum invenisset, in suo aut in alieno, imperatori ejus indicium ut faceret; ut videmus apud Corn. Tacitum ultimo Annal. ubi Cæsellius Bassus Neroni expromit, repertum in agro suo specum altitudine immensa, quo magna vis auri contineretur. Et Philostrat. in vita Attici, cujus hæc ad Nervam Imp. verba referuntur: Θησαυρὸν, ὦ βασιλεῦ, ἐπὶ τῆς ἐμαυτοῦ οἰκίας ἔυρηκα. τὶ οὖν περὶ αὐτοῦ κελέυεις; quem locum Zonaras in Nerva transcripsit, et Photius in biblioth. Sed id postea mandatu D. Hadriani immutatum. Spartian. in Hadrian. et Instit. d. loc. Quamvis Callistratus l. 3. §. 10. ff. de jur. fisc. divis fratribus hoc tribuat, quorum constitutionibus, quod tunc dubii, nunc certi atque explorati juris est. Vid. Novell. Leon. LI. L.

14 *Dehinc*] Si loquatur. *Ne frustretur ipse se*] παρὰ προσδοκίαν dicitur: sed post addit, *Aut sic cogitet*] Si taceat. D.

Ne frustretur ipse] Ms. R. *frustret*, in aliis *fraudet*. L.

15 *Defunctus jam sum*] Σχῆμα διανοίας, ἠθοποιία, id est, omni labore liberatus sum, auctoritate jam confirmata et inviolabili. *Defunctus jam sum*] Id est, jam egi fabulas meas: aut jam destiti periclitari in edendis comœdiis: aut certe, jam edidi quam tu reprehendis fabulam. *Defunctus jam sum: nihil est quod dicat mihi*] Non sit, inquit, de suis vitiis securus propter vetustatem, nihilominus enim a me reprehendetur. D.

Defunctus jam sum] I. e. jam hoc negotio liberatus sum, nihil amplius

Is ne erret, moneo, et desinat lacessere.
Habeo alia multa, quæ nunc condonabitur;
Quæ proferentur post, si perget lædere
Ita, ut facere instituit. Quam nunc acturi sumus

mihi ab illo metuendum est. Defunctus aliqua re proprie dicitur, qui ita illa functus sit, ut nihil supersit, quo fungatur, qui agendo et patiendo effecit, ut in posterum ab agendo vel patiendo liber ac solutus sit. Cælius in epist. Cicer. ad Divers. VIII. 1. *hoc mendacio, si quæ pericula imminerent, ut defungeremur exoptavi*, ubi v. Manut. Liv. II. 35. *adeo infensa erat coorta plebs, ut unius pœna defungendum esset patribus*; ubi v. Drakenb. R. D.

16 *Is ne erret, moneo*] Σχῆμα, ἐπιτίκτια. D.

Desinat lacessere] Ms. R. *cesset lacessere*. L.

17 *Quæ nunc condonabitur*] Sic in Phormione, *argentum quod habes, condonamus te*. Nam et *dono*, ablativo casui jungebant veteres: *condono* vero accusativo. D.

Egregie cod. C. C. collocat *nunc quæ*. B.

Quæ nunc, &c.] Quorum venia nunc illi dabitur. Notanda est rarissima constructio, quam bene tuetur Rivius ad h. l. Condonare construitur cum duplici accusativo personæ et rei. Phorm. V. 7. 54. *argentum, quod habes, condonamus te*. Jam ut recte dicimus *docere aliquem philosophiam* et in passivo *doceri philosophiam*, sic et recte dicitur *condono illis argentum* et quod condonatur argentum in accusat. R. D.

19 *Nunc quam acturi sumus*] Obliqua narratio facti est, secundum casum accusativum. D.

Ita, ut facere instituit] Omni enim genere laborare debemus, ut adversarios aut in odium, aut in contemtionem, aut in invidiam ducamus. Ita enim in odium adduxit, quod dixit, *si perget lædere, ita ut facere instituit*; in contemtionem, quod dixit, *esse tali ingenio, ut ignoraverit qui prior loqui in actione deberet*. Subjungit deinde alteram controversiam: *quam nunc acturi sumus Menandri Eunuchum, postquam ædiles emerunt*] Hic a narratione incipit, quia supra exordium collocatum. Ergo hæc tota narratio usque ad propositionem criminis et quæstionis, quæ incipit ex hoc versu; *Exclamat, furem, non poetam, fabulam dedisse, et nihil dedisse verborum*] Pulchre primo generaliter proposuit illam ex adversarii persona: ita enim oportet, ut species sic subjiciatur, quæ qualitatis est, ut diximus supra, de Latino in Latinum transferri non licere. Hæc quæstio sic proponitur: *Colacem esse Nævii et Plauti veterem fabulam: parasiti personam inde ablatam et militis*] *Personam* autem hic intelligo non nomina, quod postea declarabo. Subjungit responsionem, primo quasi quodam statu finitivo, quæ sic jungit: *Si id est peccatum, peccatum hoc est*] An hoc peccatum sit verum donat (Hæc videntur orta esse ex scriptura *v. Donat.* h. e. vide Donatum.) hoc ad qualitatem ipsam descendit venialem, quam sic proponit: *peccatum imprudentia est poetæ*. Venia enim tribus modis fit, vi, casu, ignorantia. Cum autem *imprudentia* vel una de tribus fuerit, conjectura erit, nec aliquid animus faciet. Adjunxit ergo Terentius: *non quod furtum facere studuerit*. Hæc tantum verba repromissionem argumentorum tenet, non veritatem. Ergo adjungit: *id ita esse, vos jam judicare poteritis*. Quoniam diximus illa lege, ex Græco in Latinum transferre liceat. Hoc namque dico, quod *colax Menandri est*. In ea est fabula de parasito colace et glorioso milite. *Parasitus* autem *colax*, id est, adulator: hoc enim significat et *miles gloriosus*, apud Latinos, quod *colax* apud Græcos. Sicut igitur supra diximus, inde est ablata persona parasiti et militis. Ergo hæ personæ in Menandri comœdia sunt: quod concludit. Eas

Menandri Eunuchum, postquam Ædiles emerunt,
Perfecit, sibi ut inspiciundi esset copia.
Magistratus cum ibi adesset, occepta'st agi.
Exclamat, furem, non poetam, fabulam
Dedisse, et nihil dedisse verborum tamen:

se personas non negat transtulisse in Eunuchum suam ex Græca. Ergo jam non contra legem fecit, quod ex Græca transtulit, quonium et Latinæ comœdiæ sunt. Redit ad venialem statum, ut nescisse se dicat; *Sed eas fabulas factas prius Latinas scisse se, vero id pernegat*] Sic jungitur qualitas absoluta de juris ratione, quod licitum est ex necessitate rerum, ut nota similitudo personas singulas reservet. Hoc est enim quod dicit. *Quod si personis iisdem aliis non licet uti*] Hæc enim semper necessitate naturali sunt apta et inligata personis. Ita fit ut quicumque personam aliquam collocat, ejus debeat mores exprimere: quam rem concludit. *Denique nullum dictum est, quod non dictum sit*] Sed hic res intelligamus, non verba; hæc quæ dicunt Græci πράγματα, naturaliter sunt omnibus semper æqualia. At *dicta*, verba sunt. Sed hæc controversia est. Sequitur jam ratio prologi, quam Andriam præcepi, ut audientiam a populo petat, concludens simul cum veniali statu prologum: *Quare æquum est, vos cognoscere atque ignoscere*] Ut hic est absoluta qualitas per exempla, cum tacita sit: deinde sic audientia petitur: *Et cum silentio animadvertite, ut pernoscatis, quid sibi velit*] Hic jam comœdiæ ipsius res potestatemque noscimus. B.

20 *Postquam ædiles emerunt*] Mire; cum ordo melior videretur, si sic diceret: postquam ædiles emerunt, quam nunc acturi sumus, perfecit sibi ut inspiciundi esset copia. *Emerunt* autem, mediam corripe. ut Virg. Ecl. IV. 61. *matri longa decem tulerunt fastidia menses.* D.

Ædiles emerunt] Diomed. lib. I. L.

21 *Perfecit*] Mire, quasi difficile et illicitum. D.

Inspiciundi] I. e. examinandi. Cic. pro Cæcinna c. 21. *tanquam si arma militis inspicienda sint.* Justin. II. 15. *legatos mittere ad inspiciendam rem.* R. D.

22 Magistratus hic cum sint Ædiles, recte tres codd. vett. *adessent.* B.

Magistratus cum ibi adesset] Legendum potius *adessent*, quam adesset. Magistratus sunt duo ædiles, apud quos comœdiæ privatim agebantur, antequam publice agerentur. v. Bentlei. ad h. l. vox *magistratus* apud veteres non dicitur singulari numero de eorum collegio, qui præsunt rei publicæ, ut nunc loquuntur, sed de uno homine, qui honorem gerit. v. c. de consule, prætore, ædile. Cum autem de collegio loquuntur, utuntur numero multitudinis. v. Græv. ad Justin. II. 10. et interpret ad Liv. XXXIV. 61. R. D.

23 *Exclamat, furem, non poetam*] Mire reprehendit ante vitium, quam de causa maledicti dicat. *Exclamat, furem, non poetam*] Adhuc nulla reprehensio est: si quidem licet transferre de Græco in Latinum. D.

Est Luscii jocus in Terentium, paulo obscurior. *Fabulam dare* est ipsum quodam modo verba dare, seu fallere: et *verba tamen non dedisse* nempe Luscio, quo minus deprehenderet furtum factum ex colace Plauti. B.

24 *Et nihil dedisse verborum tamen*] Aut, neminem fefellisse: aut, nihil apposuisse de suo. *Et nihil dedisse verborum tamen*] Aut neminem fefellisse: *dare* enim *verba*, decipere est; quia qui rem exspectat, et nihil præter verba invenit, deceptus est. unde alibi, *verba istæc sunt.* Et e contrario, *rem cum videas, censeas.* Aut aliter: nihil addidisse de stilo suo Terentium. D.

Colacem esse Nævi et Plauti veterem fabulam:
Parasiti personam inde ablatam, et militis.
Si id est peccatum, peccatum imprudentia'st
Poetæ; non quo furtum facere studuerit.
Id ita esse, vos jam judicare poteritis.
Colax Menandri est: in ea est parasitus Colax,
Et miles gloriosus: eas se non negat
Personas transtulisse in Eunuchum suam
Ex Græca. sed eas fabulas factas prius
Latinas, scisse sese, id vero pernegat.
Quod si personis iisdem uti aliis non licet:
Qui magis licet currentes servos scribere,
Bonas matronas facere, meretrices malas,

25 Nævii colax nusquam memoratur. Deinde Luscius ita non accusat Terentium, sed excusat, quia ipse Plautus personam parasiti et militis a Nævio sit furatus. Forte pro *Nævi et*, legi debet *nempe*. B.

26 *Parasiti personam inde ablatam*] Et hoc mire: non versus (immo quam maxime cum persona parasiti et militis in integros eorum loquentium versus. Si aliter accipias, ridicula erit calumnia, ne dicam, pudenda. Unde hæc nota vix Donato digna) objicit, sed per personam esse translatam. quid stultius, aut calumniosus dici potest? D.

27 *Peccatum imprudentia est*] Id est, ignorantia: ut, *imprudens harum rerum* (sunt verba Terentii Eun. I. 2. 56.) non enim stultitia. *Si id est peccatum, peccatum imprudentia est poetæ*] Primo negat peccatum, deinde concedit et purgat. *Imprudentia*] Ignorantia, non imperitia. *Si id est peccatum* κτλ. Nam *peccatum* superius, nomen est: et sequens, participium. Et primo negat peccatum. deinde si peccatum est, purgat id ipsum veniali qualitate ab *imprudentiæ* partibus. D.

28 Pro *qui* antiquissimi libb. recte *quo*. B.

31 *Eas se* HIC *non negat*. B.

32 *In Eunuchum suam*] Ad fabulam, non ad hominem refulit. ut Virg. Æn. V. 122. *centauro invehitur magna*. D.

Eunuchum suam] *Suam* refertur ad intellectam comœdiam. R. D.

33 Per *eas fabulas* intelligit Menandri Colacem et Eunuchum. B.

34 Metri gratia recte habent *sese* omnes nostri codd. et Faerni, præter Bembinum ubi *se*, deleto altero *se*, reperitur. B.

36 *Currentes servos*] Ms. R. *discurrentes*. L.

Placet vulgaris lectio præ Bembinians, ubi est *currentem servum*. Nam sequitur *matronas*. B.

Menander Ἐφεσίῳ: Ἐγὼ μὲν ὅδη μαθοῦσ', νὴ τοὺς θεούς, Ἐν τοῖς κύκλοις ἐμαυτὸν ἐκδεδυκότα Ὀρᾶν κύκλῳ τρέχοντα καὶ περιπολοῦντα. W.

37 *Bonas matronas*] Ut Nausistratam *Meretrices malas*] Ut Thaidem atque Bacchidem. Sic est in Heautont. *Scortari crebro nolunt, nolunt crebro convivarier*. Et artificiose ostendit omnem materiam comicorum. D.

Meretrices malas] Plaut. Captiv. Prol. 57. *Hic neque perjurus leno est, nec meretrix mala, Neque miles gloriosus*. Marius Victorin. in Cicer. Rhetor. lib. I. *Terentius meretrices malas, avaros lenones, tristes senes, edaces parasitos esse commemoravit*. L.

Parasitum edacem, gloriosum militem,
Puerum supponi, falli per servum senem,
Amare, odisse, suspicari? denique
Nullum est jam dictum, quod non dictum sit prius.
Quare æquum est vos cognoscere, atque ignoscere,
Quæ veteres factitarunt, si faciunt novi.
Date operam, et cum silentio animadvertite,
Ut pernoscatis, quid sibi Eunuchus velit.

38 *Parasitum*] Ut Gnathonem. *Gloriosum militem*] Ut Thrasonem. *Gloriosum militem*] Facere subauditur. D.

39 *Falli per servum senem*] Ut Demeam et Simonem. D.

40 *Amare, odisse, suspicari?*] Mire a personis ad gesta cum varietate transitum fecit. Omne enim quod in orationem venit, vel persona, vel factum est. *Odisse*] Quia *odere*, non est latinum (Ms. B. and. et ed. Du B. addunt, *in infinitivo modo.*) D.

41 *Nullum est jam dictum, quod non dictum sit*] Σχῆμα λόγου, πλοκή. Nam *dictum* bis positum, ut superius *peccatum*, diversa significat. D.

Nullum est jam dictum quod] Hunc locum Terentii laudat Hieronym. in Ecclesiast. cap. I. ad illa verba: *quid est, quod fuit? ipsum quod erit. Huic quid simile sententiæ et comicus ait: nihil est dictum, quod non sit dictum prius. Unde præceptor meus Donatus, cum ipsum versiculum exponeret; pereant, inquit, qui ante nos nostra dixerunt, &c.* L.

Credo a poeta esse, *dictum quod non sit prius*, ut supra V. 27. B.

Prius] I. e. olim. Horat. Carm. II. 4. 2. *prius insolentem serva Briseis niveo colore movit Achillem.* Sic *priores* sunt antiqui infra II. 2. 15. *seculum prius.* v. Heins. ad Ovid. Metam. XV. 104. R. D.

42 *Vos cognoscere, atque ignoscere*] Σχῆμα λόγου, παρόμοιον. D.

43 *Quæ veteres factitarunt si faciunt novi*] Et varie dixit, *factitarunt* et *faciunt*, et cum magna defensione Terentii, semel facientis id, quod sæpe veteres. D.

44 *Animadvertite*] (Donatus apud Terentium legit haud dubie ANIMUM ADVERTITE. Z.) Nos ἐλλειπτικῶς dicimus *advertite*, quod veteres plene, *animum advertite*. D.

Cum silentio animadvertite] Ms. R. *animum attendite*. L.

Bembinus, Basilicanus Faerni, et tres e nostris pro *animadvertite* recte legunt *animum attendite*. B.

45 *Quid sibi Eunuchus velit*] Ἀρχαϊσμὸς *velit sibi*. ut alibi, *nam proh deum atque hominum fidem, quid vis tibi, aut quid quæris?* D.

ACT. I. SCENA I.

PHÆDRIA. PARMENO.

QUID igitur faciam? non eam? ne nunc quidem, Cum arcessor ultro? an potius ita me comparem, Non perpeti meretricum contumelias?

1 *Quid igitur faciam?*] In hac προτάσει exemplum proponitur, quam non suæ potestatis sit, qui amat: (excidit *et. s. ac* Z.) quam sapiat, qui non amat, neque aliter affectus est (forte, *neque amore meretricum captus est.* Nisi malis, ista verba a Sciolo quodam Stoicæ sectæ addicto esse interpolata. Z.) *Quid igitur faciam?*] Διαλογισμὸς, σχῆμα διανοίας. Apparet et multa tacitum cogitasse adolescentem, et tandem in hæc verba prorupisse. *Igitur*, pro deinde: ut Plautus in Amphitryone I. 1. 54. *sin aliter sient animati, neque dent quæ petat, Sese igitur summa vi, virisque eorum oppidum expugnassere. Quid igitur faciam?*] Menander, εἶτα τί ποιήσω; sic Virgil. Æn. IV. 534. *heu quid agam?* Et est διαλογισμὸς perditæ mentis, post multam frustra cogitationem. *Non eam, ne nunc quidem*] Hoc videtur non esse contrarium: sed est. Nam dubitat utrum meretricis satisfactionem exspectet: an illam omnino non quærat. *Non eam, ne nunc quidem*] *Non eam*, Probus distinguit. Jungunt qui secundum Menandri exemplum legunt. D.

Quid igitur faciam?] Prima scena deliberativam integram tenet, quæ talis est: deliberat adolescens, an expulsus a meretrice, cui munera missurus est, rursus rogatus ut redeat, revertatur. Hæc igitur deliberativa duas partes in propositione deliberantis continet (excidit *et* Z.) ex utraque parte argumenta. Sed ea hic servus accedet *(sed eo,* seu, *et huc servus accedit* Z.) ut possit partem alteram persuadere. Deliberativa utique ab honesto est, et ab utili; et ab eo, an fieri possit, et an necesse sit, semper dividitur. Hæc igitur an servata sint, considerare debemus. Ac propositio est primo, *quid igitur faciam?* quæ communis est ad utramque partem. Deinde incipit una pars, *non eam?* Adjecit causam cur ire debeat, *ne nunc quidem, cum ultro arcessor?* Deinde alterius partis est propositio, *an potius ita me comparem?* Ab honesto divisio ponitur, *non perpeti meretricum contumelias?* E.

Quid igitur faciam?] Cicer. III. 29. de Nat. deor. Quinctilian. lib. II. cap. ult. Horatius Satyr. lib. II. Ecl. 3. 259.—*amator Exclusus qui distat? agit ubi secum, eat, an non, Quo rediturus erat non arcessitus: et hæret: Invisis foribus; nec nunc, cum me vocet ultro, Accedam? an potius mediter finire dolores? Exclusit, revocat.* et quæ sequuntur. Persius Saty. V. 172. *quidnam igitur faciam? ne nunc, cum arcessat, et ultro Supplicet, accedam?* L.

2 *Comparem*] Constituam: ut, *quam inique comparatum est.* D.

3 *Non perpeti meretricum contumelias?*] Sic in Andria, *priusquam harum scelera et lacrumæ confictæ dolis.* Cum uni sit iratus, de omnibus queriter. D.

Non perpeti] Æneid. 2. ad vers. 155. *vestrum testor numen.* L.

Exclusit: revocat: redeam? non, si me obsecret.
PA. Si quidem hercle possis, nihil prius, neque fortius:
Verum si incipies, neque pertendes naviter: 6
Atque, ubi pati non poteris, cum nemo expetet,
Infecta pace, ultro ad eam venies, indicans

4 *Exclusit, revocat*] Utrumque injuriam fecit ex verbo, dicendo *exclusit* potius, quam *non admisit*. *et revocat* potius, quam *petit ut redeam*, quod erat moderatius. *Redeam? non, si me obsecret*] Vides ergo superiorem partem dubitationis in eo fuisse, ut rogatus rediret (lege: *an rogatus rediret*. Et mox, *an ne rogatus quidem:*) inferiorem, ut ne rogatus quidem. *Non, si me obsecret*] Bene de ea, quæ, totum proterve agens, *exclusit* et *revocat*: non, petat, nec, roget, nec, oret, sed, *obsecret*, inquit: quod horum omnium in majorem partem est ultimum. D.

Exclusit: revocat] Rursus divisio illa in alteram partem, ex divisione illa, an fieri possit, ut amator contemnat quam diligit. E.

Exclusit] I. e. non admisit. proprium verbum in re meretricia. Quintil. declamat XV. p. 308. *imperavit sibi meretrix, ne adolescentis lacrimis moveretur, exclusit* v. quæ annotavimus ad Xenophont. Memorabil. Socrat. II. 235. R. D.

Si quidem hercle possis] (Videtur Donatus etiam hæc verba tribuere Phædriæ) διαλογισμὸς quasi ad alterum: ut Virg. Æn. IV. 541.—*nescis heu, perdita, necdum Laomedonteæ sentis perjuria gentis. Nihil prius, neque fortius*] Deest, est. ut Æn. I. 3. *multum ille et terris jactatus et alto*. Et *prius* modo ad laudem, non ad ordinem pertinet: ut Sallustius Jug. 41. *quæ prima mortales ducunt*. Et ipse in Heautont. *et suavia quæ essent, prima habere*. D.

Si quidem hercle possis, nihil prius, neque fortius] Et quasi asserit fieri non posse. Deinde adjungit ab honesto, quod *ultro ad eam veniat*. Atque hic adjungit et ab inutili, quod confessus fuerit. Consideratis partibus adolescens concludit ad ipsam rursus deliberationem, *proin tu, dum est tempus*. Hic jam persuasio accidit, quoniam cogitatio superior ex utraque parte concepta, ad integrum æquali cogitationum ratione prorupit. R.

Secundum Donatum Phædria hæc secum loquitur. Hinc Faernus inductas esse videtur, ut, contra omnes, quos viderim codd. Phædriæ tribuerat omnia usque ad v. 12. Male. Etenim ab hoc versu 5. usque ad 25. esse *perpetuam* Parmenonis *consulentis* orationem recte olim vidit Muretus. B.

6 *Naviter*] A navi ductum, a qua in alto nullum diversorium est. D.

Neque pertendes] Charis. lib. II. *neque pol tendes naviter*. L.

Nostri, *perficies*, sed Charisius p. 185. Servius ad Æn. I. 41. atque in Bembino et aliis Faerni antiquis codd. antiquius et melius, *pertendes*. B.

Pertendes] *Pertendere* est ad finem usque tendere, propositam prosequi in Heaut. V. 5. 9. v. Rivius. ad h. l. R. D.

7 *Pati non poteris*] I. e. ubi durare vel vivere sine Thaide non poteris. *Pati* nullo adjecto nominis casu est obdurare Græce ἀνατρεῖν quam verbi potestatem illustrarunt viri summi Grotius ad Luc. V. 316. et Gronov. ad Senecæ Thyest. v. 470. in Hec. I. 2. 108. *ubi non quit pati* in Heaut. IV. 5. 14. *non possum pati, quin tibi caput demulceam*. Mox v. 9. pro eo dicit *ferre non posse*. R. D.

8 *Infecta pace*] Ἔμφασις per μεταφοράν. *Indicans*] Non verbis indicans (lege omnino: *re, non verbis indicans*. Etenim re excidit vel ob syllabam præcedentem, vel vetus scripturæ compendium, AMARE, h. e. *amare re.*) ut alibi. *ibi tum examinatus Pamphilus Bene dissimulatum amorem, et celatum indicat*. D.

Te amare, et ferre non posse: actum'st. illicet.
Peristi. eludet, ubi te victum senserit.
Ph. Proin tu, dum est tempus, etiam atque etiam cogita.
Pa. Here, quæ res in se neque consilium, neque modum
Habet ullum, eam consilio regere non potes.

9 *Actum est: ilicet: peristi*] De jure translatum. *Actum est*, ad *ultro ad eam venies*, relatum est: *ilicet*, ad *indicans te amare: peristi*, ad *ferre non posse. Ilicet*] Semper in fine transactæ rei ponitur. *Peristi*, ὑπερβολῇ. *Ilicet*] De judicio. D.

Actum'st ilicet !] Charis. lib. II. L.

Ilicet] Desperantis formula est, sicut *actum est*, quæ ex judiciis manavit. Nam prætor, cum agendarum rerum finem facere vellet, præconem clamare jubebat *ilicet* i. e. ire licet. v. Donat. ad h. l. Serv. ad Æn. II. 424. et Gesner. ad Claudian. ep. II. 19. R. D.

Peristi] De supplicio. *Eludet*] *Eludere* proprie gladiatorum est, cum vicerint. Cicero, Catil. I. 1. *quam diu etiam furor iste tuus eludet ? Eludere* (lege *et eludere*. Syllaba præcedens *et* absorpsit,) est finem ludo imponere. D.

Eludet] I. e. tibi illudet, te irridebit. Liv. XXVI. 22. *eludant nunc antiqua mirantes*; ubi v. Gronov. Curt. VIII. 1. *jovis oraculum eludens*. R. D.

Victus] Victus dicitur, qui non potest amori resistere infra I. 2. 98. *labascit, victus uno verbo*. v. Burmann. ad Ovid. Amor. II. 18. 11. R. D.

11 *Proin tu*] Ut *exin* et *exinde*, sic *proin* et *proinde* dicitur. D.

Lege *etiam atque etiam* HOC *cogita*. B.

12 *Here, quæ res, &c.*] Concessum est in palliata poetis comicis servos dominis sapientiores fingere: quod idem in togata non ferre (Lindenbr. *fere*: melius. sed optime Ms. Bœnd. edd. Du B. et veneta *facere*. Nam ex Fre, quod significat *facere*, ortum est partim *fere*, partim *ferre*) licet. D.

Here quæ res] Persuadet Parmeno, ut revertatur ad meretricem, ab eo quod fieri non possit, ut non revertatur. Respondet autem, se injuriam passum. Verum quæstioni opponit illud, quod semper amantium ista sit consuetudo. Ergo primo, an possit repugnare, proponit. *Quæ res*, inquit. Adversus injuriam, quam passus est, opponitur consuetudo, ubi sic assumitur: *hæc omnia vitia sunt; injuria, suspiciones*. Et post ita concludit: *incerta igitur hæc*] Sensus est hic; si ea, quæ in amore semper varia contigerunt, ac propterea videntur incerta, tu volueris ratione corrigere, ut certa perficias, tale erit, inquit, ut *si operam des, ut cum ratione insanias*. Subjungit deinde orationem irascentis amatoris exclusi; in qua exprimitur ira, quæ nunquam verba (forte, *verbis*) complet, quod cogitat mens. Ita posuit, *egone illam ?* scil. puniam. *quæ illum?* sc. amat. et me exclusit. sic enim iram exprimimus. Hæc igitur molesta jungit. Tu vero ea vitia noli cumulare, ne sollicitudo geminetur. E.

Neque consilium, neque modum] Cicero IV. Tuscul. *qui modum vitæ quærit*. Seneca Controv. *facilius in amore finem impetres, quam modum*. Tacitus Annal. 13. *in amore et ira, jurgia, preces, exprobratio, satisfactio*. Sed unus omnium elegantissime expressit hunc locum Horat. lib. II. Satyr. 3. L.

Neque consiliam neque modum habet] *Consilium* est ratio, *modus* moderatio. Virg. Ecl. II. 68. *quis modus adsit amori*. R. D.

13 *Eam consilio regere non potes*] Nunc domino servus est sapientior: quia nec amator, nec amans (*animo ægrotus* Z.) Ut idem in Andria, *facile omnes cum valemus, recta consilia ægrotis damus*. D.

Lege *eam* REM c. r. n. p. vetuste. Ita ex laxo densior fit versus et solidior. B.

In amore hæc omnia insunt vitia: injuriæ,
Suspiciones, inimicitiæ, induciæ,
Bellum, pax rursum. incerta hæc si tu postules
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quam si des operam, ut cum ratione insanias.
Et quod nunc tute tecum iratus cogitas,
Egone illam? quæ illum? quæ me? quæ non? sine modo,
Mori me malim: sentiet qui vir siem.
Hæc verba, una mehercle falsa lacrymula,

E Menandri consobrinis:—*φύσει γὰρ ἐστ' ἔρως Τοῦ νουθετοῦντος κωφόν, ἅμα δ' οὐ ῥάδιον Νεότητα νικᾶν ἐστι, καὶ θεὸν λόγῳ.* W.

14 *Id amore hæc omnia insunt vitia*] Duæ præpositiones, *in amore insunt*. D.

15 *Induciæ*] *Induciæ*, sunt pax in paucos dies, vel quod in diem dentur, vel quod in dies otium præbeant. D.

16 *Pax rursum*] Bene ut consoletur, ultimam partem (*pacem* postulat sensus) posuit. *Hæc si tu postules*] Id est, si velis, vel coneris. D.

17 *Nihilo plus agas*] Id est, nihil agas. D.

Certa est accusativus plur. cf. Horatius Sermon. II. 3. 270. B.

19 *Et quod nunc*] Pro, *quæ*: ut sit consequens, *hæc verba*. sic in Andria, *quod plerique omnes faciunt adolescentuli, Horum ille nihil egregie*. D.

90 *Egone illam? quæ illum? quæ me?* Familiaris ἔλλειψις irascentibus; nam singula sic complentur, *egone illam* NON ULCISCAR? *quæ illum* RECEPIT? *quæ* EXCLUSIT *me? quæ non* ADMISIT? Etenim (excidit, *nec*, aut muta in *nec enim* Z.) necesse habet, nec potest complere orationem, qui et secum loquitur, et dolore vexatur. Nam amat ἀποσιώπησιν nimia indignatio. ut Virg. Æn. I. 135. *quos ego. sed motos præstat componere fluctus*. D.

Egone illam] Charis. libr. II. L.

Egone illam] Hæc per aposiopesin dicta ita supplenda sunt: egone illam amem, quæ illum excepit, quæ me exclusit, quæ non admisit. v. Donat. ad h. l. R. D.

Sine modo] *Sine* et *sine modo* comicæ formulæ sunt, quæ comminandi vim habent infra IV. 61. Plaut. in Asinar. V. 2. 48. *sine venias modo domum*. R. D.

21 *Sentiet*] H. e. magno suo malo experietur; sentire sæpe habet significationem damni ac mali. Horat. Carm. III. 23. 5. Phædr. fab. V. 2. 4. v. Duker. ad Flor. III. 2. et Drak. ad Sil. Italic. XII. 27. R. D.

22 *Hæc verba*] *Verba* ἐμφατικῶς dixit, quæ scilicet nihil effectura sint. *Me hercle una falsa lacrymula, quam oculos tenendo misere, vix vi expresserit*] Expressio ad αὔξησιν ducens. et non *vera*, sed *falsa*: et non *lacryma*, sed *lacrymula*: et non *ultro fiens*, sed *oculos terendo*: et non *facile*, sed *vi*: et non, *exstillaverit*, sed *expresserit*. sic Virg. Æn. II. 196. *captique dolis lacrymisque coactis*. D.

Falsa lacrymula] Verum nimirum, quod ait Publ. Syrus in Mimis: *didicere flere feminæ in mendacium*. Vid. Ovid. Petron. et Scholiast. Juvenal. Satyr. XIII. 133. *vexare oculos humore coacto*. Serv. Æneid. II. vers. 196. *lacrimisque coactis*. Ubi hic Terentii locus laudatur. L.

Et versui et sententia gratificaberis. si ante *una* interseras ea, h. e. Thais. B.

Una falsa lacrimula] Nihil scribi potuit majore artificio et elegantia ex-

Quam, oculos terendo, misera vix vi expresserit,
Restinguet: et te ultro accusabit: et dabis ei
Ultro supplicium. PH. O indignum facinus! nunc ego
Et illam scelestam esse, et me miserum sentio:
Et tædet: et amore ardeo: et prudens, sciens,
Vivus, vidensque pereo: nec, quid agam, scio.
PA. Quid agas? nisi ut te redimas captum quam queas

quisitiore. Tales autem falsas lacrimas et vi expressas Virgilius vocat coactas Æn. II. 196. ubi v. Heins. R. D.

23 *Quam oculos terendo misere, vix vi expresserit*] Totum sensum verbis significantibus protulit: ut, Virg. Ecl. III. 27. *stridenti miserum stipula disperdere carmen.* et, Æn. IV. 95. *unde dolo divum si femina victa duorum est.* D.

Etsi Servius ad Æn. II. 196. et Charis. p. 184. habent *misere*, h. e. male: legendum tamen est *misera*. B.

Misere] I. e. valde, vehementer. Rectius tamen Bentl. ex Mss. legit *misera* i. e. se miseram fingens. R. D.

24 Pro *accusabis* in libris Faerni et nostris recte legitur *accusabit*. Cæterum *ei* ponendum puto ante *supplicium* sequentis. *Ultro* Faernus explicat per *insuper*. B.

25 *Nunc ego et illam*] *Nunc*, id est, sero. ut Virg. Ecl. VIII. 43. *nunc scio quid sit amor.* Et, Æn. IV. 376. —*nunc augur Apollo, Nunc Lyciæ sortes.* D.

O indignum facinus!] Ex his quæ amori accidunt, et se et illam esse aliter asserit: *se miserum, illam scelestam* dicens. Cui servus persuadet, ut *se ab ea redimat, quam minimo queat pretio.* Quam etiam Bacchidem longius supra translatione definit quid sit, scilicet *calamitas nostri fundi*, id est, miseria, per ὑπαλλαγήν, quod miseros facit. Et quoniam servi persuasio parum profecerat circa adolescentis dolentis animum, quod erat exclusus; optima ratione subjungitur scena, in qua meretrix ipsa est, cujus præsentia, et oratio, et vultus persuadere possint, ut amator injuriam ignoscat. E.

Nunc] H. l. efficaciam habet et idem valet quod *sero*, *tandem*. v. Burmann. ad Petron. c. 44. R. D.

26 *Miserum*] Scilicet ex amore. Miseri sæpe apud comicos dicuntur perdite amantes, non agnoscunt leges ac jura miseri. R. D.

27 *Et prudens, sciens*] *Prudens* est, qui intelligentia sua aliquid sentit. *Sciens*, qui alicujus indicio rem cognoscit. Ergo *prudens*, per sese: *sciens*, per alios. D.

Prudens sciens] Hæc sæpe junguntur. Cic. epist. ad Attic. X. 9. in Heaut. IV. 1. 20. *te inscientem atque imprudentem dicere ac facere omnia.* R. D.

28 *Vivus, vidensque pereo*] Mire et nove, *vivus pereo*: et propterea sic dixit, ut intelligamus *occidor*; et *vivus*, quasi sapiens et sentiens. *Vivus, vidensque pereo*] Bene addidit *videns*; nam *vivus* perit, qui etiam dormiens opprimitur: *videns* autem, qui vigilans vim patitur et perit. Nam *videre*, pro vigilare posuit. ut etiam Virgilius, Ecl. VI. 21. quum de silentio dicit,—*jamque videnti Sanguineis frontem moris et tempora pingit.* Ergo *vivus*, non mortuus: *videns*, non dormiens. D.

Vivus videnque] Est locutio proverbialis, quæ fluxit e Græco βλέπων καὶ ζῶν. v. Lamb. ad Lucret. III. 1059. R. D.

29 *Captum*] Sallustius, B. I. 1. *sis captus pravis cupidinibus. Quam queas minimo?*] Perseveravit in translatione, quam jamdudum sumsit a bello (respicit versus 8. 10. 14. 15. 16.) D.

Minimo: si nequeas paululo, at quanti queas:
Et ne te afflictes. Ph. Itane suades? Pa. Si sapis;
Neque, præterquam quas ipse amor molestias
Habet, addas: et illas, quas habet, recte feras.
Sed ecca ipsa egreditur, nostri fundi calamitas.
Nam quod nos capere oportet, hæc intercipit.

ACT. I. SCENA II.

THAIS. PHÆDRIA. PARMENO.

MISERAM me! vereor ne illud gravius Phædria

30 *Quanti queas*] Sic Plaut. in Epidic. II. 2. 110. R. D.

31 *Si sapis*] Id est, si sapias ad inferiora jungendum est: nam aliter non intelligitur. D.

32 Hæc levi immutatione ex Eunucho Menandri sunt expressa; *Μὴ στομάχει, μηδὲ προσάγου τῷ πράγματι χειμῶνας ἑτέρους, τοὺς ἀναγκαίους φέρε.* W.

34 *Nostri fundi calamitas*] Proprie *calamitatem* rustici grandinem dicunt, quod comminuat calamum, hoc est, culmum ac segetem. D.

Lege cum omnibus codd. *sed ecca ipsa egreditur*, ita ut ec corripiatur. Vulgaris igitur lectio *sed ipsa egreditur* non est necessaria. B.

Nostri fundi calamitas] Nostra pernicies. Locutio translata est a re rustica. Nam calamitas proprie est grando, quæ calamos frangit. Cic. Verr. III. c. 98. *annona pretium nisi in calamitate fructuum non habet*; inde transfertur ad alia damna. Sic Verres apud Cicer. in Verr. II. c. 37. calamitas Siculorum dicitur et Verrina I. c. 38. comparatur calamitosæ tempestati. v. Gronov. observ. III. 9. R. D.

35 *Intercipit*] Proprie, quasi totum capit (imo *intercipi* proprie dicitur, quod capitur ante quam ad locum destinatum pervenerit. Sic litteræ intercipi dicuntur). Plautus in Aulularia, III. 6. 22. *quæ mihi interbibere sola si vino scateat, Corinthiensem fontem et Pyrenæum potest*. D.

Capere] Proprie dicitur de reditibus vectigalium in Phorm. V. 3. 7. Nepos in Alcib. c. 9. *ex quo castro quinquagena talenta vectigalis capiebat*. R. D.

Intercipit] Proprie est in medio aliquid capere nec pati pervenire ad locum destinatum. Ovid. Metam. VIII. 292. de apro, qui Cererem in spicis intercipit. Literæ sæpius intercipi dicuntur. v. Gronov. observ. III. 9. et Periz. ad Sanct. Min. III. 3. p. 348. R. D.

1 *Miseram me, &c. neve aliorsum*] *Aliorsum*, in aliam partem: ut *seorsum*, *retrorsum* dicitur. D.

Miseram me.] In hac scena primo controversia est: dein deliberativa. Controversia talis est: adolescens amator missurus munera fuerat, quæ eadem meretrix postulaverat, et multa alia, cui alter amator promiserat quandam virginem, quæ aliquando ejus meretricis soror dicebatur. Sed aberraverat, a prædonibus rapta et venundata. Hunc, inquam, amator alius cum promisisset, meretrix adolescentem amatorem a se exclusit. Res fit injuria-

Tulerit, neve aliorsum, atque ego feci, acceperit,
Quod heri intromissus non est. PH. Totus, Parmeno,
Tremo, horreoque, postquam aspexi hanc. PA. Bono animo es:
Accede ad ignem hunc, jam calesces plus satis. 5

rum. Hæc controversia venialem statum continet: confitetur enim se fecisse injuriam. Verum dicit necessitate, quod velit eam puellam a milite recipere, quæ sibi soror antea fuerat. Et quoniam semper venialis status sub qualibet purgatione conjecturam tractat, an hoc animo fecerit sive necessitate, sive alia qualibet causa. Hic erit tractata etiam conjectura similiter, quam quidem rem breviter percurrit ipse dicens: *non, quo quendam plus diligam, eo feci: sed ita erat res, faciendum fuit.* Hæc controversia accusationem habet et defensionem. Sed defensio perseverat usque ad deliberativam orationem. Nam petitura est meretrix aliquot dies, et pollicetur haberi deinceps a Phædria adolescente suo amatore. Omnis autem petitio deliberativam tenet. Ergo secundum ordinem ad singula revertemur. Egreditur meretrix primo: ex hoc declarat, se quod fecerit, necessario fecisse, dicens, *vereor ne illud gravius Phædria tulerit, neve aliorsum, atque ego feci, acceperit*] Duo posuit, ne factum meum aliter acceperit Phædria, quam a me factum est. Propositionem injuriæ tenuavit, non quod quasi minus est ab exclusо (corrige sic: *tenuavit eo, quod quasi minus est excluso, seu ab ædibus exclusione* Z.) Non enim dixit, quod exclusus est, sed *quod intromissus non est.* E.

Aliorsum acceperit] I. e. aliter sive aliam in partem interpretatus sit, in Heaut. II. 3. 87. *aliter tuum amorem atque est accipis.* R. D.

3 *Quod heri intromissus non est*] Hæc levius, ut de facto suo loquens. At Phædria, *exclusit, revocat,* inquit, *redeam? non, si me obsecret.* D

4 *Tremo horreoque*] Ex amore nimio. Nimius ignis effectum frigoris reddit: et ex frigore nimio effectus ignis existit: secundum illud quod physici aiunt. hinc, et Virg. Georg. I. 93. *aut Boreæ penetrabile frigus adurat. Tremo horreoque, postquam aspexi hanc*] Natura magni caloris etiam horrorem incutit, ut nimiæ febres. D.

Tremo, horreoque] Charis. lib. 2. L.

5 *Accede ad ignem hunc*] Potius (*Aptius.* Ms. Bœnd. et ed. Du B.) *ignem* meretricem accipimus, quam aram Apollinis: vel quia amator uritur, ut Virgil. III. 66. *at mihi sese offert ultro meus ignis Amyntas:* vel quia avida et avara est, ut ignis alimentorum. *Jam calesces plus satis*] Nove, sed intelligitur *quam,* id est, plus æquo. ut alibi, *quam ne quid in illum iratus plus satis faxit pater. Jam calesces plus satis*] Nove: sed intelligitur, *plus quam satis.* Hoc quidam putant; at mihi de his videtur esse, quæ a veteribus geminabantur: ut, *plerique omnes,* hoc est, omnes: et *pleraque omnia,* id est, omnia. sic et *plus satis,* pro satis. D.

Accede ad ignem] Quidam intelligunt, *ad ignem,* ad amorem, hoc est, ad ipsam meretricem. Sed melius est illud, quod quidem Menander aperte dixit, meretrices juxta domum suam vel in atrio solitas habere aram veneris vulgariæ, cui quotidie sacrificarent. Ut hoc sit, *accede ad ignem,* hoc est ad aram. ut jocatus servus sit Parmeno dicens; *jam calesces plus satis.* E.

Accede ad ignem] Apul. Miles. 2. *quam procul a meo foculo discede. Nam si te vel modice meus igniculus afflaverit, ureris intime. Plus satis*] Quinctilian. IX. 3. Priscian. lib. XV. L.

Οὐδὲν ὄντως τὰ σώματα διαμένει, ὥσπερ πῦρ καὶ γυνή. Artemidor. II. 8. W.

T. Quis hic loquitur? hem, tun' hic eras, mi Phædria?
Quid hic stabas? cur non recta introibas? PA. Cæterum
De exclusione verbum nullum. T. Quid taces?
PH. Sane, quia vero hæ mihi patent semper fores:
Aut quia sum apud te primus. T. Missa istæc face.
PH. Quid, missa? O Thais, Thais, utinam esset mihi

Ad ignem hunc] I. e. ad hanc tuam amicam. Ignis sæpe dicitur de amoribus. Virgil. Ecl. III. 66. v. Heins. ad Ovid. epist. XVI. 102. Cæterum simili sententia dicit Petron. c. 126. *tenta modo tangere corpus. Jam tua flammifero membra calore fluent* v. interpret. ad Apulei. Metam. II. 105. R. D.

Plus satis] I. e. plus quam satis infra III. 1. 32. *plus millies audivi.* v. interpret. ad Vellei. Paterc. II. 1. R. D.

6 *Quis hic loquitur?*] Non imperite intelligunt, qui existimant meretricem etiam hoc simulare, quod non providerit Phædriam. Nam et personæ, et dictis ejus cæteris hoc convenit: et tunc erunt gratiora omnia, quæ supra dixit. D.

Tun' hic eras?] Optimum principium sumsit meretrix. Cum rea ipsa sit facti, adolescentem cœpit arguere, quod non ingressus est. E.

7 *Cur non recta introibas?*] Quasi parum fuerit *introibas*: satis mire additum *recta*. D.

Cæterum de exclusione] Hoc servus dicit, quod meretrix callide loquitur. Dicit tantum de injuria; unde (forte, *id inde* Z.) intelligi licet, quod hic *exclusionem* posuit; quia servus accusatoris animo dicit ad illa supra, *quod intromissus non est*. E.

Recta] Scilicet via. R. D.

8 *De exclusione verbum nullum*] Plus admirationis est, nec accusationi, nec satisfactioni locum reliquisse meretricem, callide dissimulata injuria. *Quid taces?*] Et hoc callide, quasi innocens ne suspicetur quidem, quid (*quod* Ms. Bœnd.) succenseat adolescens. D.

9 *Sane quia vero semper, &c.*] Tolle *sane* et *vero*, et pronunciandi adjumenta vultumque dicentis: et in verbis non negatio, sed confessio esse credatur (locum scabrum ope Ms. H. et edd. vett. ita restituendum puto: *tolle* SANE. *Et* VERO *ad pronunciandi adjumentum, vultumque dicentis illatum est: ut in verbis non negatio, sed confessio esse credatur*). Nam *vero*, ironiæ convenit. ut Virgil. Æn. IV. 93. *egregiam vero laudem et spolia ampla refertis*. D.

Sane quia hæ] Accusatio hic sumit exordium; quod quanto (forte *magno* Z.) temperamento dictum est: quod non semper fores meretricis amatori pateant: quod rivalis sibi præponatur. Hoc enim dixit: *quia sum apud te primus*. Et cum meretrix dissimularet totum impetum, rursus adolescens accusationes effudit. E.

10 *Aut quia sum apud te primus*] Duo dixit quæ doleat: et quia clausæ fores, et quia posterior habetur, prælato milite. *Aut quia sum apud te primus*] Subauditur, *non recta introivi. Missa istæc face*] Alia dissimulatio, et durior post admonitionem. Sed bene intelligit, qui hoc a meretrice ridente molliter, et osculum porrigente dici accipit. D.

Apud te primus] I. e. præcipuus, quem omnibus anteponis, ut infra v. 71. loquitur, priores partes habet. R. D.

11 *Quid missa?*] Magna virtus poetæ est, non sententias solum de consuetudine ac de medio tollere, et ponere in comœdia: verum etiam verba quædam ex communi sermone; quale est quod ait nunc, *quid missa?* D.

O Thais, Thais] Iteratio nominis ac-

Pars æqua amoris tecum, ac pariter fieret,
Ut aut hoc tibi doleret itidem, ut mihi dolet;
Aut ego istuc abs te factum nihili penderem.
T. Ne crucia te, obsecro, anime mi, Phædria.
Non pol, quo quemquam plus amem, aut plus diligam,
Eo feci: sed ita erat res: faciundum fuit.

cusantis ostendit iracundiam. *Utinam esset mihi*] Sensus hic est: utinam et tu amatoris et partem mecum amoris habuisses. Si enim hoc fuisset, posset contingere, ut in hac injuria aut tibi doleret, ut mihi dolet: aut mihi non doleret, ut tibi non dolet. Hoc enim dixit: *ego istuc abs te factum*] Hoc est, factum tuum contemnerem. E.

Utinam esset mihi, &c.] I. e. utinam æqualis vel mutuus noster amor esset. Ovid. epist. V. 168. *quoniam non ignibus æquis ureris.* Æquus est æqualis. v. Burmann. ad Lucan. V. 727. ad Æn. IV. 520. Constructione similis est locus Vellei. Patercul. II. 31. *essetque ei imperium æquum in omnibus provinciis cum proconsulibus.* R. D.

12 *Utinam esset mihi pars æqua amoris tecum*] Vel amandi, vel non amandi scilicet (*amandi et non amandi* habet ed. Argentina. Utrumque vero, quod memorat, fieri optat Phædria, cujus geminum *aut* non facit dilemma, sed copulat. Esto igitur sensus alterius versus: ut ego istuc factum abs te æquo animo ferrem, si scirem, illud itidem dolere tibi, ut mihi dolet). *Ac pariter fieret*] *Pariter*, similiter. Sallustius (in Fragmentis), *cui nisi pariter obviam iretur.* D.

Pars æqua amoris] Jo. Sarisber. Polycr. IIX. cap. 5. L.

Ἐι μὲν ἐπ' ἀμφοτέροισιν Ἔρως ἴσα τόξα τιταίνεις, Ἔι θεός· ἐι δὲ ῥέπεις πρὸς μέρος, οὐ θεὸς εἶ. Anthol. VII. 139. W.

13 *Ut aut hoc tibi doleret itidem, ut mihi dolet*] Si ambo amaremus. D.

14 Cod. academicus, *vili penderem.* B.

15 *Ne crucia te, obsecro, anime mi*] *Mi*, vocativus est, ab eo quod est *meus.* Vide quam familiariter hoc idem repetit blandimentum. Vult enim Terentius velut peculiare verbum hoc esse Thaidis. ideo totiens dictum est, *tune hic eras, mi Phædriæ? Ne crucia te, obsecro, anime mi, Phædria. Ne crucia te*] Hæc nisi amplectens adolescentem mulier dixerit, videbitur *ne crucia*, sine affectu dicere. Sed sic dicet, *ne crucia te*, eo gestu, quasi in eo etiam ipsa crucietur: nam ideo subjecit, *anime mi*, hoc est, animus meus. D.

Ne crucia te, obsecro] Incipit defensio, quæ optimum principium tenuit, ut irascentis primum animus temperaretur. Deinde consilio generaliter subjungit argumentum meretrix, sed conjecturale: quod non hoc animo fecerit, quo alium apud se videatur habere potiorem. Hoc enim dixit: *non pol quo quemquam plus amem, aut plus diligam, eo feci.* Similiter subjungit generale aliud argumentum, status venialis ex necessitate: *sed ita erat res.* Post meretrix conturbata oratione servi, petit audientiam, ut plenior origo narretur. Non tantum exclusionem ipsius narrare debet, sed et causam. Post principia petit audientiam: qua concessa, narratio incipit. E.

Lege, *anime mi, mi Phædria.* B.

16 *Non pol quo quemquam plus amem*] Hoc totum nimis blande, et cum contractione (*contrectatione* Z.) adolescentis dicit meretrix. D.

Quo] Pro *quod, quoniam* Cic. pro Rosc. Amer. c. 18. *neque ego hæc profero quo conferenda sint cum hisce, &c.* Liv. XL. 26. ubi. v. interpretes. *Eo* est *ideo* in Heaut. III. 2. 43. *neque eo nunc dico quo quidquam illum senserim.* R. D.

17 *Faciundum fuit*] Legendum, faciendum, scribendum, totum hoc sem-

PA. Credo, ut fit, misera præ amore exclusti hunc foras.
T. Siccine ais, Parmeno? age. sed, huc qua gratia
Te arcessi jussi, ausculta. PH. Fiat. T. Dic mihi
Hoc primum, potin' est hic tacere? PA. Egone? optume.
Verum heus tu, hac lege tibi meam astringo fidem:
Quæ vera audivi, taceo, et contineo optume;
Sin falsum, aut vanum, aut fictum'st, continuo palam'st.

per necessitati adjungitur. Virgilius, Æn. XI. 230. *aut pacem Trojano ab rege petendum.* Et alibi, Æn. VIII. 441. *arma acri facienda viro.* D.

Ita erat res] I. e. ita res postulabat, ita opus erat. Plaut. in Menæchm. V. 1. 37. *ut veniat ad me, ita illic rem mihi esse dicito.* R. D.

18 *Credo, ut fit, misera præ amore exclusit hunc foras*] Oratorie ac facete additum, *misera.* Et cum illa a derivatione causæ argumentetur, mire a Parmenone correpta est, verisimile non esse, ut quis, quem amet, eundem possit excludere. *Exclusit hunc foras*] Παρὰ προσδοκίαν intulit intuens puellam, et ei ostendens Phædriam: ut ostendat quam falsa et repugnantia loquatur meretrix. D.

Antiqui libri Faerni habent *exclusit*, etiam mei, præter duo, qui cum Faerni Donato et recentibus libris legunt *exclusisti.* Ego cum Faerno legendum arbitror, *exclusti.* B.

E Menandri Prologo Thaidis hæc laudat Plutarchus, de audiendis poetis: Ἐμοὶ μὲν οὖν ἄειδε τοιαύτην, θεὰ Θρασεῖαν, ὡραῖαν δὲ καὶ πιθανὴν ἅμα, Ἀδικοῦσαν, ἀπεκλείουσαν, αἰτοῦσαν πυκνὰ, Μηδενὸς ὁρῶσαν, προσποιουμένην δ' ἀεὶ. W.

Ut fit] I. e. fieri solet. Liv. IV. 22. R. D.

19 *Age*] Corripientis est modo *age*, non hortantis adverbium. D.

Age sed huc] In Ms. alterius lectionis vestigia extant, *age sis huc*, &c. quod verius arbitror. L.

Faerni libb. antiqui quinque, et omnes fere nostri habent *agis.* B.

Siccine ais] Hac formula utuntur qui ægre ferunt quod dicitur. v. infra IV. 7. 34. in Ad. I. 2. 48. R. D.

20 *Te arcessi jussi*] Hoc est, quod supra ait, *non eam, ne nunc quidem, cum arcessor ultro? Dic mihi*] Meretricia calliditate commendat, quæ dictura est. D.

21 *Egone? optume*] Bene, non exspectavit servus, ut pro se dominus responderet Thaidi. D.

22 *Verum heus tu*] Astute servus reponit Thaidi vicem. Nam illa ut magnum voluit exspectari, quod dictura est (*erat* Z.), iste ut falsum contemnit. *Meam astringo fidem*] Fidem promitto: quia *vincula fidei* dicuntur. D.

23 *Quæ vera audivi, taceo*] Mire vicem Parmeno reddidit meretrici. Nam ut servum difficile est tacere commissa: ita meretricem rarum est vera dicere. *Quæ vera audivi*] Figura παρασκευὴ. *Contineo optume*] Proprie a metaphora vasorum transtulit verba. D.

Contineo] I. e. custodio, ue proferantur, reticeo Cic. de Orat. I. 47. A vasis, unde nihil effluat, metaphoram esse, bene vidit Donat. R. D.

24 *Sin falsum, aut vanum, aut fictum est, continuo palam est*] *Falsum* est, quod tegitur id quod factum est. *Vanum*, quod fieri non potest. *Fictum*, quod non est factum, et (*sed* Z.) fieri potuit. Vel *falsum*, est fictum mendacium simile veritati. *Vanum*, nec possibile nec verisimile. *Fictum*, totum sine vero, sed verisimile. *Falsum* loqui, mendacis est: *fictum*, callidi:

Plenus rimarum sum, hac atque illac perfluo. 25
Proin' tu, taceri si vis, vera dicito.
T. Samia mihi mater fuit: ea habitabat Rhodi.

vanum, stulti. *Falsum* loqui, culpæ est: *fictum*, virtutis: *vanum*, vecordiæ. *Falsis* decipimur: *fictis* delectamur: *vana* contemnimus. D.

Continuo palam] Priscian. lib. XIV. L.

Pro *vanum* cod. acad. *varium*, regius *vacuum*. Verum cum non videam, qua ratione illa tria *falsum*, *vanum*, *fictum*, satis distingui possint; ego legendum puto, *sin falsum* AUDIERIM AC *fictum*, *continuo* p. B.

25 *Plenus rimarum sum*] Vilis atque abjecta translatio, et apta ad meretricem loquenti (quin ἀλληγορεῖ servus, qui modo dicerat eadem metaphora *contineo optime*. In quibus sane nihil est, quod ad meretricem spectet): translata autem est ab aquario vase fictili. *Hæc atque illac perfluo*] Contra, *contineo optume*. D.

Plenus rimarum] Paschasius P. P. ad Placidium: *illo ut utar comici, quia plenus rimarum, veritatem sciens silere noluit*. vid. Scholiast. Horat. lib. II. Satyr. 6. L.

Sensus postulat *perpluo*. Nam liquor in vase quidem *perfluit*, sed vas ipsum sive domus *perpluit*. Quinct. Inst. VI. 3. Plaut. Trin. II. 2. 41. Most. I. 2. 30. B.

Plenus rimarum sum] Continuat metaphoram a vasis desumtam. Sic Horat. Serm. II. 6. 46. *perfluo* Bentl. legit *perpluo* sed elegans est vulgata scriptura. Nam *fluere* non solum liquor dicitur, sed et alia. Sic apud Liv. I. 59. *cultrum cruore manantem* sp. Ovid. Metam. VI. 312. *lacrimas etiamnum marmora manant*. v. Gronov. et Ernest. ad Taciti annal. II. 23. R. D.

26 *Proin', taceri si vis, vera dicito*] Utram te taceri, aut tuum dictum? an impersonaliter, et infinito modo? D.

27 *Samia mihi mater fuit*] Puduit dicere Thaidem, *meretrix mihi mater fuit*; quod tamen significavit, dicendo aliunde civem alibi habitasse. Nam ideo meretrices, *peregrinæ* dictæ sunt in comœdiis; ut in Andria, *adeone est demens? ex peregrina?* D.

Samia mihi mater] Brevitas semper in narratione servanda est, et in dictione aperta verba. Ita hic et nomen, et affectum, et locum posuimus (forte, *posuit primum* Z.) habitationis: narrat matri suæ datam puellam dono, a quodam mercatore, ab Atheniensi civitate sublatam. At se ignorare dicit, utrumne ipsa civis Atheniensium fuisset: (excidit, *an* Z.) tantum de civitate sublata sit. Adjecit illud, quod *nomen matris et patris dicebat*. Ipsum hoc proficit ad causam ejus rei, quam petitura est. Scimus enim in narratione rationem futuris quæstionibus collocari. Quoniam ergo dictura est: concedi sibi debere aliquot dies, ut puellam recipiat, et hanc adjungit causam, ut suis parentibus reddat. *Volo enim*, inquit, *amicos sic parare beneficio meo*. Ideo præmisit matris nomen et patris, ut verisimile sit, posse hinc parentes sciri, si nomina jam tenentur. Denique adjecit et alia signa: sibi cognitam (forte, *cognita*) esse: quia *mercator ex prædonibus, unde emerat, se vidisse dixerit, abreptam esse e Sunio*. Sunio (lege *Sunium*) autem intelligit locum prope Athenas, juxta mare collocatum. Redit rursus ad affectum, quod dicit, sibi carissimam esse puellam, cum mater sic eam educaverit, ut opinione populi filia (*soror* Z.) diceretur. Inde narrat discessum suum. Excitat enim, quod cum hospite Athenas venerit, quæ sibi hæc omnia, quæ habebat meretrix, dereliquit (deleto τῷ *meretrix*, leg. *quæ haberet*, *dereliquerit* Z.) Quam rem quidem illa non sine causa videtur adjecisse: sed ut ostenderet, quanta semper mercede dilecta sit, ut adolescens intelligat (*intelligeret* Z.), non se maximum munus dedisse, cum videat, tantum do-

PA. Potest taceri hoc. T. Ibi tum matri parvolam
Puellam dono quidam mercator dedit,
Ex Attica hinc abreptam. PA. Civemne? T. Arbi-
tror,
Certum non scimus: matris nomen et patris
Dicebat ipsa: patriam et signa cætera
Neque sciebat, neque per ætatem etiam potuerat.
Mercator hoc addebat, e prædonibus,
Unde emerat, se audisse, abreptam e Sunio.
Mater ubi accepit, cœpit studiose omnia

nari meretrici. Hoc quidem servus negat factum, dicens et dominum multa donasse. E.

Samia mihi mater] Sidon. Apollin. lib. II. Epist. I. L.

Habitabat Rhodi] Pro *in Rhodo*. Nam nomina insularum et regionum sæpe construuntur ut nomina urbium. Virg. Æn. III. 162. *aut Cretæ jussit*. Justin. VIII. 1. *Cypri exsulabat*. R. D.

28 *Potest taceri hoc*] Id est, verisimile est. Nec hoc ad laudem proficit, sed ad dedecus meretricis. *Potest taceri hoc*] *Hoc*, peregrinam nasci meretricem; et ideo potest verum videri. D.

29 *Puellam dono quidam*] Ætas et sexus amoris causa sunt, cur eam Thais puellam diligat. *Puellam dono quidam mercator dedit*] Propter hoc ostendit meretricem fuisse matrem: et dono ideo accipere puellam potuisse. D.

30 *Ex Attica hinc abreptam*] Quia Athenis est constituta scena. *Arbitror*] Bene *arbitror*, et nihil certi. Quando (lege, *quomodo*) enim ausurus esset Parmeno adornare Chæream ad vitiandum hanc virginem, si præscisset civem esse? D.

31 *Matris nomen et patris dicebat ipsa*] Quæ infantis memoriæ proxima sunt. Nam quid prius ætas illa, quam patrem matremque cognoscit? D.

32 *Et signa cætera neque sciebat*] Id est, domum patris, regionemque ejus (in Ms. Bœnd. et ed. Du B. est, *domum, patriam, regionem*). D.

33 *Neque per ætatem etiam potuerat*] Hoc ideo addidit, ne esset minus elegans, quæ nesciret. D.

Versus causa corrige, *scibat*, et, ne *potuerat* peccet tempore, lege *potis erat*. B.

Per ætatem] I. e. propter ætatem in Ad. V. 8. 8. *parere jam diu hæc per annos potest*. v. Drakenb. ad Liv. XXXIII. 13. R. D.

34 *Hoc addebat*] Ad matris scilicet nomen et patris, quod puella dicebat. D.

35 *Unde*] Id est, e quibus: ut Virg. Æn. I. 6. *genus unde Latinum*. Et (præcedit in edd. antt. *Quomodo*: E DAVO AUDIVI), *causam dicere prius, unde petitur aurum*. *E Sunio*] *Sunium*, promontorium est Atheniensium, et in eo forum rerum venalium, ἐμπόριον. D.

36 *Mater ubi accepit*] Hæc figura in narrationibus βάσις dicitur, cum omnia pedetentim dicuntur insinuandi gratia, ut nunc, *matri mercator dono dedit. Mater ubi accepit*. Et simul convenit mulieri loquenti hujusmodi mora. *Mater ubi accepit*] *Accepit*, simpliciter; aut (*an* habent edd. vett.) audivit ingenuam: ut *capiendi et c. a. t.* (Ms. H. *capiendi, et c. a. t. o*, sed pro *o* edd. Venetæ habent *b*. Citatio est verborum incerti auctoris, seu potius verba otiosa). Sed melius prius. *Cœpit studiose omnia docere*] Mire: nam non docuit, sed *cœpit docere*. Τῷ μελλησμῷ. Et vide quam satis muliebriter. D.

Docere, educare, ita ut si esset filia.
Sororem plerique esse credebant meam.
Ego cum illo, quocum tum uno rem habebam, hospite,
Abii huc: qui mihi reliquit hæc, quæ habeo, omnia.
PA. Utrumque hoc falsum est: effluet. T. Qui istuc?
PA. Quia
Neque tu uno eras contenta, neque solus dedit.
Nam hic quoque bonam magnamque partem ad te attulit.
TH. Ita'st: sed sine me pervenire, quo volo.

37 *Ita ut si esset filia*] Ergo velut soror habenda est Thaidi, et ideo sequitur, *sororem plerique esse credebant meam.* Et oratorie cumulat dignitatem et amorem puella, ut ejus comparatione leniatur injuria facta Phædriæ. D.

Etsi omnes codd. habent *educare*: corrige tamen cum edd. melioribus EDUCERE, *ita* UTI. B.

Docere] I. e. aliis docendam tradere. Sic *erudire* apud Nepot. in Attic. c. 1. R. D.

Ita ut si esset filia] I. e. ac si esset filia. in Phorm. II. 3. 62. omissa particula *ita*. Eodem sensu junguntur *ut si* ap. Ciceron. de offic. I. 14. v. Nepos in Datame c. 3. R. D.

39 *Ego cum illo, quo cum uno tunc rem habebam, hospite*] Totum dixit et quod hospitem, et quod rem habebat. Et bene *tunc*, et non *nunc*. Nam nunc, cum duobus. *Quo cum uno tunc rem habebam*] Id est, consuetudinem, amorem. *Hospite*] Id est, Attico. D.

Ne toties illud *o* aurem vulneret, pro *quo cum* repone *qui cum*, B.

Quocum, rem, &c.] Consuetudinem Veneream Hec. IV. 4. 96. *si cum illo habuerit rem postea.* R. D.

40 *Abii huc*] Rhodo Athenas scilicet. *Qui mihi reliquit hæc, quæ habeo, omni*] Hoc ideo, ne tantundem obsequii exigat Phædria. Ideo contra Parmeno. D.

Reliquit] Scilicet testamento. R. D.

41 *Utrumque hoc falsum est: effluet*] Ipse exponit *hoc utrumque* quid dicat. et contradicendum est, quia præsens amator gravatur hoc dicto. D.

42 *Neque tu uno eras contenta*] Quippe quæ admiseris militem. *Neque solus dedit*] Quippe quia non omnia tua illius fuere mortui (leg. haud dubie, *militis*. Z.) D.

43 *Nam hic quoque*] Διακτικῶς. non Phædria, sed *hic* dixit, tangens illum, et quasi invito illo hoc (*huic* Z.) exprobrat. *Bonam magnamque partem ad te attulit*] Hæc dicuntur ἰσοδυναμοῦντα: ut, *abs te petere et poscere*. An potius *bonam* specie, *magnam* quantitate? et nunc discretive dictum est: nam alias *bonam* pro magna et multa accipimus. D.

Bonam magnamque] bonus h. l. idem est quod magnus. Horat. Serm. I. 1. 61. *at bona pars hominum* ubi v. scholiasten. v. Valer. Max. II. 9. 7. R. D.

44 *Ita est*] Non erat negandum, quod dixit Parmeno meretrici satisfacere cupienti, et non tacenti culpam in conscientia esse. D.

Contendit mulier ad narrationem, rediens dicit, profectum militem amatorem adolescentis Phædriæ notitiam, sed hunc (forte, *ad se nunc*. W. At haud dubie locus restituendus est ita: *post profectum militem, amatorem, in adolescentis Phædriæ notitiam se demum pervenisse*. Z.) pervenisse. Qua in re commendat animum, cum dicit: *tute scis, post illa quam intimum habeam te; et mea consilia ut tibi credam omnia.* Per-

Interea miles, qui me amare occeperat,
In Cariam est profectus: te interea loci
Cognovi tute scis, post illa quam intumum
Habeam te, et mea consilia ut tibi credam omnia.
PH. Ne hoc quidem tacebit Parmeno. PA. O dubi-
umne id est?
T. Hoc agite, amabo. mater mea illic mortua'st
Nuper: ejus frater aliquantum ad rem est avidior.

git igitur narrationis partes universas complere, quod, mortua matre, frater materna bona invaserit, virginem venumdederit, et speciosam et peritam artis, quod fidibus sciret. Deinde quod eam ille amator suus emerit miles, quod venerit, et irascatur, quod meretrix coeperit alium amatorem habere. Hic intelligendum acriter illud est, quod supra dixit miles, te amatorem (forte, *militem amatorem.*) E.

46 *Te interea loci cognovi*] Oratorie priorem amatorem facit militem, quam Phædriam. Nam posterius dicit hunc cognitum per absentiam militis. Ergo cum militi Phædria rivalis superductus sit, consequens est, ut miles queri debuerit, non Phædria: et propterea nihil peccatum, si ordine servato miles antepositus fuerit amatori postmodum cognito. et hoc sine puella (*puellæ*, Ms. H.) et munerum causa, multum pro milite contra Phædriam valet. Sed vide meretricem, quia rem dixit perurentem, quot et qualia blandimenta subjicit, dicendo, *tute scis post illa, quam intimum habeam te*, et cætera. D.

Interea loci te cognovi] Ut ideo miles puellam tanto pretio emerit, quod sciret se tantum amari a meretrice; quippe cum eam sic reliquisset, cum adhuc haberet nullum amatorem. Ergo consequenter hodie irasci miles, postea quam invenit meretricem cum hoc amatore. Hoc ergo adjungit: *fingit causas, ne det, sedulo.* Et hoc temperate ostendit, hoc militem velle, ut præponatur alteri amatori. Quare acceptasse pollicetur munus, miles quod comparaverat donaturus (Ms. alter lacunam agnoscit nullam, alter: *quare concessisse pollicetur munus miles, quod comparaverat donaturum.*) E.

Interea loci cognovi] Charis. lib. 2. L.

Interea loci] I. e. interim infra II. 2. 24. Liv XXV. 19. In his locutionibus *locus* pro *tempore* poni debet. v. Gronov. ad Liv. XXVII. 7. R. D.

47 *Cognovi*] Proprie *cognovi. Tute scis post illa, &c.*] Ἐπιπλοκή figura: nam hoc ad narrationem non pertinet. D.

48 *Et mea consilia ut tibi credam omnia*] Ex præsenti actu sumsit argumentum, quod eum nunc tanquam consultorem adhibuerit. Et bene *credam*, secundum illud, *potin' est hic tacere?* D.

49 *Ne hoc quidem*] Id est, hoc quoque falsum est. *Dubiumne id est?*] Me non taciturum scilicet. D.

Metri causa mihi placet Vaticani lectio, *neque hoc tacebit Parmeno.* B.

50 *Hoc agite*] Pro adverbio corripientis est positum: aut certe pro adhortatione audientiæ præbendæ. Sic Plautus Asin. Prol. 1. *hoc agite, sultis, spectatores.* Et convenit velut nutu audientiam significantis, et gestu hoc ipsum adjuvari. *Hoc agite*, id est, illud definite, et hoc attendite. D.

51 *Nuper*] Ut adhuc amor flagrare videatur, addidit *nuper. Aliquantulum ad rem est avidior*] Vultu accommodato ad reprehensionem pronunciandum est. *Ad rem avidior*] Proprie *avidior.* Et *rem* pecuniam modo dicit. D.

Ad rem &c.] Ad patrimonium conservandum et augendum. R. D.

Is, ubi hanc forma vidit honesta virginem,
Et fidibus scire, pretium sperans, illico
Producit, vendit. forte fortuna affuit
Hic meus amicus: emit eam dono mihi, 55
Imprudens harum rerum ignarusque omnium.
Is venit: postquam sensit me tecum quoque
Rem habere, fingit causas, ne det, sedulo:
Ait, si fidem habeat, se iri præpositum tibi
Apud me, ac non id metuat, ne, ubi acceperim, 60

52 *Is hanc ubi forma*] Ex aliena persona vult ostendere præter affectum, quanti sibi æstimanda sit: et quanto munere miles Phædriæ meruerat (lege, *meruerit*] anteponi. D.

Sensus et versus postulant, *is, ubi esse hanc forma videt honesta virginem.* B.

53 *Et fidibus scrire*] Vetusta ἔλλειψις. *Pretium sperans*] Deest *magnum*, ut Virg. Georg. III. 184. *et stabulo frenos audire sonantes.* D.

Fidibus scire] Elliptica locutio, in qua supplendum *canere* ut plene dixit Cic. Tusc. quæst. I. 2. sic *fidibus docere* apud Cic. ad Divers. IX. 22. et *fidibus discere* ap. Cicer. de senect. c. 8. v. Gronov. ad Liv. XXIX. 4. R. D.

54 *Producit: vendit*] Proprie. Nam *produci* res venales dicuntur. *Producit: vendit*] Hæc celeritas vendibilem indicat mercem. *Forte fortuna*] Id est, bona fortuna. D.

Producit] I. e. venalem exponit. Verbum proprium hac in re, maxime de animatis in Heaut. I. 1. 92. R. D.

Forte fortuna] I. e. feliciter. Hæ voces sæpe junguntur et semper in bonam partem dicuntur in Phorm. V. 6. 1. R. D.

55 *Hic meus amicus*] Quia locus est meritorum, non jam *miles*, sed *meus amicus*. Vide enim quid sequatur. *Emit*, inquit, *eam dono mihi, imprudens harum rerum.* Hic ostenditur quam avidus id faceret, si rem penitus nosset. simul etiam ostenditur, quanta secreta dicat Phædriæ: utpote quæ rivalis nesciat. D.

56 *Imprudens harum rerum, ignarusque omnium*] *Prudentia*, naturalis est: *gnaritas*, extrinsecus venit. *Imprudens*, per se, *ignarus*, per alios; hoc est, qui nec suspicatus sit, neque ex aliquo audierit. D.

57 *Postquam sensit me tecum quoque rem habere*] (Excidit *sensit*) non dictum, sed quasi celatum. *Sensit me tecum quoque rem habere*] Magno pondere dixit, *tecum quoque*: tanquam irascendi justa magis sit causa militi, quam Phædriæ. Nam *sensit*, et *tecum*, et *quoque*, hoc significat. *Rem habere*] Sic dixit, ut honeste res impura dicatur. D.

58 *Ne det, sedulo*] *Sedulo*, sine dolo, hoc est, impense. D.

Sedulo] I. e. data opera Liv. II. 58. *tardius sedulo incedere.* R. D.

59 *Ait*] Semper *ait* dicimus, quum vel invisa nobis et audientibus, vel vana dicta narramus alicujus. *Si fidem habeat*] Hoc est, si faciam aliqua, unde credat se tibi præponi. *Si fidem habeat*] Si credere rogatur, id est, si credat: unde *fidejussor* dicitur, hoc est, auctor credendi. *Se iri præpositum tibi apud me*] Ἀναστροφὴ in verbo, *præpositum iri*, ac necessaria implicatio in his, quæ dura dictu sunt. D.

Si fidem habeat, se iri præpositum tibi] Hoc est, si accipiat fidem, me præposuisse (*præposuisse se* Ż.) tibi. E.

Si fidem habeat] I. e. si efficiat argumento aliquo, ut mihi credat [ipsi credam] Sic *fidem dare* est in Andr. II. 3. 27. R. D.

60 *Apud me, ac non id metuat*] Duo

Sese relinquam; velle se illam mihi dare:
Verum id vereri, sed, ego quantum suspicor,
Ad virginem animum adjecit. PH. Etiamne amplius?
T. Nihil: nam quæsivi. nunc ego eam, mi Phædria,
Multæ sunt causæ, quamobrem cupiam abducere. 65

sunt, si fidem habeat, et si non metuat. Quid autem non metuat? *Ne, ubi acceperim, sese relinquam*] Hic jam causas petitionis ostendit. Hoc autem petitura est meretrix, ut paucos interim dies, quousque puella dono detur, miles apud meretricem in amore præponatur. E.

Alii legunt *vbi* EAM *acceperim*. B.

62 *Sed ego quantum suspicor*] Alta et acuta inventio. Scit meretrix hoc solo amatores inimicos esse, quod idem diligunt. Magnifice igitur, ut rivalis odium deliniret (*declinet*, Ms. Bœnd. hanc lectionem leges linguæ postulant), vult persuadere Phædriæ, non se amari, sed virginem. D.

Finita narratione concludit a suspicione, nescio quem exitum narrantis, quod idem miles, jam amisso amore meretricis, nunc virginem diligat. Hoc enim dixit. E.

63 *Ad virginem animum adjecit*] Cur hoc inferat? ut vel lædendi militis causa, Phædria patiatur eum, quam amet, et nolit virginem dono dare (Varia hæc leguntur. Sensus videtur esse hic: *eum* [militem] *dono dare virginem, quam amet, et* [dare] *nolit*. Nisi si fortasse *nolit ἀντὶ τοῦ colat*. Aut, *Ei, quam amet et colat, virginem dono dari.*) *Etiamne amplius?*] Mundat Terentius, ut solet, res hujusmodi per ἔλλειψιν suam. D.

Animum adjecit] *Adjicere animum ad aliquid* est cupiditatem alicujus rei nancisci. Plaut. in Mercat. II. 2. 62. *ne ad illam me animum adjecisse sentiat.* Liv. XXII. 22. *obsidibus potissimum tradendis animum adjecit.* R. D.

Etiamne amplius] Mira verecundia dixit pro *eam strupavit*. v. notata ad Andr. II. 1. 25. R. D.

64 *Nihil? nam quæsivi. nunc ego eam, mi Phædria*] Optime purgavit Terentius, quod mox liberalibus nuptiis fuerat obfuturum, si vitiatam virginem duceret Chærea. Necessario ergo defenditur, tanquam quæ honeste nuptura est. D.

65 *Multæ sunt causæ*] Non indiligenter consideraverunt hanc meretricis orationem, qui illam instar controversiæ retulerunt. Nam et principium est, *me miseram, vereor ne illud gravius Phædria tulerit.* Et narratio, *Samia mihi mater fuit.* Et partitio cum confirmatione: ut, *nunc ego eam, mi Phædri, multæ sunt causæ, quamobrem cupio abducere. primum quod soror est dicta*, et cætera. Reprehensio quoque, *egone id timeo?* et, *egone non ex animo misera dico?* Et conclusio per conquestionem: ut, *quam joco rem voluisti a me tandem, quin perfeceris? Ego impetrare neque hoc abs te, biduum saltem ut concedas solum. Quamobrem cupio abducere*] Et jam hoc verbo gratificatur Phædriæ: non enim *accipere*, ut ab amico remunerante: sed *abducere*, ut ab stulto, et experte. D.

Petit rursus Phædriam, ut paucos dies sibi commodet, quibus prior apud se miles esse possit. Dicit causas, *quod soror dicta est, quod velit parare amicos beneficio suo.* Sed post hæc iratus adolescens redit ad accusationem vehementer, quo eam declarare possit ingratam: enumerans quæ beneficia sua, vel quæ præstiterit, vel quæ paraverit. Quibus accusationibus meretrix victa, quo facilius adolescenti persuadere possit, quod antea postulaverat, dicit se ei ad omnem voluptatem commodare consensum, ne eum aliquo offendat. Quare victus adolescens omnia se, meretrix quæ vellet, facturum esse promittit: et monet, ut memoriam sui nominis teneat, * quicquid inciderit (barbare scriptum, pro, *inciderit*): et ita secum loquitur (restituo: *ita Thais secum loquitur,*) quod vehementer diligat Phædriam, ne-

Primum, quod soror est dicta: præterea, ut suis
Restituam ac reddam. sola sum: habeo hic neminem,
Neque amicum, neque cognatum. quamobrem, Phædria,
Cupio aliquos parere amicos beneficio meo.
Id, amabo, adjuta me, quo id fiat facilius. 70
Sine illum priores partes hosce aliquot dies

que aliquid callide fecerit, sed cuncta ratione complerit. E.

Donatus et recentes libri *cupio*, sed meliores nostri et Faerni recte habent *cupiam*. B.

Quamobrem cupio] Usitatius esset *quamobrem cupiam*. Sæpe tamen interrogationes cum indicativo construuntur. v. quæ notavimus ad Rutil. Lup. II. p. 98. R. D.

67 *Ut suis restituam, ac reddam*] *Restituimur* (*restituimus* Ms. Bœnd et ed. Du B.) iis, quibus nos volumus: *reddimur* (*reddimus*. ibid.) iis, qui nos volunt. Ergo restituimus volentem (*volentes*, ibid.) reddimus volentibus. Sed in hac utrumque est. *Sola sum: habeo hic neminem*] *Sola sum*, ad familiarium refertur absentiam. *Habeo hic neminem*, ad alienorum amicitiam. Potest enim sola domi esse, habere tamen aliquem foris. Et, *habeo hic neminem*, plus sonat, quam, *neminem hic habeo*. Et, *sola sum*, ab iis quos natura conciliat per se. *Habeo neminem*, eorum qui voluntate junguntur. D.

Sola sum] Hoc statim explicat addens *habeo neminem neque amicum neque cognatum*. Sic *solitudo* dicitur de liberis, qui parentibus orbati sunt. Cic. in Verr. I. 58. ut *illorum* [*liberorum*] *solitudo quam firmissimo præsidio munita sit*. v. Gronov. ad Senecæ consolat. ad Marcum c. 24. R. D.

68 *Neque amicus*] Bene hoc apud amatorem: quia est aliud *amator*, aliud *amicus*. *Amator*, qui ad tempus, *amicus*, qui perpetuo amat. An quia in patris potestate est Phædria? *Quamobrem, Phædria*] In necessariis (forte leg. *in rebus seriis*. Ms. Bœnd. et edd. vett. *ne in necessariis inopem videretur in necessariis interponi non licet audientis nomen*) interponi nomen licet audientis. D.

Cum statim versu proximo occurrat *amicos*, hic pro *amicum* legendum esse censeo *notum*, ut Phorm. 1. 2. 48. B.

69 *Cupio aliquos parare amicos beneficio meo*] Hic ostendit specialiter, cujusmodi amicos quærat, ne Phædriam contemnere videatur. *Parare amicos beneficio meo*] Quia parantur et suo (*alieno*, edd. Venett.) sed minus diligunt. D.

Donatus et omnes codd. habent *parare*, sed, ne versus impediatur, amplectendum est Bembini cod. *parare*. Cæterum *beneficio meo* spondei et dactyli spatium metiuntur. B.

Parare amicos] Bentlei. ex metri rationibus legit *parere amicos*. *Parere* idem est quod parare, acquirere in Andr. IV. 5. 2. *optavit parere hic divitias*. infra V. 2. 32. *ut solidum parerem hoc mihi beneficium*. Liv. XLII. 10. *accessisse ad vires eam, quæ longo tempore pareret auctoritatem*; ubi v. Drakenb. R. D.

70 *Id amabo adjuta me, quo id fiat facilius*] Παρίλκον. bis *id* posuit. *Adjuta me*] Mira coactio, pro patere excludi, *adjuta me*, dixit. D.

71 *Sine illum*] Blande *sine illum*, tanquam in manu ejus sit injuriam non pati, et excludi militem. Non enim dixit *fer*, aut *patere*, sed, *sine*. *Priores partes hosce aliquot dies*] Honeste circumloquitur et oratorie, ne dicat, abi foras, atque excludi te patere. D.

Priores partes habere] I. e. tibi præferri. Partes proprie in scena sunt, quas quisque actorum sub alterius persona recitat. Hinc histrionum alii primarum, alii secundarum, alii tertiarum partium dicuntur. Inde ad alia transfert Cic.

Apud me habere. nihil respondes? PH. Pessuma,
Egon' quicquam cum istis factis tibi respondeam?
PA. Eu noster! laudo: tandem perdoluit: vir es.
PH. Haud ego nesciebam, quorsum tu ires? parvola
Hinc est abrepta: eduxit mater pro sua:
Soror dicta'st: cupio abducere, ut reddam suis:
Nempe omnia hæc nunc verba huc redeunt denique:
Ego excludor, ille recipitur. qua gratia?
Nisi illum plus amas, quam me: et istam nunc times,

pro Flacco c. 27. *servum primarum partium.* Liv. III. 10. *fabulam compositam Volsci belli Hernicos ad partes paratos,* ubi v. Drak. contra *posteriores.* omissa voce *partes* est in Ad. V. 4. 26. v. Victorii var. lection. III. 18. et Vales. in Mausaci notas in Harpocrat. p. 293. R. D.

Hosce aliquot dies] Pronomen *hic* temporum nominibus adjunctum significat tempus vel proxime elapsum vel proxime futurum. infra II. 3. 40. *his mensibus sex, septem.* Apud Græcos ἀυτός eandem vim habet. v. Lamb. Bos exercitat. philol. p. 75. R. D.

72 *Nihil respondes?*] Jam silentium accusat, quia scit nihil responsurum, contrarium (leg. *nihil respondentem contrariari,* sive, *contrarium esse* Z.) Et satis blande, *nihil respondes* dixit: tanquam qui debeas amoris vicem (omnino leg. *Et satis blande,* MIHI, *dixit tanquam cui debeas a. v.* etsi integer Senarius τὸ MIHI videtur respuere: Donatum tamen ita legisse certum est. Idem *mihi* exhibent Mss. Mark. quatuor Pall. et edd. vett.) D.

73 *Ego quicquam*] Facete exprimitur illud, *Amantium iræ amoris integratio est.* D.

74 *Tandem perdoluit*] Nimis doluit, id est, persensit dolorem. Et *tandem,* quasi qui nimis patiens fuit. *Tandem perdoluit: vir es*] Eleganter variavit personam secundam, et tertiam. *Vir es*] Non puer sed jam vir, qui meretricem contemnis. D.

Bembinus liber et alii antiqui non *heu* sed *eu* sine respiratione habent. B.

Vir es] I. e. fortis es, audes aliquid. Frequens apud Livium et alios formula est *si vir es, si viri estis.* v. Drakenb. ad Liv. III. 67. R. D.

75 *Parvula hinc est abrepta: eduxit mater pro sua*] Vide μίμησιν cum odio inductam, et depravatam pronunciatione: ita ut et ὁμοιοτέλευτα non vitarentur de industria: *parvula hinc est abrepta, eduxit mater pro sua, soror est dicta.* D.

Haud ego nesciebam] Quinctilian. lib. IX. cap. 2. *At ego nesciebam.* L.

Tres antiquissimi codd. Faerni *aut ego,* alii ejusdem, *haud ego.* Sed melius tres nostri cum edd. vett. *At ego,* quod ipsum expressit quinc. Inst. IX. 2. Cæterum lege *nescibam.* B.

At ego nesciebam] Rectissime e Mss. edidit Bentl. *at ego nescibam.* R. D.

Quorsum tu ires] I. e. quorsum tenderet oratio tua, quid dicere velles, in Ad. V. 3. 35. *itsne ibam* i. e. hac de re dicere volebam. Supra similiter de sermone tanquam itinere locutus est v. 44. *sine me pervenire quo volo.* R. D.

77 Ne lege *soror est dicta,* sed, *sovor dicta est.* B.

78 *Hæc nunc verba*] Id est, falsa dicta. *Huc redeunt*] Ut excludar. D.

80 *Nisi illum plus amas, quam me*] Repudiatis causis, quas illa attulerat, per derivationem causæ: hic aliud dicit esse cur repellatur. *Et istam nunc times, quæ advecta est*] Adeo, inquit, amas militem, ut etiam invideas, si quam amaverit. D.

Quæ advecta'st, ne illum talem præripiat tibi.
T. Egon' id timeo? PH. Quid te ergo aliud sollicitat? cedo,
Num solus ille dona dat? nuncubi meam
Benignitatem sensisti in te claudier?
Nonne, ubi mihi dixti cupere te ex Æthiopia 85

Versum satis inconcinnum adjuvant codd. nonnulli, qui habent, *nisi* SI *illum*. cætera, ut *me* sit in ictu, colloca, *plus quam me amas*. B.

Istam times, ne illum talem præripiat tibi] Hoc dicitur pro times, ne ista illum talem præripiat tibi. Sic sæpe in priore parte orationis ponitur accusativus pro nominativo in posteriore. infra V. 8. 5. *scisne me in quibus sim gaudiis*. Cic. ad Div. IV. 1. *rem video quomodo se habeat*. Hæc loquendi ratio ab utriusque linguæ scriptoribus frequentatur in verbis sciendi, videndi et similibus. v. Gronov. ad Senec. de benefic. IV. 32. et Periz. ad Sanctii Minerv. II. 5. p. 188. R. D.

81 *Talem præripiat tibi*] Εἰρωνία stomachantis amatoris. D.

Talem] I. e. virum tantum, tam egregium. Est per ironiam capiendum. *Talis* dicitur de illis, qui propter animi corporisque bona laude digni sunt. in Ad. III. 1. 1. *talem, tali genere et animo*. Sallust in Iug. c. 63. *tamen is talis vir id locorum petere non audebat*. Sic *qualis* pro *quam excellens*. Ovid. Fast. V. 460. *qui modo qualis eram* ubi v. Heins. R. D.

82 *Quid te ergo aliud sollicitat?*] Quid est, inquit, si hoc non est? D.

Ne versus syllaba sit hypermeter, reponé *ego* sine *ne*. B.

83 *Num solus ille dona dat?*] Jam quasi quæstiones tractantur: sed ille munus advexit. *Nuncubi meam benignitatem*] Possunt enim dona dari, sed exigua, aut minus liberaliter: et ideo mentionem benignitatis adjecit. *Nuncubi meam benignitatem*] Sed ille benignus est. *Nuncubi*, numquid alicubi. Aut si, *nunc ubi*, legimus (haud dubie scripserat Donatus, NUNC UBI, *numquid alicubi*. Postea vero seu Asper, seu Cornutus, seu quicunque alius interpres legens NON UBI, quod in quibusdam libris reperitur, ipse addidit verba *aut si—qua in re*,) erit adverbium temporis: ut sit ubi, quo in loco, qua in re. *Nuncubi meam benignitatem*] Intelligit se et dona obtulisse, et id benigne sæpe fecisse. Nam plerumque ingrata dona sunt, in quibus benignitas non apparet: quæ aut in quantitate rerum est, aut in facilitate præstantis. D.

Nuncubi, quod est in pluribus codd. nusquam alibi, opinor, invenitur, et versus ipse repudiat. Bembinus et alii, *num ibi*. Lege *num tibi*. Deinde in versu seq. pro *in te claudier* lege *intercludier*. cf. Andr. III. 3. 41. B.

84 *Claudier?*] *Claudi*, aut claudicare. Sallustius (in Fragmentis,) *neque enim ignorantia claudit res*. et, *nihil socordia claudebat*. D.

In te claudier] Ms. R. et vett. codd. *interclaudier*. D.

In te claudier] Bentl. legit *intercludier* v. notata ad Andr. III. 3. 45. R. D.

85 *Nonne ubi mihi dixti cupere te*] Plus dixit, *ubi dixti cupere te*: quam si diceret, fecisti ut emerem. Plus est enim id præstitisse, quod qui (*quæ*, edd. Venett.) acceperit, non ausus fuerit postulare. *Cupere te*] Vult rem parvi (*quantivis*, postulat sensus) pretii, ex illius cupiditate et suo labore perpendi. *Ex Æthiopia*] Non Æthiopissam: sed honestius *ex Æthiopia*. D.

Ex Æthiopia ancillulam] I. e. ancillulam Æthiopissam. Sic ap. Liv. I. 50. *Turnus ab Aricia* est *Turnus Aricinus*. Virg. Georg. III. 2. *pastor ab Amphryso* v. Buchner. de commutata ratione dicendi pag. 352. Meretrices etiam lau-

Ancillulam, relictis rebus omnibus,
Quæsivi? porro Eunuchum dixti velle te,
Quia solæ utuntur his reginæ; repperi.
Heri minas viginti pro ambobus dedi.

tarum feminarum exemplo ancillis et eunuchis fuscis ad ministeria uti solebant. v. Tibull. eleg. II. 3. 55. et ibi Broukhus. R. D.

86 *Relictis rebus omnibus, quæsivi*] Hæc jam omnia in beneficiis considerari solent. D.

87 *Quæsivi?*] Vide quemadmodum exhibeat, atque ærumnas sibi difficilium munerum dicat imposuisse meretricem (edd. vett. ita: *vide, ut exhibeat, ærumnas sibi difficilium munerum imposuisse meretricem*). *Ex Æthiopia ancillulam*, inquit, *dixti te cupere*. Quid ego febi in re cœli, et solis, ac pene orbis alterius? *quæsivi*. non enim in promtu erat. Deinde, non *petisti*: sed *dixisti*: nec velle te, sed cupere: non nigram, sed ex Æthiopia: nec dedi, sed relictis rebus omnibus quæsivi. Quid hic non exquisitum? quid non ita expressum, ut nihil addi possit? *Eunuchum porro velle*] Eunuchos a Persis institutos putant ex captivis. A Babyloniis enim Hellanicus auctor est id habuisse. *Eunuchum porro dixti velle te*] Vide quemadmodum, ut majus faciat quod præstitit, non semel imputat duo mancipia: sed primo *puellam*, deinde *Eunuchum*. *Eunuchum*] Εὐνοῦχος εἴρηται, ὡς εὐνὴν ἔχων, τρῦτ' ἐστὶ, φυλάττων OCOCeIN ryNeN KeKAN ΔPOC.* (Wielingius opinatur, scripsisse interpretem: ὁ σώζων εὐνὴν γυναικῶν, καὶ ἀνδρός. En meam symbolam: ὅσα ἐν εὐνῇ γυνῆς τε καὶ ἀνδρός. W. Forte, ὅσα ἐστι κοινὰ γυναικὸς τε καὶ ἀνδρός. Sive, ὅπως μὴ ἄλλου ἡ γυνὴ κεκοίνωνες ἀνδρός. Z.) *Porro*] Deinde, vel postea, vel multo post. D.

Velle te] Scilicet *habere*. Volo et nolo cum absolute ponuntur, semper supplendum est verbum conveniens sententiæ. v. Duker. ad Flor. III. 1. p. 481 R. D.

88 *Quia solæ utuntur his reginæ*] Illam, quia ex Æthiopia, hunc, quia solæ his reginæ utuntur. Quid tale Thaidi rivalis dedit? *Quia solæ utuntur his reginæ*] Varie Eunuchum dixit, et intulit *his*. ut, *si quisquam est, qui placere se studeat bonis quam plurimis, et minime multos lædere: in his poeta hic nomen profitetur suum. Reginæ*] Id est divites. sed ἐμφατικώτερον est. *Quia solæ utuntur his reginæ*] Nota, quum Eunuchum in singulari numero præposuerit, *his* subjunxisse. sed *his* non ad Eunuchum retulit, sed ad delicias, aut quid tale: quia solæ utuntur hujusmodi deliciis servitiisque reginæ. Et oratorie hic subdidit, quod in ancillula prætermisset. quia nulla Æthiopissa honesta dici potuit. *Et reginas* modo divites dicit, ut in Phormione, *regem me esse oportuit*. *Reperi*] Plus est quam *emi*. Et vide quam propriis et amplissimis verbis usus est. quia et ancillam ex Æthiopia, et Eunuchum, quo solæ utuntur reginæ. illam quæsivi, et hunc repperi: neutrum enim horum facile (forte, *frustra* Z.) positum erat. D.

Reginæ] Sunt matronæ nobiles et opulentæ, ut bene Donatus exponit; ita *rex* pro homine potenti in Phorm. II. 2. 24. sed et clientes patronos divites et potentes vocabant *reges*. v. Horat. epist. I. 17. 43. Notanda vero h. l. enallage numeri. Nam cum dixisset *Eunuchum* in singulari, subjicit *his* in plurali. cujus commutationis exempla v. apud. Ciceron. de offic. II. 11. et alios quos laudant Gronov. de pecunia II. 48. p. 76. et Burmann. ad Valer. Flacc. VIII. 178. R. D.

89 *Heri minas decem*] (Scripsit Donatus vel *viginti*, vel, quod verosimilius videtur, *triginta*. Nam paulo post *viginti* minis solum Eunuchum emtum

Tamen contemtus abs te, hæc habui in memoria,
Ob hæc facta abs te spernor. T. Quid istic, Phædria?
Quamquam illam cupio abducere, atque hac re arbitror
Id fieri posse maxume: verumtamen,
Potius quam te inimicum habeam, faciam ut jusseris.
Ph. Utinam istuc verbum ex animo ac vere diceres,

esse ait Z.) *Pro ambobus dedi*] Recentiora beneficia, graviora adversum ingratos sunt. Ergo a tempore inducitur exprobratio. *Pro ambobus dedi*] Melius amborum pretium dixit, quam ut separatim diceret, quanto emerit ancillulam nigram: de qua mox dicetur, *hic sunt tres minæ*. Nam constat Eunuchum solum emtum esse minis viginti; ut ipse Parmeno confitebitur seni. D.

Magis magnificum sonat, quod cod. C. C. habet, *heri minas pro ambobus viginti dedi*. Atque auctor solet *viginti* illud ponere in sede quinta. B.

90 *Tamen contemtus abs te*] Et hoc servatur in beneficiis. Nam majora sunt, cessantibus meritis eorum, quibus præstantur. D.

91 *Ob hæc facta abs te spernor*] Sic Virg. Æn. IV. 217.—*nos munera templis quippe tuis ferimus, famamque fovemus inanem*. Et, *vel quas tulit*, cum interrogatione aut cum increpatione proferri potest. *Ob hæc facta abs te spernor*] Hic duplex est pronunciatio: vel per invidiosam prolationem (lege ex ed. Venet. et Argent. *exprobrationem*), vel per interrogationem. Et melius hoc modo, quam interrogative profertur: hic enim est multo gravior illo. *Quid istic?*] Hoc adverbium consentire incipientis est. et est ἔλλειψις: deest enim *remoramur*, aut quid tale. D.

92 *Cupio abducere*] *Abducere* dixit, tanquam ab stulto: nec per verum meritum, sed per fraudem. Cicero Verr. III. 34. *Per vim atque dolum abducta ab Rhodio tibicine*. *Atque hac re arbitror*] Non dicit qua, hoc est, ex te (edd. Venett. *Non dicit, quia hoc est ex te*. Videtur legendum: *non dicit qua, quia hoc est ex re*. Nempe non erat *ex re* Thaidis, speciatim dicere coram exulcerato Phædria, *qua re* id quod cupiebat fieri posset maxime, sc. Phædria excludendo, Thrasone admittendo. Nisi legas: HAC RE. *Non dicit qua hoc est ex re*). Veruntamen scit meretrix, contentione quædam negari (lege: VERUM. TAMEN] *Scit meretrix concessione quædam levari*. Quam lectionem, opinor, firmant sequentia). Ergo fingit se vinci, ut adolescentem molliat: et ipsa cedit, ut et ille remittat pertinaciam. D.

93 Suavius sonat, *id posse fieri*, ut infra IV. 7. 9. B.

94 *Potius quam te inimicum habeam, faciam ut jusseris*] Hoc totum loquitur, tanquam magis ipso amet Phædriam, quam ab illo ametur. *Te inimicum habeam*] Huic contrarium est, *ut te amicum habeam*. *Faciam ut jusseris*] Nec voluntate, nec vultu consentientis hoc meretrix agit (lege, *ait*. Nec enim agit, nec actura est, sed se facturam sit): sed callide tentat omnia. Nam quia persistendo non perficit quod exspectabat, docet Phædriam etiam ipsum negligentius negare quod poscitur. et adeo hoc subtile est, ut statim impetraverit. Pervulgatum est enim, Quod summa vi defenderis, quam extorqueretur, hoc idem postmodum remitte remittenti. D.

95 *Utinam istuc verbum*] Et *istuc verbum*, pro tota sententia. *Verbum* pro dicto. Sed proprie ἀξίωμα, id est, sententia vel enunciatio, quæ uno ligatur et astringitur verbo, *verbum* a veteribus dicebatur. *Ex animo, ac vere diceres*] Certe: quia est qui ex animo dicat, fallat tamen. D.

Ex animo ac vere] I. e. ex animi sen-

Potius quam te inimicum habeam. si istuc crederem
Sincere dici, quidvis possem perpeti.
PA. Labascit, victus uno verbo, quam cito!
T. Ego non ex animo misera dico? quam joco
Rem voluisti a me tandem, quin perfeceris?
Ego impetrare nequeo hoc abs te, biduum
Saltem ut concedas solum. PH. Siquidem biduum:
Verum ne fiant isti viginti dies.

tentia, non simulate aut ficte. Catull. carm. 110. *id sincere dicat et ex animo.* R. D.

96 *Potius quam te inimicum habeam*] Tantum in animum Phædriæ hoc descendit, ut etiam repetat, quod amica dixerat adulando. D.

97 *Sincere dici, quidvis possem perpeti*] *Sincerum*, purum, sine fuco, et simplex: ut mel sine cera. Bene ergo ut mel, blandimentum meretricis dulce fatetur, sed negat esse sincerum. D.

Sincere dici] Charis. lib. 1. et 2. L.

98 *Labascit*] Omnia inchoativa trisyllaba fere media producta enunciantur. *Victus uno verbo. quam cito?*] *Quam cito* ait, qui illum falsa lacrymula vinci crediderat posse. Plus factum est: uno victus est verbo, et cito. *Victus uno verbo*] *Utinam istuc verbum.* Et *uno verbo*, ut diximus, sic accipe: ut verbum dictum intelligas, quod verbo complectitur (edd. Venett. *amplectitur*. Sensus constabit, si junctim legas, *quod verbo complectitur completæ*, &c.) et completæ sententiæ pronunciationem, quod ἀξίωμα nominabatur. D.

Labascit] Diomed. lib. 1. L.

Melius, opinor, sic. *labascit, victu'st, uno verbo, quam cito.* B.

Labascit] I. e. labi incipit, multum de constantia remittit, Plaut. in Rudente V. 3. 38. metaphora ducta ab arbore quæ multis succisa ictibus ruinam minatur. v. Donat. ad Ad. II. 2. 31.

Victus uno verbo] Apposite Propert. eleg. II. 5. 15. *quum facile irati verbo mutantur amantes.* R. D.

99 *Ego non ex animo misera dico?*] Quod sensit multum valuisse, hoc Thais inculcat animo amici sui. Et *ego*, vide quanta significet. Convenit hoc pronomen blande multa exprobranti: ut Virgil. Æn. IV. 314. *mene fugis?* D.

100 *Quam joco rem voluisti*] Contra illud refertur, quod ait Phædria, *nonne ubi mihi dixti cupere te ex Æthiopia ancillulam, relictis rebus omnibus, quæsivi?* Sed hoc vehementius et disertius, *quam joco rem voluisti.* Non munus, inquit, sed quod plus est, *rem*; et non serio, sed *joco*, a facilitate præstantis. Et *voluisti*, non etiam dixisti. Mirandum obsequium, ex voto animi pendens. Non exspectat imperium: ne voluptati mora sit, dum jubetur. Tum illud, quod ait, *perfeceris*: nonne pondus hoc verbi et potentiam Phædriæ circa amicam, et illius obsequium vehemens, et rerum difficultatem quæ extortæ sint, monstrat, atque omnem obterit querelam Phædriæ? D.

101 *Ego impetrare nequeo hoc abs te*] Tu et joco, et non petisti, cum perfeceris tamen. at ego hoc impetrare non possum. D.

102 *Saltem ut concedas solum*] Argute additum *saltem* et *solum*. Et bene, *concedas*, ut voluntatis sit: sic enim dixit supra, *sine illum priores partes hosce aliquot dies apud me obtinere* (ex memoria laudavit versum 71. lege, *habere*). D.

103 *Verum ne fiant isti viginti dies*] Facete biduum decuplavit: et simul quia ex eadem ratione sunt viginti, ex qua duo; et ex qua viginti, ducenti, duo millia, et sic deinceps. D.

Is, ubi hanc forma vidit honesta virginem,
Et fidibus scire, pretium sperans, illico
Producit, vendit. forte fortuna adfuit
Hic meus amicus: emit eam dono mihi,
Imprudens harum rerum ignarusque omnium.
Is venit: postquam sensit me tecum quoque
Rem habere, fingit causas, ne det, sedulo:
Ait, si fidem habeat, se iri præpositum tibi
Apud me, ac non id metuat, ne, ubi acceperim,

52 *Is hanc ubi forma*] Ex aliena persona vult ostendere præter affectum, quanti sibi æstimanda sit: et quanto munere miles Phædriæ meruerat (lege, *meruerit*] anteponi. D.

Sensus et versus postulant, *is, ubi esse hanc forma videt honesta virginem.* B.

53 *Et fidibus scire*] Vetusta ἔλλειψις. *Pretium sperans*] Deest *magnum*, ut Virg. Georg. III. 184. *et stabulo frenos audire sonantes.* D.

Fidibus scire] Elliptica locutio, in qua supplendum *canere* ut plene dixit Cic. Tusc. quæst. I. 2. sic *fidibus docere* apud Cic. ad Divers. IX. 22. et *fidibus discere* ap. Cicer. de senect. c. 8. v. Gronov. ad Liv. XXIX. 4. R. D.

54 *Producit: vendit*] Proprie. Nam *produci* res venales dicuntur. *Producit: vendit*] Hæc celeritas vendibilem indicat mercem. *Forte fortuna*] Id est, bona fortuna. D.

Producit] I. e. venalem exponit. Verbum proprium hac in re, maxime de animatis in Heaut. I. 1. 92. R. D.

Forte fortuna] I. e. feliciter. Hæ voces sæpe junguntur et semper in bonam partem dicuntur in Phorm. V. 6. 1. R. D.

55 *Hic meus amicus*] Quia locus est meritorum, non jam *miles*, sed *meus amicus*. Vide enim quid sequatur. *Emit*, inquit, *eam dono mihi, imprudens harum rerum.* Hic ostenditur quam avidus id faceret, si rem penitus nosset. simul etiam ostenditur, quanta secreta dicat Phædriæ: utpote quæ rivalis nesciat. D.

56 *Imprudens harum rerum, ignarusque omnium*] *Prudentia*, naturalis est: *gnaritas*, extrinsecus venit. *Imprudens*, per se, *ignarus*, per alios; hoc est, qui nec suspicatus sit, neque ex aliquo audierit. D.

57 *Postquam sensit me tecum quoque rem habere*] (Excidit *sensit*) non dictum, sed quasi celatum. *Sensit me tecum quoque rem habere*] Magno pondere dixit, *tecum quoque*: tanquam irascendi justa magis sit causa militi, quam Phædriæ. Nam *sensit*, et *tecum*, et *quoque*, hoc significat. *Rem habere*] Sic dixit, ut honeste res impura dicatur. D.

58 *Ne det, sedulo*] *Sedulo*, sine dolo, hoc est, impense. D.

Sedulo] I. e. data opera Liv. II. 58. *tardius sedulo incedere.* R. D.

59 *Ait*] Semper *ait* dicimus, quum vel invisa nobis et audientibus, vel vana dicta narramus alicujus. *Si fidem habeat*] Hoc est, si faciam aliqua, unde credat se tibi præponi. *Si fidem habeat*] Si credere rogatur, id est, si credat: unde *fidejussor* dicitur, hoc est, auctor credendi. *Se iri præpositum tibi apud me*] Ἀναστροφή in verbo, *præpositum iri*, ac necessaria implicatio in his, quæ dura dictu sunt. D.

Si fidem habeat, se iri præpositum tibi] Hoc est, si accipiat fidem, me præposuisse (*præposuisse se* Ž.) tibi. E.

Si fidem habeat] I. e. si efficiat argumento aliquo, ut mihi credat [ipsi credam] Sic *fidem dare* est in Andr. II. 3. 27. R. D.

60 *Apud me, ac non id metuat*] Duo

Sese relinquam; velle se illam mihi dare:
Verum id vereri, sed, ego quantum suspicor,
Ad virginem animum adjecit. PH. Etiamne amplius?
T. Nihil: nam quæsivi. nunc ego eam, mi Phædria,
Multæ sunt causæ, quamobrem cupiam abducere. 65

sunt, si fidem habeat, et si non metuat. Quid autem non metuat? *Ne, ubi acceperim, sese relinquam*] Hic jam causas petitionis ostendit. Hoc autem petitura est meretrix, ut paucos interim dies, quousque puella dono detur, miles apud meretricem in amore præponatur. E.

Alii legunt *vbi* RAM *acceperim*. B.

62 *Sed ego quantum suspicor*] Alta et acuta inventio. Scit meretrix hoc solo amatores inimicos esse, quod idem diligunt. Magnifice igitur, ut rivalis odium deliniret (*declinet*, Ms. Bœnd. hanc lectionem leges linguæ postulant), vult persuadere Phædriæ, non se amari, sed virginem. D.

Finita narratione concludit a suspicione, nescio quem exitum narrantis, quod idem miles, jam amisso amore meretricis, nunc virginem diligat. Hoc enim dixit. E.

63 *Ad virginem animum adjecit*] Cur hoc inferat? ut vel lædendi militis causa, Phædria patiatur eum, quam amet, et nolit virginem dono dare (Variæ hæc leguntur. Sensus videtur esse hic: *eum* [militem] *dono dare virginem, quam amet, et* [dare] *nolit*. Nisi si fortasse *nolit ἀντὶ τοῦ colat*. Aut, *Ei, quam amet et colat, virginem dono dari.*) *Etiamne amplius?*] Mundat Terentius, ut solet, res hujusmodi per ἔλλειψιν suam. D.

Animum adjecit] *Adjicere animum ad aliquid* est cupiditatem alicujus rei nancisci. Plaut. in Mercat. II. 2. 62. *ne ad illam me animum adjecisse sentiat.* Liv. XXII. 22. *obsidibus potissimum tradendis animum adjecit.* R. D.

Etiamne amplius] Mira verecundia dixit pro *eam strupavit*. v. notata ad Andr. II. 1. 25. R. D.

64 *Nihil? nam quæsivi. nunc ego eam, mi Phædria*] Optime purgavit Terentius, quod mox liberalibus nuptiis fuerat obfuturum, si vitiatam virginem duceret Chærea. Necessario ergo defenditur, tanquam quæ honeste nuptura est. D.

65 *Multæ sunt causæ*] Non indiligenter consideraverunt hanc meretricis orationem, qui illam instar controversiæ retulerunt. Nam et principium est, *me miseram, vereor ne illud gravius Phædria tulerit.* Et narratio, *Samia mihi mater fuit.* Et partitio cum confirmatione: ut, *nunc ego eam, mi Phædri, multæ sunt causæ, quamobrem cupio abducere. primum quod soror est dicta*, et cætera. Reprehensio quoque, *egone id timeo?* et, *egone non ex animo misera dico?* Et conclusio per conquestionem: ut, *quam joco rem voluisti a me tandem, quin perfeceris? Ego impetrare neque hoc abs te, biduum saltem ut concedas solum. Quamobrem cupio abducere*] Et jam hoc verbo gratificatur Phædriæ: non enim *accipere*, ut ab amico remunerante: sed *abducere*, ut ab stulto, et experte. D.

Petit rursus Phædriam, ut paucos dies sibi commodet, quibus prior apud se miles esse possit. Dicit causas, *quod soror dicta est, quod velit parare amicos beneficio suo.* Sed post hæc iratus adolescens redit ad accusationem vehementer, quo eam declarare possit ingratam: enumerans quæ beneficia sua, vel quæ præstiterit, vel quæ paraverit. Quibus accusationibus meretrix victa, quo facilius adolescenti persuadere possit, quod antea postulaverat, dicit se ei ad omnem voluptatem commodare consensum, ne eum aliquo offendat. Quare victus adolescens omnia se, meretrix quæ vellet, facturum esse promittit: et monet, ut memoriam sui nominis teneat, * quicquid inciderit (barbare scriptum, pro, *inciderit*): et ita secum loquitur (restituo: *ita Thais secum loquitur,*) quod vehementer diligat Phædriam, ne-

Primum, quod soror est dicta: præterea, ut suis
Restituam ac reddam. sola sum: habeo hic neminem,
Neque amicum, neque cognatum. quamobrem, Phædria,
Cupio aliquos parere amicos beneficio meo.
Id, amabo, adjuta me, quo id fiat facilius. 70
Sine illum priores partes hosce aliquot dies

que aliquid callide fecerit, sed cuncta ratione complerit. E.

Donatus et recentes libri *cupio*, sed meliores nostri et Faerni recte habent *cupiam*. B.

Quamobrem cupio] Usitatius esset *quamobrem cupiam*. Sæpe tamen interrogationes cum indicativo construuntur. v. quæ notavimus ad Rutil. Lup. II. p. 98. R. D.

67 *Ut suis restituam, ac reddam*] *Restituimur* (*restituimus* Ms. Bœnd et ed. Du B.) iis, quibus nos volumus: *reddimur* (*reddimus*. ibid.) iis, qui nos volunt. Ergo restituimus volentem (*volentes*, ibid.) reddimus volentibus. Sed in hac utrumque est. *Sola sum: habeo hic neminem*] *Sola sum*, ad familiarium refertur absentiam. *Habeo hic neminem*, ad alienorum amicitiam. Potest enim sola domi esse, habere tamen aliquem foris. Et, *habeo hic neminem*, plus sonat, quam, *neminem hic habeo*. Et, *sola sum*, ab iis quos natura conciliat per se. *Habeo neminem*, eorum qui voluntate junguntur. D.

Sola sum] Hoc statim explicat addens *habeo neminem neque amicum neque cognatum*. Sic *solitudo* dicitur de liberis, qui parentibus orbati sunt. Cic. in Verr. I. 58. ut *illorum* [*liberorum*] *solitudo quam firmissimo præsidio munita sit*. v. Gronov. ad Senecæ consolat. ad Marcum c. 24. R. D.

68 *Neque amicus*] Bene hoc apud amatorem: quia est aliud *amator*, aliud *amicus*. *Amator*, qui ad tempus, *amicus*, qui perpetuo amat. An quia in patris potestate est Phædria? *Quamobrem, Phædria*] In necessariis (forte leg. *in rebus seriis*. Ms. Bœnd. et edd. vett. *ne in necessariis inopem videretur in necessariis interponi non licet audientis nomen*) interponi nomen licet audientis. D.

Cum statim versu proximo occurrat *amicos*, hic pro *amicum* legendum esse censeo *notum*, ut Phorm. 1. 2. 48. B.

69 *Cupio aliquos parare amicos beneficio meo*] Hic ostendit specialiter, cujusmodi amicos quærat, ne Phædriam contemnere videatur. *Parare amicos beneficio meo*] Quia parantur et suo (*alieno*, edd. Venett.) sed minus diligunt. D.

Donatus et omnes codd. habent *parare*, sed, ne versus impediatur, amplectendum est Bembini cod. *parare*. Cæterum *beneficio meo* spondei et dactyli spatium metiuntur. B.

Parare amicos] Bentlei. ex metri rationibus legit *parere amicos*. *Parere* idem est quod parare, acquirere in Andr. IV. 5. 2. *optavit parere hic divitias*. infra V. 2. 32. *ut solidum parerem hoc mihi beneficium*. Liv. XLII. 10. *accessisse ad vires eam, quæ longo tempore pareret auctoritatem*; ubi v. Drakenb. R. D.

70 *Id amabo adjuta me, quo id fiat facilius*] Παρίλκον. bis id posuit. *Adjuta me*] Mira coactio, pro patere excludi, *adjuta me*, dixit. D.

71 *Sine illum*] Blande *sine illum*, tanquam in manu ejus sit injuriam non pati, et excludi militem. Non enim dixit *fer*, aut *patere*, sed, *sine*. *Priores partes hosce aliquot dies*] Honeste circumloquitur et oratorie, ne dicat, abi foras, atque excludi te patere. D.

Priores partes habere] I. e. tibi præferri. Partes proprie in scena sunt, quas quisque actorum sub alterius persona recitat. Hinc histrionum alii primarum, alii secundarum, alii tertiarum partium dicuntur. Inde ad alia transfert Cic.

Apud me habere. nihil respondes? PH. Pessuma,
Egon' quicquam cum istis factis tibi respondeam?
PA. Eu noster! laudo: tandem perdoluit: vir es.
PH. Haud ego nesciebam, quorsum tu ires? parvola
Hinc est abrepta: eduxit mater pro sua:
Soror dicta'st: cupio abducere, ut reddam suis:
Nempe omnia hæc nunc verba huc redeunt denique:
Ego excludor, ille recipitur. qua gratia?
Nisi illum plus amas, quam me: et istam nunc times,

pro Flacco c. 27. *servum primarum partium.* Liv. III. 10. *fabulam compositam Volsci belli Hernicos ad partes paratos,* ubi v. Drak. contra *posteriores.* omissa voce *partes* est in Ad. V. 4. 26. v. Victorii var. lection. III. 18. et Vales. in Mausaci notas in Harpocrat. p. 293. R. D.

Hosce aliquot dies] Pronomen *hic* temporum nominibus adjunctum significat tempus vel proxime elapsum vel proxime futurum. infra II. 3. 40. *his mensibus sex, septem.* Apud Græcos ἀντός eandem vim habet. v. Lamb. Bos exercitat. philol. p. 75. R. D.

72 *Nihil respondes?*] Jam silentium accusat, quia scit nihil responsurum, contrarium (leg. *nihil respondentem contrariari,* sive, *contrarium esse* Z.) Et satis blande, *nihil respondes* dixit: tanquam qui debeas amoris vicem (omnino leg. *Et satis blande,* MIHI, *dixit tanquam cui debeas a. v.* etsi integer Senarius τὸ MIHI videtur respuere: Donatum tamen ita legisse certum est. Idem *mihi* exhibent Mss. Mark. quatuor Pall. et edd. vett.) D.

73 *Ego quicquam*] Facete exprimitur illud, *Amantium iræ amoris integratio est.* D.

74 *Tandem perdoluit*] Nimis doluit, id est, persensit dolorem. Et *tandem,* quasi qui nimis patiens fuit. *Tandem perdoluit: vir es*] Eleganter variavit personam secundam, et tertiam. *Vir es*] Non puer sed jam vir, qui meretricem contemnis. D.

Bembinus liber et alii antiqui non *heu* sed *eu* sine respiratione habent. B.

Vir es] I. e. fortis es, audes aliquid. Frequens apud Livium et alios formula est *si vir es, si viri estis.* v. Drakenb. ad Liv. III. 67. R. D.

75 *Parvula hinc est abrepta: eduxit mater pro sua*] Vide μίμησιν cum odio inductam, et depravatam pronunciatione: ita ut et ὁμοιοτέλευτα non vitarentur de industria: *parvula hinc est abrepta, eduxit mater pro sua, soror est dicta.* D.

Haud ego nesciebam] Quinctilian. lib. IX. cap. 2. *At ego nesciebam.* L.

Tres antiquissimi codd. Faerni *aut ego,* alii ejusdem, *haud ego.* Sed melius tres nostri cum edd. vett. *At ego,* quod ipsum expressit quinc. Inst. IX. 2. Cæterum lege *nescibam.* B.

At ego nesciebam] Rectissime e Mss. edidit Bentl. *at ego nescibam.* R. D.

Quorsum tu ires] I. e. quorsum tenderet oratio tua, quid dicere velles, in Ad. V. 3. 35. *itsuc ibam* i. e. hac de re dicere volebam. Supra similiter de sermone tanquam itinere locutus est v. 44. *sine me pervenire quo volo.* R. D.

77 Ne lege *soror est dicta,* sed, *soror dicta est.* B.

78 *Hæc nunc verba*] Id est, falsa dicta. *Huc redeunt*] Ut excludar. D.

80 *Nisi illum plus amas, quam me*] Repudiatis causis, quas illa attulerat, per derivationem causæ: hic aliud dicit esse cur repellatur. *Et istam nunc times, quæ advecta est*] Adeo, inquit, amas militem, ut etiam invideas, si quam amaverit. D.

Quæ advecta'st, ne illum talem præripiat tibi.
T. Egon' id timeo? PH. Quid te ergo aliud sollicitat? cedo,
Num solus ille dona dat? nuncubi meam
Benignitatem sensisti in te claudier?
Nonne, ubi mihi dixti cupere te ex Æthiopia 85

Versum satis inconcinnum adjuvant codd. nonnulli, qui habent, *nisi* SI *illum*. cætera, ut *me* sit in ictu, colloca, *plus quam me amas*. B.

Istam times, ne illum talem præripiat tibi] Hoc dicitur pro times, ne ista illum talem præripiat tibi. Sic sæpe in priore parte orationis ponitur accusativus pro nominativo in posteriore. infra V. 8. 5. *scisne me in quibus sim gaudiis*. Cic. ad Div. IV. 1. *rem video quomodo se habeat*. Hæc loquendi ratio ab utriusque linguæ scriptoribus frequentatur in verbis sciendi, videndi et similibus. v. Gronov. ad Senec. de benefic. IV. 32. et Periz. ad Sanctii Minerv. II. 5. p. 188. R. D.

81 *Talem præripiat tibi*] Elegans stomachantis amatoris. D.

Talem] I. e. virum tantum, tam egregium. Est per ironiam capiendum. *Talis* dicitur de illis, qui propter animi corporisque bona laude digni sunt. in Ad. III. 1. 1. *talem, tali genere et animo*. Sallust in Iug. c. 63. *tamen is talis vir id locorum petere non audebat*. Sic *qualis* pro *quam excellens*. Ovid. Fast. V. 460. *qui modo qualis eram* ubi v. Heins. R. D.

82 *Quid te ergo aliud sollicitat?*] Quid est, inquit, si hoc non est? D.

Ne versus syllaba sit hypermeter, repone *ego* sine *ne*. B.

83 *Num solus ille dona dat?*] Jam quasi quæstiones tractantur: sed ille munus advexit. *Nuncubi meam benignitatem*] Possunt enim dona dari, sed exigua, aut minus liberaliter: et ideo mentionem benignitatis adjecit. *Nuncubi meam benignitatem*] Sed ille benignus est. *Nuncubi*, numquid alicubi. Aut si, *nunc ubi*, legimus (haud dubie scripserat Donatus, NUNC UBI, *numquid alicubi*. Postea vero seu Asper, seu Cornutus, seu quicunque alius interpres legens NON UBI, quod in quibusdam libris reperitur, ipse addidit verba *aut si—qua in re*,) erit adverbium temporis: ut sit ubi, quo in loco, qua in re. *Nuncubi meam benignitatem*] Intelligit se et dona obtulisse, et id benigne sæpe fecisse. Nam plerumque ingrata dona sunt, in quibus benignitas non apparet: quæ aut in quantitate rerum est, aut in facilitate præstantis. D.

Nuncubi, quod est in pluribus codd. nusquam alibi, opinor, invenitur, et versus ipse repudiat. Bembinus et alii, *num ibi*. Lege *num tibi*. Deinde in versu seq. pro *in te claudier* lege *intercludier*. cf. Andr. III. 3. 41. B.

84 *Claudier?*] *Claudi*, aut claudicare. Sallustius (in Fragmentis,) *neque enim ignorantia claudit res*. et, *nihil socordia claudebat*. D.

In te claudier] Ms. R. et vett. codd. *interclaudier*. D.

In te claudier] Bentl. legit *intercludier* v. notata ad Andr. III. 3. 45. R. D.

85 *Nonne ubi mihi dixti cupere te*] Plus dixit, *ubi dixti cupere te*: quam si diceret, fecisti ut emerem. Plus est enim id præstitisse, quod qui (*quæ*, edd. Venett.) acceperit, non ausus fuerit postulare. *Cupere te*] Vult rem parvi (*quantivis*, postulat sensus) pretii, ex illius cupiditate et suo labore perpendi. *Ex Æthiopia*] Non Æthiopissam: sed honestius *ex Æthiopia*. D.

Ex Æthiopia ancillulam] I. e. ancillulam Æthiopissam. Sic ap. Liv. I. 50. *Turnus ab Aricia* est *Turnus Aricinus*. Virg. Georg. III. 2. *pastor ab Amphryso* v. Buchner. de commutata ratione dicendi pag. 352. Meretrices etiam lau-

Ancillulam, relictis rebus omnibus,
Quæsivi? porro Eunuchum dixti velle te,
Quia solæ utuntur his reginæ; repperi.
Heri minas viginti pro ambobus dedi.

tarum feminarum exemplo ancillis et eunuchis fuscis ad ministeria uti solebant. v. Tibull. eleg. II. 3. 55. et ibi Broukhus. R. D.

86 *Relictis rebus omnibus, quæsivi*] Hæc jam omnia in beneficiis considerari solent. D.

87 *Quæsivi?*] Vide quemadmodum exhibeat, atque errumnas sibi difficilium munerum dicat imposuisse meretricem (edd. vett. ita: *vide, ut exhibeat, errumnas sibi difficilium munerum imposuisse meretricem*). *Ex Æthiopia ancillulam*, inquit, *dixti te cupere.* Quid ego feci in re cœli, et solis, ac pene orbis alterius? *quæsivi.* non enim in promtu erat. Deinde, non *petisti*: sed *dixisti*: nec velle te, sed cupere: non nigram, sed ex Æthiopia: nec dedi, sed relictis rebus omnibus quæsivi. Quid hic non exquisitum? quid non ita expressum, ut nihil addi possit? *Eunuchum porro velle*] Eunuchos a Persis institutos putant ex captivis. A Babyloniis enim Hellanicus auctor est id habuisse. *Eunuchum porro dixti velle te*] Vide quemadmodum, ut majus faciat quod præstitit, non semel imputat duo mancipia: sed primo *puellam*, deinde *Eunuchum*. *Eunuchum*] Εὐνοῦχος εἴρηται, ὡς εἰνὴν ἔχων, τρῦτ' ἐστὶ, φυλάττων OCOCeIN ryNeN KeKAN ΔPOC.* (Wielingius opinatur, scripsisse interpretem: ὁ σώζων εἰνὴν γυναικῶν, καὶ ἀνδρός. En meam symbolam: ὅσα ἐν εἰνῇ γυνῆς τε καὶ ἀνδρός. W. Forte, ὅσα ἐστι κοινὰ γυναικὸς τε καὶ ἀνδρός. Sive, ὅπως μὴ ἄλλου ἡ γυνὴ κεκοίνωται ἀνδρός. Z.) *Porro*] Deinde, vel postea, vel multo post. D.

Velle te] Scilicet *habere*. Volo et nolo cum absolute ponuntur, semper supplendum est verbum conveniens sententiæ. v. Duker. ad Flor. III. 1. p. 431 R. D.

88 *Quia solæ utuntur his reginæ*] Illam, quia ex Æthiopia, hunc, quia solæ his reginæ utuntur. Quid tale Thaidi rivalis dedit? *Quia solæ utuntur his reginæ*] Varie Eunuchum dixit, et intulit *his*. ut, *si quisquam est, qui placere se studeat bonis quam plurimis, et minime multos lædere: in his poeta hic nomen profitetur suum. Reginæ*] Id est divites. sed ἐμφατικώτερον est. *Quia solæ utuntur his reginæ*] Nota, quum Eunuchum in singulari numero præposuerit, *his* subjunxisse. sed *his* non ad Eunuchum retulit, sed ad delicias, aut quid tale: quia solæ utuntur hujusmodi deliciis servitiisque reginæ. Et oratorie hic subdidit, quod in ancillula prætermisset. quia nulla Æthiopissa honesta dici potuit. *Et reginas* modo divites dicit, ut in Phormione, *regem me esse oportuit. Reperi*] Plus est quam *emi*. Et vide quam propriis et amplissimis verbis usus est. quia et ancillam ex Æthiopia, et Eunuchum, quo solæ utuntur reginæ. illam quæsivi, et hunc repperi: neutrum enim horum facile (forte, *frustra* Z.) positum erat. D.

Reginæ] Sunt matronæ nobiles et opulentæ, ut bene Donatus exponit; ita *rex* pro homine potenti in Phorm. II. 2. 24. sed et clientes patronos divites et potentes vocabant *reges*. v. Horat. epist. I. 17. 43. Notanda vero h. l. enallage numeri. Nam cum dixisset *Eunuchum* in singulari, subjicit *his* in plurali. cujus commutationis exempla v. apud. Ciceron. de offic. II. 11. et alios quos laudant Gronov. de pecunia II. 48. p. 76. et Burmann. ad Valer. Flacc. VIII. 178. R. D.

89 *Heri minas decem*] (Scripsit Donatus vel *viginti*, vel, quod verosimilius videtur, *triginta*. Nam paulo post *viginti* minis solum Eunuchum emtum

Tamen contemtus abs te, hæc habui in memoria,
Ob hæc facta abs te spernor. T. Quid istic, Phædria?
Quamquam illam cupio abducere, atque hac re arbitror
Id fieri posse maxume: verumtamen,
Potius quam te inimicum habeam, faciam ut jusseris.
PH. Utinam istuc verbum ex animo ac vere diceres,

esse ait Z.) *Pro ambobus dedi*] Recentiora beneficia, graviora adversum ingratos sunt. Ergo a tempore inducitur exprobratio. *Pro ambobus dedi*] Melius amborum pretium dixit, quam ut separatim diceret, quanto emerit ancillulam nigram: de qua mox dicetur, *hic sunt tres minæ*. Nam constat Eunuchum solum emtum esse minis viginti; ut ipse Parmeno confitebitur seni. D.

Magis magnificum sonat, quod cod. C. C. habet, *heri minas pro ambobus viginti dedi*. Atque auctor solet *viginti* illud ponere in sede quinta. B.

90 *Tamen contemtus abs te*] Et hoc servatur in beneficiis. Nam majora sunt, cessantibus meritis eorum, quibus præstantur. D.

91 *Ob hæc facta abs te spernor*] Sic Virg. Æn. IV. 217.—*nos munera templis quippe tuis ferimus, famamque fovemus inanem*. Et, *vel quas tulit*, cum interrogatione aut cum increpatione proferri potest. *Ob hæc facta abs te spernor*] Hic duplex est pronunciatio: vel per invidiosam prolationem (lege ex ed. Venet. et Argent. *exprobrationem*), vel per interrogationem. Et melius hoc modo, quam interrogative profertur: hic enim est multo gravior illo. *Quid istic?*] Hoc adverbium consentire incipientis est. et est ἔλλειψις: deest enim *remoramur*, aut quid tale. D.

92 *Cupio abducere*] *Abducere* dixit, tanquam ab stulto: nec per verum meritum, sed per fraudem. Cicero Verr. III. 34. *Per vim atque dolum abducta ab Rhodio tibicine*. *Atque hac re arbitror*] Non dicit qua, hoc est, ex te (edd. Venett. *Non dixit, quia hoc est ex te*. Videtur legendum: *non dicit qua, quia hoc est ex re*. Nempe non erat *ex re* Thaidis, speciatim dicere coram exulcerato Phædria, *qua re* id quod cupiebat fieri posset maxime, sc. Phædria excludendo, Thrasone admittendo. Nisi legas: HAC RE. *Non dicit qua hoc est ex re*). Veruntamen scit meretrix, contentione quædam negari (lege: VERUM TAMEN] *Scit meretrix concessione quædam levari*. Quam lectionem, opinor, firmant sequentia). Ergo fingit se vinci, ut adolescentem molliat: et ipsa cedit, ut et ille remittat pertinaciam. D.

93 Suavius sonat, *id posse fieri*, ut infra IV. 7. 9. B.

94 *Potius quam te inimicum habeam, faciam ut jusseris*] Hoc totum loquitur, tanquam magis ipso amet Phædriam, quam ab illo ametur. *Te inimicum habeam*] Huic contrarium est, *ut te amicum habeam*. *Faciam ut jusseris*] Nec voluntate, nec vultu consentientis hoc meretrix agit (lege, *ait*. Nec enim agit, nec actura est, sed se facturam ait): sed callide tentat omnia. Nam quia persistendo non perficit quod exspectabat, docet Phædriam etiam ipsum negligentius negare quod poscitur. et adeo hoc subtile est, ut statim impetraverit. Pervulgatum est enim, Quod summa vi defenderis, quum extorqueretur, hoc idem postmodum remitte remittenti. D.

95 *Utinam istuc verbum*] Et *istuc verbum*, pro tota sententia. *Verbum* pro dicto. Sed proprie ἀξίωμα, id est, sententia vel enunciatio, quæ uno ligatur et astringitur verbo, *verbum* a veteribus dicebatur. *Ex animo, ac vere diceres*] Certe: quia est qui ex animo dicat, fallat tamen. D.

Ex animo ac vere] I. e. ex animi sen-

Potius quam te inimicum habeam. si istuc crederem
Sincere dici, quidvis possem perpeti.
Pa. Labascit, victus uno verbo, quam cito!
T. Ego non ex animo misera dico? quam joco
Rem voluisti a me tandem, quin perfeceris? 100
Ego impetrare nequeo hoc abs te, biduum
Saltem ut concedas solum. Ph. Siquidem biduum:
Verum ne fiant isti viginti dies.

tentia, non simulate aut ficte. Catull. carm. 110. *id sincere dicat et ex animo.* R. D.

96 *Potius quam te inimicum habeam*] Tantum in animum Phædriæ hoc descendit, ut etiam repetat, quod amica dixerat adulando. D.

97 *Sincere dici, quidvis possem perpeti*] *Sincerum*, purum, sine fuco, et simplex: ut mel sine cera. Bene ergo ut mel, blandimentum meretricis dulce fatetur, sed negat esse sincerum. D.

Sincere dici] Charis. lib. 1. et 2. L.

98 *Labascit*] Omnia inchoativa trisyllaba fere media producta enunciantur. *Victus uno verbo. quam cito?*] *Quam cito* ait, qui illum falsa lacrymula vinci crediderat posse. Plus factum est: uno victus est verbo, et cito. *Victus uno verbo*] *Utinam istuc verbum.* Et *uno verbo*, ut diximus, sic accipe: ut verbum dictum intelligas, quod verbo complectitur (edd. Venett. *amplectitur.* Sensus constabit, si junctim legas, *quod verbo complectitur completæ*, &c.) et completæ sententiæ pronunciationem, quod ἀξίωμα nominabatur. D.

Labascit] Diomed. lib. 1. L.

Melius, opinor, sic. *labascit, victu'st, uno verbo, quam cito.* B.

Labascit] I. e. labi incipit, multum de constantia remittit, Plaut. in Rudente V. 3. 38. metaphora ducta ab arbore quæ multis succisa ictibus ruinam minatur. v. Donat. ad Ad. II. 2. 31.

Victus uno verbo] Apposite Propert. eleg. II. 5. 15. *quum facile irati verbo mutantur amantes.* R. D.

99 *Ego non ex animo misera dico?*] Quod sensit multum valuisse, hoc Thais inculcat animo amici sui. Et *ego*, vide quanta significet. Convenit hoc pronomen blande multa exprobranti: ut Virgil. Æn. IV. 314. *mene fugis?* D.

100 *Quam joco rem voluisti*] Contra illud refertur, quod ait Phædria, *nonne ubi mihi dixti cupere te ex Æthiopia ancillulam, relictis rebus omnibus, quæsivi?* Sed hoc vehementius et disertius, *quam joco rem voluisti.* Non munus, inquit, sed quod plus est, *rem*; et non serio, sed *joco*, a facilitate præstantis. Et *voluisti*, non etiam dixisti. Mirandum obsequium, ex voto animi pendens. Non exspectat imperium: ne voluptati mora sit, dum jubetur. Tum illud, quod ait, *perfeceris*: nonne pondus hoc verbi et potentiam Phædriæ circa amicam, et illius obsequium vehemens, et rerum difficultatem quæ extortæ sint, monstrat, atque omnem obterit querelam Phædriæ? D.

101 *Ego impetrare nequeo hoc abs te*] Tu et joco, et non petisti, cum perfeceris tamen. at ego hoc impetrare non possum. D.

102 *Saltem ut concedas solum*] Argute additum *saltem* et *solum*. Et bene, *concedas*, ut voluntatis sit: sic enim dixit supra, *sine illum priores partes hosce aliquot dies apud me obtinere* (ex memoria laudavit versum 71. lege, *habere*). D.

103 *Verum ne fiant isti viginti dies*] Facete biduum decuplavit: et simul quia ex eadem ratione sunt viginti, ex qua duo; et ex qua viginti, ducenti, duo millia, et sic deinceps. D.

T. Profecto non plus biduum, aut—PH. Aut? nihil moror. 104
T. Non fiet: hoc modo sine te exorem. PH. Scilicet,
Faciundum'st quod vis. T. Merito amo te. PH. Bene facis.
Rus ibo: ibi hoc me macerabo biduum:
Ita facere certum'st: mos gerundu'st Thaidi.
Tu, Parmeno, huc fac illi adducantur. PA. Maxume,
PH. In hoc biduum, Thais, vale. T. Mi Phædria,
Et tu. numquid vis aliud? PH. Egone quid velim?

104 *Profecto non plus biduum, aut*] Ἀποσιώπησις secunda. D.

Biduum aut] Volebat addere triduum, sed Phædria interrumpit. R. D.

Nihil moror] Est formula aliquid contemnentis, certe non magnopere desiderantis. v. Plaut. in Mostell. III. 2. 55. R. D.

105 *Hoc, modo sine te exorem*] Nove nunc, non *de te exorem*: sed *te exorem*. *Hoc* absolute. D.

106 *Faciundum est quod vis*] Non *quod oportet*, sed *quod vis* dicendo, multum addidit obsequio suo. *Merito amo te*] Bene amoris mentionem ad auferendam suspicionem contemtus Phædriæ fecit. *Bene facis*] In consuetudinem venit: *bene facit*, et *bene fecisti*, non judicantis esse, sed gratias agentis. D.

Verba *bene facis* ipsi Thaidi esse tribuenda, præter cod. G. Fabricii, duo e nostris veterrimi confirmant. B.

Merito amo te. bene facis] Sunt formulæ gratias agentis. Cic. ad Att. I. 3. *te multum amamus quod ea abs te diligenter curata sint.* infra III. 2. 2. *ecquid nos amas de fidicina isthac.* Utraque formula jungitur. in Ad. V. 8. 22. R. D.

107 *Rus ibo*] Et hoc amatorium est, odisse urbem sine amica. Nec dixit, *ibi ero*: sed, *ibi hoc me macerabo biduum*] Pronunciandum est *biduum*, ac si dixisset biennio. D.

108 *Ita facere certum est*] Ex his apparet verbis, quam sibi amator hoc ægre imperet. *Mos gerundus est Thaidi*] Cum pronunciatione et gesta: ut ostendat, quæ vis amoris sit, ut Thaidi mos geratur. D.

109 *Huc fac illi adducantur*] Eunuchus et ancilla figurate *illi*: sed prævalet genus masculinum. *Adducantur*, pro adducito eos. Et bene adjectum est, ne dilatis ob retentionem muneribus (lego: *aut retentis muneribus*,) non procederet actus fabulæ. et simul quia absentia Phædriæ opus est, dum per Chæream ludificatur meretrix. D.

110 *In hoc biduum Thais vale*] Nunc *vale* abscessum significat, non salutationem: nam si mera salutatio est, biduo solum amicam valere optat. Sed præscribere conatur, quanto tempore abfuturus sit: et simul ostendit, quam invitus abscedat. *In hoc biduum Thais vale*] Accusativo utens casu expressit amatoris impatientiam: *biduum* dicens, præscripsit de tempore. Et *vale*, majorem vim habet ex dolore discedentis, quam obsequio salutantis. D.

111 *Et tu. numquid vis aliud?*] *Vale* subaudiendum salutatorium. Et subintelligendum est post osculum dici, *numquid vis aliud?* quasi recte factum. D.

Num quid vis aliud] Has formula discedentes rogant, num quid sibi mandari velint. v. infra II. 1. 7. et Plaut. in Aulular. II. 2. 85. R. D.

Cum milite isto præsens, absens ut sies:
Dies noctesque me ames: me desideres:
Me somnies: me exspectes: de me cogites:
Me speres: me te oblectes: mecum tota sis:
Meus fac sis postremo animus, quando ego sum tuus.
T. Me miseram! forsitan hic mihi parvam habeat fidem,
Atque ex aliarum ingeniis nunc me judicet.
Ego pol, quæ mihi sum conscia, hoc certo scio,
Neque me finxisse falsi quicquam, neque meo
Cordi esse quemquam cariorem hoc Phædria.

112 *Cum milite isto*] *Isto* bene additum, quasi odioso, ut alibi, *jam vero mitte, Demea, tuam istam iracundiam.* Et Virg. Æn. IX. 94. *aut quid petis istis?* Hæc enim pronomina spernentis sunt, odiumque monstrantis. *Præsens, καθόλου.* D.

113 *Me desideres*] Αὔξησις; quia plus est amore desiderium. D.

Mutato ordine, numeri meliores fiunt, *noctes diesque*, ut V. 9. 49. Andr. IV. 1. 53. B.

114 *Me somnies, me exspectes*] Ἐπαναφορά prima. Cum amare et desiderare sit voluntatis atque etiamnum obsequii (*voluntatis, atque animi et obsequii.* Ms. Bœnd. et ed. Du B.) *somniare*, satis amatorie dictum est. D.

Me somnies] Sic Ovid. epist. XV. 123. *tu mihi cura Phaon te somnia nostra reducunt.* v. Broukhus. ad Propert. eleg. I. 11. 5. R. D.

115 *Me speres?*] Cum, *me exspectes*, jam dixerit: quid sibi vult iterum *me speres?* Inter spem et exspectationem hoc interest: quia *exspectatio*, certorum est: *spes* vero, incertorum. Et *exspectatio* propinquarum rerum: *spes*, longinquarum. Et *exspectatio*, destinat tempus: *spes*, non destinat. An, *me speres idem facere?* id est, de te cogitare: ut sit *speres*, credas: ut statim in subditis invenies. *Nam ejus fratrem spero jam propemodum reperisse. Me te oblectes*] Septimus casus *me*. *Mecum tota sis*] Toto animo. Nam illam nunc animum vult esse, non (*nunc*, malim. In edd. vett. *dixit esse*) corpus. et simul quod ipse ab ejus corpore patitur: id vult militi ejus mente contingere, tanquam penitus excluso ab amica. D.

116 *Quando ego sum tuus*] Animus scilicet. D.

117 *Me miseram! forsitan hic mihi*] Recte Thais nunc partem argumenti exsequitur tacitam (cum non probabile sit, Phædriam et Parm. restitisse in scena: pro *tacitam* forte Don. scripsit, *quam tacuit ante* Z.) apud Phædriam, propter præsentiam servi: quem poeta vult ita nescire, ut audeat ad vitiandam virginem subornare Chæream. D.

Lege *forsan parvam hic habeat mihi fidem*. B.

Forsitan hic mihi parum habeat fidem] Bentlei. legit *forsan parvam hic habeat mihi fidem* ut in Phorm. V. 3. 27. *itane parvam mihi esse fidem apud te.* Sed videndum, an *parum fidem* defendi possit ex iis, quæ notavit Burmann. ad Ovid. Metam. et ad Virg. Æn. R. D.

118 *Atque ex aliarum ingeniis nunc me judicet*] Hic Terentius ostendit virtutis suæ hoc esse, ut pervulgatas personas nove inducat: et tamen e consuetudine non recedat: ut puta, meretricem bonam cum facit, capiat tamen et delectet animum spectatoris. D.

120 *Neque me finxisse falsi quicquam*] Aut, *dixisse*, debuit dicere: aut abundat *falsi*: aut ideo quia et vanum aliquid fingi potuit, ut supra, *si vanum, aut falsum, aut fictum est.* D.

121 *Esse quemquam cariorem*] Me-

Et quicquid hujus feci, causa virginis
Feci: nam me ejus spero fratrem propemodum
Jam repperisse, adolescentem adeo nobilem:
Et is hodie venturum ad me constituit domum.
Concedam hinc intro, atque exspectabo, dum venit.

ACT. II. SCENA I.

PHÆDRIA. PARMENO.

FAC, ita ut jussi, deducantur isti. PA. Faciam. PH. At diligenter.

lius, *quemquam*, quam si dixisset, *militem quemquam cariorem. Quemquam cariorem*] Quasi meretrix, non carum alterum, sed cariorem negat. D.

122 *Et quicquid hujus feci*] *Hujus* absolute: aut per ἔλλειψιν, ut desit *rei*. In Hecyra, *ne quid sit hujus oro*. In Heautontimorumeno, *nihil me istius facturum patri*. Virgil. Æn. IX. 94.— *aut quid petis istis? Quicquid hujus*] *Rei* subaudiendum est, quod eum exclusi foras. D.

Et quicquid hujus feci] Scilicet *rei*. Pronomina quidquid, quidnam, quid, id, idem, aliquid, sæpe cum genitivo generis construuntur. v. interpretes ad Liv. XXXII. 37. R. D.

123 *Spero propemodum*] Nove *spero*, pro credo vel confido. *Propemodum* ideo, quia hominem quidem novit, sed fratrem esse virginis nondum probavit. D.

124 *Adeo nobilem*] *Adeo*, pro nimis positum est, aut pro expletiva particula. D.

Adeo nobilem] Serv. Æneid. IV. ad illum vers. 96. *nec me adeo fallit*. L.

Adeo] Quidam explicant *valde*, *sane*, sed potius abundare videtur. v. Donat. ad h. l. et Duker. ad Flor. I. 18. p. 198. R. D.

125 Tres codd. cum edd. vett. habent *et is ea hodie*, &c. ut Hec. I. 2. 120. B.

Ad me domum] Sic Latini sæpe dicunt pro *domum meam*, infra III. 5. 28. *ad se abducit domum*. in Hec. V. 3. 24. *ad me confugere domum*. R. D.

Constituit] Constituere alicui vel cum aliquo est convenire cum aliquo de loco, tempore, et negotio, ubi, quando et quare coeatur. in Hec. I. 2. 120. *nam constitui, cum quodam hospite me esse illam conventuram*, ubi v. Don. Titin. ap. Non. Marcell. p. 146. *si rus cum scorto constituit ire*. Juven. Sat. III. 12. *hic ubi nocturnæ Numa constituebat amicæ*. Hujus verbi vim pulchre explicuit Gronov. observat. XI. 1. R. D.

126 *Atque exspectabo dum venit*] Futurum actum promittere voluit: non quo aliquis gestus sit exspectantis (scriptura corrupta, cui a libris nullis quicquam medelæ. Legendum opinor: *venturum actutum promittere noluit: neque aliquis gestus est exspectantis*). D.

1 *Fac ita ut jussi*] Jam amatorium multiloquium et vaniloquium continet ista actio: nam et repetit quod jam dictum est: et id facit magis et odiose nimis (lege: *et id facete magis, et odiose minus.*) D.

Fac ita ut jussi] Hæc scena tenet prima parte mandata servi, ducantur ad meretricem illa dona, quæ ante comparavit. E.

Fac ita ut jussi] Diomed. lib. I. cap. 4. L.

PA. Fiet. PH. At mature. PA. Fiet. PH. Satin' hoc mandatum'st tibi? PA. Ah!
Rogitare? quasi difficile sit.
Utinam tam aliquid invenire facile possis, Phædria,
Quam hoc peribit. PH. Ego quoque una pereo, quod mihi est carius.
Ne istuc tam iniquo patiare animo. PA. Minime: quin effectum dabo.
Sed numquid aliud imperas?
PH. Munus nostrum ornato verbis, quod poteris: et istum æmulum,

2 *Satin' hoc mandatum*] Aperte, inquit, dicta sunt ista tibi. E.

3 *Ah, rogitare? quasi difficile sit*] Deest *vis*, vel *pergis*: ut sit, rogitare pergis? Vel *te*, si ipsum respicit: vel *hunc*, si adversus (imo *aversus*, a Phædria scilicet ad spectatores. Idem vidit Lindenbr.) hoc dicit: ut sit, Ah, rogitare te? aut, rogitare hunc? Et distinctione interposita, inferendum voluose, quasi difficile sit id quod mandat (malim, *mandas*, vel, *mandatur*.) Ita et ineptiam nimiam circa hoc solliciti amatoris expressit: et ostendit nihil esse facilius, quam deducere ad meretricem munera: cum contra illud sit difficillimum, poscenti aliquid non dare. *Rogitare?*] Subauditur *te*. Ut sit, *mirum est te rogitare; quasi sit difficile complere quod jubes*. D.

Rogitare? quasi] Sensus: quasi si quid me fugit, sic interrogas. *Difficile sit. utinam aliquid*] Sensus: tam facile utinam lucri aliquid invenias, quam facile istud amittas. E.

In edit. Saudby. et Dacier. versum unum constituunt hæc: *Ah, rogitare? quasi difficile siet. utinam*. Z.

Rogitare] Per ellipsin dicitur pro *an opus est rogitare*. R. D.

4 *Aliquid invenire facile possis*] *Invenire*, acquirere. Sic in Heautont. *non quæris patri quomodo obsequare: et, ut serves quod labore invenerit*. Nam ideo a præcedenti etiam *quæstus* dicitur. D.

Invenire] I. e. parare, acquirere, ut in Andr. I. 1. 39. *invenies laudem*. R. D.

5 *Quam hoc peribit*] Deest *facile*: ut sit, *facile hoc peribit*. *Quod mihi est carius*] Pro, qui mihi sum carior. Sed *ego* dixit absolute, occurrens huic pronomini *quod* (*qui*, edd. vett. Ms. Bœnd. et ed. Du B.) D.

6 *Quin effectum dabo*] *Quin* pro imo. ut in Heautont. *quin nolo mentiare*. D.

Faernus hunc et tres seqq. versus sic quoque ordinavit, haud dubie e libris suis. Cæterum ut sit trochaicus tetrameter, pro *effectum* corrige *factum*. B.

7 *Sed numquid aliud imperas?*] In his servus nihil vult, nisi coactus facere, propter majorem dominum. sic et alibi, *Jubesne?* inquit responderet ei Chærea (R. Steph. *respondere Chærea*. Lege et distingue: JUBESNE? inquit. *Respondet ei Chærea*. Vel cum Ms. Hulst. et ed. Du B. *respondente Chærea*. W. At si ante *responderet* interseris *ut*, omnia salva habebis Z.) *cogo atque impero*. D.

Æmulum, quod poteris] Mandat adolescens servo, ut munus suum verbis ornet, et militem meretricis ab amore discludat. E.

8 *Munus nostrum ornato verbis*] Ἠθικῶς, non dixit *meum*, quasi et Parmenonis sit. *Et istum*] Id est, molestum et odiosum: nam hoc significat *istum*. D.

Munus nostrum ornato] Charis. lib. 2. L.

Quòd poteris, ab ea pellito.

PA. Memini, tametsi nullus moneas. PH. Ego rus ibo, atque ibi manebo.

PA. Censeo. PH. Sed heus tu. PA. Quid vis? PH. Censen' posse me obfirmare

Et perpeti, ne redeam interea? PA. Te ne? non hercle arbitror.

Nam aut jam revertere, aut mox noctu te adigent horsum insomnia.

PH. Opus faciam, ut defatiger usque, ingratiis ut dormiam.

Munus nostrum ornato verbis] I. e. præstantiam muneris verbis augeto. Cic. de offic. II. 20. *neque vero verbis auget suum munus.* Plin. epist. I. 8. *qui benefacta sua verbis adornant.* ubi v. Cortium. Justin. XV. 1. *adjecto honore verborum.* Quintil. declam. 13. p. 287. *parvis muneculis adjicere commendationem.* R. D.

9 *Ab ea pellito*] *Ab ea*, ab ejus animo. et non, *pelli facito*: sed, pellito. D.

Illud *au*, quod in codd. et edd. vett. versum 10. orditur, mutatum in *ab* apponatur nostro. B.

Quod poteris] I. e. quantum poteris. Cic. ad Div. I. 1. *quod commodo rem facere possis.* ubi v. Græv. in Heaut. III. 17. *quod potero adjutabo senem.* R. D.

10 *Tametsi nullus moneas*] Properat servus carpere vaniloquium domini. Et *nullus*, pro non. sic in Hecyra, *nullus dixeris.* Plautus in Trinummo III. 1. 5. *nullus credas. Ego rus ibo*] Et hoc jam dictum est: sed ostendit, quam moleste id incipiat Phædria. D.

Nullus moneas] Hoc est, etsi non moneas; quod alio in loco ait: *nullus dixeris; alias uti possim causa hac integra.* E.

Memini, tametsi] Ms. *Au! memini.* L.

11 *Censen' posse me obfirmare, et perpeti*] Arbitraris: ut *censores*, qui morum alienorum habent summum arbitrium. Et ideo hunc putant non censere, quia ipse desiderat fieri. *Posse obfirmare, et perpeti*] Verba sunt desperantis: non firmare, sed obfirmare: non pati, sed perpeti. D.

Censeo est ironice negantis se censere, ut audio, et similia. B.

Censeo] Ironice est negantis, se censere, ut *audio* et similia. v. Bentl. ad h. l. R. D.

Obfirmare] Supplendum *me* vel *animum. Obfirmare se* vel *animum* est persistere in proposito, pertinaciter propositum prosequi. in Heaut. V. 5. 8. *obfirmate.* Plaut. in Mercat. I. 1. 82. *ut ut animum obfirmo meum.* R. D.

12 *Te ne?*] *Te* quod ait, hanc vim habet, ut significet perditum amore Phædriam esse. D.

Et appone priori. B.

13 *Nam aut jam revertere*] Modo *jam*, pro statim. *Te adigent horsum*] Hoc est, ad urbem agent. *Insomnia*] Vigiliæ. Legitur et *adiget*, ut sit *insomnia* numeri singularis. D.

Unus cod. Faerni, et Donatus recte *adiget.* Nam *insomnia* in gen. fem. usi sunt Ennius, Pacuvius, Cæcilius, Sallustius, Suetonius, Gellius. B.

Horsum] I. e. huc versum. in Hec. III. 4. 36. *horsum pergunt.* R. D.

Insomnia] Singulari numero feminini generis est, defectus somni, vigiliæ. Græce ἀυπνιά. Sallust. Catil. c. 27. *neque insomniis neque labore fatigari.* Insomnia in plurali sunt somnia. v. Broukhus. ad Tib. eleg. III. 4. 1. et Bentlei. ad h. l. R. D.

14 *Ut defatiger usque*] Ordo est, usque ut defatiger. *Ingratiis ut dormiam*] Id est, etiam invitus et coactus.

PA. Vigilabis lassus: hoc plus facies: PH. Ah, nihil dicis, Parmeno.

Ejiciunda hercle hæc est mollities animi: nimis me indulgeo.

Tandem non ego illa caream, si sit opus, vel totum triduum? PA. Hui!

Univorsum triduum? vide quid agas. PH. Stat sententia.

PA. Di boni! quid hoc morbi est? adeon' homines immutarier

Nam *ingratiis*, non ultro significat. quia ultronea grata sunt: ingrata, quæ ab inimicis (lege, *invitis*) fiunt, ac recusantibus. D.

Opus faciam, ut defatiger] Alexand. Aphrod. lib. 2. Problem. Διὰ τί ὁ κόπος ποιεῖ ὕπνον &c. L.

Antiqui libri recte habent *defetiger*. Pro vulgari illo *ingratus*, et Donati, Bembinique *ingratis*, corrige *ingratiis*. B.

Opus faciam] I. e. agrum colam. Opus per excellentiam dicitur de opere rustico Cic. de Senect. c. 7. Lactant. de ira Dei c. 13. *animalia facta esse partim ad vestitum partim ad operis auxilia*. v. in Heaut. I. 1. 20. in Ad. IV. 1. 2. sic et apud Græcos sumuntur ἔργα et ἐργάζεσθαι. v. Græv. in lection. Hesiod. R. D.

Ingratiis] I. e. invitus, contra voluntatem. Proprie est ablativus adverbialiter positus. v. interpretes ad Nepot. Themistocl. c. 4. Comici semper dicunt *ingratiis*, alii scriptores *ingratis*. Cic. in Verr. IV. 9. *dicent quæ necesse erit ingratis*. v. Oudendorp. ad Apuleii metamorph. I. p. 80. R. D.

16 *Nimis me indulgeo*] *Me* sic veteres, quod nos *mihi* dicimus. Alibi, *te indulgebant, tibi dabant*. D.

Nimis me indulgeo] Ms. R. *nimis mihi*. L.

Melior ordo est in cod. regio aliquo, *est hæc*. B.

Me indulgeo] Antique pro *mihi*. Sic et in Heaut. V. 2. 35. v. Donat. ad h. l. et Cort. ad Sallust. Catil. c. 2. R. D.

17 *Tandem non ego illa caream, si sit opus, vel totum triduum?*] Sic cœpit tanquam aliquid foret dicturus magnificum: non autem est παρὰ προσδοκίαν, sed vere amator magnum hoc putat. *Vel totum triduum?*] Magna professio virtutis, cum biduo sit opus, triduo posse durare. Et *totum triduum*, dicit *universum triduum* (excidit *servus* Z.) εἰρωνικῶς: quasi sit triduum in multo numero. D.

Ego illa est anapæstus. B.

18 *Vide quid agas*] Sic dicitur magna aggredientibus. *Stat sententia*] Et vultu et gestu magis spectabile quod dixit *stat sententia*: vel maxime eo, quod tanto sonitu hæc de se promittat Phædria continuo rediturus, vel potius non accessurus ad villam. Tantum autem aberit, quantum temporis opus est ad vitiandam virginem. D.

Vide quid agas] Hac formula aliquem monemus, ne rem difficilem et periculosam suscipiat. v. infra, V. 4. 43. R. D.

Stat sententia] I. e. decrevi. Ov. Metam. I. 2. 43. *sic stat sententia*. v. Sigon. ad Liv. XXI. 29. Etiam *stat* absolute sic dicitur. Cic. ad Attic. III. 14. *neque adhuc stabat quo potissimum*. Eodem modo dicitur *consilium sedet*. v. Flor. II. 18. et Duker. in ind. R. D.

19 *Quid hoc morbi est?*] Excusatio

Conveni hodie adveniens quendam mei loci hinc atque ordinis,
Hominem haud impurum, itidem patria qui abligurierat bona.
Video sentum, squalidum, ægrum, pannis annisque obsitum. 5

3 *Conveni hominem*] *Convenisse*, non vidisse tantum, sed etiam collocutum fuisse significat. *Mei loci atque ordinis*] *Loci*, ingenium: *ordinis*, pauperem. Illud natalium, hoc fortunæ est. D.

Mei loci atque ordinis] *Mei loci* pauperem dicit, *ordinis* parasitum. E.

Adveniens] H. e. cum advenissem. Hoc Græci clarius explicant per eorum participia et Latini per verba deponentia. v. Sanctii Minerv. I. 15. p. 132. R. D.

Mei loci atque ordinis] Locus tum de genere dicitur tum de sorte, conditione, dignitate, in qua quis positus est. Sallust. in Catil. c. 23. *natus haud obscuro loco*. Cic. de amicit. c. 2. *loco, fortuna, fama superiores*, ubi v. Græv. Sic etiam *ordo* accipitur. Plaut. in Aulul. II. 2. 55. *et meus me ordo irrideat*. R. D.

4 *Hominem haud impurum*] Non dixit prodigum: quia hoc ipsum probat: sed non avarum, non improbum. Et sic laudamus eos, in quibus nihil est quod magnopere efferamus. *Itidem patria qui abligurierat bona*] Hoc joculari vultu dicitur. Et eleganter ex persona parasiti non culpatur quod comederit bona. *Abligurierat*] Suavibus escis consumserat. Nam ἀπὸ τοῦ λιγυροῦ est *ligurire*. et λιγυρόν Græci suave appellant. D.

Haud impurum] Non malum. *Impuros* enim crudeles ac sævos appellant; unde et *spurcos* dicebant sævissimos. ut Tullius in Gallia * (Ms. neuter lacunam habet. Alter, *in Galia*. quomodo legi in aliis, prior supra scriptum habet) *aqua spurce dictum commemorarent, in libera civitate*. *Patria abligurierat*] *Abligurire* est, leviter cibos suspensis quodammodo digitis tangere. Ut idem Terentius dixit de meretricibus: *quæ foris cum cœnant, liguriunt*. Ita adjecta præpositione, *abligurire*, plurimum consumere significat. E.

Abligurierat bona] Glossar. *Abligurio* καταλιχνεύω. Et *obliguritores* Jul. Firmic. lib. V. cap. 5. L.

Haud impurum] H. e. non improbum, non malum. in Heaut. IV. 1. 16. *anus haud impura*. R. D.

Abligurierat bona] I. e. per luxum absumserat. Cic. Catil. II. 5. *fortunas suas abligurierunt*. *Ligurire* proprie suavissima quæque in cœna carpere. v. infra V. 4. 14. et Donat. ad h. l. R. D.

5 *Video sentum*] Quam bene *video*, postquam dixit *conveni*. et tempus mutavit et verbum. *Sentum*] Horridum. *Sentum*] Ad horrorem retulit. *Squalidum*] Ad sordes. *Ægrum*] Ad maciem. *Pannis annisque obsitum*] Ad vestitum et ad tristitiam. Sed *pannis et annis*, μωρολογίαι parasitorum sunt. *Pannis annisque obsitum*] Vel parasitica vernilitate καθ' ὁμοιοτέλευτον dictum: vel quia Homerus, Od. τ', 360. dixit, ἄιψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσι; et est miseriæ senium deditum. Unde huic magis tristitia gravitasque displicuit, aliena semper ab omnibus parasitis. *Annisque obsitum*] Bene addidit *annis*: quia at quisque miserior est, ita senior videtur. *Obsitum*] Ut sentum dixit *obsitum*. μεταφορά ab agro. D.

Video sentum] Miserorum expressio his modis semper impletur, vultu, habitu corporis, atque vestitu. Ita vestitus est, quod dixit, *sentum et pannis obsitum*. Corporis habitus est, *squalidum annisque obstium*. Vultus, *ægrum*,

Quid istuc, inquam, ornati est? Quoniam miser, quod habui, perdidi. hem!
Quo redactus sum! omnes noti me atque amici deserunt. Hic ego illum contemsi præ me. Quid homo, inquam, ignavissime?

Sic Virg. Æn. III. 593. *Respicimus, dira illuvies immissaque barba, Consertum tegmen spinis.*—Et supra, Æn. III. 591. *memorandaque cultu, Procedit. Pannis annisque obsitum*] Obtectum intelligimus *obsitum*, unde intellectus verbi ipsius efficitur: *pannis obsitum, et annis obsitum.* E.

Video sentum] Apul. Florid. 1. *Vultu ferino trux, hispidus, illutibarbus, spinis et pilis obsitus.* Vid. Servium lib. III. Æneid. ad illum vers. 594. *Consertum tegmen spinis. Annis pannisque*] Hieronym. Epist. ad Eustoch. *Anus quædam annis pannisque obsita procucurrit.* Jul. Firmic. lib. IV. *pannis obsitos et pauperes.* Lib. V. cap. IX. *Erunt pauperes, despecti, vestibus et pannis obsiti.* Ammian. Marcellin. lib. XV. *frustis squallere pannorum.* et alibi apud alios. L.

Sentum] I. e. horrentem illuvie, incultum. Translatio desumta est ab agris qui proprie dicuntur senti, cum sentibus spinisque obruti sunt. Virgil. Æn. VI. 4. 62. *per loca senta situ.* ubi v. Servium. R. D.

Pannis annisque obsitum] I. e. senem indutum vili centone. Nam *panni* proprie sunt centones, in Heaut. II. 3. 53. *ancillula erat pannis obsita, neglecta.* Sueton. in Calig. c. 35. *pannis obsitum vicatim circumducit.* Annis obsitum dixit Terentius ut Virg. Æn. VIII. 307. *ibat rex obsitus ævo. Obsitus* proprie dicitur de agro, qui plenus est malarum herbarum, veprium et sentium. v. interpretes ad Livium I. 14. et Burmann. ad Lucan. V. 627. R. D.

6 *Quid istuc ornati inquam?*] Scire nos convenit, cum recto casu proferatur interrogatio, non esse contumeliosum: ut si dicas, *quis hic homo est?* Si autem in obliquo, contemtum significari. ut, *quid hoc est hominis? quid mulieris? quid ornatus? Quid istuc ornati, inquam?*] *Ornatus, τῶν μίσων* est, ad dedecus (*decus* recte habet Ms. Bœnd.) et ad turpitudinem. Vel simpliciter hoc accipe, vel εἰρωνικῶς. Et *ornati*, ut *senati*, antiquus genitivus. *Quod habui, perdidi*] Non dixit, id quod erat comedi, aut consumsi. D.

Quid istuc ornati?] Ornamenta et in malis dicimus, non sólum in pulchris et melioribus. Cum supra de deterioribus dixerit, subjecit: *quid*, inquam, *ornati est?* ipse similiter paulo post, cum Eunuchum mutata veste vestitum videret indecore: ut, *ita jam adornabat fugam.* Alibi: *ornatus esses ex tuis virtutibus.* E.

Pro *hem* in cod. C. C. singularis notæ reperitur *en*, ut Virg. Ecl. I. 72. *En quo discordia cives produxit miseros!* B.

Ornati] Antique pro *ornatus.* R. D.

7 *Hem, quo redactus sum?*] Vel habitum suum, vel corpus ostendens hoc dicit. Nec quicquam hic, nisi ex media consuetudine collocatum est. *Omnes noti me, atque amici deserunt*] Sententiose atque mordaciter in mores. D.

Noti] Active dicuntur, qui me norunt. Cic. in Verr. I. 7. *putabam non solum notis sed etiam ignotis probatam meam fidem esse.* v. Burmann. ad Petron. c. 112. et interpretes ad auct. de B. Hisp. c. 3. R. D.

8 *Hic ego illum contemsi præ me*] Hoc est illud, *homo homini quid præstat? stulto intelligens?* D.

Hic ego illum contemsi] Hoc est me considerans, illum miserum dixi. E.

Hic ego illum] Priscian. lib. XIV. et XV. L.

Itan' parasti te, ut spes nulla reliqua in te esset tibi? Simul consilium cum re amisti? viden' me ex eodem ortum loco? Qui color, nitor, vestitus? quæ habitudo est corporis?

9 *Itane te parasti*] Quam objurganter? tanquam in illo sit, quod miser est. Et alibi, *nam nemo illorum quisquam, scito, ad te venit, quin ita paret se, abs te ut blanditiis suis, quam minimo pretio, suam voluptatem expleat.* Et hoc proprie verbum ad exprimendam inhumanitatem et ignaviam factum est. *Ut spes nulla reliqua in te siet tibi?*] Sententiose, ad illud quod et Virgilius, Æn. XI. 309. ait, *ponite; spes sibi quisque. Ut spes nulla reliqua in te siet tibi?*] Bene, quasi qui rem a fortuna acceperit. D.

Esset probatur a Faerno, quod non modo sit in cod. Bemb. sed et habeat sensum elegantiorem. Ego probo *sit*, cum sermo sit de præsenti tempore. *Siet*, quod, tribus exceptis, nostri habent, nihili facio, quia id ipsum pronunciandum erit *sit*. B.

Parasti te] I. e. rationes tuas instituisti. in Hec. I. 1. 11. *ita parat se.* v. Bentl. ad Horat. epist. I. 1. 8. 11. 12. R. D.

10 *Simul consilium cum re amisti?*] Virg. Æn. II. 79.—*nec si miserum fortuna Sinonem Finxit: vanum etiam, mendacemque improba finget.* Et Sallustius, Jug. I. *neque fortuna eget: quippe quæ probitatem, industriam, aliasque bonas artes neque dare, neque eripere cuiquam potest.* Ergo hæc interrogatio, increpantis est: nec desiderat responsionem. Nam *consilium* in bonis animi: *res* in potestate fortunæ. *Ex eodem ortum loco?*] Ex eadem fortuna. D.

Ex eodem ortum loco?] Scilicet, quia supra dixit: *quendam mei loci atque ordinis.* E.

Consilium cum re] Ita dicitur pro *consilium* et *res*. Cic. Tuscul. quæst. III. 18. *si cui simul animus cum re concidit.* Duker. ad Liv. XXXI. 36. R. D.

11 *Qui color, nitor, vestitus, quæ habitudo est corporis?*] Hoc contra illud, *video sentum, squalidum, ægrum, pannis annisque obsitum. Color* ergo ad *sentum: nitor* ad *squalidum: vestitus* ad *pannis annisque obsitum: habitudo* corporis, ad *ægrum* refertur. *Quæ habitudo est corporis?*] Plautus in Epidico, I. 1. 8. *corpulentior hercle, atque habitior.* D.

Qui color] Hoc est quod supra positum, *video ægrum. Nitor, vestitus*] Quod supra dixerat, *sentum. Quæ habitudo*] Id est, annis obsitum, cum contra Virgilius dixisset, Æn. III. 590.—*macie confecta suprema.* Hic interrogatus ille nescio qui, cur tali habitu et miseria esset ornatus, docet illam quæ in parasitis antea fuerat * ideo (In neutro Ms. lacuna est. W. Forte sensus loci restitui potest ita: *docet vitam, quæ in p. a f. et ideo subjicit* Z.) subjecit: *at ego infelix, neque ridiculus esse, neque plagas pati possum.* Itaque utrumque quod in disciplina fuerat, brevi responsione concludit, quod et *ridiculus* antea fuerit et *verberatus.* At contra Colax parasitus, quod nunc melius artis genus parasitorum esse videatur, idque dicit a se primum institutum. propterea quod est hominum genus, qui omnium rerum sibi vindicant principatum, quos, sectando et consensum his commodando, facile in amorem tuum possis inducere. Exinde natum dicit parasitorum hoc genus, ut colaces sint. E.

Dintingue et lege sic: *qui color, qui nitor vestitus.* Parasiti enim, ut statim agnoscerentur, in scenam prodibant ἱσθῆτι μελαίνῃ ἢ φαιᾷ, veste atra vel pulla. v. Poll. IV. 18. Igitur *color* et

Omnia habeo, neque quicquam habeo: nihil cum est, nihil defit tamen.
At ego infelix neque ridiculus esse, neque plagas pati
Possum. Quid? tu his rebus credis fieri? tota erras via.
Olim isti fuit generi quondam quæstus apud seclum prius.

nitor ad vestitum pertinent. Gnatho suum vestitum nitidum opponit pallio sordido et obsoleto popularis. *Habitudo* est corpulentia. cf. infra II. 3. 23. B.

Nitor] *Nitor, nitere, nitidus* proprie dicuntur de corpore bene habito, quod pinguedine splendet. Horat. epist. I. 4. 15. *me pinguem et nitidum bene curata cute.* Phædri fab. III. 7. 4. *unde sic quæso nites.* v. ibi interpret. et Broukhus. ad Tibulli eleg. II. 1. 21. sed Bentl. legit *qui color, qui vestitus* ut color et nitor ad vestitum pertineant. R. D.

Habitudo corporis] I. e. habitus corporis solidus et succi plenus, ut dicitur. infra II. 3. 26. nec nimis pinguis nec nimis macilentus. infra II. 3. 23. *paulo habitior* opponitur gracili. *Habitudinem* Cic. pro Cælio c. 24. vocat *habitum optimum.* v. Pricæum ad Apul. metam. I. p. 51. Græci ἕξιν dicunt, Casaub. ad Athenæum I. 20. R. D.

12 *Omnia habeo*] Ad *quod habui, perdidi. Neque quicquam habeo*] Ad *mei loci atque ordinis hominem. Omnia habeo,* ad industriam retulit. *Neque quicquam habeo,* ad fortunæ culpam. Et item denuo, fortunæ crimen, *cum nihil est,* ad suam laudem, *nihil defit tamen. Omnia habeo, neque quicquam habeo*] Alterum horum neutrumve potest cuivis accidere: utrumque nulli. *Nihil cum est, nihil defit tamen*] Figura ὀξύμωρον. Ut apud Virg. Æn. XI. 695. *Sequiturque sequentem.* Et Cicero, Catil. I. 8. *cum tacent, clamant.* D.

Omnia habeo, neque quicquam] Libanius Declam. XI. in Parasito: ἐπλούτουν οὐδὲν κεκτημένος, ἐτρύφων οὐδὲν ἀναλίσκων. *Nihil defit*] Priscian. lib. V. L.

Defit] I. e. deficit. Idem verbum est. in Phorm. I. 3. 10. et in Hec. V. 2. 1. v. Broukhus. ad Tibulli eleg. IV. 1. 100. R. D.

13 *At ego infelix*] Jam transit ἀπὸ τοῦ μιμητικοῦ πρὸς τὸ πρακτικόν. *At ego infelix neque ridiculus*] Vehementer invectus est in tempora et mores poeta, sub hac persona: in qua hominem ita inducit pœnitere probitatis suæ, ut se infelicem, non honestum dicat. Et non, *nolo:* sed *non possum.* D.

Neque ridiculus] Gloss. Latinæ. *Scur, qui res ridiculas dicit et facit. Scurra, parasitus, bucellarius.* Plaut. in Captivis III. 1. 10. *Miser homo est.* Nicolaus apud Stobæum Serm. LXIV. δεῖ σκοπτόμενον ἐφ' ἑαυτῷ γελᾶν. Liban. Declam. XI. in parasito: ἐπιτήδειος δὲ σκώμματα εἰπεῖν καὶ ὦσαι μέλος, καὶ ὀρχήσασθαι ὡς ὀλίγοι, καὶ μιμήσασθαι, καὶ τοιοῦτος ὢν ἔσχον ἃ ἐβουλόμην. Vid. Athen. dipnos. l. VI. *Neque plagas pati*] Axionicus apud Athen. dipnos. lib. VI. c. 9. πληγὰς ὑπομένων κονδυλίων καὶ τρυβλίων ὀστῶν τε. Nicolaus apud Stobæum Serm. LXIV. γνάθον ἀκάματον, εὐθὺς δυναμένην πληγὰς φέρειν. Plaut. Captivis I. 1. 20.—*Qui colaphos perpeti Potis parasitus, frangique aulas in caput.* Vid. Sidon. Apollin. Epist. 13. lib. III. L.

Neque ridiculus esse neque plagas pati] Parasitorum duplex genus erat, alii enim scurrilibus dictis victum sibi quærebant, alii alapis aliisque contumeliis patiendis. R. D.

14 *Quid? tu his rebus credis fieri?*] Dum quis ridetur, aut vapulat. *Tota erras via*] Παρόμοιον per μεταφοράν. D.

15 *Apud seclum prius*] Scilicet cum essent tempora meliora. D.

Quondam] I. e. aliquando, quam vo-

Hoc novum est aucupium: ego adeo hanc primus inveni viam.
Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt,
Nec sunt: hos consector: hisce ego non paro me ut rideant;
Sed his ultro arrideo, et eorum ingenia admiror simul.
Quicquid dicunt, laudo: id rursum si negant, laudo id quoque.

eis significationem exemplis illustrat Heins. ad Ovid. epist. XVII. 71. R.D.

16 *Hoc novum est aucupium*] Vide quid intersit, cum illud *quæstum* dicat, hoc *aucupium*: illud de sapientibus, hoc de stultis. *Inveni viam*] Adeo novum est aucupium. D.

Aucupium] Est ars decipiendi homines. Plaut. in Mil. IV. 1. 43. *viden tu illam oculis venaturam facere atque aucupium auribus.* R. D.

Inveni viam] Invenire viam est rationem agendi invenire. Virg. Æn. IV. 478. *inveni germana viam*, ubi v. Servium. Justin. I. 10. *ipsi viam invenerunt, qua de se judicium religioni committerent.* R. D.

17 *Est genus hominum*] Quia multi sunt hujusmodi, non dixit, *homines sunt*, sed, *est genus hominum*. D.

Qui se primos omnium] Omnium rerum primos: in omnibus primos. E.

Primos omnium rerum] I. e. primos omnium hominum. Nam *res* etiam ad personas transfertur ut πρᾶγμα apud Græcos. Seneca epist. 95. *homo sacra res.* Frequens apud poetas *pulcherrime rerum* pro pulcherrime hominum. Gronovii observ. IV. 15. R. D.

18 *Hisce ego non paro me ut rideant*] Quia ille dixerat, *ego infelix neque ridiculus esse, neque plagas pati possum.* D.

19 *Sed his ultro arrideo*] Quid est, *his arrideo?* aut veluti pareo, id est, obsequor: aut veluti dictis delector. Atque *arrideo*, non sicut in parasitis fieri solet, ut his arrideatur a regibus, quum potius ipsi dictis, factisque rideant alienis, hic esse intelligendum, etiam res ipsa indicat ex contrario. Nam quod ait supra, *his ego non paro me ut rideant*, hoc e contrario ostendit, quod subjiciatur ex dictis. *Sed his ultro arrideo*] *Ultro*, versa vice, an prior? an etiam insuper, hoc est ultra? *Admiror simul*] Plus intulit, quam si *laudo* dixisset. D.

Pro *his* repone *eis*, versus gratia. R.

20 *Quicquid dicunt*] Non, *quod dicunt*: sed, *quicquid dicunt*, id est, bene vel male. ne vel (*veluti* Z.) si interclusa fuisset assentatio, se impediat, quod contrarium laudaverit. *Id rursum si negant, laudo id quoque*] Præclare Terentius, quod a Satyrico de aliis diceretur, id hic de se dicentem inducit, facetius multo, quam si aliter fecisset: scilicet καθαπτόμενος mores temporum jam tum vitiatos per assentationem, quod fere in plerisque fabulis monstrat. Ut etiam in Andria: *nam hoc tempore obsequium amicos, veritas odium parit.* Et in Adelphis: *—quod te isti facilem et festivum putant, id non fieri ex vera vita: neque adeo ex æquo et bono: sed ex assentando, indulgendo, et largiendo.* D.

Quicquid dicunt laudo] Eupolis apud Athen. dipnosoph.—ἐπαιδὰν Κατίδω τιν' ἀνδ' ἀλίθιον, πλουτοῦντα, δ' εὐδυς περὶ τοῦτον εἰμί. Κᾆν τι τύχῃ λέγων ὁ πλούταξ, πᾶσιν τοῦτ' ἐπαινῶ καὶ καταπλήττομαι, Δοκῶν τοῖσι λόγοισι χαίρειν. Inde apud Quinctilian. declam. 296. *Quid enim est parasitus? Comes vitiorum, turpissimi cujusque facti laudator.* Vid.

Negat quis, nego: ait, aio. postremo, imperavi egomet mihi,
Omnia assentari. is quæstus nunc est multo uberrimus.
P. Scitum hercle hominem! hic homines prorsum ex stultis insanos facit.
G. Dum hæc loquimur, interea loci ad macellum ubi advenimus;
Concurrunt læti mi obviam cupedinarii omnes:

Joh. Sarisberiens. Polycrat. lib. III. cap. 4. lib. IIX. cap. 3. L.

21 *Negat quis? nego*] Bene sic dixit: *negat* et *ait* contraria sunt. Ut Plautus in Rudente, V. 11. 44. *vel tu ais, vel tu negas.* D.

Negat quis? nego] Cicero de Amicitia. *Quid potest esse tam flexibile, tam devium, quam animus ejus, qui ad alterius non modo sensum ac voluntatem, sed etiam vultum atque nutum convertitur? Negat quis? nego. ait? aio. postremo imperavi egomet mihi omnia assentari, ut ait idem Terentius, sed ille sub Gnathonis persona.* Vid. Cassiodor. de amicit. cap. 14. L.

Imperavi mihi] Sic dicitur is, qui quod libenter non agit, tamen agere constituit. Cœl. Cicer. ad Div. VIII. 9. *amabo te, impera tibi hoc.* Curt. V. 7. *imperaverunt sibi ut crederent.* Seneca de ira II. 12. *quodcunque sibi imperavit animus obtinuit.* R. D.

22 *Is quæstus nunc est multo uberrimus*] Quam ille apud seculum prius fuerat. Et vide, quemadmodum illiberalem vitam honestiore nomine primo *aucupium*, post etiam *quæstum* nominaverit. ΡΟΠΟΚΑhC * hic inducens. (Edd. Venett. non habent vocem Græcam. Forte legi debet: ΡΥΠΑΡΟΝ ΚΕΡΔΟC *sic inducens.* Sane enim illiberalem vitam honestiore nomine tegens *sordidum quæstum* inducit, h. e. tegit, obliterat). D.

His quæstus nunc est] Et concludit, hanc parasitorum sectam omnibus esse potiorem. E.

Is quæstus nunc est multo uberrimus] Menander: Ὁ βίος μάλιστα τοῖς πονηροῖς ἥδεται. Πράττει δ' ὁ κόλαξ ἄριστα πάντων. Δεύτερος ὁ συκοφάντης, ὁ κακοήθης τρίτος. L.

Menander, citante G. Fabricio, ita: Πράττει δ' ὁ κόλαξ ἄριστα πάντων. W.

Omnia] Adverbialiter pro *per omnia.* Sen. de consolat. ad Marciam c. 25. *tramites omnia plani*, ubi v. Gronov. Sic dicitur *cuncta, cætera, alia* v. Heins. ad Claudian. de Stilichone I. 29. et Bentlei. ad Horat. epist. I. 13. 1. R. D.

23 *Scitum hercle hominem*] Mire Terentius longæ orationi interloquia quædam adhibet, ut fastidium prolixitatis evitet; velut nunc Parmeno procul audiens Gnathonem, hæc loquitur. D.

Scitum hercle hominem] *Scitum* inquit, id est elegantem; εἰρωνεία. Quod autem dixit, hunc facile ex *stultis* reddere *insanos*, certa ratione concludit, quod semper insanos faciat prava laudatio. Ut Sallust. E.

24 *Interea loci*] Duæ partes orationis cum conjunctæ unam fecerint, mutant accentum. D.

Interea loci ubi ad macellum] Significat jam *interea loci*, nihil aliud tenere nisi interim: ut *loci* adjectio sit, nihil significans. E.

In Bembino, et, teste Rivio, in aliis codd. est *adventamus.* Sed vera lectio est *advenimus* præsentis temporis. Nam non modo consensu codd. sed et consuetudine Terentii comprobatur. B.

Macellum] Est locus ubi carnes et omne obsoniorum genus venduntur; ea qui vendunt *macellarii* dicuntur. v. Sueton. in Cæs. c. 26. edit. Casaub. R. D.

25 *Concurrunt læti mi obviam*] Et

Cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores,
Quibus, et re salva, et perdita, profueram, et prosum sæpe:
Salutant; ad cœnam vocant: adventum gratulantur.

multos, et properos uno verbo ostendit, et ex adverso ad se festinantes. *Cupedinarii*] Varro humanarum rerum: *Numerius Equitius Cupes*, inquit, *et Romanius Macellus, singulari latrocinio multa loca habuerunt infesta. His in exilium actis publicata sunt bona, et ædes, ubi habitabant, dirutæ: eque ea pecunia scalæ deum penatium ædificatæ sunt. Ubi habitabant, locus ubi venirent, ea quæ vescendi causa in urbem erant allata. Itaque ab altero Macellum, ab altero forum Cupedinis appellatum est. Cupedinarii*] Omnes qui esculenta et poculenta vendunt, a rebus cupedinis ob alimentum *cupedinarii* appellantur. Et ipse subjecit, qui accipiendi sunt (lege *sint* ex cod. Bœnd. et ed. Du B.) cupedinarii. D.

Cupedinarii omnes] *Cupedinarii* sunt qui cupiditatibus populi serviunt, quos omnes enumerat. E.

Libri quidem hic *cuppedinarii* habent; sed cum a *cuppediis* originem habeat, analogiæ lege scribe *cuppediarii*. B.

Cetarii] Sunt qui pisces grandiusculos et salsamenta vendunt. Cete enim dicitur omnis piscis magnus. v. Don. ad h. l. R. D.

Fartores] Sunt qui aves farciunt et saginant. v. Columell. de re rustica VIII. 7. et Burmann. ad Petron. c. 79. R. D.

26 *Lanii*] Qui laniant pecora: unde et *lanistæ* dicti, qui laniendis præsunt gladiatoribus. Sic et *Macellum* a macfandis pecoribus dictum. *Piscatores*] Qui recentem piscem præbent. *Fartores*] Qui insitia et farcimina faciunt (Festo *fartores* etiam dicuntur *nomenclatores*, quod clam velut infarcirent nomina salutatorum in aurem candidati.) *Cetarii*] Qui cete, id est magnos pisces venditant, et bolonas (h. e. universos retis jactus simul vendunt. βόλος jactus) exercent. *Cetarii, lanii, coqui, fartores*] Ἀμάρτημα comicum: in palliata Romanas res loquitur (negat Dacieria hæc posteriora verba esse Donati, qui non videatur ignorasse hoc genus hominum Athenis æque ac Romæ fuisse. Id quod non solum patere ex Aristophane, sed et ex Plauto, qui in Trin. II. 4. 6. eosdem commemoret cupedinarios Z.) D.

Cetarii sunt, qui salsamenta vendunt: nam *cetariæ* dicuntur bolonæ. *Cete* genere neutro pisces sunt, qui ad salsamenta proficiunt. *Lanii, coqui, fartores piscatores, aucupes*] *Aucupes* sunt cupedinarii omnes. *Fartores* dicimus qui farciunt, ut in meliorem segena (leg. *suginam*) pinguescant. E.

Nonnulli versui addunt *aucupes*; quod vero cum nec Donatus, nec Bembinus cod. nec Cicero de Offic. I. habeat, delendum est versui inutile. B.

27 *Quibus et re salva*] Cum de meo impenderem. *Et perdita profueram*] Cum de alieno nanciscor et expendo (liber uterque habet *manticinor et impendo*. Illud, quod etiam in edd. Venett. reperitur, videtur signif. *clam argento emungere, suppilare*; a *mantica*. cf. Plaut. Capt. IV. 2. 116. Eædem edd. ipsum habent *impendo*.) *Sæpe*] Expletivæ significationis est. D.

Quibus et re salva, et perdita] Supra dixerat hic parasitus de alio, *itidem patria qui abligurierat bona*. Unde et se bona quoque patria consumsisse. Ergo sensus hic est: quibus cupedinariis et de meo patrimonio domens ad victum necessaria profueram, et de alieno cum aliis obsonaram. Hoc enim dixit: *quibus et re salva*, cum integrum patrimonium haberem, cum de meo emerem; et *perdita*, cum consumto patrimonio de aliena re mercarer. E.

Ille ubi miser famelicus videt me tanto honore,
Et tam facile victum quærere: ibi homo cœpit me ob-
secrare, 30
Ut sibi liceret discere id de me. sectari jussi,
Si potis est, tanquam philosophorum habent disciplinæ
ex ipsis

28 *Ad cœnam vocant*] Utrum ad emendam cœnam? an ad convivium? *Adventum gratulentur*] Accusativum casum pro dativo, pro *adventui gratulentur*. Et *adventus* proprie exspectatorum, necessariorumque dicitur. D.

Salutant, ad cœnam vocant] Quidam intelligunt *ad cœnam vocant*, invitant. Solet enim advenientibus cœna promitti. Plautus in multis comœdiis:—*advenienti quid tibi cœnæ dabitur?* Sed melior sensus est, *ad cœnam vocant*, hoc est, ad emenda quæ in cœna sunt necessaria. Hoc est verisimile, quod qui aliquid vendat, lucrum potius velit ab eo, quam ad se venire, aut quiddam per obsequium velle. E.

29 *Ille ubi miser famelicus videt me*] Hic ostendit, quæ res coegerit ad discendum: et simul vide secundum vulgi opinionem loqui parasitum, *miserum* et *famelicum*, hominem honestis moribus præditum. *Ille ubi miser famelicus videt me*] Vide ut sententiose demonstret malos ex bonis contagione fieri, exemplis in pravum prævalentibus. Videt, mihi hoc prodesse, et discere optat, quod negabat se posse. *In tanto honore*] Quia concurrunt, salutant. *Famelicus* a fame et edendo dictus est, quasi famedicus. D.

Me tanto honore] Al. *me esse in tantum honorem*. L.

Bembinus habet *videt mihi esse tantum honorem*. Sed cæteri Faerni et nostri libri cum edd. vett. recte sic: *videt me esse tanto honore*. B.

In tantum honorem] Pro in tanto honore. Nam veteres sæpe accusativum pro ablativo ponunt. v. Gellium. I. 7. sic Cicero promiscue dicit *esse in potestatem* et *esse in potestate*. Hirt. de B. G. VIII. 8. *in conspectu hostium exercitum adducit*. ubi v. Davis. Livius XXX. 10. *in animum habere*. v. Bergerum de natural. pulchritudine orationis et interpretes ad Liv. II. 14. R. D.

30 *Tam facile victum quærere*] Quia ad cœnam vocant. *Ibi*] Pro tunc. *Homo*] Mire addidit *homo*. aut additum supervacue *homo*. Ut, *Donat habere viro, decus et tutamen in armis* Æn. V. 262. D.

Facile victum quærere] Hic vere quasi quidam intellectus superior ille explicatur, quod dixit *ad cœnam vocant;* ut inde intellexerit ille nescio qui, facile quærat victum (lego: *quam facile quærat victum.*) Quamquam et, si ad cœnam emendam intelligat, nihilominus poterit cognoscere, facile sibi parasitos victum quærere. E.

Et appone superiori. B.

31 *Ut sibi liceret discere*] Quasi disciplinam, aut artem. Tantum auctoritatis criminum felicitas sumsit! *Discere id de me*] Magis, *de illo*, et *de me*, veteres dicebant: quam ut nos dicimus, *a me*, aut, *ab illo*. *Sectari jussi*] Proprie, nam et *sectæ* philosophorum ab eo dictæ sunt. D.

Sectari] Scilicet ut discipulus magistrum unde *sectatores* discipuli sæpe dicuntur a Gellio. R. D.

32 *Ex ipsis*] Philosophis scilicet. *Ex ipsis vocabula*] Ut Pythagorica, Platonica (sc. *disciplina:* nisi malis cum Wielingio corrigere, *Pythagorici, Platonici.*) Hoc igitur non est consequens ad illud, quod vult dicere: nisi forte *disciplinam* pro discipulis posuerit. D.

Tanquam philosophorum] Nomina disciplinæ apud philosophos sæpe ab auditoribus (forte, *auctoribus*) videntur

Vocabula, parasiti item ut Gnathonici vocentur.
P. Viden' otium, et cibus quid faciat alienus? G. Sed ego cesso
Ad Thaidem hanc deducere, et rogitare ad cœnam ut veniat? 35
Sed Parmenonem ante ostium Thaidis tristem video,
Rivalis servum. salva res est. nimirum homines frigent.

imposita, ut a Platone Platonici, ab Epicuro Epicurei. Ita hic parasitus exsultans, novamque disciplinam parasitorum cum adulatione complens, dicit suum nomen imponi, quod ipse eam primus invenerit; si quis se parasitus huic nationi et actui voluerit applicare, ut Gnathonicus esse dicatur. E.

Lectio Bembini *disciplinam* est inepta. Sed duo regii habent *discipuli*. Bene. Nam ita viri viris opponuntur, discipulis parasiti. B.

Disciplinæ] Exquisite ponitur pro secta. Cic. de nat. Deor. I. 7. *tres trium disciplinarum principes convenistis*. Lactant. II. 8. ut *Epicurus nomine suo constitueret disciplinam*. Bentl. e Mss. legit *tanquam philosophorum habent discipuli ex ipsis vocabula* quod præferendum videtur. R. D.

33 *Parasiti item ut Gnathonici vocentur*] Non hoc intulit, quod cœperat dicere: nisi forte *disciplinam* pro discipulis accipimus. D.

Nec *ita* cum Bembino, nec *itidem* cum aliis codd. sed *item* versus exigit. Faernus apud. B.

34 *Viden' otium et cibus quid faciat alienus?*] Rursus Parmeno et facetias dicit, et distinguit longiloquium parasiti. *Quid faciat*] Legitur et, *quid facit*: ut sit figura per modos, pro, *quid faciat*. D.

Viden', otium, et cibus] Duo ad detrectationem posuit. *Otium*, cum neque animus, neque corpus excitus curationem humanitatemve cognoscit. Verum istud parum est, adjecit; *cibus alienus*, ut et devinctus sit jam nulla cogitatione. E.

Viden', otium, et cibus] Dionysius P. P. Epistol. ad Severum: *vos ἀτίοις vultis comedere alienum cibum, videte ne in vos illud conveniat: vide quid faciat otium et alienus cibus*. In Ms. R. *ἀργὴ τοῦ faciat, facit* erat: ut et postea *rogare*, pro *rogitare*. L.

Recte *facit* habent libri plerique, ut ut versus ratio exposcit. B.

35 *Hunc deducere*] Proprie. Nam *ducitur* quis ad supplicium: *deducitur* ad lætitiam (aut hæc a Donato non sunt, aut ea sunt spuria, quæ notantur infra II. 3. 85. *Abducimur, unde volumus; ducimur, quo volumus*. Et sane promiscue usurpantur *ducendi, abducendi et deducendi* verba. Sic supra II. 1. 23. et mox versu 51.) *Et rogitare ad cœnam*] Vide parasitum magis optare ad cœnam Thaidem vocari, quam munus capere. D.

Omnes codd. Faerni et nostri habent *rogare*. B.

36 *Thaidis*] Legitur et *Thais*. D.

Versui claudicanti alii aliter mederi conantur. Pro *Thaidis* Faernus vult *Thæidis*; Muretus, *meretricis*; alius, *mulieris*; alii, satis imperite, post Thaidis inferciunt *ego*. Ego pro *Thaidis* reponendum puto *opperiri*. B.

37 *Salva res est*] Quia et ante ostium et tristem video, *salva res est*. Nec hoc valet ad lætitiam, quod Parmeno est, sed quod rivalis servus. *Salva res est*] Proverbialiter. D.

Rivalis servum] *Rivales* dicuntur qui unam amant, vel meretricem, vel amicam. quod quasi uno rivo amoris utantur. *Salva res est*] Hic sensus est: Integra nobis sunt omnia, siquidem adversarii ante ostium stantes, propterea frigide agunt. E.

Nebulonem hunc certum'st ludere. P. Hice hoc munere arbitrantur
Suam Thaidem esse. G. Plurima salute Parmenonem
Summum suum impertit Gnatho, quid agitur? P. Statur. G. Video.
Numquidnam, quod nolis, vides? P. Te. G. Credo. at numquid aliud?

Post *nimirum* versus gratia repono *hice*. B.

Frigent] H. e. parum gratia valent, ut vigens amor et gratia calori, sic eadem languescens et remissa frigori assimilatur. Hor. Serm. II. 1. 61. *ne quis amicus frigore te feriat* i. e. gratiam tuam exstinguat. Sueton. in Aug. c. 66. *ex levi frigoris suspicione*, ubi vid. interpr. Sic lege 32. §. 12. Pandect. de donationibus inter virum et uxorem, *frigusculum* est amor remissus inter virum et uxorem, de qua voce v. Duker. de latinit. veter. Jurisconsultor. p. 405. Sic *frigere* etiam dicuntur oratores, musici et actores, qui non placent audientibus. v. Cic. in Bruto c. 50. R. D.

38 *Nebulonem*] Vel furem, quia nebulas objiciat: vel mollem, ut nebulam: vel inanem et vanum, ut nebula est. *Hice*] Pro *hi*, vetuste. Virg. Ecl. III. 102. *His certe neque amor causa est; vix ossibus hærent*: quia *hisce* debebat dicere. *Hice hoc munere arbitrantur*] Non immerito Gnathonem deridet Parmeno, qui penitus noverit meretricis consilium. D.

Nebulonem] Vel vanum, ut nebula est: neque enim aliquod corpus vel ulla soliditas: vel *nebulonem* furem: quoniam nebula semper utuntur. Homerus Il. γ'. 11. Κλέπτη δέ τε πυκτὸς ἀμείνων. *Hicce hoc munere*] *Hicce* nominativus pluralis; quo hi credunt exinde suam Thaidem esse, quod tale munus adducit. E.

Hice hoc munere] Priscian. lib. XII. L.

Etsi alii malunt legi *hisce*, adeo ut *s*, auctore Prisciano, euphoniæ causa sit insertum; ego tamen malo sequi analogiam et cum tribus codd. legere *hice*. B.

40 *Summum suum*] Ἔλλειψις. *Summum suum impertit Gnatho*] Hæc tota locutio parasiticæ elegantiæ, et simul εἰρωνίας plena est. Nam et plurimam dicit ei salutem, quem ne exiguam quidem velit continere (leg. *retinere*, s. *consequi re*. Z.) et summum dicit eum, qui nec levis amicus sit sibi: et *Parmenonem Gnatho*, non *ego te*. *Summum suum*] Quam venuste, quod summum amicum non resalutet Parmeno. *Quid agitur?*] Pro blandimento, non pro interrogatione nunc ponitur, ut, *O noster, quid sit? quid agitur? Quid agitur? statur*] Pro, *quid agis? sto*. Et facete: nam stat, cui ingredi non licet (lego: *statur, cum ingredi non libet*. Cujus lectionis vestigia sunt in edd. vett. Atque quia ex mente Donati facete dixit Parmeno, *statur*, ea vox explicanda erat, et ratio, cur facete dictum videretur, addenda. Et quidni liceret Parmenoni ingredi, jusso dona deducere ad Thaidem.) D.

Impertit] Participem facit. E.

Summum suum impertit] Priscian. lib. IIX. L.

Summum suum] Scilicet amicum. Eadem elipsis in Ad. III. 2. 54. R. D.

41 *At numquid aliud?*] Cum jurgio hic de illo respondit; et ideo repetit dictum Gnatho. D.

Num quidnam hic, quod nolis?] Hoc dicit Parmenoni objiciens virginem in aspectum. quod cum videre se Parmeno frequenter dissimulasset, etiam frequenter objectum parasitus interrogare maluit. *Sed quid videtur tibi hoc mancipium?* ut tam pulchra virgo mancipium diceretur. Deinde nunciat irridens servum, hoc munus Thaidi mitti.

P. Qui dum? G. Quia tristis es. P. Nihil equidem.
G. Ne sis: sed quid videtur
Hoc tibi mancipium? P. Non malum hercle. G. Uro
hominem. P. Ut falsus animi est!
G. Quam hoc munus gratum Thaidi arbitrare esse? P.
Hoc nunc dicis,
Ejectos hinc nos: Omnium rerum, heus, vicissitudo est.
G. Sex ego te totos, Parmeno, hos menses quietum
reddam: 46

quod quidem ille cognoscit; idcirco dicit, quod dominus suus intelligatur exclusus. E.

Nostri omnes, præter unum, ante *quod* habent *hic*, uti sensus postulat. B.

42 *Qui dum?*] Interrogat interrogantem, ne ipse respondeat. *Nihil equidem*] Dicens *nihil*, mutavit vultum Parmeno in lætitiam. Ideo illi facete Gnatho agenti hoc ipsum, *ne sis*, dixit: ut probaret tristem fuisse. *Nihil equidem*] Pro *non*: ut infra, *nihil dixit ut sequerer se* (lege, *sequerere sese*. Verba Pythiæ ad Chremetem: IV. 5. 9.) D.

Versus postulat *tristi's*, et, *nil quidem*. B.

Quid videtur hoc tibi mancipium] I. e. quale. in Andr. IV. 2. 19. *quis tibi videor*. Cic. ad Div. IX. 21. *quid tibi ego in epistolis videor*. v. Virg. Æn. IV. 10. et 47. et ibi Servium. R. D.

43 *Hoc tibi mancipium?*] Ταπεινωτικῶς. *mancipium* dicit puellam, aut virginem. *Non malum hercle*] Inimica laudatio. *Uro hominem*] Sibi hoc gestu et vultu parasitico dicit. et pro eo quod est, dolere cogo (edd. venett. et Ms. Bœnd. *Et* URO pro *eo, quod est, dolore angor*. Lege *ango*, et habebis scripturam Donati: nisi malis cum Fr. Jureto, cujus emendationem laudat Barthius ad Stat. Theb. II. 300. legere *coquo*.) *Ut falsus animi est?*] Similiter et Parmeno secum gestu servili. et *animi* pro animo ἀντιφρασις veterum, qui, *ingens es virium*, et *dives es opum*, amabant dicere. *Ut falsus animi est?*] Ex hoc falsus animi est, quod putat, hujusmodi munere capi posse Thaidam. D.

Omnes codd. *animo*. Illud *animi* Donato debetur. Tres egregii recte legunt *es*. B.

Uro hominem] I. e. molestia ac dolore afficio, vexo. infra III. 1. 48. *te ut male urat*. Sueton. in Tib. v. 66. *urebant anxiam mentem varia convicia*. Florus II. 6. 2. *urebat nobilem populum ablatum mare*. ubi v. Duker. R. D.

Ut falsus animi est] I. e. fallitur, pro quo in Andr. IV. 1. 23. dicitur *falsus es*. Genitivus *animi* per Græcismum ponitur pro *animo*. v. interpretes ad Liv. VI. 10. R. D.

44 *Quam hoc munus gratum Thaidi?*] Mire insultat Gnatho. Quanto enim magis munus gratum fuerit, tanto erit rivalis exclusior. D.

Omnes nostri *dies*. Minus recte. B.

45 *Omnium rerum heus vicissitudo est*] Vide locum in quo erumpere dolor Parmenonis potuit, nisi commissa servaret, et celaret Thaidis consilium. D.

Omnium rerum, heus, vicissitudo] Ubique servis Terentius vehementes gravesque sententias applicavit, ut in Andria Sosia dixit: *ut ne quid nimis*. Est enim astutum servorum genus, et satis ad intelligendum mente versutum. Sensus est: nihil in proprio statu perpetuo permanere, sed verso ordine in diversas vices cuncta mutari. B.

46 *Sex ego te totos, &c.*] Quid est *totos*? an diebus et noctibus? utpote amatoris servum: ac per hoc sine ulla cessatione et intermissione (forte ita:

Ne sursum, deorsum cursites, neve usque ad lucem vigiles.
Ecquid beo te? P. Men? papæ! G. Sic soleo amicos. P. Laudo.
G. Detineo te: fortasse tu profectus alio fueras.
P. Nusquam. G. Tum tu igitur paululum da mihi operæ; fac ut admittar
Ad illam. P. Age modo, nunc tibi patent fores hæ, quia istam ducis.
G. Num quem evocari hinc vis foras? P. Sine biduum hoc prætereat.
Qui mihi nunc uno digitulo fores aperis fortunatus,

an de diebus et n? v. a. s. qui percurrebat huc illuc sine v. c. et i. Z.) *Hos menses*] *Hos*, qui nunc aguntur, id est, hoc tempore. *Quietum reddam*] Facete; quasi hoc ipse fecerit. et hoc est quod ait, *plurima salute Parmenonem summum suum impartit Gnatho:* tanquam amico consulat. D.

Sex ego te totos] Familiare Terentio *sex menses* dicere: est enim dimidia anni pars; unde non paululum tempus sic alibi, *ac non prius sex mensibus olfecissem?* E.

47 *Ne sursum, deorsum cursites*] Quod est laboris. *Neve usque ad lucem vigiles*] Quod est exitii. D.

48 *Sic soleo amicos*] Hoc εἰρωνικῶς. D.

Ecquid beo te?] Hoc est, beatum te reddo. E.

49 *Detineo te*] Valde teneo. *Fortasse tu profectus alio fueras*] Vult exprimere confessionem, quod ad Thaidem venerit, sed intrare non possit. D.

Profectus alio fueras] In multis scriptis libris additur, *si te non detinuissem.* Sed illud emblema est manus sinistræ. L.

50 *Paulum da mihi operæ*] Hoc quasi supplicantis vultu ad irrisionem dicitur. *Paulum da mihi operæ*] Proprie sic dicitur, *adjuva me.* Sic in Adelphis, *hæc opera ut data sit.* D.

Tum tu igitur paululum] Pulchra parasiti illusio, ut cum ipse adducat munus, nunciari ab adversario servo velit. Cum (lego: *quam*) enim stultum est, cum adversarius adversarium nunciat dona esse missurum. E.

Nusquam] Hic de motu ad locum dicitur, in Ad. II. 2. 38. *nusquam abeo.* R. D.

Da mihi operæ] *Dare operam alicui* significat alicui officium præstare, aliquem adjuvare, in Phorm. I. 2. 37. *operam dabamus Phædriæ* i. e. una aderamus, et qua re poteramus, adjuvabamus. v. Gronov. in lectionib. Plautinis. p. 69. R. D.

51 *Nunc tibi patent fores hæ*] Ex eo quantum licere oportuit ostendit, quam misere nihil illi liceat Parmenoni (in edd. vett. sine lacunæ signo, *nihil ille liceat.* Legerim: *ex eo, quantum licere oporteat, at quam misero tibi nihil liceat, ostendit Parmeno.*) *Quia istam ducis*] Hoc quasi ad Gnathonem: sed lente, ac sub lingua murmurat. D.

Metro ut consulas, lege, *patet foris hæc.* B.

52 *Num quem evocari hinc vis foras?*] Quia ipse intrare non potest. *Sine, biduum hoc prætereat*] Et hoc lentius. Nam si aliter pronunciaveris, secreta produntur. D.

Nunc quem evocari] Et hæc arte tractata sunt. Nam cum parasitus domum fuisset ingressus, Parmenoni dicit, an aliquem sibi velit *evocari*, tanquam ipse ingrediendi jam non habeat potestatem. *Sine, biduum hoc*] Scit enim dominum affuturum; et ita eum meretrici absentiam promisisse. E.

Næ tu istas, faxo, calcibus sæpe insultabis frustra.
G. Etiam nunc hic stas, Parmeno? eho! numnam hic relictus custos, 55
Ne quis forte internuncius clam a milite ad istam curset?
P. Facete dictum. mira vero, militi quæ placeant.
Sed video herilem filium minorem huc advenire.
Miror, quid ex Piræo abierit: nam ibi custos publice est nunc.

53 *Qui mihi*] *Mihi τῷ ἀπτυίσματι* dictum est. *Fortunatus*] Ut ipse videris tibi. D.

Lege hic quoque in sing. num. *forem*, et versu sequente pro *istas* repone *istanc*. B.

Uno digitulo] I. e. facillime. v. Trabeam ap. Tusc. quæst. IV. 31. Duker. ad Flor. IV. p. 688. R. D.

54 *Næ tu*] *Næ* valde. *Næ tu istas, faxo, calcibus*] Mira eloquentia, in qua utraque *ὑπερβολὴ* expressissima est. Nam neque *uno digitulo* minus aliquid dici potest: neque *calcibus sæpe insultabis*, aut amplius, aut ingentius. *Insultabis fores*] Sallustius (in fragmentis), *multos tamen ab adolescentia bonos insultavit*. D.

Calcibus sæpe] Frustra in fores exsultabis calcibus, hoc est, insilies. E.

Istas insultabis frustra] Verba, quæ cum præpositione *in* composita sunt, plerumque duplici modo construuntur, vel cum accusat. vel cum ablat. De verbo *insilire* cum accus. v. Heins. ad Ovid. Metam. VIII. 142. R. D.

55 *Numnam*] Hic *nam* abundat: ut *quidnam*. *Relictus custos*] Bene *relictus*: quasi ab excluso. D.

Etiam nunc hic] Per silentium intelligimus parasitum jam ingressum esse ad meretricem, et dona tradidisse, non ingredi Parmenomen, et nunc stare ante ostium. E.

Lege *etiamne tu hic stas*, uti habet cod. cum edd. vett. sed omisso *ne*. B.

56 *Ne quis forte internuncius*] Proprie, *internuncius*. *Ne quis forte internuncius*] Ex his verbis datur intelligi, parasitum e domo meretricia egredi. *Ne quis forte internuncius clam a milite ad istam cursitet?*] Et hoc facete: quasi ipse sibi Thaidem totam vindicaverit, quod miles fecit. D.

Male codd. *cursitet*, versu postulante *cur, sed*. B.

57 *Facete dictum*] *Εὐφυῶς*, quia inficete. *Mira vero militi quæ placeant*] *Mira*, pro mirum. Virg. Æn. I. 669. *nota tibi*. Et est *εἰρωνία*. Quid mirum est, inquit, facete loqui eum, qui militi placeat? Potest tamen et pluraliter intelligi. D.

Facete dictum] Suave, jucunde. E.

Militi quæ placeant] Serv. Æneid. I. vers. 669. *nota tibi et nostro*. L.

58 *Sed video herilem filium*] Non potest Terentius *τερθρίμον* proprie dicere: ideo *herilem filium* dicit. D.

Sed video] Ms. *sed videon*. L.

59 *Miror quid ex Piræo abierit*] Hic causa ostenditur, cur potest ignotus esse vicinis, et pro Eunucho fingi. *Miror*] Pro nescio. *Miror quid ex piræo abierit*] Ut ex Piræo discederet, symbola amicorum: ut huc perveniret, omisso negotio, aspectus virginis fecit. *Nam ibi custos publice*] Adversus prædonum incursus illic excubabat inventus Attica. *Piræum*, ut *Sunium*, est maritima et accessu littoris pars clementior. *Publice est nunc*] *Nunc* ambigua distinctione positum est. D.

Ex Piræo] Locus est mari vicinus juxta Athenas, aptus ad voluptatem. Denique commemorat postea adolescens, illic sibi convivium præparasse. Quibus Chærea est . . . . . præpositus cœnam contubernalibus præparet

Non temere est; ut properans venit: nescio quid circumspectat. 60

ACT. II. SCENA III.

CHÆREA. PARMENO.

OCCIDI.

Neque virgo est usquam: neque ego, qui illam e conspectu amisi meo.

Ubi quæram? ubi investigem? quem perconter? quam insistam viam?

(Ms. uterque: *quibus Chærea præpositus cœnam contubernalibus præparat.* W. Engraphius hic recensere voluit causas, cur adventus Chæreæ Parmenoni mirabilis sit visus; nempe loci *amœnitatem*, convivii *apparatum et custodiam* publicam. Z.) Ideo adjecit, *nam ibi custos publice est nunc.* E.

Custos publice] Excubias agebat in Piræo adversus prædonum incursus. v. Don. ad h. l. et notata ad Andr. I. 1. 24. *Publice* est publica auctoritate. Cic. Verr. II. 47. Liv. IV. XLII. 1. 33. ubi v. Gronov. R. D.

60 *Non temere est*] Ut Virg. Æn. IX. 375. *haud temere est visum. Et properans venit*] Mire locuturum ante formavit, ut gestus verba præcedant, verba habitum consequantur. D.

Non temere] Non passim, non sine causa. E.

Non temere est] Non sine gravi causa. Est elegans formula et frequens apud comicos. Plaut. Aulul. IV. 3. 1. Heins. ad. Virg. Æn. IX. 375. R. D.

1 *Occidi*] In hac scena novus amor adhuc Ephebi, et consilium potiundæ virginis demonstratur: tanta virtute poetæ comici, ut hoc commentum non quæsitum esse, sed occurrisse sua sponte videatur. *Occidi: neque virgo est usquam*] Non habuit quid dicere debeat aliud, properans et circumspiciens, nisi *occidi*. *Occidi*] Produc mediam syllabam verbi hujus, et contrarium significat. D.

Occidi] Hæc scena prima parte quæstionem tenet, quod impeditus sit, cum virginem sequeretur, in cujus amorem inciderat, quo minus eam deduceret, et, ubi habitaret, agnosceret. Post cognitionem fit agnitio, ubi maneat, servo indicante. Efficitur deliberatio, an ad eam pro Eunucho ire debeat. Illæ divisiones plenæ sunt suasoriis verbis, ab utili, ab honesto, ab eo quod fieri potest: quas, ut æquum est, suo loco per ordinem tractabimus. Nunc ad conquestionem revertamur. E.

2 *Neque ego, qui illam e conspectu amisi meo*] Amatorie, dum illam non invenit, et se perdidit. D.

Neque ego] Scilicet usquam sum. Est exclamatio desperantis. R. D.

3 *Ubi quæram*] Hoc circumspectantis est. *Ubi investigem?*] Plus intulit. *Quem perconter?*] Hoc tertium plus intulit. Nam ubi nec vestigia reperiuntur, superest interrogatio. *Quam insistam viam?*] Si nec, qui interrogetur, apparet. *Quam insistam viam?*] Et, *qua via*, legitur. D.

Ubi quæram] *Quærere* est, alicubi

Incertus sum: una hæc spes est, ubi ubi est, diu celari non potest,
O faciem pulchram! deleo omnes dehinc ex animo mulieres.
Tædet quotidianarum harum formarum. P. Ecce autem alterum.
Nescio quid de amore loquitur. O infortunatum senem!

rem repositam persequi, investigare, suspicione aliquid, ubi lateat, inquirere. D.

Quem perconter?] Quem interrogem? Inter percontationem et interrogationem hoc interest, quod percontatio responsionem habet, non aut * (In Ms. neutro est lacuna. Lego: *non autem*) ex scientia confirmante, vel ex narratione. cum dicimus ubi habitat, hic enim hoc nescire se dicit responsurus * est in via (ita Ms. uterque, sed sine lacuna), vel aliquid tale. Interrogatio vero est cui respondetur; velut, fecisti quod jusseram? cui necessario de duobus superioribus afficitur ab eo qui interrogatus est. Responsio ergo hic est: *Quem perconter?*] Vides utique quia de habitatione futura fuerat interrogatio. Ita et in Andria, cum Crito quæreret, ubi habitaret, et Chrysis dixisset (legendum omnino: *ubi habitasset Chrysis, et dixisset.* Vid. Andr. IV. 5. 5.) *quos perconter, video.* E.

Ne illud *am*, ter repetitum, ingratum pariat sonum, lege cum Donat. duobus codd. et edd. vett. *qua-via.* Cæterum tolle illas interrogationes, *incertus sum, ubi quæram*, &c. B.

4 *Ubi ubi est, diu celari non potest*] Ob nimiam scilicet formæ gratiam. D.

5 *O faciem pulchram?*] *Faciem* modo non partem corporis dicit, sed totam speciem, quæ apparet et cernitur: Virgil. Æn. V. 767.— *quibus aspera quondam Visa maris facies. Deleo omnes dehinc ex animo mulieres*] Πρὸς πὸ πιθανὸν argumentatus est, ut ostenderet hunc grandem jam ephebum, etiam amoris expertem non fuisse. Sic et alibi, *cum me ipsum noris, quam elegans formarum spectator siem, in hac commotus sum.* D.

Faciem] Donatus accipit de toto corporis habitu et specie. Plaut. Asin. II. 3. 19. Cic. pro Roscio comœdo c. 10. *facies non erat, ars erat pretiosa.* v. Broukhus. ad Propert. IV. 4. 21. R. D.

6 *Quotidianarum*] Hoc est, levium et usitatarum: est quippe huic contrarium, *nova figura oris. papæ! Ecce autem alterum*] Sic dicimus, cum propter alterum de altero venit in mentem. D.

Tædet quotidianarum] Jam, inquit, me pœnitet videre mulieres quotidianas et assueta forma. E.

Quotidianarum formarum] I. e. vulgarium, quæ quotidie occurrunt. Cic. ad Div. IX. 21. *quotidianis verbis* Propert. eleg. I. 4. 9. vocat *leves figuras.* Notandum, vera puella exquisite dici *forma* vel *figura.* Propert. II. 28. 53. v. Burmann. ad Quintil. declamat. XV. p. 307. R. D.

Ecce autem alterum] Propria formula in rebus improvisis, in Ad. V. 1. 5. *ecce autem hic adest senex.* Liv. VII. 35. *ecce autem aliud minus dubium* ubi v. interpretes. R. D.

Ludum jocumque dices fuisse illum alterum] H. e. illius amorem levem fuisse, si cum hujus furore comparetur. Liv. XXVIII. 42. *ne tibi ludus et jocus fuisse Hispaniæ tuæ videbuntur.* Valer. Maxim. V. 1. *quæ tibi relata sunt quæ de te locuturi eramus, ludus ac jocus fuissent.* v. Gronov. observat. IV. 10. 159. et Græv. ad Justin. XXIX. 3. Hæc elegantia a græco fonte fluxit. v. Casaub. ad Athen. I. 25. p. 76. R. D.

7 *Nescio quid de amore loquitur*] Ut

Hic vero est, qui si occeperit, ludum jocumque dicet
Fuisse illum alterum, præut hujus rabies quæ dabit.
C. Ut illum di, deæque senium perdant, qui me hodie
remoratus est:
Meque adeo, qui restiterim: tum autem, qui illum flocci
fecerim.

jamdudum Phædria loquebatur. *O infortunam senem!*] Hoc dictum præstruxit ad exitum fabulæ ac catastrophen. Nam perturbatus ad Thaidem ingreditur (forte, *ingredietur*. Nam sequitur mox, *firmabuntur*, et *ducet*) hic senex, per fallaciam Pythiæ, et indicium Parmenonis: atque ita firmabuntur nuptiæ virginis, quam ducet Chærea. D.

8 *Hic vero est*] Utrum senex, an Chærea (indigna hæc sunt Donato. Nam manifeste de Chærea est sermo)? sed senex potius. *Hic vero est*] *Senex qui*. scilicet Chærea. D.

Hic vero est] Sensus est: *hic adolescens si amare cœperit, fratrem ejus Phædriam dices ludum et jocum fuisse*, hoc est, non amasse: ita enim hic insanivit in amore. E.

Ne ad hiatum, qui videtur, tollendum, cum aliis verba *sat scio*, contra libros, interpolanda putemus; duo dimetros et unum trimetrum statuo ita: *hic vero est, qui si occeperit, Ludum jocumque dicas fuisse illum alterum, Præut hujus rabies quæ dabit.* Pro *dicet*, aut *dices*, quod in codd. reperitur, leges linguæ postulant *dicas*. B.

9 *Præut hujus rabies quæ dabit*] *Præ* (lege, præ, *et comparationem significat*. Mox: *præ illis, ut illa sunt*), ex comparatione significat. Ergo proprie: et est integra locutio. et ordo est, præut illa sunt, quæ hujus rabies dabit. Et bene *dabit*, quasi de re violenta. Ut, Æn. XII. 453.—*dabit ille ruinam Arboribus. Præut hujus rabies quæ dabit*] Hic ex parte characteris inscius quidem est personæ Chæreæ, quem motibus conjicit servus ardentiorem in amorem fieri posse, simulac cœperit. *Præut hujus rabies quæ dabit*] Et hic ostenditur, jampridem motum in res venereas Chæream. Et magna poetæ cura est, ne incredibile videatur, adolescentulum, qui pro Eunucho deduci potuerit, tam expedite virginem vitiasse. Quocirca artifex summus, quod ætati non potest, naturæ attribuit Chæreæ, ut calidior ingenio, et ante annos amator, non libidinem in sese, sed quandam rabiem designaverit in venereos appetitus. D.

Præut hujus rabies] Prisc. lib. XIV. L.

10 *Ut illum*] Pro utinam. *Di deæque senium perdant*] Plus dixit *senium*, quam *senem*. Nec mireris, post *senium*, *qui* additum: ideo quia declinationem ad intellectum retulit. ut alibi, *in Eunuchum suam*, et *senex*, ad ætatem refertur: *senium*, ad convicium. sic Lucilius ait, *at quidem te senium, atque insulse sophista* (dousa legit, *at te Di senium*, subaudiens *perdant*. Sed Franciscus filius: *at Di te perdant, senium atque insulse poeta*). *Remoratus est*] A remora pisciculo, qui et ἐχενηΐς vocatur, *remoratio* et *remoratus* dicitur, D.

Ut illum di deæque] Hic incipit conquestio. E.

Senium perdant] V. C. *senem omnes perdant*. L.

Senem habent omnes nostri. *Dii deæ omnes* cod. acad. et *qui hodie me*, regius. Repone, *ut illum Di, Deæ omnes senium perdant, qui hodie me remoratus sit*. B.

Ut] *Ut* ponitur pro utinam, in Heaut. IV. 6. 6. *ut te quidem omnes Di Deæque*, &c. Ovid. epist. XIII. 161. *quod ut videam canis albere capillis*. R. D.

11 *Tum autem, qui illum floccifecerim*] *Tum autem* pro, *et*. Duas vult enim causas esse, cur seipsum Di perdant;

Sed eccum Parmenonem. salve. P. Quid tu es tristis? quidve es alacris?
Unde is? C. Egone? nescio hercule, neque unde eam, neque quorsum eam.
Ita prorsum oblitus sum mei.
P. Qui, quæso? C. Amo. P. Hem! C. Nunc, Parmeno, te ostendes, qui vir sies.
Scis te mihi sæpe pollicitum esse; Chærea, aliquid inveni

unam, quod restiterit: alteram, quod senem perveritus diu remanserit a persequanda virgine. Et nota *floccifecerim*, et contemnere et non contemnere significare: ut nunc, *qui illum floccifecerim*, deest *vel*: ut sit, vel floccifecerim. D.

Qui illum flocci fecerim] I. e. qui eum tanti fecerim quanti floccum, qui ullam ejus rationem habuerim. Flocci facit, qui aliqua ex parte contemnit, non vero, qui plane pro nihilo habet v. Rivium ad h. l. R. D.

12 *Quid tu es tristis? quidve es alacris?*] Proverbiale est, in hominem perturbatum et incerti vultus. Aut lætus es. Nam *alacris*, L litera pro D posita, non tristis, id est ἀδαχρυς intelligitur. *Quidve es alacris?*] Et *alacer* et *alacris* dicitur: ut habes apud Virg. Æn. v. 380. *ergo alacris, cunctosque putans excedere pugna.* *Quidve es alacris?*] *Alacritas* est mutatio quædam vultus gestientis in spem aliquam. D.

Quid tu es tristis?] Dicitur cum quodam gaudio idem *tristis*. Nam ex hoc quod vidisse se pulchram virginem dicit, quadam lætitia contractus est; quod eandem tamen ex aspectu perdidit, tristis es. ut debes non solum in fine, verum et in principio significare. E.

Quidve es alacris?] Charis. lib. I. Priscian. lib. III. L.

Alacris] I. e. incitatus, commotus. R. D.

13 *Unde is?*] Modo *ad quid venis* significat: sed *eo*, de loco ad locum veteres dicebant: quod mox in subjectis probabitur. *Quorsum eam*] Bene: quia proxime dixerat, *ubi quæram? ubi investigem? quem perconter? quam insistam viam? incertus sum.* *Quorsum eam*] Hinc, ut diximus, manifestum est, *ire* et adventum significare. D.

Unde is?] Unde advenis? E.

Pro *hercule* lege *hercle*, cujus ultima corripitur. B.

Unde is] I. e. unde venis. in Ad. III. 3. 7. *Syrum ire video.* Virgil. Æn. II. 375. *nunc primum a navibus itis.* R. D.

14 *Ita prorsum oblitus sum mei*] Huic contrarium, *dum memor ipse mei*, Æn. IV. 336. Ergo *oblitus mei*, insanus. *Ita prorsum sum oblitus mei*] *Prorsum*, recta, id est, omnino: nam *prorsum* est porro versum, id est, ante versum. hinc et *prorsa oratio*, quam non inflexit cantilena. D.

15 *Hem*] Si cum *h*, Parmeno: si leniter, Chærea (promiscue autem in libb. vett. scriptum reperias *hem* et *em*. Quamquam veteres, festo auctore, *em* etiam pro *eum* dixerunt; non tamen Donatus videtur id voluisse. Placet igitur ratio Wielingii, qui emendavit; *si* EN *legitur*). *Ostendes qui vir sies*: non. *si vir sies*, sed, *qui vir sies*: quod est ἐμφατικώτερον. Si quæsisset quidem, qui vir sies, an debeat præstare, qui virum se sic monstraturus est? Et *vir* modo, non ad sexum, nec ad ætatem dicitur, sed ad laudem. *Qui vir sies*] In veteribus invenitur. D.

Pro *ostendes* versus gratia lege vel *ostende sis*, vel, quod melius videtur, *ostenderis*. B.

16 *Sæpe pollicitum esse*] *Pollicitum*,

Modo quod ames: in ea re utilitatem ego faciam ut cognoscas meam:
Cum in cellulam ad te patris penum omnem congerebam clanculum.
P. Age, inepte. C. Hoc hercle factum'st. fac sis nunc promissa appareant: 19

quod promittentem ultro significat, dixit. et *sæpe pollicitum se*, an necesse sit præstare eum, qui promiserit (lego: SÆPE POLLICITUM ESSE, *ut necesse sit præstare ea, quæ promiserit.* Ed. Arg. SÆPE. *Necesse est eum præstare, qui promisit: magis necessarium, qui sæpe promisit*). *Chærea aliquid inveni*] Induxit *μίμησιν* pragmatice, more suo, non contentus dicere quid (alii, *qui*; editt. vett. Ms. Bœnd. et ed. Du B. *quod*) pollicitus sit tantum, sed quo modo etiam, et quibus verbis. D.

17 *Modo quod ames*] Tantummodo, quasi hæc mora sit promissis complendis. *In ea re utilitatem ego faciam ut cognoscas meam*] An possit, qui posse se affirmavit? plus est probasse quod promiserit, quam ostendere quod possit. D.

Lege cum Donato Msto, vett. edd. et tribus nostris codd. *utilitatem in ea re faciam ut cognoscas meam.* Sublato tantum illo *ego*, quod abundat. B.

Utilitatem] Utilitas est opera, quæ alteri præbetur. Cic. ad Div. XVI. 3. *utilitatibus tuis possum carere* ubi v. Manut. R. D.

18 *Cum in cellulam*] Sic dicit anus* quæ et acceperit beneficium (edd. vett. non habent lacunæ signum. Ms. H. *Sic an is qui*, &c. Forte, *sic dicit, annuens ei, qui acceperat beneficium.* Quam lectionem adjuvare videntur libb. vett. CUM IN CELLULAM AD TE). *Patris penum omne*] Ipsum penum: non ex eo aliquid, *ὑπερβολικῶς*. Et hoc *penu*, et hic *penus*, et hæc *penus* veteres dixerunt. Ergo et *omnem* et *omne* legitur. *Congerebam clanculum*] *Λάθρα ἢ κρύφα*. D.

Cum in cellulam] Hoc in loco persuadet servo, ut auxilium sibi et consilium accommodet; et repetit gratiam, quam dicit se ante præstitisse. Ut in Andria: *si te in germani fratris dilexi loco, seu tibi morigera fui in rebus omnibus. In cellulam ad te patris penum*] Apte, se ante beneficium præstitisse, quod conveniret personæ, dixit, cum servulis de cellula patris omnem penum sit solitus transferre. *Penum* autem intelligimus omne quicquid ad victum est. Quidam enim tantummodo pulmentaria hoc sermone significata voluerunt. Ut Virgil. Æn. I. 708.—*quibus ordine longo Cura penum struere, et flammis adolere penates.* E.

Cum in cellulam] Hieronym. advers. Rufin. lib. I. L.

Tres tantum e nostris habent *omne* pro *omnem*. Male. B.

Cellulam] Cellæ et cellulæ dicuntur habitationes servorum. v. Sueton. in Calig. c. 57. in Vitell. c. 16. R. D.

19 *Age, inepte!*] Qui dubites de promissis: an *(aut* Z.) qui exprobres te multa esse largitum? *Hoc hercle factum est*] Inveni quod amem. hoc, quod dicebas, inquit, moræ esse *(de amore esse*, liber uterque. W. Lege, *hoc, quod dicebas*, inveni modo quod ames, *jam factum est; amo* Z.), jam factum est; amo. *Promissa appareant*] Utilitatem ut cogcoscam tuam. D.

Age, inepte!] *Ineptum* prorsus est, quod non aptum est, ideo *age inepte*. E.

Pro *fac sis* liber Bembinus Faerni, et unus e nostris habet admodum inepte *faxis*. B.

Hoc factum est] Formula de re vera et minime dubia. Petron. c. 166. *factum est fabula.* Quintil. declamat. IX. p. 224. *certum est, factum est*,

Sive adeo digna res est, ubi tu nervos intendas tuos.
Haud similis virgo'st virginum nostrarum, quas matres student
Demissis humeris esse, vincto pectore, ut graciles sient;

eripi non potest. ubi v. Burmann. R. D.

Appareant] I. e. re ipsa præstentur. R. D.

20 *Sive adeo digna res est*] Si persona Parmenonis est, *sive* abundat: et pro expletiva conjunctione modo est. In quibusdam omnino non legitur. *Adeo* autem abundat, aut *nimis* significat, vel *satis*, Si Chærea dicit, hic ordo et sensus est: fac si vis nunc, sive adeo digna res est, ubi tu nervos intendas tuos, ut promissa appareant; ut sit *sis*, si vis: et addatur *ut*, quod deest. Fac ut promissa appareant (lege: *quod deest et in illo*, fac sis nunc promissa appareant. Z.) *Ubi tu nervos intendas tuos*] Utrum obscene hoc, ut servus? an μεταφορικῶς, ubi laborare ac periclitari debeas? Sed melius legunt, qui hoc totum ad personam applicant Chæreæ; et melius, quam qui Parmenonem hoc putant loqui, *sive adeo digna res est, ubi nervos intendas tuos.* D.

Sive adeo digna] Sensus est: si talis res est hæc, ubi omnes tuas cogitationes possis intendere, et plurimum laborare. Denique *digna res est*, ubi laborandum sit. Continuo subjungit: *haud similis virgo est, quas matres student demissis humeris esse*] Non cibo in tota aliqua pinguedine sublevatis. E.

Codd. nostri male hunc versum tribuunt Parmenoni. B.

Ubi nervos intendas] I. e. in qua omnibus viribus nitaris. Quint. Cic. de petit. consulat. c. 14. *plane sic contende omnibus nervis et facultatibus.* Nervi metaphorice dicuntur, qui maximam vim habent, quoniam robur corporis in nervis situm est; hinc *exsecare, incidere, præcidere nervos* significat vires infringere. v. interpret. ad Liv. VIII. 39. Cæterum simul in hac locutione ad significationem obscœniorem alludi videtur. v. Casaub. ad Athen. I. 5. R. D.

21 *Haud similis virgo est virginum nostrarum*] Civium scilicet, id est, terræ ac patriæ nostræ. ut Virg. Georg. II. 89. *non eadem arboribus pendet vindemia nostris.* Et Sallustius, *nostri fœda fuga*, &c. *Quas matres student*] Hoc verbo ostendit cultum industriæ, non pulchritudinem naturalem. D.

22 *Demissis humeris esse, vincto pectore*] Antiqui enim Græci etiam virginibus suis præbebant palæstram, ad componenda corpora. Vel *demissis humeris esse*, liquide et molliter deductis, neque extantibus, alæ in modum *(athletico modo.* Ms. H.) *Demissis humeris esse, vincto pectore*] Non accipiendum est quasi hoc dicat, ad hoc illas student matres demissis humeris esse, et vincto pectore, ut graciles sient: quasi hæc duo propter unum illud fiant. sed varie tria dixit, ne diceret * aut student illas demissis humeris, et vinctum pectus, ut graciles sient (verba, *ne diceret —sient*, absunt ab ed. Argent. Et parum sani habent). *Vincto pectore*] Castigato ac tenui, et velut vincto. Deest ergo *velut. Ut graciles sient*] A singulari *gracilis* (quis id nescit. Cum vero Donatus notare soleat, quæ rarius occurrunt; crediderim, eum legisse GRACILÆ, et scripsisse, *a singulari* GRACILA *venit*, &c. Conjecturam firmant testimonia probi et Non. Marcelli) venit hæc declinatio. D.

Vincto pectore] Macie ita deductæ, ut vinctæ esse videantur. *Graciles sient*] Legitur et *gracilæ*, ut declinaverit Terentius *hæc gracila.* E.

Vincto pectore] Vet. cod. *vincto corpore.* Hieronymus de vitanda suspicione: *papillæ fasciolis comprimuntur, et crispanti cingulo angustius pectus arc-*

Si qua est habitior paulo, pugilem esse aiunt? deducunt cibum.

Tametsi bona est natura, reddunt curatura junceas.

tatur. Inde apud Festum: *cingulos appellabant homines, qui in his locis, ubi cingi solet, satis sunt tenues. Ut graciles sint*] Ita Ausonius quoque: sed Probus gramm. *ut gracilæ sient.* L.

Donatus, inquit Faernus, legit *gracilæ*, dicens a singulari *gracila* venire hanc declinationem. Nos legendum esse consensus *gracilæ*, quia Val. Probus p. 1466. sit, Terentium nove dixisse in sing. *hæc gracila.* B.

Demissis humeris] I. e. molliter deductis, non extantibus. Veteres luxuriantem humerorum habitum in puellis fasciis castigare solebant. v. Scalig. ad Varron. de lingua lat. IV. p. 56. R. D.

Vincto pectore] Scilicet fasciis. Veteres non amabant virgines mammosas, itaque strophio vel fasciis pectoralibus papillarum tumorem cohibebant. Martial. XIV. 134. *fascia crescentes dominæ compescet papillas.* v. Scaliger. l. c. et Lindenbrog. ad h. l. et Heins. ad Ovid. Art. Amator. III. 274. Aliis tamen tumidæ papillæ placuerunt v. quæ annotavimus ad Jul. Rufin. p. 256. R. D.

Gracila] Sic legendum est ex antiquis grammaticis non *graciles.* v. Bentl. ad h. l. multa adjectiva simul exeunt in *us* et *is*, ut imbellus, is, hilarus, is &c. R. D.

23 *Si qua habitior paulo*] Unde et *habitudo* dicitur: ut, *quæ habitudo est corporis?* nam *habitior*, aptior intelligitur. ut, Æn. I. 318. *namque humeris de more habilem suspenderat arcum.* Ergo *habitior* legendum est. *Pugilem esse aiunt*] Laus in virginem (imo vituperium, ex sententia matrum). *Deducunt cibum*] Mire vituperavit formam, quam accuraverit fames. Et proprie *deducunt.* D.

Si qua est habitior paulo] Si est aliqua corpulentior. *Deducunt cibum*] Minus cibi dant. E.

Habitior] Plaut. Epidico I. 1. 8. *corpulentior videre atque habitior.* L.

Habitior] I. e. plenior, corpulentior. v. notata ad II. 2. 21. R. D.

Deducunt cibum] H. e. demunt aliquid de cibo quem dare solent. Sic apud Cicer. de offic. I. 18. *addendo deducendoque videre quæ reliqui summus fiat* et apud Liv. VI. 15. *deducere de capite.* R. D.

24 *Tametsi bona est natura*] *Bona*, id est plena, magna, et pinguis. *Reddunt*] Exhibent, perficiunt. *Curatura*] *Cura*, mentis est: *curatio*, medicinæ: *curatura*, diligentiæ. *Junceas*] Tenues et pallidas. D.

Reddunt curatura junceas] Per hanc operam ita instituendi et ita cibos dandi, reddunt virgines junco similes, quod herbæ genus est ita in longitudinem æquali modo porrectum, ut nulla per corpus appareat vel nodo efficta pinguedo. E.

Tametsi bona] Mss. *tamen etsi. Junceas*] Ausonius Epist. 4.—*plena sic junceus alvo.* Prudentius in Kalâlia, 131.—*carnifices gemini funcea pectora dilacerant.* Cassiod. lib. VII. Var. XV. *Columnarum junceam procéritatem.* Inde et *ejuncidum* ἰσλιωτωδὲς. Glossar. et Varro de re rust. lib. I. cap. 31. Terentii locum imitari voluit Luitprandus Histor. lib. VI. cap. 6. *Testes sunt non solum juncearum formarum curatura, sed et quotidianarum formarum mulieres.* L.

Lindenbrogii codd. et unus e nostris vett. *Tamenetsi.* Ut igitur *bona* sub ictu collocetur, repone *est* post *natura.* B.

Curatura] I. e. nimia cura et diligentia. Veteres grammatici *cura* dicunt esse mentis, *curatio* medicinæ, *curatura* diligentiæ, quod discrimen non perpetuum est. Nam *cura* et *curatio* sæpe de corpore dicitur. v. Gronov.

Itaque ergo amantur. P. Quid tua istæc? C. Nova figura oris. P. Papæ! C. Color verus, corpus solidum, et succi plenum. P. Anni? C. Anni? Sedecim.

observ. I. 23. et Bentl. ad Horat. epist. I. 94. R. D.

Junceas] I. e. tenues, graciles instar junci. R. D.

25 *Itaque ergo amantur*] Itaque, inquit, nemo illas amat. *ἀφύτλα* est. aut (*haud* Z.) vere amantur: ut eo magis hæc amanda sit, quæ naturæ beneficio, non factis comtibus, aut industria est pulchra. *Itaque ergo amantur*] Atque ita fit, ut amentur: non naturæ merito, sed industria. *Quid tua istæc?*] Recte: sic enim ipse dicet, *at nihil ad nostram hanc. Quid tua istæc?*] Deest, *qualis est, dic. Nova figura oris*] Laudis genus est, *nova*: quia dixerat, *tædet quotidianarum harum formarum. Papæ!*] Interjectio mira subito accipientis. D.

Nova figura oris] Et in Andria diximus formam esse laudandam. Ibi, *video adolescentulam forma, &c.* E.

Itaque ergo] Hæ particulæ per pleonasmum sæpe junguntur. v. Gronov. ad Liv. III. 31. R. D.

Quid tua istæc] I. e. qualis est ea quam amas. R. D.

Nova figura oris] I. e. non vulgaris, sed mira, inusitata. Sic *novus* in utramque partem dicitur in Ad. IV. 7. 4. *nova flagitia*. in Phorm. V. 7. 79. *nova modo facere contumelias*. R. D.

26 *Color verus*] Quia non de cura est ac de fuco, id est, naturalis, non fucatus. *Corpus solidum*] Quia non vitiatum. *Corpus solidum*] Plenum et forte, id est non flaccidum. *Succi plenum*] Quia nemo deduxit cibum. Nam succus est humor in corpore, quo abundant bene valentes. Virg. Ecl. III. 6. *et succus pecori, et lac subducitur agnis. Succus* proprie, quasi *sugus*, quem sibi ex alimentis membra sugunt, ut se repleant. *Succi plenum*] *Succus* est interior pinguedo membrorum. *Anni sedecim*] Vide quemadmodum ætatem virginis maturæ poeta ex occasione demonstraverit. D.

Color verus] Et hoc quoque ad pulchritudinem proficit, ut apud Virgil. Æn. I. 594.—*lumenque juventæ Purpureum*, in quo et anni declarati sunt, quod *juventæ*: ita et hic anni indicati sunt plurimi, id est, *flos ipse*. E.

Corpus solidum et succi plenum] Ovidius Metamorph. III. 397. de Echo:—*et in æra succus corporis omnis abit*. In Priapæis: *quæ succo caret, utque patris pumex*. Hilar. in vita Honorati: *speciosa facies, et prius succi plena, fit plena gravitatis*. Apuleius Apolog. I. *facies ejus decora et succi palæstrici plena*. Sic enim locus ille ex vetustiss. codicibus legendus. *Succum* eleganter vocant hac in re Latini, quem Græci *τὸν ὑγρότητα*; nec minus scite Arnob. *liquoris feminei laxitatem*. Et Martial. *Et placido fulget vivus in ore liquor*. Huno totum vero Terentii locum optime expressit Ausonius epistola ad Hesperium: *si qua tibi in his versiculis videbuntur, nam vereor ut multa sint, fucatius concinnata quam verius, et plus coloris quam succi habere, ipse sciens fluere permisi; venustula ut essent magis, quam forticula: instar virginum, quas matres student demissis humeris esse, vincto pectore, ut graciles sient. nosti cætera*. Hieronym. Epistola ad Paulum Concordiensem: *dentes candidi, vox sonora, corpus solidum et succi plenum*. L.

Ex *color* elide *r*, ut in prima sede sit anapæstus, quod maxime in primo pede fieri notissimum est. B.

Corpus solidum] I. e. cujus carnes firmæ sunt, non flaccidæ, quale describit auctor dial. de orat. c. 21. Elegans est locus Lucilii ap. Non. Marcell. p. 391. *hic corpus solidum invenies, hic stare papillas pectore marmoreo*. Ovid. epist. IX. 60. Herculi tribuit solidos toros. Solido corpori opponitur

P. Flos ipse. C. Hanc tu mihi vel vi, vel clam, vel precario
Fac tradas: mea nihil refert, dum potiar modo.
P. Quid? virgo cuja'st? C. Nescio hercle. P. Unde'st? C. Tantundem. P. Ubi habitat?
C. Ne id quidem. P. Ubi vidisti? C. In via. P. Qua ratione amisti? 30
C. Id equidem adveniens mecum stomachabar modo:

flaccum ap. Tacit. Histor. II. 32. R. D.

Succi plenum] I. e. bono habitu. Succus proprie est humor in corpore, quem bene valentes ex alimentis trahunt. v. Donat. ad h. l. R. D.

27 *Hanc tu mihi vel vi, vel clam, vel precario*] Hæc tria sunt, quibus non rite res agitur, vel vi, vel clam, vel precario: sine pretii mentione: vel quia virgo, non meretrix: vel quia nulla ephebo spes est fallendi senis. *Hanc tu mihi vel vi, vel clam, vel precario fac tradas*] Secundum jus locutus est: nam his tribus mala fide aliquid possidetur: vi, clam, precario. *Vi*, quia virgo, *clam*, quia custoditur. *precario*, quia pretium non habet Chærea. D.

Vel vi, vel clam] Petitio a majoribus ad inferiora descendit, sicut semper diximus in petitione esse faciendum. E.

Clam, vel vi, vel precario] Vid. Cicero in Topicis. Justin. Instit. de interdict. L.

Verba *flos ipse* cum nec versus admittat, nec sensus probet, delenda puto. Nam de sola formæ commendatione nusquam flos dicitur. De ætate vero non potest, quia et Chærea ipse, et multæ aliæ puellæ Athenis hujus erant ætatis. B.

Vi, clam, precario] I. e. quocunque modo. Formula desumta est ex Jure Civili, ubi hæc tria sæpe junguntur. v. Brisson. de verbor. significatione. R. D.

28 *Mea nihil refert, dum potiar modo*] Non hoc personæ attribuendum est, sed affectui. Non enim, quia Chærea est, sed quia amator, de se cupit facere (*temere eum cupit facere* Z.) quemadmodum potiatur. D.

Dum potiar] Quælibet causa sit, dummodo ad hoc perveniam, ut possim potiri. E.

29 *Quid virgo, cuja est?*] Utrum serva, an filia? D.

Quid virgo, cuja?] Hic jam quæritur an fieri possit a facultate, quam rem interrogatus adolescens redit ad conquestionem, quod sic eam de conspectu impeditus amiserit. E.

30 *Ne id quidem*] Pulchra varietas, *Nescio, tantundem, ne id quidem. Qua ratione amisti?*] Figura συγνωμῆ, pro *amisisti. Qua ratione amisti?*] Si non remansisset Chærea, sed consecutus virginem, vidisset, pro deducta esset prius, quam Parmenonem conveniret: non ita procederet fabula, ut nunc procedit. Irruisset enim in cognitionem meretricis importune Chærea, nec pro Eunucho adduceretur ulterius. D.

Ratio versus, ait Faernus, qui est Iambicus tetrameter catalecticus, exigit *amisisti*, uti est in Bembino et aliis omnibus. Nobis vero videtur olim fuisse ILLAM *amisti*. B.

31 *Id equidem*] Deest *ob*, aut *propter*: ut sit, *ob id*, aut *propter id. Mecum stomachabar*] Bene *mecum*: quia acriorem dolorem sustinet, qui ipse sibi irasci cogitur. *Mecum* ergo, pro *apud me*, vel *mihi*. D.

Stomachabar] I. e. ægre ferebam. Cic. ad Attic. XIV. 21. *amariorem me senectus facit, stomachor omnia.* Stomachus metaphorice est patientia ho-

Nec quenquam esse ego hominem arbitror, cui magis bonæ
Felicitates omnes adversæ sient.
P. Quid hoc est sceleris? C. Perii. P. Quid factum'st? C. Rogas?
Patris cognatum, atque æqualem, Archidemidem
Novistin'? P. Quid ni? C. Is, dum sequor hanc, fit mihi obviam.
P. Incommode hercle. C. Imo enimvero infeliciter:

minis vel animus in rebus aut probandis aut fastidiendis. Cic. ad Div. II. 16. *ut scires me tamen in stomacho solere videre*, ubi v. Manut. R. D.

32 *Hominem esse arbitror*] Deest, *quam me* (lege, *tanquam me*; aut, *præterquam me* Z.) *Cui magis bonæ felicitates*] *Bonæ*, magnæ. Nove autem dixit, magnas felicitates sibi adversari, eo quod virginem tantæ pulchritudinis ex oculis amiserit. Nam vidisse eam, felicitatis judicat: sed amisisse, adversæ felicitatis. Et quod *bonæ* dixit, vel magnæ, vel nimiæ intelliguntur, vel *ἐπίθετον* est proprium et perpetuum felicitatum. *Felicitates*] *Felicitas* adversa est, cum ex prosperitate, quod lædat, nascitur. *Bonæ felicitates*] Ἔμφασις est, eo quod *felicitates* pluraliter posuit. Ἐπίθετα autem de tribus causis nominibus adduntur: discretionis, proprietatis, ornatus. Discretionis: ut Æn. III. 6. *Phrygiæ molimur montibus Idæ*. Proprietatis: ut Æn. VII. 667. *terribili impexum seta et dentibus atris*. Ornatus: ut Æn. 1. 618. *Alma Venus Phrygii genuit Sinoentis ad undam*. D.

Ut in utrumque verbum, in *hominem* et *quenquam* cadat accentus, pone, *neque quénquam ego hóminem esse arbitror*. B.

33 Cum *bonæ felicitates adversæ* sibi repugnent: legi debet *aversæ*, h. e. quæ me fugiunt, nunquam ad me veniunt. Sic dicuntur sæpe *Dii aversi*. E.

34 *Quid hoc est sceleris?*] Propter hoc quod patior, inquit. Nunc enim scelus dicit a sene commissum (videtur Donatus illa, *quid hoc est sceleris?* tribuisse Chæreæ, et ad ea notasse: *propter quod hoc patior, inquit. Non enim*, &c. D.

Verba, *quid hoc est sceleris*, ipsi Chæreæ sunt tribuenda. Nam Parmeno, qui totam hanc fervidi adolescentis orationem tepidus et lentus audiit, non debet repente ab illo more deflectere. Deinde Donatus, quamquam *scelus*, quod hic est infortunium, male interpretatur: tamen recte tribuit hæc verba, uti nos, Chæreæ. Sic *scelus* occurrit Plaut. Capt. III. 5. 104. B.

Sceleris] *Scelus* h. l. est infelicitas. Martial. epigr. VII. 14. *accidit infandum nostræ scelus, Aule, puellæ*. v. Bentlei. ad h. l. sic *sceleratum frigus* pro noxio. ap. Virg. Georg. II. 256. *scelesta plebs* pro infelice ap. Hor. Carm. II. 4. sic campus, vicus, porta scelerata. v. Duker. ad Flor. I. 12. 102. R. D.

35 *Archidemidem nostin'?*] Hoc sic pronunciandum est, ut appareat ex ipso nomine statim, odiosum nescio quem occurrisse ac permolestum. D.

36 *Quid ni?*] Correptio est ab se manifesta inquirentis. est enim sensus, quid nisi, aut cur non noverim? est enim *quid ni*, aut quid nisi, aut cur non: quia veteres *ni* pro *ne* ponebant, et *ne* pro *non*. Ut Plautus Menæch. I. 2. 1. *ni stulta sis*, pro ne. Et *ne vult*, pro non vult. D.

Partim ob codd. partim ob versum recte Faernus legit: *nostine*? P. *Quidni*? C. *Is, dum hánc sequor, fit mi óbviam*. B.

37 *Imo enimvero infeliciter*] Bene hoc interponit, quod incredibile est,

Nam incommoda alia sunt dicenda, Parmeno.
Illum, liquet mihi dejerare, his mensibus
Sex, septem, prorsum non vidisse proximis, 40
Nisi nunc, cum minime vellem, minimeque opus fuit.
Eho! nonne hoc monstri simile'st? quid ais? P. Maxume.
C. Continuo accurrit ad me, quam longe quidem,

tardiorem futurum amatorem incessu virginis (edd. vett. *quod inoredibile est παράδοξον, tardiorem amorem fuisse in incessu virginis.* D.

Imo enim vero] Recte adolescens reprehendit servum dicentem, *incommode.* Incommodum est enim, cum nos nobis causa sumus, ut aliquid damni sentiamus. At vero hic parum feliciter gesta res est, vel infeliciter potius, cum ex eventu et ex fortuna quidam occurreret senex, ut impedimento esset. Et certe mihi videtur idcirco mutasse genus calamitatis, ut infelicitatem potius quam incommodum diceret. quod incommodum jam malum est quod evenerit: infelicitas vero id malum est, quod perversa fortuna contingit: quod tamen consilio et virtute corrigi et sustineri potest. E.

38 *Nam incommoda alia sunt dicenda*] Quæ minora sunt scilicet, aut similia. D.

39 *Illum liquet mihi dejerare*] Liquidum est constans, et manifestum, et certum. Et sic *liquet*, pro liquidum est: ut *claudit*, pro claudum est. Ut apud Sallustium (in Fragm.) *Nihil socordia claudebat.* Et est *liquet* verbum juris, quo utebantur judices, quum AMPLIUS pronunciabant, obscuritate commoti causæ magis, quam negotii simplicitate (forte, *implicitate*, h. e. implicatione). *Dejerare*, valde jurare: ut *demiror*, et *de amo te, Syre*, si *de* producte legeris; si correpte, deos jurare intelligitur. D.

Liquet mihi dejerare] Manifeste, inquit, possum jurare. *Liquet* enim, hoc est, clarum et manifestum est. Ut Cicero Cluentio 28. et 38. *quidam sibi judices non liquere dixerunt. Dejerare* est sancte jurare. E.

Liquet mihi dejerare] I. e. liquido dejerare possum. v. not. ad Andr. IV. 3. 14. *Dejerare* est valde, sancte jurare. Nam *de* in compositis vim auget, sic *deamare* est valde amare, *demirari* valde mirari, in Hec. V. 2. 5. *Bacchis dejerat persanete.* v. Broukhus. ad Prop. Eleg. IV. 3. 42. R. D.

40 *Prorsum non vidisse proximis*] Quia non vidisse dixit *proximis*, præteritis intelligimus. Proxima enim nobis aut præterita, aut futura sunt: nam præsentia ea sunt, in quibus nunc sumus. D.

Lege *prorsus*, quod non modo quinque codd. cum edd. vett. et Prisc. p. 1200. habent, sed et concinnius est, quia præced. vox *m* terminatur. B.

Sex septem] Eleganter pro *sex aut septem.* Cic. ad Attic. X. 8. *sex, septem diebus.* v. Lambin. ad Horat. epist. I. 1. 57. R. D.

41 *Nisi nunc quum minime vellem*] Quia semper nolui, ideo nunc minime, utpote adolescens senem. *Minimeque opus fuit*] Sæpe enim nolumus tantum, nunc etiam opus non est. D.

42 *Monstri simile est*] I. e. res est miranda. Cic. pro Ligar. c. 4. *prodigio simile est, quod dicam.* v. Duker. ad Flor. III. 4. p. 514. R. D.

43 *Quam longe quidem*] Bene *longe* dixit: quia *a longe* non potuit dicere: an subauditur *erat*, ut sit, *quam longe erat?* D.

Accurrit ad me] Hic in omnibus exprimenda est tarditas, quod impedimentum non parvi temporis possit ostendere. Nam licet *accurrit* dixerit, tamen certum est istam properationem

Incurvus, tremulus, labiis demissis, gemens:
Heus, heus, tibi dico, Chærea, inquit, restiti: 45
Scin' quid ego te volebam? dic. cras est mihi

in senem *(sene)* fuisse tardissimam. Deinde adjecit et locum, quod dixit: *quam longe quidem.* Isti corporis qualitatem subjungit *tremens*, deinde *labris dimissis.* Hæc jam ad impedimenta loquendi videntur apposita, et quod dixit *tremens*: scimus enim retortis ad hiatum labris, sed præminentioribus, minus facile sonus exprimi. Adjecit tamen *gemens*, quod tardius in gemitu naturæ* *(natura* Z.) senectutis expresso sono aliquid locutura prorumpat. Deinde congeminat quasi revocationem et salutationem, *Heus, heus, inquit*] Ostenditur tarditas, simulque istud declaratur, quod vere vox ista ab eo cœperit sono, qui et vocem et gemitum declararet. E.

Quam longe] I. e. valde longe. *Longe* dicitur pro e longinquo. R. D.

44 *Incurvus, tremulus, labiis demissis, gemens*] Ut omnia ostendat in contrarium sibi versa esse, etiam cursum attribuit seni (hoc scholion explicat tantum verba, *continuo accurrit*, quæ exciderunt. Z.) *Labra*, sunt superiora: *labia*, inferiora. *Labra* asinorum *(simorum* legendum putat Bynkershoekius. Flaccus, teste Charisio, ita distinguit: modica esse *labra*, *labia* immodica, et inde *labeones* dici) proprie dicuntur. *Gemens* autem, ob continuam tussim. Sic Lucillius: *ante fores autem, et triclini limina quidam Perditus Tiresia tussi grandævus gemebat. Incurvus*, valde curvus. Sic Virg. Æn. XII. 1. *Turnus ut infractos adverso Marte Latinos Defecisse videt.*—*Infractos* enim valde fractos significat. Nam *in* præpositio nunc auget, nunc minuit dictionem. Recte etiam deformitatem describit senis, qui præter *(propter* Z.) ætatem, post pulchram virginem, fœdior videbatur. Et quam importune omnia? pro puella, senex occurrit: pro virgine, incurvus, tremulus: pro pulchra, labiis demissis, gemens: et cum amator sit, inaniter adolescenti ipse judicium loquitur: dum festinandum sit, remoratur. *Labiis demissis*] Majora labra, unde *labeones*. Alii *labia* inferiora, et *labra* superiora. D.

45 *Heus, heus, tibi dico Chærea*] *Tibi dico Chærea*, non adderet, nisi videret Chæream dissimulantem prætexire. *Inquit*] Aliter *inquit* pronunciandum est, hoc est, concitate. Nam senis verba aliter proferenda sunt. D.

Tibi dico] Et hic quam stulte, ut, cum jam revocaverit, adjicerit *tibi dico*, sed inde subjunxit, cum utique paratus esset adolescens ad audiendum, *scin' quid ego te volebam?* Quam enim stultum est, ut cum ante debeat dicere, veluti interroget ac dicat, *scis quid ego te volebam?* Ita coactus est adolescens respondere ut diceret *Dio*. Inter vices vocum magna tarditas declaratur. Contra respondet ille, *cras est mihi judicium*. Et hoc stultum est, quod ait; quod cras fuerat futurum, pridie nunciavit. Deinde tarda narratio est, quod dicit. *Est mihi judicium*. Denique dolor adolescentis et hac narratione exprimitur, quod dicit, *quid tum?* Atque ille verba pene non necessaria adjecit, cum respondet, *ut diligenter nuncies patri, advocatus mane mihi esse ut meminerit.* Denique istac sic expressa et hoc intelligi datur cum adjunxit, *dum hæc dicit, abiit hora.* Atque injecit, *rogo numquid velit.* Quod quidem fortasse verisimile videatur esse, eum qui properaret tacente eo qui retinebat, amplius interrogare voluisse. Verum hoc ad festinantem magis pertinet. Cui *(qui)* enim dixit, *rogo ne (num) quid velit*, metuebat, ne forte discedentem rursus senex revocaret. Denique cum ille respondisset, *recte*; tunc dicit adolescens *abeo. Cum huc respicio ad virginem.* Post locutionem diu habitam *respicio*, inquit, ad eam quam sequebar virginem. E.

46 *Scin' quid ego te volebam?*] Hic

Judicium. quid tum? ut diligenter nuncies
Patri, advocatus mane mihi esse ut meminerit.
Dum hæc dicit, abiit hora: rogo, num quid velit?
Recte, inquit. abeo. cum huc respicio ad virginem,
Illa sese interea commodum huc advorterat
In hanc nostram plateam. P. Mirum, ni hanc dicit, modo
Huic quæ data'st dono. C. Huc cum advenio, nulla erat.

ostenditur odiosa tarditas senis, apud festinantem Chæream. Nam non dicit, sed promittit se dicturum. *Cras est mihi judicium*] Huic moræ etiam illud additum, quod, quum debeat dicere quid velit, prius dicit quod non est necessarium, quare velit. D.

47 *Ut diligenter nuncies*] *Diligenter* nihil tam abundanter, nihil tam moraliter (h. e. *ad moram faciendam apte* Z.) dici potuit. D.

48 *Esse ut meminerit*] Non *ut sit*: sed, *ut esse meminerit*. O prolixitas! D.

Advocatus] *Advocati* Terentii et Ciceronis tempore dicebantur amici, quos qui judicio periclitarentur ad se vocabant, ut se consilio, gratia, supplicando, aut alia quavis opera juvarent, et præsentiam suam commodarent. Qui autem causas orabant, *patroni causarum* vocabantur. v. Ascon. Pedian. in Cicer. divination. in Cæcil. c. 14. Sed postea etiam illi, qui causas agebant, advocati dicti sunt. R. D.

49 *Dum hæc dicit*] Dat tempus verbis: quæ non potuit, quamvis imitaretur, exprimere. *Rogo numquid velit?*] Hoc est, significo me abire. Nam abituri, ne id dure facerent, *numquid vis* dicebant his, quibuscum constitissent. *Quid* est ergo. *Rogo numquid velit?*] Hoc est, dico quod abeuntes solent. D.

Dum hæc dicit] Ms. R. et V. C. *dum hæc loquitur*. L.

Recte nostri omnes, præter unum satis recentem, habent *loquitur*, pro vulgari *dicit*. Ut supra II. 2. 24. B.

Rogo num quid velit] Est formula abeuntis v. Donat. ad h. l. Hunc locum imitatur. Hor. Serm. I. 9. 6. *cum assectaretur, num quid vis? occupo*. R. D.

50 *Recte inquit*] Pro eo quod est nihil: et moraliter, τῷ ἀπτυισμῷ. *Cum huc respicio ad virginem, illa sese, &c.*] In hanc partem partem scilicet, qua meretrix habitabat. D.

Recte] Elegantissima formula respondendi, qua vel gratias agimus, oblato beneficio non utentes, vel comiter et urbane aliquid recusamus in Heaut. III. 2. 7. *quid tu isthic? recte* i. e. nihil. ubi v. Bentl. in Ad. IV. 5. 19. *quid est? nihil, recte, perge*. Pro *recte* Horat. *benigne* dixit epist. I. 7. 16. v. Gronov. ad Plauti Captiv. II. 2. 19. et Perizon. ad Sanctii Minerv. IV. 14. nota 25. Græci dicunt κάλλιστα vel καλῶς εἴπας. v. Casaub. in Lectionib. Theocriteis c. 16. et Kuster. ad Aristoph. Ranas v. 511. R. D.

51 *Interea commodum*] Tantum quod, vel ipso eodemque tempore. *Interea commodum*] Una. Et hoc significat: ut si dicas, eodem tempore quo hoc agebatur. Nam *interea*, nunc conjunctio accipienda est: non, ut alias, pro adverbio ponitur. D.

Commodum] Ut adverbium ponitur pro hoc ipso tempore. in Phorm. IV. 3. 9. *cum hoc agebam commodum*. Eo sæpe utitur. Cic. v. Victor. ad Cic. epist. ad Div. VII. 23. R. D.

52 *In hanc nostram plateam*] Recte, quia vicina est illis Thais, ad quam deducitur. D.

Mirum, ni hanc dicit] Hic cognitio efficitur ejus, quæ quærebatur. E.

53 *Nulla erat*] Etenim ingressa jam fuerat. D.

P. Comites secuti scilicet sunt virginem?
C. Verum: parasitus cum ancilla. P. Ipsa'st: ilicet. 55
Desiné: jam conclamatum'st. C. Alias res agis.
P. Istuc ago quidem. C. Nostin' quæ sit? dic mihi:
Aut vidistin'? P. Vidi, novi, scio, quo abducta sit.
C. Eho, Parmeno mi, nostin'? P. Novi. C. Et scis, ubi siet?

Dono totum in Thesi occultatur. Repone, *huic quæ data dóno'st.* B.

Nulla erat] I. e. nusquam erat v. in Ad. II. 2. 19. et 38. R. D.

54 *Comites secuti scilicet sunt virginem*] Interrogative quidem: sed hic, ut scire videatur id quod quærit: sed ad hoc quærere (*quærit* Z.) ut, quod scit, confirmet. D.

Comites secuti] Interrogat signa, quo facilius, quam suspicatur, eam virginem esse cognoscat. R.

Non interrogat hic versus, uti Donatus opinatur, sed conjectat; quia Chærea respondet, *verum*. B.

55 *Verum parasitus*] *Verum*, modo inceptiva est, non relativa particula. ut in Andria, *verum vidi Cantharam suffarcinatam*. D.

Ipsa est, ilicet] Quoties causa ab oratoribus finiebatur, et a judice sententia ferri habuerat (*desierat*. Nisi cum Westerh. malis, *ferenda lata erat* Z.) semper conclamabatur *ilicet*, hoc est, ire licet. Signum ergo finis et cognitionis plenæ. R.

Verum] I. e. omnino v. in Heaut. V. 3. 11. R. D.

56 *Jam conclamatum est*] Transactum ac finitum. ut conclamata corpora nihil reliqui jam habent ad vitæ officia. *Conclamatum est*] Manifestum significat, ipsam idem* (*eandem*) esse, vel pulchram esse. quia et ipse dixerat (lege, *vel puellam esse, de qua ipse dixerat*, vid. supra II. 1. 25. Nisi mavis, *pulchram esse, quia de ipsa dixerat*. Vel, *quia et ipse dixerat*): *hæc superat ipsam Thaidem*. ut in conclamatis funeribus nulla dilatio est doloris et luctus, unde Lucanus ait II. 23.—*corpora nondum Conclamata jacent*. Aut *conclamatum*, satis deploratum, satisque vociferatum est: quia dixerat, *O infortunatum senem! si et hic amare cœperit*. Tanquam dicat, jam occisum patrem tandem scimus, jamque deflemus. *Alias res agis*] Recte, quia dixit ille, *jam conclamatum est*. *Alias res agis*] Aut non attendis ad id quod dico, significat, ut nulla sit in eo attentio. Nam hinc natum est, *agitæ amabo*. Aut negatorias res agis, hoc est, jocaris: quasi dicat, vanas res agis. D.

Conclamatum] Servius Æneid. VI. 218. *Pars calidos latices*. L.

Conclamatum est] I. e. nulla spes superest. Locutio ducta est a funeribus. Solebant enim veteres, cum quis exspirasset ingentem clamorem tollere cujus rei causas tradunt Lamb. ad Lucret. III. 4. 69. et alii. R. D.

57 *Istuc*] Illud scilicet, *desino, conclamatum est*. E.

Bene Cod. C. C. C. legit, *istuc ago equidem*. C. *nostin' quæso dic mihi, aut Vidistin'?* Nam *quæso* locum habet in interrogatione, et Parmeno respondet absolute, *vidi, novi*. B.

58 *Scio, quo abducta sit*] Plus dixit, quam interrogabatur: credo, tædio interrogantis. nam properat, ut dicturus est, (edd. Ven. *at ducturus est*. Lege: *et iturus est*. Vid. Donat. ad vers. 60.) ad deducendum Eunuchum ad Thaidem cum ancilla ex Æthiopia. *Scio quo abducta sit*] Secunda ἀνακύκλησις. D.

59 *Eho, Parmeno mi, nostin'? et scio ubi siet?*] Amatorie satis repetuntur, quæ semel dicta suffecerant. D.

Syllaba ultra metrum redundat: nisi *Parmeno* dactylum feceris, quod vero non licet. Igitur, sublato illo *novi*, et totum versum tribue Chæreæ. Uti est apud Donatum. B.

P. Huc deducta'st ad meretricem Thaidem: ei dono data'st.
C. Quis is est tam potens cum tanto munere hoc? P. miles Thraso,
Phædriæ rivalis. C. Duras fratris partes prædicas.
P. Immo enim, si scias, quod donum huic dono contra comparet:
Tum magis id dicas. C. Quodnam, quæso hercle? P. Eunuchum. C. Illumne, obsecro,

60 *Huc deducta est ad meretricem*] Et hoc confundit semel (*simul* Z.) quum asservatim dicit, velut odio interrogantis sæpius et festinatione ad mandata Phædriæ peragenda. D.

61 *Potens*] I. e. opulentus, dives. Horat. Carm. II. 18. 12. *nec potentem amicum largiora flagito.* Phædr. fab. I. 24. *inops potentem dum vult imitari* ubi v. interpretes. R. D.

62 *Phædriæ rivalis*] Cum pronunciatione addendum, quo magis doleat Phædriæ rivalis. (Forte leg. *hic molliori pronunciatione est utendum*, quod malum dolebat Phæd. riv. Z.) *Duras fratris partes prædicas*] Scilicet contra æmulum et divitem et largissimum. Et *partes duras*, μετα φορικῶς ab actoribus scenicis. D.

Duras fratris partes] Si enim eum rivalem habet frater, cum ipse sit pauper. Et bene hujus comparatione lapsus est sermo ad id, quod necessarium fieri possit ad consilium (forte, *fieri debebat ad consilium, ut* Z.) responderet servus, *immo enim si scias quod donum huic dono contra comparet.* Indicat enim Eunuchum mitti: ex quo consilium nascitur, ut ipse pro Eunucho ad meretricem pergat. E.

Duras partes] I. e. difficilem sortem, conditionem. Anton. Ciceroni inter Cicer. epist. ad Attic. X. 8. *quod judicabam duriores partes mihi impositas esse.* R. D.

63 *Comparet*] Hic jam ostenditur miles illustrior, per rivalis dona, quam per sua. Et est qualitas comparativa. *Comparat* pro emat, aut comparandum putet. D.

Immo enim recte codd. præter duo, qui *enim* omittunt, habent, et vett. edd. Deinde repone *donum dono huic c. c.* quod, ut *omnia omnes* et similia, ad Terentianas Veneres pertinet. B.

Quod donum huic dono contra comparet] I. e. quod donum huic dono tanquam par opponat. Loquendi ratio e ludo gladiatorum ducta est, ubi paria gladiatorum deliguntur h. e. ubi constitutum, quis cum quoque contendat. Sueton. in Calig. c. 35. *hunc in arenam deductum Thraci comparavit. Contra* est vicissim ut contra vociferari, contra intueri. v. Drak. ad Liv. IV. 53. R. D.

64 *Tum magis id dicas*] Duras partes fratris esse. *Quodnam quæso hercle?* Curiositatem addidit (Ms. Bcnd. adjectum habet *ita*. Postea est lacuna. Et sane vulgaris lectio incommodum efficit sensum,) παρελκόντων *quæso* et *hercle*. Et vide quam molliter, et sine intellectu spectatoris ad argumenti spectati ordinem poeta perveniat; ut de Eunucho facta mentione consilium nascatur supponendi Chæreæ. *Eunuchum*] Mire Terentius primo simpliciter Eunucho nomen posuit, huic quoque detracturus (quid hæc sibi velint, non, video. Wielinguis putat, sub audiri oportere, *nomen Chæreæ, ubi ad Thaidem ducturus est.* W. Aut leg. *huic omnem moram detracturus.* Z.) D.

Faernus *id* delet, quia sedem certam

Inhonestum hominem, quem mercatus est here, senem, mulierem?

P. Istunc ipsum. C. Homo quatietur certe cum dono foras.

Sed istam Thaidem non scivi nobis vicinam. P. Haud diu'st.

C. Perii, nunquamne etiam me illam vidisse? ehodum dic mihi,

Estne, ut fertur, forma? P. Sane. C. At nihil ad nostram hanc. P. Alia res.

in libris non habeat, et versui incommodet. Ego vero malo *tum* deleri, ut *magis* sit in ictu. B.

65 *Inhonestum*] Fœdum: ut *(et* Z.) contra, *facie honesta.* ut apud Virgil. Æn. 1. 591. *et lætos oculis afflarat honores. Hominem*] Opportune *hominem* dixit, tanquam incerti sexus. *Senem mulierem?*] Non communi genere dixit *senem?* quippe qui alibi, Hec. IV. 3. 15. separaverit, dicendo, *senex atque anus:* sed subdistinguendum est, ut sit duplex vituperatio: una ab ætate, quod sit *senem:* altera a membrorum mollitie, quod ait *mulierem.* D.

Inhonestum hominem] Quod contra est, ut ipse dixit, *facies honesta ac liberalis. Senem mulierem*] Singula sunt, ut ætatis indicium sit, quod *senex; mulier,* quod sexus amare videatur alienus. E.

Ob codd. legendum puto *heri.* Deinde *senem mulierem* cum Donato non distinguendum censeo, quia *senex* apud Catullum et Tibullum quoque de muliere dicitur. Sic etiam occurrit *mulier meretrix.* B.

Inhonestum] I. e. deformem, turpem ut *honestus* pro pulchro. in Andr. I. 1. 96. R. D.

Senem mulierem] Ita dicit Eunuchum, quod Eunuchi multa communia habent senibus et mulieribus. Bentleius conjungit senem mulierem, ut mulier meretrix. R. D.

66 *Quatietur certe cum dono foras*] Mire *cum dono:* tanquam illi repulsæ causa donum futurum sit. Tum deinde non rejicietur, sed *quatietur.* Vide quam contumeliosius dictum sit, *quatietur foras:* vel verberibus impellitur foras, non expulsione, sed detrusione: vel sic dixit, *foras quatietur,* ut desit *versum:* ut sit, foras versum verberabitur: ut verberetur et fugetur foras. Nam et pervulgatæ consuetudinis dictum est, *feri canem foras:* hoc est, feriendo canem foras ejice, (sic apud Anacr. XXXIII. 19. Ἐρωτας ἐκβοῆσαι est, clamando ejicere foras. Z.) D.

Quatietur] I. e. cum vi et injuria extrudetur. Horat. Carm. III. 9. 19. *si flava excutitur Chloe.* v. Bentl. ad Hor. Carm. III. 15. 9. R. D.

67 *Sed istam Thaidem non scivi nobis vicinam*] Quomodo n. pro Eunucho veniet, si aut novit, aut notus est? Et si mulierem adolescens ne novit quidem, ipse multo maxime nescietur. *Sed istam Thaidem non scivi nobis vicinam*] Οἰκονομία contra illud, quod meretrix vicina erat. *Haud diu est*] Vicina scilicet. Et est causa, an (forte, *ut* W. *cur* Z.) verisimile sit nescire potuisse vicinam. Et nota apud Terentium vicinas poni sæpius adolescentibus meretrices, ut hæc sit prima amoris illecebra. D.

68 *Nunquam ne etiam me illam vidisse?*] Artificiose inculcat poeta τὸ σιβαρόν. D.

69 *Estne, ut refertur, forma?*] Hoc propter *(probat.* Z.) illud, quod supra

C. Obsecro hercle, Parmeno, fac ut potiar. P. Faciam sedulo, ac
Dabo operam, adjuvabo. numquid me aliud? C. Quo nunc is? P. Donum,
Ut mancipia hæc, ita ut jussit frater, ducam ad Thaidem.
C. O fortunatum istum Eunuchum, qui quidem in hanc detur domum!
P. Quid ita? C. Rogitas? summa forma semper conservam domi

diximus. Sed nimio lepore Terentiano jam illud agitur. Nam hic ostenditur, verisimile esse pro Eunucho creditum, apud vicinam meretricem Chæream, qui adeo ignotus sit mulieri, ut nec ipse eam noverit: quod erat facilius et promtius. Et additur color (*est igitur causa* Z.) quod illa non diu vicina est, et quod adolescens plurimum in Piræo commoratus est. *Nihil ad nostram hanc*] Moraliter *nostram* dixit, pro meam. *Alia res est*] Non potuit melius suam utrique gratiam reservare. Nam et illa, et hæc amantur. D.

Nihil ad nostram hanc] H. e. non est pulchra, si cum nostra comparetur. Præpositio *ad* eleganter inservit comparationi. Plaut. in Captiv. II. 2. 24. *ad sapientiam hujus nimius ille nugatur fuit*, vbi v. Lambin. Liv. XXII. 22. *homini non ad cætera Punica ingenia callido.* infra IV. 4. 14. et Gronov. observat. IV. 6. R. D.

Alia res] dicitur de illis, quæ inter se comparari non possunt ut contra *una res.* ap. Plaut. in Captiv. III. 1. 28. R. D.

70 *Faciam sedulo*] Mire in promissis posterioribus difficultas rei ostenditur: quum primo *faciam* dixerit. D.

Obsecro hercle] Res redit ad preces, quam quidem se effecturum servus pollicetur, et fingit se discessurum, sed tenetur a domino: et dum laudantur fortunæ Eunuchi, quod ad eam iturus est domum, ubi virgo pulcherrima est, sic subit ratio, ut ipse debeat pergere. quam rem providus servus agnovit. E.

Ac dele, ut per asyndeta fortius incedat oratio. B.

71 *Numquid me aliud vis?*] Hoc dicere abeuntes solent. Et bene, *Numquid me aliud vis?* quia festinat. Et simul quia hinc noscitur (*nascitur*, edidit Westerhovius tacite Z.) dolus fallendæ meretricis. D.

Leg. *adjutabo*, quia Noster sic solet, et spondeus in hac sede trochæo est melior. B.

72 *Ut mancipia hæc, ita ut jussit frater, deducam ad Thaidem*] Vide Terentium (videtur scriptum fuisse: *vide T. artificium*, h. e. *Terentii artificium,*) ut non quæsita esse hæc fallacia, sed ipsa se obtulisse videatur. D.

Ducam, non *deducam*, probatur a versu et codd. B.

73 *O fortunatum istum Eunuchum*] *Istum*, sæpe annotavimus, aut ad contemtum, aut ad odium referri. ut Virgilius Æn. IX. 94. *aut quid petis istis?* et Æn. XII. 808. *ista quidem quia nota mihi tua magna voluntas Juppiter. Qui quidem in hanc detur domum*] Quid facilius, quam imitari velle, quod laudes? nec quisquam, nisi qui cupit, eligitur pro Eunucho, qui Eunuchum putat esse beatum. Vide, quam molli descensu ad hoc consilium pervenitur. Res enim hoc suggerit potius, quam Parmeno: ideo quia, servum hoc suadere Chæreæ, nimis temerarium fuit. D.

74 *Quid ita?*] Potuit intelligere statim servus; sed ad hoc interrogat, ut

Videbit: colloquetur: aderit una in unis ædibus: 75
Cibum nonnunquam capiet cum ea: interdum propter dormiet.
P. Quid? si nunc tute fortunatus fias? C. Qua re, Parmeno?
Responde. P. Capias tu illius vestem. C. Vestem? quid tum postea?
P. Pro illo te ducam. C. Audio. P. Te esse illum dicam. C. Intelligo.

docetur spectator (potius, quia hæc est consuetudo popularis sermonis. Z.) D.

Dum videbit, colloquetur] Achill. Tatius Amor. libr. I. *αὐτὴν σοι δίδωκα τὴν ἐρωμένην ἡ Τύχη, καὶ φέρουσα ἔνδον ἔθρυπτεν.* et paulo post: *σὺ δὲ βλέπεις ἀεὶ, καὶ ἀκούεις ἀεὶ, καὶ συνδιαιτᾷς, καὶ συμπίνεις.* Et Catullus Lesbiæ amicæ ita adblanditur: *ille mi par esse Deo videtur, Qui sedens adversus identidem te Spectat, et audit dulce ridentem.* L.

75 *Videbit: colloquetur: aderit una, &c.*] Amatorie nimis, quinque lineas amoris exsecutus est: adeoque diligenter, ut etiam ordinem custodierit. *Videbit: colloquetur: aderit una in unis ædibus*] Mire amator non simul effudit hoc bonum, sed particulatim digessit: ut major voluptas futura esse noscatur. *Videbit: colloquetur; aderit, &c.*] Istæ enim sunt amoris lineæ: etsi eas non omnes est persecutus. D.

Antholog. VII. 135. Εὐδαίμων ὁ βλέπων σε· τρισόλβιος ὅστις ἀκούει· Ἡμίθεος δ' ὁ φιλῶν· ἀθάνατος δὲ ὁ συνών. W.

In unis ædibus] H. e. in una eademque domo. Liv. I. 51. *ea cum una nocte perfecta essent.* ubi v. Drak. R. D.

76 *Propter*] I. e. juxta, prope. in Ad. IV. 2. 37. *angiportum propter est.* Cic. pro Roscio Amer. c. 23. *filii propter (patrem) cubantes.* v. interpret. ad Livii epitom. XLIX. R. D.

Dormiet] Honestius dicitur de concubitu Ovid. de Arte Amator. I. 601. ubi v. Burmann. R. D.

77 *Quid si nunc tute fortunatus fias?*] Sic videtur Parmeno dicere, potius ut jocetur, quam ut fieri credat posse. D.

Quid si nunc tute fortunatus fias?] An fieri possit ut dixit (Verba, *an — dixit*, sunt aliena, et forte ex sequentibus huc retracta Z.) deliberativæ præcepta percurrit a facultate: *capias tu illius vestem, pro illo te ducam, te illum esse dicam.* Deinde ab utili: *tu illius fruere commodis, quibus tu illum dicebas modo*; et reliqua. Deinde an fieri possit: *quando quidem illarum neque te quisquam novit, neque scit qui sies. Præterea forma atque ætas ipsa est, facile ut pro Eunucho probes.* Hoc quidem joco dicebat servus; sed rem inventam pulchre cogit fieri adolescens. Cumque diu repugnaret ad terrendum eum, *periculum futurum est*, ait, *ne in domo meretricia tanquam adulter teneatur.* Hic ille respondet: *adulterum in domo meretricis esse non posse*, per statum finitivum. E.

78 *Capias tu illius vestem*] Non semel ostenditur, quod futurum sit (lege: *non simul ostenditur, quid f. s.* Sic enim ad vers. 75. *Non* simul *effudit hoc bonum:*) quia particulatim potest etiam quod turpe est, tamen mitti ad persuasionem. Simul in gestum respicitur. Ergo non dixit, ibis pro Eunucho: sed primo, *capias illius vestem*: tum deinde, hoc ipsum non aspernante domino, pergit servus ad cætera, quæ audaciora sunt. *Vestem?*] Quam libenter audiat, repetitio dictorum per interrogationem ostendit. D.

79 *Audio*] Id est, libenter hoc ad-

P. Tu illis fruare commodis, quibus tu illum dicebas modo:
Cibum una capias, adsis, tangas, ludas, propter dormias:
Quandoquidem illarum neque te quisquam novit, neque scit qui sies.
Præterea forma, et ætas ipsa'st, facile ut pro Eunucho probes.
C. Dixti pulchre: nunquam vidi melius consilium dari.
C. Age, eamus intro: nunc jam orna me; abduc, duc, quantum potes.

mitto, et consentio. Ut in Phormione, *audio* et *fateor*. et contra. *Non audio. Intelligo*] *Audio* et *intelligo* vim modo non usitatam exprimunt, scilicet consentientis immodicum affectum. D.

Omnes codd. nostri, præter duo, habent *deducam*, quod ipse versus comprobat. B.

Audio] Hic significat assentior, fateor hæc fieri posse. v. in Phorm. II. 1. 6. Aliter est in Andr. III. 3. 20. ubi v. notata. R. D.

80 In verbis, *quibus tu illum, tu* recte abest in cod. Patrensi. B.

81 *Cibum una capias*] Bene servus interturbavit supra dictas amandi lineas, et ordinem voluptatum: quippe qui amare non noverit. *Cibum una capias, adsis, tangas, ludas, propter dormias*] Etsi satis erat superior versus, tamen incentiva sunt amoris, etiam sigillatim hæc enumerata, quæ una sententia superior versus ostenderat. D.

Tangas ludas] *Tangere* et *ludere* sunt verba nequam. v. infra IV. 2. 10. et interpret. ad Petron. c. 11. R. D.

82 *Quandoquidem illarum quisquam*] Pro, *ex illis. Quisquam*] Quia *quæquam* dicere, absurdum est. *Illarum quisquam*] *Quisquam*, multis exemplis probatur etiam feminino genere veteres protulisse: ita ut in numeris et generibus hæc pronomina infinita sint. *Neque scit qui sies*] Hoc est, quod supra callide poeta præstruxit. D.

Neque scit] V. C. *sciet*. L.

Illarum quisquam] Veteres Latini imitatione Græcorum qui τις utroque genere dicunt, *quisquam, aliquis* communi genere dixerunt. infra IV. 4. 11. *hunc oculis suis nostrarum nunquam quisquam vidit*. v. Gronov. ad Gell. II. 23. et quæ annotavimus ad Jul. Rufinian. p. 262. R. D.

83 *Forma, ætas ipsa est*] Deest, *in te. Facile ut pro Eunucho probes*] Formam scilicet et ætatem. *Formam*, quia pulcher es: *ætatem*, quia ephebus. *Facile ut pro Eunucho probes*] *Probes*, fingas, atque persuadeas: ut in consuetudine dicimus, *homo sacrilegus pro innocente se probavit*. Et Cicero, *hoc tu his probabis?* Itaque deest *te*, quod subaudiamus. ut sit, *pro Eunucho te probes. Probes*] Ut Æn. IV. 401. *migrantes cernas*. Aut *probes*, persuadeas. Et simul honeste, non dixit, quod erat rectum, ut Eunuchum probes, sed pro Eunucho: ne esset contumeliosum in Chæream. D.

In cod. C. C. reperitur *ætas ipsa es*. Hinc emendandum puto, *ætate ipse es*; ut And. I. 1. 95. *erat forma honesta et liberali*. B.

Forma et ætas ipsa est] Bentl. legit *forma et ætate ipsa es*, sed nihil mutandum apparet ex Hec. I. 1. 19. *cur non aut istæc mihi ætas et forma est* v. Burmann. ad Sueton. in Galba c. 14. R. D.

Ut pro Eunucho probes] *Probare se*

P. Quid agis? jocabar equidem. C. Garris. P. Perii, quod ego egi miser?
Quo trudis? perculeris jam tu me. tibi equidem dico, mane.
C. Eamus. P. Pergin'? C. Certum'st. P. Vide ne nimium calidum hoc sit modo.
C. Non est profecto: sine. P. At enim istæc in me cudetur faba: C. Ah!

pro Eunucho significat, efficere ut pro Eunucho habeatur, persuadere aliis, se Eunuchum esse. Cic. in Verr. V. 30. *suppositum in ejus locum quem pro illo probare vellet.* v. quæ notavimus ad Rutil. Lup. I. p. 15. R. D.

85 *Nunc jam orna me*] Hortative (forte leg. *ornative* Z.) *orna* dixit: non despolia, aut exue me. *Abduc*] Abducimur unde volumus: ducimur quo volumus (vid. supra ad II. 2. 35.) *Quantum potes*] Deest, *cito* (lege: *id est, cito*: vel, *deest tantum.*) D.

Quantum potes] V. C. *potest.* L.

Lege et distingue, *age eamus intro nunc jam: orna me, abduc, duc, quantum potest.* Vett. enim codd. Fabricii, Bembinus et Noster passim habent *potest.* B.

Orna me] *Ornare* significat omnia necessario apparatu instruere, etiam vestibus. infra IV. 4. 16. *varia veste exornatus fuit.* R. D.

86 *Quid agis?*] Callide servus non vult se auctorem videri tanti facinoris. D.

87 *Quo trudis?*] Comici semper ea ostendunt fieri ab altero verbis alterius personæ, quæ ostendi per se ipsa non poterant: ut nunc manu agere Chæream (intersere, *Parmenonem*) Parmenone ipso dicente cognoscimus. *Quo trudis?*] Præbet se vi cogendum domino, quem compulit dictis. *Perculeris jam tu me*] Perverteris, unde proverbium, *bene plaustrum perculit. Tibi equidem dico, mane*] Sigillatim ista pronuncianda sunt: ex quibus intelligatur, non cessare Chæream, quin adhuc impellat et trudat. D.

Perculeris me] I. e. humi me sternes trudendo. *Percellere* proprie est evertere, subvertere, affligere. Ennius ap. Macrob. Saturn. VI. 2. *percellunt magnas quercus.* v. Donat. ad h. l. Gronov. ad Liv. III. 30. R. D.

88 *Pergin'?*] Quasi vero joco dixerit, non serio. *Ne nimium calidum*] Periculosum. Sed melius *callidum* legitur. *Nimium*] Adverbiale: quia *nimium* propria vox est. D.

Callidum plerique codd. habent. Sed *calidum* et versus et sensus postulant. B.

Callidum] I. e. temerarium, præceps. Cic. de Offic. I. 24. *periculosa et callida consilia.* Liv. XII. 24. *agitabantur pro ingenio ducis consilia callidiora.* v. Drak. ad Sil. Italic. XV. 337. Græci eodem sensu Θρασὺν dicunt. v. Victor. var. lection. XXXIII. 6. R. D.

89 *At enim istæc in me cudetur faba*] Id est, in me hoc malum recidet, in me hæc vindicabitur culpa: ut laborat solum, in quo cuditur, id est batuitur faba. quum siliquis exuitur tunsa (*inter tunsa*, Ms. Bœnd.) fustibus: ut in areis more rusticorum fit. Vel quod quidam male coactam fabam, et quæ non maduerit, sed dura permanserit, supra caput coqui, velut ipsi fabæ irati saxo comminuunt, tum universum malum, et omnis dolor ad coquum pervenit. Simile et alibi a pulmento proverbium est, *tute hoc intristi, tibi hoc est exedendum; accingere.* D.

In me cudetur faba] Ex proverbio. Nam dicunt quendam avarum rusticum, cum fabam coxisset, et cum socio invaderet, partem sibi depoposcisse, ut

P. Flagitium facimus. C. An id flagitium'st, si in domum meretriciam
Deducar, et illis crucibus, quæ nos, nostramque adolescentiam
Habent despicatam, et quæ nos semper omnibus cruciant modis,
Nunc referam gratiam; atque eas itidem fallam, ut ab illis fallimur?

cum socio invaderet in eodem vasculo: et aquam adjecisse parti suæ, quæ corrupta et alteram quoque corrupit: unde communis faba corrupta, et in eum qui hoc fecerat tota conversa est. Igitur proverbium, ut qui malefacit, in eum recidat quod fecit. E.

At enim] Idem est quod *aut* vel *enimvero*. in Ad. II. 1. 14. R. D.

In me cudetur faba] H. e. hoc malum in me recidat. Rationem proverbii explicavit Donatus ad h. l. et Erasmus in adagiis. p. 186. R. D.

90 *Flagitium facimus*] *Flagitium* more militari dicitur, res flagitatione, hoc est, increpatione digna. Nam *flagitatio* a strepitu dicitur: unde *flamma* (*flagella*, additum habet edit. Westerh. Z.) et *flagitare*, id est, personare intelligimus dici. Nam hæc omnia sine sonitu crepituque non sunt. *An id flagitium est?*] An liceat? an deceat? Et prius, qui licet. *An id flagitium est?*] Terentius laudat argumentum hujus fabulæ: in quo exemplum promitur (*promittitur*, Ms. Bœnd.) quod prosit parentibus, obsit meretricibus: et simul deliberationibus tractans id faciendum (ed. Du B. *tractans id faciendum, ut ad domum meretriciam deducatur*. alii, *ad faciendum.*) *Si in domum meretriciam deducar*] Hoc tale est; nulla lex prohibeat, et defendatur ut licitum (ed. Du B. *ut defendatur quod licitum est.*) D.

91 *Et illis crucibus*] Hoc jam ad illud pertinet, ut ostendatur decere; et primo a persona ejus fit (uterque liber, *ejus, cui fit.*) D.

Nos nostramque adolescentiam] Quasi incertam, et ad se quadam divisione pendentem; quale est illud Virg. Ge. I. 292.—*ferroque faces inspicat acuto*. E.

Crucibus] I. e. quæ nos excruciant, malis afficiunt. Plaut. in Aulul. III. 5. 48. R. D.

92 *Habent despicatam*] Contemtam atque despectam. Et ita est ἐκνίθησις et μεταπλασμός. Vel certe alterius verbi declinatio, ab eo quod est *despicor*, ut *conspicor*. Sallustius B. Jug. 49. *quum interea Metellus monte digrediens cum exercitu conspicatur, primo dubius, quidnam insolita facies ostenderet*. D.

Despectam habet Bembinus. Sed ego legendum esse censeo *despicatu*, vetuste, pro *despicatui*. Sic Heautont. II. 3. 116. *neglectu* est pro *neglectui*. Atque *habere despicatui* reperitur Plaut. Menæch. IV. 3. 19. B.

Habent despicatam] I. e. contemnunt. *Despicatus* est ab inusitato verbo despicor pro despicio. Sæpe autem *habere* cum participio ponitur. Ovid. epist. XXI. 234. *neglectam queritur testis habere fidem* Liv. XXXIX. 16. *necdum omnia in quæ conjuraverant edita facinora habebant*. Val. Max. II. 6. 7. *clausas portas habet*. v. Bachner. de commutata rat. dic. XXI. 1. R. D.

93 *Nunc referam gratiam*] Non eas, inquit, lacessam: sed quod justum est, vicem reddam: quasi ipse in aliis læsus sit. *Ut ab illis fallimur?*] Non dixit, *alii falluntur*. D.

Referam gratiam] I. e. par pari referam et ulciscar. Gratiam sæpe dicitur in deteriorem partem. Sen. de cle-

An potius hæc patri æquum est fieri, ut a me ludatur dolis?

Quod, qui rescierint, culpent: illud merito factum omnes putent. 95

P. Quid istic? si certum'st facere, facias. verum ne post conferas

Culpam in me. C. Non faciam. P. Jubesne? C. Jubeo, cogo, atque impero.

Nunquam defugiam auctoritatem: sequere. P. Di vortant bene.

ment. c. 7. ubi v. Gronov. infra V. 3. 2. *qui referam illi sacrilego gratiam*, v. Græv. ad Cic. pro Sulla c. 16. R. D.

94 *An potius hæc pati, æquum est fieri?*] Illic vicissitudo extat in *pati dolos*. *Ut a me ludatur dolis*] Σύλληψις: subauditur *pati* (*patri* scripsisse Donatum putat Faernus. Sed forte, *pater* Z.) D.

An potius hæc patri?] Melius est, inquit, in domum meretriciam (*si*, Z.) deducar (*ut*, Z.) referam gratiam, quam patrem fallam. E.

Nostri omnes, *an potius hæc pati?* Sed unus vet. a manu prima habet *patri*. Ego, cum verbum *hæc* intelligi non possit, quia *in domum meretr. deduci, crucibus illis gratiam referre*, non possunt *fieri patri*; legendum puto, *an potius par atque æquum est, pater ut a me.* B.

94 *An potius, &c.*] Legendum *an potius hoc patri æquum est fieri* i. e. an potius æquum est, hoc a me fieri adversus patrem, ut eum dolis fallam. v. Tanaquill. Fabrum et Bentl. ad h. l. R. D.

95 *Quod qui rescierint*] Ex consequentibus argumentum: nam illud factum vituperatio sequitur, hoc approbatio. *Illud merito factum omnes putent*] Bene, non *judicent*: quia et hoc ipsum non satis probum est, vel meretricem fallere. D.

96 *Quid istic?*] Adverbium est ægre concedentis. *Facias*] Pro facito. *Verum, ne post conferas*] Si *ne* prohibentis est, nihil deest: si percontantis, ut sit *ne forte*, deest timeo. *Verum, ne post conferas culpam in me*] In hoc negotio non auctor vult interesse, sed servus. *Verum*] Deest, *vide*. D.

97 *Cogo atque impero*] Evidenter ostendit, plus esse *imperare*, quam *jubere*. *Nunquam*] Pro non. *ut, nunquam omnes hodie moriemur inulti*. D.

Jubeo, cogo, atque impero] Cum necessitate sunt. E.

Jubeo, cogo] Ms. R. *jubeo; imo cogo*. L.

Omnes nostri cum vett. edd. habent *jubeo immo cogo*. Igitur aut legi debet, *juben?* Ch. *Jubeo? Immo cogo*, &c. aut, quod melius, retinenda est Lindenbrogii lectio. B.

98 *Nunquam defugiam auctoritatem*] Non, inquit, recusabo facere, dum tu tamen auctor sis facti. D.

Verbum *sequere* Bentleius Parmenoni, qui loquitur *Di vortant bene*, tribuit. Quod præferendum videtur, ne verba postrema simpliciter, et ambigue sint posita. Cæterum verba, *nunquam defugiam auctoritatem*, significant, *nullo tempore negabo, me tibi auctorem hujus rei extitisse*. Z.

Nunquam defugiam auctoritatem] H. e. nunquam negabo, hoc me auctore et impulsore factum. Auctoritas est eorum omnium, qui aliquid se fecisse aut fieri jussisse profitentur. Cic. pro Sulla c. 11. *quam ego defugiam auctoritatem consulatus mei*. v. Muret. ad h. l. et ia

ACT. III. SCENA I.

THRASO. GNATHO. PARMENO.

MAGNAS vero agere gratias Thais mihi?
G. Ingentes. T. Ain' tu? læta'st? G. Non tam ipso quidem
Dono, quam abs te datum esse: id vero serio
Triumphat. P. Huc proviso, ut, ubi tempus siet,
Deducam. Sed eccum militem. T. Est istuc datum

operib. p. 721. Vict. var. lection. V. 22. *defugere* pro recusare, vitare; exempla illustrant viri docti ad Cæs. de B. C. I. 83. R. D.

1 *Magnas vero agere gratias*] Hic sermo sic prodit, ut post scenam inchoatus esse videatur. Continet autem assentionem parasiticam, et stultitiam gloriosi militis. *Agere*] Plus sonat infinitus modus finito. D.

Magnas vero] Hæc scena gloriosi militis tenet jactationem exultationis, quæ narratio brevissime agitur: primo cum nunciatum fuisset, meretricem libenter missa dona sumsisse, parum credidit, nisi iterum diceretur. Itaque interrogat: *magnas vero agere gratias?* E.

2 *Ingentis*] Vide quantum adjiciat parasitus. Ille, *magnas* dixit, hic respondit, *ingenteis:* ille, *læta est*, hic, *triumphat*. D.

Ingentes] Hic persona Colacis parasiti custoditur. Nam cum ille dixisset *magnus:* hic adjecit, *ingentes*. Ita cum ipse quæsisset, *læta est?* adjecit parasitus, *non tam ipso quidem vero dono, quam abs te quod-datum est, serio triumphat*. E.

3 *Quam abs te datum esse*] Majoris est gratiæ, tantum potuisse amorem militis, ut meretrix minus lætaretur ob lucrum. *Id vero serio*] *Id*, ob id: ut, *id, amabo, adjuta me*. Alias παρέλκεται, id est, productionis locus est (si hanc vulgarem lectionem retines; verba *id —est*, a recentiori manu sunt inserta. At edd. Venett. plane aliam exhibent lectionem, SERIO. *Alias* παρέλκον, *at nunc productionis locus est.*) D.

4 *Triumphat*] Ut (*nunc*, liber uterque) militaribus dictis tangit militem parasitus. *Huc proviso*] Tertia persona venit in scenam: sed separatim loquitur et secum. D.

Triumphat] Parasitus studio captat locutiones a re militari, ut placeat militi glorioso. Est autem *triumphare* magnopere lætari, quoniam imperatorum triumphantium publicum erat gaudium. in Heaut. IV. 2. 5. Cic. ad Attic. IX. 16. R. D.

5 *Sed eccum militem*] Injuriose *militem*. Honorifice proprio nomine dicitur: ut in subjectis, *audire vocem visa sum modo militis. Est istuc datum*] Fato decretoque concessum: ut Æn. VII. 313. *non dabitur regnis, esto, prohibere Latinis*. D.

Est istuc datum] Hæc oratio gloriosi est militis, nimiam sibi gloriam vindicantis: quippe cum dicat sibi fato, vel quadam natura esse concessum, uti cuncta, quæ faciat, grata sint omnibus. E.

Est istuc datum mihi] H. e. id mihi datum est natura, hoc mihi innatum est. Mart. Epigr. I. 4. 6. Non cuicunque datum est habere nasum. Hanc formulam pulchre illustrat Bentl. ad Horat. epist. I. 2. 45. R. D.

Profecto, ut grata mihi sint, quæ facio, omnia.
G. Advorti hercle animum. T. Vel rex semper maximas
Mihi agebat, quicquid feceram: aliis non item.
G. Labore alieno magnam partam gloriam
Verbis sæpe in se transmovet, qui habet salem,

6 *Ut grata mihi sint, quæ facio, omnia*] Gratæ nobis sunt aut res, aut personæ: sed nunc res dicit. *Quæ facio, omnia*] Ἔλλειψις vel σύλληψις. D.

Grata mihi sint quæ] Cicero apud Ammian. Marcell. lib. XXVII. *Cum nihil ad gratiam faceret, omnia tamen grata viderentur, quæ faciebat.* L.

Grata mihi, h. e. gratiam hominum mihi concilient. Z.

Ut grata mihi sint] I. e. ut gratiam mihi afferant apud omnes. in Heaut. II. 8. 21. Contra in Heaut. V. I. 61. Cic. ad Div. 5. *sin autem ingrata esse sentiam.* v. Græv. ad Cic. pro Milone c. 37. R. D.

7 *Advorti hercle animum*] Approbat dictum et hoc, *ait, aio. Vel rex semper maximas mihi agebat*] Quam intempestive miles ad regem transitum fecit, cum de meretrice agatur. *Vel rex*] Ut in Hecyra, *vel hic Pamphilus jurabat quoties Bacchidi, quam sancte. Vel rex semper maximas*] Subauditur *gratias*: ab eo quod supra dixit, *magnas vero agere gratias Thais mihi.* D.

Vel rex mihi] *Vel*, et significat. Ut Virg. Ecl. VIII. 69. *carmina vel cælo possunt deducere lunam.* Est sensus: et rex mihi maximas agebat gratias, et quæcunque feceram. E.

Daceria negat, intelligi regem aliquem Persarum propterea, quod in hac ipsa fabula Pyrrhi, qui recentiori ætate vixerit, fiat mentio. Igitur hic esse intelligendum Seleucum, regem Asiæ. Z.

Vel rex] Particula *vel* idem valet, ac si dixisset: ex hoc uno satis apparet ut dicere de aliis non opus sit. Hec. I. 1. 3. *vel hic Pamphilus jurabat quoties.* Cic. ad Attic. IV. 16. *occupationum suarum vel hoc signum erit.* v. Broukhus. ad Tibulli Eleg. I. 8. 53. et Perizon. ad Sanctii Minerv. IV. 2. p. 534. rex per eminentiam dicitur rex Persarum. R. D.

8 *Aliis non item*,] pulchre adjecit, ne natura regis talis esse videretur, ut maximas gratias omnibus ageret. E.

9 *Partam gloriam*] Id est, quæ paritur. ut, *vectus equo spumante Saces* Æn. XII. 651. D.

Labore alieno] Sensus: ex alieno labore gloriam præparatam solo sermone in se transferre potest, quicunque instructus est corde. E.

10 *Verbis in se sæpe transmovet, qui habet salem*] Mire adulator hoc attribuit militi, quod minime habet, vel *verba*, vel *salem. Qui habet salem*] *Sal* neutraliter, condimentum est: masculini, sapientia. (Festus, qui laudat hunc Ter. locum, *masculini generis est*, inquit, *non neutri, nec ab hoc accusativo nominativus esse potest, hoc sale.* Masculino tamen gen. etiam pro *condimento* usurpatur. Scripsit autem Donatus *masculine*, non *masculini*.) D.

Qui habet salem] Priscian. lib. V. L. Ob versum, et ob sequens *quod* lege *sal*; præsertim cum Priscianus p. 664. testetur, inveniri quosdam vetustissimos libros, qui etiam neutro genere *sal* protulerint. B.

Salem] H. e. sapientiam. Catull. Carm. LXXXVII. 4. *nulla in tam magno est corpore mica salis.* v. Serv. ad Virg. Æn. I. 35 hinc *salsus*, facetus, urbanus *insulsus*, fatuus, ineptus. Bentl. *qui sal habet, quod in te est.* Nam *sal* et masculini et neutrius generis dicitur. Forte melius est legere ut pleræque editiones habent *qui habet salem, quod in te est.* Nam sæpe pronomen *quod* respicit totam phrasin, in Heaut. II. 3. 123. *in tempore ad eam veni quod rerum omnium est primum.* Plinius in Panegyr. c. 59. *esse denique (consules,) quod concupierunt* ubi v. Schwarzium. R. D.

Quod in te est. T. Habes. G. Rex te ergo in oculis. T. Scilicet. G. Gestire. T. Vero; credere omnem exercitum, Consilia. G. Mirum. T. Tum sicubi eum satietas Hominum, aut negoti si quando odium ceperat: Requiescere ubi volebat, quasi: nostin? G. Scio: 15

11 *Quod in te est*] Quod tu habes. *Habes*] Intelligis. Quod enim tenemus corpore, habemus animo: quodque item animo habemus, intelligimus. *Habes*]Pro intelligis. Sic dicitur *accipe*, et *da*, *habes* etiam, id est, dicis. ut Sallustius (in Fragm.) *Tartessum Hispaniæ civitatem, quam nunc Tyrii mutato nomine Gadirum habent. Rex te ergo in oculis. scilicet. gestire. verum*] Vide inconditam properationem laudari se cupientis, adeo ut non sinat verba impleri, quin præfestinet *scilicet* et *verum* dicere. D.

Quod in te est] Acro in Horat. Epod. Od. II. L.

In oculis gestare] I. e. magni facere, amare. Cic. ad Attic. VI. 2. *publicanis in oculis sumus.* Similis locutio in Ad. IV. 5. 75. *hiccine non gestandus in sinu est.* R. D.

12 *Credere omnem exercitum*] Magis ridebis, si consideres militem motum esse. qui* (alii pro *motum* legunt *notum*. Et quia sensum absolutum non videbant in his verbis, lacunæ notam adjecerunt, quæ nulla apparet in libb. vett. Mihi Donatus nihil addidisse videtur, sed rem dictu turpem suppressisse, quam et Gnatho mox tangit versu 15. Cum vero in quibusdam impressis sit *motum*, et mox sequatur, *sub obtentu militis*, Wielinguis conjicit legendum, *militum morem.* De quo supra ad II. 3. 90.) *Credere omnem exercitum, consilia*] Sub obtentu militis, ea stultitia, descripsit breviter comitem regium, acceptumque imperatori (forte sic: *sub obtentu militis ejus, aliorum stultitiam descripsit breviter per com. reg. acceptumque imperatorem* Z.) Nam qui nunc (*quicunque* Z.) credit exercitum, credit et consilia: Virgil. Æn. IX. 278. *nulla meis sine te quæretur gloria rebus, Seu pacem, seu bella geram: tibi maxima rerum, Verborumque fides.*—D.

Faernus ait, omnes codd. habere *gestire.* i. e. gaudere ex convictu tuo. Verum cum cod. Bembi, et duo ex nostris vett. habeant *gestare*, non est quod quis de hac lectione dubitet. Deinde pro *vero*, quod Faernus auctoritate Bembini probat, nostri omnes habent recte, *verum*: ut supra II. 3. 35. B.

Vero] I. e. omnino. Est formula affirmandi. v. in Ad. III. 4. 23. et Perizon. ad Sanctii Minerv. p. 532. Bentl. edidit *verum* ut est supra II. 3. 55.

Credere omnem exercitum] I. e. summam belli committere, ut loquitur Justin. I. 6. R. D.

13 *Consilia*] Αὔξησις. Plus enim est consilia, quam totus exercitus. *Mirum*] Melius per *ἐπιφώνημα* pronunciamus *mirum*; quasi dicat, quis non crederet tali viro? sed potest etiam simpliciter pro admirantis gestu accipi. D.

Satietas] *Satius*, vel *satietas* est tædium, fastidium. v. infra V. 5. 3. in Phorm. V. 5. 6. et Drak. ad Sil. Italic. IV. 110. R. D.

14 *Ubi satietas hominum, aut negoti si quando odium caperat*] Reipub. princeps duas res patitur, homines et negotia, id est, personas et res hominum. *Satietas hominum, aut negoti si quando odium ceperat*] Proprie reddidit et decenter, *hominum satietas, negotii odium.* Non enim par erat, reipub. principem hominum odio laborare. D.

Odium] I. e. tædium. infra V. 5. 2. *neque agri neque urbis odium me unquam percipit.* in Hec. II. 1. 22. *cepisse odium tui Philumenam.* R. D.

15 *Requiescere ubi volebat*] Bono verbo usus est. Nam *cessat* desidiosus, *requiescit* defessus. *Quasi; nostin'*] Grata

Quasi ubi illam exspueret miseriam ex animo. T. Tenes. Tum me convivam solum abducebat sibi. G. Hui! Regem elegantem narras. T. Imo sic homo'st Perpaucorum hominum. G. Imo nullorum arbitror, Si tecum vivit. T. Invidere omnes mihi: 20

expressit stulti infantiam militis (*Graviter e. s. insaniam m.* Wielingius legi vult,) qui ante vult intelligi quod sentit, quam ipse dicat. Et proprie hoc morale est stolidi, sive ruditer loquentis. *Quasi; nostin'*] Ἀποσιώπησις, pro *habes hoc?* hoc est, quod supra, *intelligis?* D.

16 *Quasi ubi illam exspueret miseriam*] *Ubi* pro quando, et in his, et supra, *Exspueret*] *Exspuere* est cum fastidio aliquid rejicere et expellere. Nam *exspuere*, est extra pus mittere, id est, foras. Nam *pus* est omnis humor corpori onerosus. D.

Exspueret miseriam] Ut posset curam et sollicitudinem ex animo removere. E.

Exspueret miseriam] I. e. ejiceret. Vile verbum est exspuere, quod parasitus studio captavit; sic Propert. Eleg. IV. 5. 66. de anicula contemptissima *atque animam in tegetes putrem exputare paternas*, ubi v. Broukhus. *Miseria* est molestia ut in Ad. V. 4. 13. et Hec. III. 4. 6. Sic *miserum habere* pro molestia afficere ap. Cicer. ad Div. XIV. 7. R. D.

17 *Tum me convivam solum abducebat sibi*] Hoc supererat, ut, qui esset minister magnarum rerum, id est, consiliarius, voluptatum quoque regis particeps esset. Et vide quo significatu dicatur, *me*, et *convivam*, et *solum*, et *abducebat*: nam non vocabat. Et *sibi*, quasi non propter me, sed, ut sibi bene esset. *Tum me convivam*] Id est, quum satietas hominum esset, cum odisset negotia. *Convivam solum abducebat*] Ut, Æn. IV. 421.—*solam nam perfidus ille te colere.* Significat autem, sæpiuscule factum. D.

18 *Regem elegantem narras*] Qui eligere sciat, at qui ipse sit eligendus. D.

Sic homo est perpaucorum] Talis est, inquit, ut cum paucis esse velit. Denique hoc intellexit et Parmeno cum dixit: immo nullorum arbitror, si tecum vivit. E.

Versus gratia lege et distingue, *immo sic homo'st: perpaucorum hominum'st.* Sic simpliciter ponitur Horat. Serm. I. 9. 44. *Mæcenas quomodo tecum, hinc repetit, paucorum hominum, et mentis bene sanæ?* B.

Elegantem] I. e. eligere scientem, infra III. 5. 18. *elegans formarum spectator.* Sic *eleganter* pro intelligenter sive cum delectu. Cic. de invent. II. 3. *satis eleganter aliquid secuti videbimur.* Liv. LV. 4. v. Ernest. in Clav. Cicer. in h. v. R. D.

19 *Perpaucorum hominum*] Aut qui paucis utitur: aut qui de paucis est: aut qui paucis placet: hoc est, bonis et sapientibus, qui fere pauci sunt. *Imo nullorum arbitror, si tecum vivit*] Hoc aversus, ne miles audiat. Potest tamen et aliter intelligi, maxime cum milite (ne verba langueant, lege, *illo milite.* Hinc *notum* militem ad vers. 12. dixit). D.

Perpaucorum hominum] Πάνυ παυρῶν ἀνθρώπων. Charis. lib. II. L.

Perpaucorum hominum] I. e. fastidiosius quam paucis familiariter utitur; imitatur Horat. Sermon. I. 9. 44. *paucorum hominum ut mentis bene sanæ*, facete Cic. ap. Macrob. Saturn. II. 12. R. D.

20 *Invidere omnes mihi*] Plus potest, ad significandum, infinitum tempus, quam finitum. D.

Si tecum vivit] I. e. si tuus amicus, tuus sodalis est. Horat. Sermon. I. 3. 57. ubi v. Bentl. R. D.

Mordere clanculum: ego non flocci pendere:
Illi invidere misere. verum unus tamen
Impense, elephantis quem Indicis præfecerat:
Is ubi molestus magis est, quæso, inquam, Strato,
Eone es ferox, quia habes imperium in belluas?
G. Pulchre mehercle dictum et sapienter: papæ!
Jugularas hominem. quid ille? T. Mutus ilico.

21 *Ego non flocci pendere*] Quod morderent clanculum, vel quod invidierent. D.

Ego flocci pendere] Contemnere ac nullius momenti ducere. E.

Ego non flocci] Ms. R. *non* omittit. L.

Mordere] I. e. obtrectari, molestia afficere. infra v. 55. *quod eam mordeat.* Cic. ad Attic. XIII. 12. *me epistolæ momorderunt.* Hinc morsus famæ ap. Sil. Italic. VII. 271. R. D.

22 *Illi invidere misere*] *Miser* enim est, cui animæ miseria inest. *Verum unus*] Proprie *unus.* Nam *unus* ex multis dicitur. Et mire est facta nullius ponderis repetitio, ad inertiam loquentis exprimendam. Nam postquam dixit, *invidere omnes mihi*: repetit, *illi invidere misere.* Quin et *impense* et *misere* idem significant: et mox tamen sine ullo actu addidit, *verum unus tamen impense.* Aut plus est *misere*, quam *impense* (sensus postulat, *aut plus est impense, quam misere*). D.

23 *Elephantis quem Indicis præfecerat*] Et hoc stulte: cum hoc ad dignitatem sumit, et sic pronunciat, ut magna esse præfectura videatur hæc ipsa. Et hoc a stolido milite sic profertur, tanquam magnum hominem velit esse, qui sibi invideret. Et *Indicis* πρὸς ἀντιδιαστολὴν Maurorum, qui et mitiores (*majores*, lib. uterque) sunt. D.

Elephantis quem] Quem præposuerat elephantis, qui sunt ex India. E.

Elephantis quem Indicis] Elephantorum præstantissimorum Indici: Achill. Tatius lib. IV. ἀλλ' ἐστὶν, ὡς εἶπεῖν, ἐλέφας Αἰγύπτιος. καὶ γὰρ δεύτερος φαίνεται εἰς ἀλκὴν ἐλέφαντος Ἰνδοῦ. Philostrat. de vita Apollon. II. ὅσον δὲ ἵππου Νίσαιον μείζων ὁ Λιβυκὸς ἐλέφας, τοσοῦτον τῶν ἐκ Λιβύης οἱ Ἰνδοὶ μείζους. Vid. quæ notat Donat. et Servius Georg. I. ad versum 57. *India mittit ebur.* ubi hic Terentii locus laudatur. L.

Impense] H. e. valde, ac vehementer. Plaut. in Epid. IV. 1. 39. *impense improbus* pro intense. infra III. 5. 39. dicitur impendio. R. D.

24 *Is ubi molestus magis est*] More suo *magis* addidit, ne diceret molestior. *Quæso, inquam, Strato*] *Strato*, nomen accommodatum militiæ. D.

25 *Eone es ferox*] Causale est, *ideone* significans. *Quia habes imperium in belluas?*] Mire extulit, *imperium in belluas.* Sic Virgil. Æn. I. 140.—*illa se jactet in aula Æolus, et clauso ventorum carcere regnet.* D.

Eone es ferox] Aristot. Politicor. I. 5. ἀεὶ βελτίων ἡ ἀρχὴ, ἡ τῶν βελτιόνων ἀρχομένων: οἷον ἀνθρώπου ἢ θηρίου. L.

Belluas] Belluæ vocantur omnes immanes bestiæ, sed per eminentiam elephanti. v. Græv. ad Flor. II. 6. p. 348. R. D.

26 *Pulchre mehercle dictum*] Immodica laudatione vertit (scripserat Donatus: PULCHRE MEHERCLE DICTUM, ET SAPIENTER. PAPÆ! *immodica laudatione evertit.* Nam nisi illa adjiciantur, immodica laus dicenda non est. Tum *e* in *evertit* videtur absorptum per compendium scribendi, LAUDATIONE, cujus vocis posterior litera valet geminum E.) etiamsi quid facete dictum est. Sufficeret enim *pulchre*, quod est *sapienter.* D.

27 *Jugularas hominem*] Pulchre tangit militem, *jugularas* dicendo, non,

G. Quidni esset? P. Di vestram fidem! hominem perditum
Miserumque, et illum sacrilegum. T. Quid illud, Gnatho,
Quo pacto Rhodium tetigerim in convivio,
Nunquam tibi dixi? G. Nunquam: sed narra, obsecro.
Plus milies audivi. T. Una in convivio
Erat hic, quem dico, Rhodius adolescentulus:
Forte habui scortum: cœpit ad id alludere.

occideras: quasi gladio, non verbo usus sit. *Mutus ilico*] Tam hoc stultum est, quam si diceret, statim nihil. Recte autem diceret, *ex illo mutus fuit*. Tale est et illud, *tacere festinat*. D.

Jugularas hominem] I. e. ad silentium redegeras. Cic. in Ver. II. 35. *postquam tam multis eam factis decretisque jugulasses*. R. D.

28 *Quidni esset*] Hoc est, ut posset esse, jugularas. *Hominem perditum*] Deest, *o*: ut sit, o hominem! sed sic melius sonat: majoris enim stuporis est, hoc modo pronunciatum. *Hominem perditum miserumque et sacrilegum*] Vide quantum addiderit, qui non hominem simpliciter, sed *perditum*, et *miserum illum*: nec malum, sed *sacrilegum* dixerit. D.

Quidni esset] Dubium non est, quin mutus existeret. E.

29 *Miserumque et illum sacrilegum*] *Miserum* dixit militem: *sacrilegum*, parasitum, quia is laudabat militem. *Mehercule*] Quod utique falso juravit. E.

30 *Tetigerim*] Luserim, fatigaverim. Nam *tangere*, cum multa, tum etiam hoc significat. D.

Rhodium tetigerim] Hoc est, quemadmodum per jocum male tractaverim atque pulsaverim. E.

Rhodium tetigerim] Turpilius: *quia te talento argenti tetigi*. Plaut. Pseud. IV. 8. 1. *Bene ego illum tetigi*. L.

Tetigerim] *Tangere* est aculeato dicto perstringere. v. Muret. ad Catulli Carm. XXI. 8. et Victorii Variar. lection. IX. 19. R. D.

31 *Nunquam, sed narra, obsecro*] Callide parasitus intelligit ad hoc se interrogatum, ut audire postulet. D.

Nunquam tibi recte habent omnes Faerni et nostri libri, præter tres, qui habent *numquid tibi*. B.

32 *Plus millies jam audivi*] Ὑπερβολὴ. aut superfutura * ut æquatur: aut subjacet, ut tantum non millies convenit stultum eundem et immemorem esse, qua et intelligentia est (locus corruptus forte sic est corrigendus: *ὑπερβολῆ haud superflua utitur, ut sensus sit, tantum non millies. Et convenit stultum eundem et immemorem esse, cui intelligentia non est*. Certe postrema illa: *cui int. n. e.* leguntur in Venetis et Argentina, quæ nullum lacunæ signum habent.) D.

Omnes nostri codd. et edd. vett. habent, *plus milies jam audivi*. Nec adeo cum Faerno illud *jam* ob Donatum et Bembinum cod. ejiciendum est. B.

34 *Forte habui scortum*] Vide quemadmodum miles, dum multa ad dictum suum pervenire fateatur, interim quam contemtus sit atque derisus (restituto audacter: *dum vult ad dictum suum pervenire, fateatur interim, quam contemtus sit atque derisus*). Abdomen in corpore feminarum, patiens injuriæ coitus, *scortum* dicitur: ideo quia *scorta* sunt dura coria. A parte ergo sui meretrices *scorta* dicuntur: vel ἀπὸ τοῦ σκαίρειν, quod Græce palpitare intelligitur: quod illæ faciunt saltando assidue:

Et me irridere. Quid ais, inquam, homo impudens? Lepus tute es, et pulpamentum quæris. G. Ha, ha, he. T. Quid est? G. Facete, lepide, laute, nihil supra. Tuumne, obsecro te, hoc dictum erat? vetus credidi.

vel potius crissando, ut Lucretius (Dousa legendum putat, *Lucilius*, cujus verba sunt Lib. XI: *crissabit, ut si frumentum clunibu' vannat.* Scriptum forte fuerat, L. vel *Luc.*) ait, ob eam causam, ut conninniorem Venerem exhibeant viris, aut sibi abigant conceptum, quod in vulvam feminæ, in ipso coitu non se moventis, incidit. D.

Cœpit ad id ludere] Ad id scortum ludere. E.

Alludere] I. e. amorem suum ostendere visu, motu, tactu manus aut pedis. Lactant. III. 10. de animalibus: *colloqui videntur, dum aut homini alludunt ut suis quisque conjugibus.* v. Burmann. ad Phædr. III. 19. 12. R. D.

35 Cum *alludere* sit adblandiri, osculari, manum in scorti sinum inserere, ad evitandam tautologiam pro *irridere* legi debet *irritare.* Deinde leg. *Quid agis, homini inquam, impudens?* Nam *agis* comprobatur recentiorum codd. fide, et serie orationis, quia miles facta, non verba castigat. Atque *homini* habet cod. Bembi. B.

Pro irridere] Bentlei. eleganti conjectura legit *irritare.* R. D.

36 *Lepus tute es, et pulpamentum quæris?*] *Lepus* pro infamia multa ponitur (Ms. H. *ob multa.* Malim: *lepus pro infami ob multa ponitur*): vel quod magis a posteriori parte, hoc est, armis, pulpamentum de se præbeat, cum in convivio carpitur appositus. ut Horatius ait, *fœcundi leporis sapiens sectabitur armos:* vel quod venantur illum, et persectantur canes, quos pro amatoribus ἀλληγορικῶς intelligimus: ut ipse Terentius ait, *cervam videre fugere, sectari canes:* vel quod illum sic fugiant omnes, constituat ut hunc libido effeminata (forte leg. *vel quod, si illum liguriunt homines, concipiatur tunc libido effeminata*): vel quod a physicis dicatur incerti sexus, ac esse modo mas, modo femina. *Lepus tute es, et pulpamentum quæris*] Quod in te habes, hoc quæris in altero. Et est τρόπος ἀλληγορία. *Ha ha he*] Parasitus hic interjectionem risus addidit: quo magis nunc primum hoc audisse credatur. D.

Lepus tute es] Hic est sensus; cum tute ipse præda sis, prædam quæris. Quidam intelligunt, *lepus tute es,* quod natura leporis talis est, ut incesto sexu vivat. Iterum ergo hic quasi tactus adolescens. E.

Lepus tute es, et pulpamentum] Livii Andronici hoc dictum, ut Fl. Vopiscus auctor est in Numeriano: *ipsi denique comici plerumque sic milites inducunt, ut eos faciant vetera dicta usurpare. Nam et, lepus tute es, et pulpamentum quæris, Livii Andronici dictum est: multaque alia, quæ Plautus Cæciliusque posuerunt.* L.

Ne accentus invenuste cadant, pro *pulpamentum* repone *pulmentum*; aut, *pulpamen*; aut *lepus tute, pulpamentum* &c. Cæterum versum per interrogationem profer. B.

Lepus tute es et pulmamentum quæris] H. e. cum ipse cinœdus sis, scortum quæris. Latet in hoc proverbio aliquid obscœni v. Donat, ad h. l. et Casanbon. ad Atten. III. 3. R. D.

37 *Quid est?*] Hæc interrogatio gestum vultumque continet cujusdam alacris et certi, quod landandus sit. *Facete*] *Facetus* est, qui facit verbis quod vult. *Lepide*] *Lepidus*, qui politus est, ut λεπὶς, id est, lamina. *Laute*] *Lautus*, qui mundus et splendidus est. D.

38 *Tuum obsecrone hoc dictum erat?*] Et dicta, et proverbia, et adagiones, quod rem agant, facetis hominibus ascribuntur: et hoc laudis genus est, ad

T. Audieras? G. Sæpe; et fertur in primis. T. Meum'st.
G. Dolet dictum imprudenti adolescenti, et libero.
P. At te Dii perdant. G. Quid ille, quæso? T. Perditus.
Risu omnes, qui aderant, emoriri: denique

potiores referre, quod alter probatur dixisse. *Vetus credidi*] Quia omnia vetera, magna sunt. D.

Placet vett. edd. lectio, *tuum obsecro ne hoc dictum erat?* h. e. per tmesin, pro *tuumne obsecro*. Sic Eun. IV. 4. 53. Adel. III. 4. 19. Plaut. Truc. II. 7. 42. B.

39 *Sæpe*] Non ex ipso: nam esset contrarium superiori. *Meum est*] Non sensu tantummodo, sed verbis quoque ipsis agreste est, quod nunc dicit, *meum est*. D.

Et fertur in primis] V. C. *effertur in primis*. L.

Fertur inprimis] I. e. in omnium ore est, circumfertur ut elegans et venustum. Sueton. in Cæs. c. 20. *ut vulgo mox ferentur hi versus*. v. Schulting. ad Sen. controvers. II. p. 120. R. D.

40 *Dolet dictum imprudenti adolescenti et libero*] Deest *mihi*, ut si, *dolet mihi*. Et *dictum*, participium est, id est, quod dixisti. Addidit enim parasitus, quo gravius sit dictum, commiserationem ejus in quem dictum est, utpote imprudentem adolescentem et liberum. Scit enim homines stultos, malos videri velle. Et vide parasitum in iisdem versari, cum ait supra, *jugularas*, hic, *dolet dictum*. *Imprudenti*] Scilicet qui minime crederet, tali se percuti posse convicio: aut cum tali viro sibi rem futuram. Et sic laudat militem, ut miseratione jam dignus sit adolescens. Tam festive * ut etiam misereri inimicorum vacet (edd. vett. *eum nec non infestat*. Locus corruptus forte ita restitui potest: LIBERO. *Tam non incessit, ut etiam misereri inimicorum vacet*. Quin enim τὸ *libero* non minus quam *imprudenti* interpretatus sit, dubium non est. Tum poterat videri Gnatho incessere Rhodium illum adolescentulum, vocando *liberum*, i. e. procacem: id vero tantum abesse ait Donatus, ut etiam misereatur). D.

Imprudens hic in laude ponitur, ut And. V. 4. 8. Gnathonis verba sunt, ex intimo adulatoriæ artis penu petita. B.

Imprudenti] Imprudens hic in laude ponitur, ut adolescentes imperiti, verum educti libere. in Andr. V. 4. 8. v. Bent. ad h. l. Minus recte h. l. accepit Schulting. ad Sen. controvers. I. p. 152. R. D.

41 *At te Dii perdant*] Nove Parmeno, non ipsi, sed de ipso loquitur, non audiente eo: εἰρωνικῶς. Parmeno hic male facit (lege, *male dicit*, vel *male dicens*. Nisi verba illa εἰρωνικῶς. *P. h. m. f.* loco suo mota statuas. Certe quidem optime adduntur notæ Donati ad III. 2. 10.): *at te Dii perdant*, inquit. D.

42 *Risu omnes, qui aderant, emoriri*] Disciplina est comicis, ut stultus sententias, ita etiam vitiosa verba, adscribere ridiculis imperitisque personis. Ut Plautus, Mil. I. 1. 75. *latronibus ego denumerem stipendium*, inquit ex persona militis. Itaque hic *emoriri* dixit. At vero Atticus adolescens in Heautont. *emori cupio*. Vide igitur, poetam, pro loco ac tempore scire quid dicat. D.

Emoriri] Comice tantum dicitur; nam (*non* Z.) *emori* facit. E.

Risu emoriri] I. e. vehementer ridere. Locutio fluxit ab Homeri Odyss. ϰ. 99. γέλῳ ἐκθανον. *emoriri* antique dicitur pro emori. R. D.

Metuebant omnes jam me. G. Non injuria.
T. Sed heus tu, purgon' ego me de istac Thaidi,
Quod eam me amare suspicata'st? G. Nihil minus.
Imo auge magis suspicionem. T. Cur? G. Rogas?
Scin, si quando illa mentionem Phædriæ
Facit, aut si laudat, te ut male urat? T. Sentio.
G. Id ut ne fiat, hæc res sola'st remedio:
Ubi nominabit Phædriam, tu Pamphilam
Continuo: si quando illa dicet, Phædriam
Intromittamus commissatum: tu Pamphilam

43 *Metuebant omnes jam me*] Ne cui dicerem, *lepus tute es, et pulpamentum queris.* Aut, *eone es ferox, quia habes imperium in belluas? Non injuria*] Hoc sic pronuncia, quemadmodum illud supra, *quidni esset.* D.

Verba, *non injuria*, ambigua putat Daceria: militem enim illa accepisse de laude, cum tamen Gnatho dixerit de stultis hominibus, qui metuendi sint omnibus. Z.

44 *Purgon' ego me de istac Thaidi?*] Οἰκονομία ad litem futuram inter militem et Thaidem. D.

Heus tu, purgon'] Hic quasi consilium petitur, an purget sese miles apud Thaidem, quod Thais credit, militem jam virginem amare. Sicuti etiam ipsa supra dixit: *sed ego quantum suspicor, ad virginem animum adjecit.* Dat autem consilium parasitus, ut magis augeat suspicionem: et hujus argumentum profert, quod prosit: *ut si quando illa mentionem Phædriæ fecerit, miles contra Pamphilam nominet.* Et sic invicem injuriæ Thaidis parem gratiam referat. hoc enim dixit, *par pro pari referto, quod eam mordeat.* E.

De istac] I. e. propter istanc. infra III. 2. 3. *ecquid nos amas de fidicina istac.* Cic. in Verr. III. 3. *flebit uterque non de suo supplicio.* R. D.

45 *Quod eam me amare suspicatur*] Quia (*hinc* Z.) apparet, illam militi quoque κατὰ τὸ συσιωπώμενον ostendisse, quod dixit Phædriæ. D.

46 *Imo auge magis suspicionem*] Hæc erit causa rejiciendi militis. D.

Non *suspicatur*, quæ est nonnullarum edd. lectio, sed *suspicata'st* omnes Faerni codd, et nostri perique recte habent. B.

47 *Scin'*] Monentis est dicere *scin'*, vel *scito. Si quando illa mentionem*] *Si quando* et prima syllaba acui potest, et media: tamen variat sententiam. D.

48 *Male urat*] I. e. valde. in Ad. IV. 1. 7. *rus male odi.* R. D.

49 *Id ut ne fiat*] Modo *ne*, non, significat. *Hæc res sola est remedio*] Si te suspicetur amare Pamphilam. D.

50 *Ubi nominabit*] Et locum et tempus significat *ubi.* D.

Ubi nominabit] Cicero lib. 1. Ep. 9. ad Familiar. L.

51 *Tu Pamphilam continuo*] Hic magna οἰκονομία est, qua Terentius præparat, quemadmodum jurgium inter Thaidem militemque, et Gnathonem, per duas partes serpat fabulæ. Et bene *continuo:* ut intelligat meretrix, non tam Pamphilam amari, quam sibi vicem dari. D.

52 *Pamphilam cantatum provocemus*] Eleganter, quia ille foris est, hæc intus: *illum intromittamus, hanc provocemus.* Hæc est in verbis poetæ germana proprietas. D.

Commissatio est, inquit Faernus, *proprie convivium meretricum et adolescentulorum.* Illud *tu,* cum et ultra metrum excurrat, et a vett. edd. absit, delendum puto. B.

Commissatum] I. e. ad computatio-

Cantatum provocemus. si laudabit hæc
Illius formam: tu hujus contra. denique
Par pro pari referto, quod eam mordeat. 55
T. Si quidem me amaret, tum istuc prodesset, Gnatho.
G. Quando illud, quod tu das, exspectat atque amat:

nem post cœnam commissam. Formatur e græco κωμάζειν et ideo rectius per simplex m scribitur v. Voss. de etymolog. R. D.

53 Lege, *cantum, tu, provocemus.* Nam in hac re proprium est *canere*, non *cantare*. Sic Cic. Tusc. 1. 2. Epaminondas fidibus præclare *cecinisse* dicitur. B.

54 *Tu hujus contra*] Hic *contra* vicem significat. D.

55 *Quod eam mordeat*] *Quod* par. aut absolute *quod*, quæ res. D.

Par pro pari referto] Proverbium vulgi ore satis tritum, et quod interpretationem non requirit: cujus tamen occasione Siculum adagium annotabo, cujus ignoratione non leves in veteribus libris errores subnati. Quod igitur Latini *par pari*, hoc Siculi μοῖτον ἀντὶ μοίτου dicunt: et μοῖτον illis *mutuum* est. Varro de L. L. lib. IV. pag. 42. *si datur, quod reddatur, mutuum; quod Siculi* μοῖτον. *Ita scribit Sophron* μοῖτον ἀνατίθημον. Omnino legendum: *Sophron*, μοῖτον ἀντὶ μοίτου. Siculam vocem etiam Hesychius agnoscit, sed pariter ac Varro mendosus: μοιτοὶ, ἴττομοι, παροιμία Σικελοῖς. ἢ γὰρ χάρις μοιτὸν ὀνόχαρίν. Quæ verba sic restituenda: μοῖτοι ἀντὶ μοίτων, παροιμία Σικελοῖς, ἢ γὰρ χάρις μοῖτος. Μοῖτον, ὀνόχαριν. Aliter hæc Scaliger ad Varron. lib. IV. emendare tentat, sed meo judicio, irrito conatu. Itaque Lucianus in Imaginibus pag. 562. Μύδον ἀντὶ μύθου ἀμείψαι, ἀντῷ τῷ μέτρῳ, φασίν, ἢ καὶ λάϊον. *Sermonem pensabis ipsa mensura, quod aiunt, aut etiam cumulatius:* dubio procul μοῖτον ἀντὶ μοίτου ἀμείψαι, id est, *par pari referre*, et quæ sequuntur, scripsit. L.

Particulam *pro*, cum a quatuor codd. absit, et locus sine illa a Servio ad Æn. I. 265. et Cicerone, laudetur, delemus, et ad versum fulciendum illius loco *tu* reponimus. B.

Par pari referto] In nonnullis scribitur *par pro pari* v. Bentl. ad h. l. R. D.

56 *Si quidem me amaret: tum istuc prodesset, Gnatho*] His versiculis personam militis et Gnathonis continentibus, ὑποκρισία inducitur, quod verisimile sit, facile militem ferre posse, anteponi sibi Phædriam, qui se semper intellexerit non amari. Nam si hoc tollas, aut excludendus est Phædria, aut ex dolore militis in hac fabula fit exitus tragicus. Et hoc miles, ut sapiens, locutus est. Ergo meminisse convenit, ridiculas personas non omnino stultas et excordes induci a poetis comicis. Nam nulla delectatio est, ubi omnino, qui deluditur, nihil sapit. Stultitia autem est in his quatuor modis: aut non venire in mentem, quod oportet: aut si venerit, non tenere: aut bonum consilium amittere: aut malum admittere. Vide ergo, ut hoc quod commode miles viderat non tenuerit, totumque amiserit. Hoc autem idcirco interposuit poeta, ut ostenderet, quid veneni haberet assentatio: per quam non modo errantes decipiuntur, ac præcipites eunt: verum etiam sapientes interdum, sanique evertuntur. D.

Siquidem me amaret] Bona quæstio, contemsisse (qua contemni se Z.) doleat. Non, inquit, diligit. Hic respondet parasitus, probans quia diligit, ex his argumentis, *quando illud quod dat miles, meretrix spectat atque amat. Ergo utile est consilium quod tibi dedi.* E.

57 *Quando illud, quod tu das, expectat*] Hac sententia tollitur militi (putabam τὸ *tollitur* valere, aufertur, eripi-

Jam dudum te amat: jam dudum ille facile fit,
Quod doleat: metuit semper, quem ipsa nunc capit
Fructum, ne quando iratus tu alio conferas.
T. Bene dixti: ac mihi istuc non in mentem venerat.
G. Ridiculum; non enim cogitaras: cæterum
Idem hoc tute melius quanto invenisses, Thraso!

ACT. III. SCENA II.

THAIS. THRASO. PARMENO. GNATHO PYTHIAS.

AUDIRE vocem visa sum modo militis:

tur. Sed sollicitat lectionem Wielingius, et substituit vel, *hæc sententia tollitur militi*, h. e. fertur; vel, *hac sententia tollitur miles*, h. e. laudatur, vel intumescit,) quod recte senserat: nec persuadetur tamen, quod ametur ab amica. D.

58 *Jam dudum amat te*] Vel nimium et valde, jampridem. D.

Jam tutum te amat] Servius Æneid. IV. ad illum versum I. *jam dudum sævicia cura.* L.

59 *Quod doleat*] Hoc ad illud refertur, quod supra dixit, *par pro pari referto, quod eam mordeat.* D.

Etsi nostri codd. *metuet* habent, vulgare tamen retinendum esse censeo. B.

60 *Ne quando iratus tu alio conferas*] Et hic locum pro persona posuit: ut ne diceret, *ad aliam.* D.

61 *At mihi istuc non in mentem venerat*] Sic pronunciandum est, quasi militi monstri simile videatur, sapiens dictum alii prius venisse in mentem, quam sibi. D.

62 *Ridiculum*] Vel hominem, vel dictum significamus. D.

Ridicule: non enim cogitaras] Parasitus tametsi bonum consilium invenerit, tamen, quoniam colax est, dicit, ipsum militem si cogitasset, melius invenire potuisse. E.

Verbum *ridiculum* ipsi Thrasoni, magnifice de ingenio suo sentienti, tribuendum Daceria putat. Z.

63 *Cæterum hoc tute melius quanto invenisses, Thraso!*] Scilicet, si cogitasse. D.

Si *idem* est, quomodo *melius* dici potest? Igitur repono, *idem hoc aut melius tute invenisses, Thraso.* Cf. And. IV. I. 57. et Phorm. 1. 4. 50. B.

1 *Audire vocem visa sum modo militis*] Hic inducitur multiplex concursus dissimilium personarum, et tamen virtute et consilio poetæ discretarum, ut confusio nulla sit facta sermonis: simul etiam pro se cuique accommodata mire repræsentatur oratio. *Audire vocem visa sum modo militis*] Omnes sensus *visa* dicuntur, ab eo quod est certissimum oculorum (Wieling. putat leg. *qui est certissimus, oculorum*, sc. sensus, Cic. de Orat. III. 41. *facilius ad ea, quæ* visa, *quam ad illa, quæ audita sunt, mentis oculi feruntur.*) Ergo *visa sum*, sensi. ut Virgilius Æn. VI. 257.—*visæque canes ululare per umbram, Adventante Dea.* D.

Audire vocem] Hæc scena sublationem munerum tenet, quippe Parmeno oblaturus Æthiopissam et Eunuchum, quos, ut oportet, secundum præceptum domini laudavit. Igitur demonstrativum genus causæ, ubi laus erit. Sed quoniam præsens est miles et ejus parasitus,

Atque eccum. salve, mi Thraso. THR. O Thais mea,
Meum suavium, quid agitur? ecquid nos amas
De fidicina istac? PA. Quam venuste! quod dedit
Principium adveniens! THA. Plurimum merito tuo.
G. Eamus ergo ad coenam: quid stas? PA. Hem
alterum;

erit et vituperatio. quæ omnia ex oratoriæ artis partibus tractabuntur. Quippe cum omnis laus vel vituperatio homines taxat, dividatur ex animi bonis vel malis. Hæc omnia exsequentur suo loco. Ac primum miles meretricem convenit, et ab ea petit ut dicat, quemadmodum donum susceperit. *Audire vocem visa sum*] Pulchre factum ut meretrix intus posita, *vocem militis audire* se dixerit. Est enim consuetudo hominum, ut ob recens munus omnia officia et obsequia præbeamus. Superbailla meretrix et in amatores suos, quæ et Phædriam paulo ante excluserat domo venientem, nunc post munus acceptum egreditur, et *audire* se *vocem militis* dicit. E.

2 *Salve, mi Thraso*] Quia secum, *militis*: quia apud illum, *Thraso* (lectio satis proba. edd. tamen vett. *quasi nomen* MILITIS *apud illum non honestum sit,* THRASO. Cæterum cf. Donat. ad Adelph. II. 2. 3.) Est quædam actio, cujus nomen honestum est; sicut orator, philosophus: est quædam, cujus nomen offensum est, ut miles, lanarius. D.

Thais mea] Priscian. lib. XIII. L.

3 *Meum suavium*] Tria sunt osculandi genera, *osculum* scilicet, *basium*, et *suavium*. *Oscula* officiorum sunt: *basia*, pudicorum affectuum: *suavia*, libidinum vel amorum. *Meum suavium*] Cum oscularetur, dixit. *Quid agitur?*] Et hoc blandimenti genus est post osculum; sed duri est et agrestis: infert (*inferre* Donato valet *subjungere*. Sic Andr. V. 6. 14.) enim, *ecquid nos amas?* Et *ecquid*, aliquantulumne significat: et ideo illa *plurimum* recitat. Cicero in Catilinam I. 8. *quid est, Catilina? ecquis attendis? ecquid animadvertis horum silentium?* D.

4 *De fidicina istac?*] *De*, propter: ut sit, propter fidicinam. Et vide non puellam, sed *fidicinam*, quasi ab amatore dictam, et eo amatore, qui quasi memor sit artis, qua delectatur: et quia puella sit æmula meritricis: nam meretricum est fidicinam esse. *Quam venuste! quod dedit principium adveniens!*] Bene reprehendit Parmeno. Nam in beneficiis debet oblivisci qui dedit, et meminisse qui accepit. Et est gravis *ειρωνία*, *quam venuste!* D.

Fidicina isthac?] Quæ fidibus scit, hoc est, citharam novit. E.

Quod dedit principium] I. e. quam inficete sermonem suum orsus est commemorando munere, quod dedit. *Dare* pro facere frequens est comicis. *Principium* est procemium apud rhetores. v. Schulting. ad Senec. controvers. II. p. 123. R. D.

5 *Plurimum merito tuo*] Facete meretrix amorem suum non ad avaritiam retulit, sed ad officium. Et cum de fidicina, inquit, te amem (*tum*, uterque cod.) præcipue merito tuo. Alii sic respondere intelligunt, ut ipsa de fidicina gratias agat. Nam cum ille dixerit, *ecquid nos amas?* illa respondit, *plurimum*. Quod autem *de fidicina hac* dixit ille, subjecit hæc, *merito tuo*, id est, quoniam mereris, dando eam. Sed melius est, ut præter munus *meritum* dixerit: quamquam multi *munus meritum* intelligant: ut est illud Virgilii, Æn. VI. 664. *quique sui memores alios fecere merendo*: id est, gratos sibi reddidere munerando. D.

Plurimum merito] Astuta meretrix, ne numeris gratia diceret se amare militem, respondit, amo te, sed, *merito tuo*. E.

6 *Eamus ergo ad cœnam*] Decuit pa-

Ex homine hunc natum dicas. THA. Ubi vis, non moror.
PA. Adibo, atque assimulabo, quasi nunc exeam. . . .
Ituran', Thais, quopiam es? THA. Ehem! Parmeno,
Bene fecisti: hodie itura? PA. Quo? THA. Quid?
hunc non vides? 10
PA. Video, et me tædet. ubi vis, dona adsunt tibi

rasitum de cœna etiam importune admonere, cum quadam ἰμφάσει velut magnæ rei. *Hem alterum*] Bene *alterum*, quia duo sunt. *Hem alterum*] Si hic reprehendatur miles, *alterum dictum*: si parasitus, *alterum hominem*. Vult enim Parmeno et parasito esse versutior, et debet esse (edd. Venet. *qui et debet esse,*) cum pejoris conditionis sit. *Hem alterum*] *Alterum*, non respective, sed absolute; ac si dixisset, aliud dictum, vel alterum stultum. D.

7 *Ex homine hunc natum dicas*] Recte reprehendit Parmeno duos, quorum unus beneficium Thaidi exprobrat, alter pro beneficio cœnam ostendit, tanquam ad eam currendum sit: nam hac significat, *quid stas?* quasi sit causa properandi. *Ubi vis, non moror*] Ad *eamus ad cœnam, ubi vis* retulit (*ad*, recte insertum est in edit. Westerh. Z.) *quid stas? Non moror*. D.

Ubi vis, non moror?] *Non moror*, non impedimento sum. E.

Si, *ex homine hunc natum dicas*, sine interrogatione accipis; sensus est, utrumque stultitia esse parem. Sin cum interrogatione; eandem habent vim, quam illa apud Nostrum, *nonne hoc monstri simile est? Monstrum hominis! Quod istucnam monstrum est?* Sed admodum ingeniosa est Bentleii conjectura, *abdomini hunc natum dicas*. Nam parasitus ante dixerat, *eamus ad cœnam: quid stas?* Deinde eadem phrasis occurrit Cic. in Pis. 17. *Ille gurges atque heluo: natus abdomini suo, non laudi et gloriæ*. Z.

Ex homine hunc natum dicas] Interpretes hæc per interrogationem capiunt hoc sensu: an credas hunc esse hominis progeniem, adeo rusticus et stupidus est. Sed mire blanditur præclara et digna tali ingenio Bentleii emendatio *abdomini hunc natum dicas* quod recte dicitur de parasito, qui de ventre solo cogitat. Cic. in Pison. c. 17. R. D.

8 *Quasi nunc exeam*] Mire, *nunc exeam*, quippe qui jamdudum procul steterit (uterque liber addit, *ibi videlicet.*) D.

9 *Ituran', Thais, quopiam es?*] Ut experiatur Thaidis animum, fingit nescire quo eat. *Hem! Parmeno*] Vide deprehensam meretricem velle blandimentis satisfacere Parmenoni. D.

Ituran' Thais?] Interrogat Parmeno, an aliquo itura sit. E.

10 *Bene fecisti*] Quid bene fecit Parmeno? An quasi perturbata hæc loquitur, etiam de nihilo blandiens, utpote meretrix et faceta? An quod illuserit convicio? *Hodie*] Dulciter additum *hodie*, quasi cum exceptione: quo se significat, non perpetuo obsecuturam militi: et ut quæ (*sed ut quoque*; aut *sed id quod* Z.) promiserit, biduum tantum abfuturum Phædriam. *Quid? hunc non vides?*] Si dixerit (forte, *dicat*) *militem*, lædit præsentem: si *amicum*, lædit Parmenonem. Mire igitur pronomen invenit. D.

Bene fecisti] Ms. R. *bene pol fecisti*. L.

Lectionem codd. et edd. *bene pol fecisti* versus non admittit, nisi quoque legas *fecsti*: quod est durum. B.

11 *Video, et me tædat*] Opportune Parmeno fatetur odium militis, ut retundat ab eo (lege vel, *repellat ab eo*; vel, *retundat adeo* Z.) amorem Thaidis. *Ubi vis, dona adsunt tibi a Phædria*] Nil potuit exitiosius militi contingere, quam ut continuo rivalis mitteret mu-

Atque eccum. salve, mi Thraso. THR. O Thais mea,
Meum suavium, quid agitur? ecquid nos amas
De fidicina istac? PA. Quam venuste! quod dedit
Principium adveniens! THA. Plurimum merito tuo. 5
G. Eamus ergo ad coenam: quid stas? PA. Hem
alterum;

erit et vituperatio. quæ omnia ex oratoriæ artis partibus tractabuntur. Quippe cum omnis laus vel vituperatio hominis taxat, dividatur ex animi bonis vel malis. Hæc omnia exsequentur suo loco. Ac primum miles meretricem convenit, et ab ea petit ut dicat, quemadmodum donum susceperit. *Audire vocem visa sum*] Pulchre factum ut meretrix intus posita, *vocem militis audire* se dixerit. Est enim consuetudo hominum, ut ob recens munus omnia officia et obsequia præbeamus. Superba illa meretrix et in amatores suos, quæ et Phædriam paulo ante excluserat domo venientem, nunc post munus acceptum egreditur, et *audire* se *vocem militis* dicit. E.

2 *Salve, mi Thraso*] Quia secum, *militis*: quia apud illum, *Thraso* (lectio satis proba. edd. tamen vett. *quasi nomen* MILITIS *apud illum non honestum sit*, THRASO. Cæterum cf. Donat. ad Adelph. II. 2. 3.) Est quædam actio, cujus nomen honestum est; sicut orator, philosophus: est quædam, cujus nomen offensum est, ut miles, lanarius. D.

Thais mea] Priscian. lib. XIII. L.

3 *Meum suavium*] Tria sunt osculandi genera, *osculum* scilicet, *basium*, et *suavium*. *Oscula* officiorum sunt: *basia*, pudicorum affectuum: *suavia*, libidinum vel amorum. *Meum sauvium*] Cum oscularetur, dixit. *Quid agitur?*] Et hoc blandimenti genus est post osculum; sed duri est et agrestis: infert (*inferre* Donato valet *subjungere*. Sic Andr. V. 6. 14.) enim, *ecquid nos amas?* Et *ecquid*, aliquantulumne significat: et ideo illa *plurimum* recitat. Cicero in Catilinam I. 8. *quid est, Catilina? ecquis attendis? ecquid animadvertis horum silentium?* D.

4 *De fidicina istac?*] *De*, propter: ut sit, propter fidicinam. Et vide non puellam, sed *fidicinam*, quasi ab amatore dictam, et eo amatore, qui quasi memor sit artis, qua delectatur: et quia puella sit æmula meritricis: nam meretricum est fidicinam esse. *Quam venuste! quod dedit principium adveniens!*] Bene reprehendit Parmeno. Nam in beneficiis debet oblivisci qui dedit, et meminisse qui accepit. Et est gravis *sycophanta*, *quam venuste!* D.

Fidicina isthac?] Quæ fidibus scit, hoc est, citharam novit. E.

Quod dedit principium] I. e. quam inficete sermonem suum orsus est commemorando munere, quod dedit. *Dare* pro facere frequens est comicis. *Principium* est procœmium apud rhetores. v. Schulting. ad Senec. controvers. II. p. 123. R. D.

5 *Plurimum merito tuo*] Facete meretrix amorem suum non ad avaritiam retulit, sed ad officium. Et cum de fidicina, inquit, te amem (*tum*, uterque cod.) præcipue merito tuo. Alii sic respondere intelligunt, ut ipsa de fidicina gratias agat. Nam cum ille dixerit, *ecquid nos amas?* illa respondit, *plurimum*. Quod autem *de fidicina hac* dixit ille, subjecit hæc, *merito tuo*, id est, quoniam mereris, dando eam. Sed melius est, ut præter munus *meritum* dixerit: quamquam multi *munus meritum* intelligant: ut est illud Virgilii, Æn. VI. 664. *quique sui memores alios fecere merendo*: id est, gratos sibi reddidere munerando. D.

Plurimum merito] Astuta meretrix, ne numeris gratia diceret se amare militem, respondit, amo te, sed, *merito tuo*. E.

6 *Eamus ergo ad cœnam*] Decuit pa-

Ex homine hunc natum dicas. THA. Ubi vis, non moror.
PA. Adibo, atque assimulabo, quasi nunc exeam.
Ituran', Thais, quopiam es? THA. Ehem! Parmeno,
Bene fecisti: hodie itura? PA. Quo? THA. Quid?
hunc non vides?
PA. Video, et me tædet. ubi vis, dona adsunt tibi

rasitum de cœna etiam importune admonere, cum quadam ἰμφάσει velut magnæ rei. *Hem alterum*] Bene *alterum*, quia duo sunt. *Hem alterum*] Si hic reprehendatur miles, *alterum dictum*: si parasitus, *alterum hominem*. Vult enim Parmeno et parasito esse versutior, et debet esse (edd. Venet. *qui et debet esse,*) cum pejoris conditionis sit. *Hem alterum*] *Alterum*, non respective, sed absolute; ac si dixisset, aliud dictum, vel alterum stultum. D.

7 *'Ex homine hunc natum dicas*] Recte reprehendit Parmeno duos, quorum unus beneficium Thaidi exprobrat, alter pro beneficio cœnam ostendit, tanquam ad eam currendum sit: nam hac significat, *quid stas*? quasi sit causa properandi. *Ubi vis, non moror*] Ad *eamus ad cœnam, ubi vis* retulit (*ad*, recte insertum est in edit. Westerh. Z.) *quid stas? Non moror*. D.

Ubi vis, non moror?] *Non moror*, non impedimento sum. E.

Si, *ex homine hunc natum dicas*, sine interrogatione accipis; sensus est, utrumque stultitia esse parem. Sin cum interrogatione; eandem habent vim, quam illa apud Nostrum, *nonne hoc monstri simile est? Monstrum hominis! Quod istucnam monstrum est?* Sed admodum ingeniosa est Bentleii conjectura, *abdomini hunc natum dicas*. Nam parasitus ante dixerat, *eamus ad cœnam: quid stas?* Deinde eadem phrasis occurrit Cic. in Pis. 17. *Ille gurges atque heluo: natus abdomini suo, non laudi et gloriæ*. Z.

Ex homine hunc natum dicas] Interpretes hæc per interrogationem capiunt hoc sensu: an credas hunc esse hominis progeniem, adeo rusticus et stupidus est. Sed mire blanditur præclara et digna tali ingenio Bentleii emendatio *abdomini hunc natum dicas* quod recte dicitur de parasito, qui de ventre solo cogitat. Cic. in Pison. c. 17. R. D.

8 *Quasi nunc exeam*] Mire, *nunc exeam*, quippe qui jamdudum procul steterit (uterque liber addit, *ibi videlicet*.) D.

9 *Ituran', Thais, quopiam es?*] Ut experiatur Thaidis animum, fingit nescire quo eat. *Hem! Parmeno*] Vide deprehensam meretricem velle blandimentis satisfacere Parmenoni. D.

Ituran' Thais?] Interrogat Parmeno, an aliquo itura sit. E.

10 *Bene fecisti*] Quid bene fecit Parmeno? An quasi perturbata hæc loquitur, etiam de nihilo blandiens, utpote meretrix et faceta? An quod illuserit convicio? *Hodie*] Dulciter additum *hodie*, quasi cum exceptione: quo se significat, non perpetuo obsecuturam militi: et ut quæ (*sed ut quoque*; aut *sed id quod* Z.) promiserit, biduum tantum abfuturum Phædriam. *Quid? hunc non vides?*] Si dixerit (forte, *dicat*) *militem*, lædit præsentem: si *amicum*, lædit Parmenonem. Mire igitur pronomen invenit. D.

Bene fecisti] Ms. R. *bene pol fecisti*. L.

Lectionem codd. et edd. *bene pol fecisti* versus non admittit, nisi quoque legas *fecsti*: quod est durum. B.

11 *Video, et me tædat*] Opportune Parmeno fatetur odium militis, ut retundat ab eo (lege vel, *repellat ab eo*; vel, *retundat adeo* Z.) amorem Thaidis. *Ubi vis, dona adsunt tibi a Phædria*] Nil potuit exitiosius militi contingere, quam ut continuo rivalis mitteret mu-

A Phædria. THR. Quid stamus? cur non imus hinc?
PA. Quæso hercle ut liceat, pace quod fiat tua,
Dare huic quæ volumus, convenire et colloqui.
THR. Perpulchra credo dona, haud nostris similia.
PA. Res indicabit. heus jubete istos foras
Exire, quos jussi, ocius. procede tu huc.
Ex Æthiopia est usque hæc. THR. Hic sunt tres minæ.

nus, et posterior, et coram ipso. *Dona adsunt tibi a Phædria*] Cum illa sub pronomine celaverit nomen militis, ex arte Parmeno pronunciavit *a Phædria*. D.

12 *Quid stamus?*] *Quid stamus*, ad moram refertur. *Quid stamus?*] His verbis miles insulsus dolere se indicat. *Cur non imus hinc?*] Ubi servus rivalis est Parmeno. D.

Quid stamus?] Miles, posteaquam rivalis servum videt afferre dona, properat ut discedat meretrix, ne cogatur ea accipere. E.

13 *Pace quod fiat tua*] *Pace*, aut gratia, aut voluntate: et deest *cum*. Et sic locutus est, quasi bellum his verbis omnibus indixerit. *Pace quod fiat tua, dare huic quæ volumus, convenire et colloqui*] Proprie: quia *pax, datio, deditio, conventio, colloquium*, militiæ verba sunt: et invidiose sic ait, quasi per eum non accipere liceat Thaidem. Et sic pronunciandum, ut subaudiatur *vel*: ut sit, vel dare, vel convenire. Et colloqui: ut inter hostes solet. Sallustius (uterque locus in Fragm.) *quæ pacta in conventione non præstitissent*, et alibi, *cujus ad verba voluntate, coloquio militibus promisso, corruptio facta paucorum, et exercitus Syllæ datus est*. D.

Quæso hercle ut liceat] Bene tanquam cum milite, *pace quod fiat tua*. E.

Pace quod fiat tua] I. e. cum bona venia tua, te non invito. Cic. ad Div. VIII. 17. *pace tua dixerim*. Petron c. 2. *pace vestra liceat dixisse*, ubi v. interpretes. R. D.

14 *Dare huic quæ volumus*] Hæc singula cum invidia pronuncianda sunt. *Convenire et colloqui*] Sic pronunciandum est, ut quasi dicat, liceat per te, miles, quod etiam inter hostes, et in bello licet. D.

15 *Perpulchra credo dona*] Ἐλεεινὰ de fiducia pulchræ virginis. *Nostris similia*] Et *his similia*, et *horum similia*, dicimus. D.

Perpulchra credo] Vituperationis exordium sumitur: generale tamen, et a corporeis bonis vel malis, quippe sua dona per comparativam qualitatem ab donis corporis collaudavit. Hoc scilicet donis detrahens rivalis sui. E.

Perpulchra credo dona] Priscian libr. XIV. *Perpulchra credo munera*. L.

Recte Faernus pro *haud* edidit *aut*. Nam ironia debet continuari. B.

16 *Res indicabit*] Scit Eunuchi nomen posse contemni: et ideo videri vult potius, quam sperari munera sua, id est, Chæream. *Jubes te istos foras exire, quos jussi ocius*] Cum fiducia et alto vultu pronunciat: et festinat, ne occupet miles prius abire, quam videat. Et est ordo, *ocius exire*. D.

Res indicabit] I. e. non opus est verbis; cum dona videtis, qualia sint judicare poteris. Expressit græcam formulam ἀυτὸ δείξει de qua v. cl. Valkenar. ad Euripid. Phœniss. v. 626. R. D.

17 *Procede tu huc*] Bene *procede* dixit, non *accede*, aut *veni*: ut appareat dignitas in incessu. Et callide ab inferiore incipit munere, hoc est, a puella, ad Chæream venturus, simul ut a vero mancipio incipiens, ad falsum sine suspicione transiret. D.

18 *Ex Æthiopia est usque hæc*] Quod

G. Vix. PA. Ubi tu es, Dore? accede huc. hem Eunuchum tibi.
Quam liberali facie, quam ætate integra!
THA. Ita me Di ament, honestus est. PA. Quid tu ais, Gnatho?

Thais cupiebat. Nam supra, *nonne ubi dixti cupere te ex Æthiopia ancillulam. Usque* additum, ut longinquitas monstraretur. Et hoc est quod facit (edd. vett. addunt *supra*. Wielingio placet, *huc est quod facit*. Lego, *et hoc est, quod Phædria ait supra*. Nam ex *Ph. ait* natum est *facit*): *munus nostrum ornato verbis, quod poteris. Ex Æthiopia est usque*] Hic ostendit quid sit ex Æthiopia, addendo *usque*: ut ex longinquitate dignitas muneris ponderetur. Et quid erit jam criminis in colore, quando ipse dicere gloriatur unde sit? Et mire ab inferiore cœpit, ut αὔξησιν doni faceret in Chærea: et turpi præcedente lenocinium (*et turpem præcedentem, more lenonum* Z.) comparat secuturo pulchro. *Usque* modo adverbium de loco est: ut, *Siculo prospexit ab usque Pachinno* Æn. VII. 289. *Hic sunt tres minæ*] Callide munus ad pretium revocavit, ut ad avaritiam converteret meretricem; ne officio donantis et gratia leniretur. Et ideo non dixit, *tribus minis valet*, sed, *hic sunt tres minæ*; quasi jam vendenda sit. D.

Ex Æthiopia] Hic quoniam supra adversarius dixerat, *perpulchra dona, haud nostris similia*, quam Ægyptus produxerat, a corporis bonis laudare non potuit, laudavit extrinsecus, scilicet ex loco et cæteris partibus: ut ex longinquitate regionis gratiam muneri præpararet. *Hic sunt tres minæ*] Hic vituperatio rursus extrinsecus facta est ab opinione, ab existimatione, a proprii (*petii*, uterque Ms.) qualitate. Ubi totum donum* callide a Parmenone factum (in Mss. lacunam repperit nullum Westerh. Ut laboranti loco medearis, pro *factum*, lege, *exhibitum*, seu, *ornatum* Z.) uti primum (forte, *nimirum* Z.) ea quæ in corpore non placebat, primo promitteretur: post Eunuchus, qui utique erat pulcherrimus, quia adolescens Chærea. Hic omnis laus a corpore, quod dixit, *Eunuchum tibi! quam liberali facie, quam ætate integra!* Hæc quidem ætas naturalis est: et Eunuchus equidem naturæ datur. Sed hæc omnia personæ sunt attributa. E.

Ex Æthiopia est] Servius Æneid. I. 647. *Iliacis erepta ruinis.* Junius Phylarg. IV. 293. Georg. *usque coloratis.* L.

19 *Vix*] Aut *difficile* significat, aut *non*; ut sit, *nec hoc.* Lucilius: *Carcer vix carcere dignus*] *Ubi tu es, Dore?* Tanquam quærat eum, ut nomen indicet: quo addito magis dissimulet Chæream. *Accede huc*] Vultu eo dicitur quo debuit dicere, et dicto æmulorum læsus, et confidentia destitutus, velut in eo duntaxat conspectu Chæreæ confidens. *Hem Eunuchum tibi*] Mire: postquam dixit,—*Eunuchum porro dixti velle te, Quia solæ utuntur his reginæ; repperi* (leg. ex vett. vestigiis: *mire, postquam* EUNUCHUM *dixit*, TIBI *intulit, q. d. Eunuchum dixti velle te, Eunuchum tibi repperi*). D.

20 *Quam liberali facie?*] Non narrative laudat, sed per interrogationem, quæ major fiducia est. *Quam ætate integra?*] Id est, qua florent puberes; ut Virgilius Æn. IX. 255: *atque integer ævi Ascanius.* D.

21 *Ita me Di ament*] Juravit ideo, ut non amore Phædriæ, sed veritate cogi ad laudandum videatur (*videretur* Z.) coram milite. *Honestus*] Pulcher. Virgilius Æn. I. 591. *et lætos oculis afflarat honores. Honestus*] Hic subdidit, quod in ancilla prætermisit, quia Æthiopissa honesta dici non potuit. D.

Quid tu ais, Gnatho?] Hic exsultat (*insultat*, uterque Ms.) Parmeno, quoniam pulcherrimum donum a meretrice jam probatum est. Et concludit ex eo,

Numquid habes, quod contemnas? quid tu autem, Thraso?
Tacent: satis laudant. fac periculum in literis,
Fac in palæstra, in musicis: quæ liberum
Scire æquum est adolescentem, sollertem dabo. 25

quod non audeat (*audeant* Z.) vituperare: et conticescant potius, quam (*quod* Z.) satis laudent. E.

22 *Numquid habes*] *Habes* pro invenisti. *Quod contemnas?*] Plus est *contemnas*, quam vituperes, et deest, *in hoc*: ut sit, *numquid habes, quod in hoc contemnas?* D.

23 *Tacent: satis laudant*] Taciturnitas confessionis genus est, præsertim contra adversarii interrogationem. Ideo tacere hoc, vel quasi laudis argumentum est: quia supra tacere vituperavit: ideo et ipse sic ait, *quid tu ais, Gnatho? numquid habes, quod contemnas? Tacent: satis laudant*] Et, *quid tu Thraso?* quia supra contemserat puellam. *Fac periculum in literis, fac in palæstra, in musicis*] Si totum singulariter diceret, esset ὁμοιοτέλευτον, *litera, palæstra, musica*. D.

Adjecit ab animi bonis laudem, *fac periculum*, inquit, *in literis, fac in palæstra, in musicis; quæ liberum scire æquum est adolescentem sollertem dabo*] Artes et disciplinas animi bona nos tradimus, et liberos adolescentes æquum est ista cognoscere. Sunt autem *literæ, palæstra, musica*, et præcipua duo *palæstra* et *musica*, alia corporis, alia animi scientia. De quibus et Plato de Republica loquitur, dicitque omnes cives in adolescentia his artibus operam debere tradere, ut omnia . . . more adolescenti * robur ad virtutis indolem suscitetur (Ms. alter: *ut omnia onere adulescenti Robur ad virtutis indolem suscitet*. Alter: *ut oma honore adulescenti Robur ad virtutis indolem suscitur*. W. Forte, *ut omnium honore* [τιλῆ] *a. r. a. v. i. suscitetur*. Z.) Et hoc igitur contra militem est. Nam his rebus dicit Plato milites et viros fortes posse existere meliores. Unde Achilles ab Homero inducitur, vir fortissimus ac arte doctissimus, ut reliqui, qui in palæstra plurimum valent. Idcirco adjecit, *quæ liberum scire æquum est adolescentem, sollertem dabo*, id est, peritissimum exhibebo. E.

Stobæus e Menandro Tit. 77. Θυγάτηρ ἐπίγαμος κἂν ὅλως μηδὲν λαλῇ, Διὰ τοῦ σιωπᾶν πλεῖστα περὶ αὐτῆς λέγει. W.

Fac periculum in literis] Arist. Polit. VII. ἔστι δὲ τέτταρα σχεδὸν, ἃ παιδευτέον διώθασι, γράμματα, καὶ γυμναστικὴν, καὶ μουσικὴν, τέταρτον ἔνιοι γραφικήν. Sunt autem qui *literas* de arte arithmetica intelligunt quod in se—Literis uterentur veteres. W.

In literis] Literæ sunt artes liberales omnes, ut apud Cicer. de Orat. III. 34. et Nepot. in Attic. c. I. Jungit vero literas, palæstram, musicam, quod Græci has artes inprimis pueros docebant. v. Periz. ad Æliani var. hist. VII. 15. R. D.

24 *Quæ liberum scire æquum est*] Quondam liberi pueri his artibus eruditebantur. Et est figura ἔλλειψις: deest enim, *his* (quæ de ellipsi *his*, seu potius, *in his*, dicuntur, pertinent ad sequens *sollertem dabo* Z.) D.

In musicis] Lucian. in amoribus, κἂν εἰς μουσικοῦ δέοι φοιτᾶν, ἐυμελὴς λύρα et quæ sequuntur. *Quæ liberum scire*] Lucian. in amoribus τὸ σῶμα ταῖς ἐλευθερίοις ἀσκήσεσιν ἐκπονεῖ. quin imo vid. totus locus; nam huc commode facit. L.

25 *Sollertem*] Id est, disertum. Utrum hæc *sollertem*, ut Horatius, *docte sermones utriusque linguæ* Carm. III. 8. 5. An assumendum est *his* extrinsecus? *Sollertem*] Deest, *his*. *Solers*, quasi totus ex arte consistens, ut ὅλος ἀρετῇ, quod Latinis verbis, quasi *solus in arte* sit. Huic *iners* contrarium.

THR. Ego illum Eunuchum, si opus sit, vel sobrius.
PA. Atque hæc qui misit, non sibi soli postulat
Te vivere, et sua causa excludi cæteros.
Neque pugnas narrat, neque cicatrices suas
Ostentat; neque tibi obstat, quod quidam facit:
Verum ubi molestum non erit, ubi tu voles,

Nam *solers*, quasi ὅλος ἀριστῆ dictus. ὅλον *solum*. ut ἓξ *sex*, et ὗς *sus* dicimus. D.

Solertem dabo] H. e. rebus ipsis ostendam eum peritissimum harum artium. Plaut. in Milit. III. 1. 56. *plus dabo quam prædicabo ex me venustates tibi*. v. Schulting. ad Sen. controvers. III p. 214. *Solers* opponitur rudi, inerti v. Donat. ad h. l. R. D.

26 *Ego illum Eunuchum, si siet opus, vel sobrius*] Hoc ut militare est, ita importunum præsente Thaide: extra quam miles, si saperet, nihil amatorie contemplari debuit. Sed et hoc accedit ad ejus odium: præterquam quod jam in suspicione est amicæ suæ, quod fidicinam magis diligat; et hoc mire, quod nemo prior Eunuchum esse Chæream, quam miles, credidit: adeo stultus etiam nomine ipso appellavit. Sed statim stulte miles, primo quidem convicium ipsi Eunucho facit: in quo potest jam lædere amicam. Deinde attestatur hoc dicto pulchritudinem hujus muneris. Quid igitur proficit? Satis autem joculare est, si cogites Chæream esse, qui hæc de se audiat, et tacere cogatur. *Vel sobrius*] Honesta ἔλλειψις, propter mulieris præsentiam. ut Virgilius Ecl. III. 8. *novimus et qui te*. Et ipse in Heautont. *Qui se vidente amicam patiatur suam*. Hoc tamen miles coactus a Parmenone dicit, quia reprehensus est tacuisse. D.

Ego illum Eunuchum] Pulcherrimum Eunuchum quoniam negare non potest miles, detractionem repperit, quod in Eunucho ad turpitudinem libidinis pulchritudo verti potest. Et quoniam sine Cerere et Libero friget Venus, dixit, *hunc jam sobrium Eunuchum, si opus sit*. intelligitur autem quod consequatur. E.

Pro, *sit*, cum Faerno lege *siet*, quod poscit versus. B.

27 *Atque hæc qui misit*] Id est, tanta munera; hoc enim *hæc* significat. *Non sibi soli postulat*] Hoc est, *istum æmulum, quod potes, ab ipsa pellito*. D.

Atque hæc qui misit] Memor est mandatorum. Nam quoniam dominus dixerat, *munus nostrum ornato verbis, quod poteris*, hoc supra factum est. Et quia adjecerat dominus, *et istum æmulum, quod poteris, ab ea pellito*: nunc hoc exsequitur, cum dicit, *dominus meus neque pugnas narrat, neque cicatrices ostentat suas*. E.

28 *Sua causa excludi cæteros*] Nihil potuit dici invidiosius. Non enim dixit *Phædriam*, sed *cæteros*, quasi futuri amatores fuissent, nisi metueretur exemplum Phædriæ. D.

29 *Neque pugnas narrat*] Descriptio militis, tantum excepto nomine. *Neque cicatrices*] Insigne fœditatis. Nam apud meretricem quid aliud cicatrices valent? Nam cicatrices etsi semper gloriosæ sint, non tamen etiam apud meretrices, quibus post pretium forma placet; ut Sallustius quoque fatetur, *hæc sunt virtutis insignia: dehonestamento tamen esse corpori, maxime lætabatur*. D.

30 *Neque tibi obstat*] Qui a te repellat amatores tuos. *Quod quidam facit*] Quidam *recte*. Nam et figuratum et aptum sententiæ est, et contemtum indicat hoc verbum. D.

Quidam] *Quidam* veteres dicunt non solum per contemptum, sed etiam ne offendant præsentem, ut h. l. R. D.

31 *Ubi molestum non erit*] Ad superiora retulit, quod nunc dicit: scilicet ad, *non sibi soli postulat te vivere, et sua causa excludi cæteros: neque pugnas*

Ubi tempus tibi erit, sat habet, si tum recipitur.
Thr. Apparet servum hunc esse domini pauperis
Miserique. G. Nam hercle nemo posset, sat scio,
Qui haberet, qui pararet alium, hunc perpeti. 35
Pa. Tace tu, quem ego esse infra infimos omnis puto
Homines: nam qui huic animum assentari induxeris,

narrat, &c. *Ubi molestum non erit, ubi tu voles*, ad *neque tibi obstat: ubi tempus tibi erit.* Et mire occupat animum meretricis, cum illam hujus impulsu inducit facere, quicquid dure fecit excludendo Phædriam. Hic igitur qui scit præcepta de beneficiis æstimandis, intelligit oratorie in utramque partem dicta omnia. *Verum ubi molestum*] Utrum tibi molestum, an aliis? sed aliis, quia illaturus est (adde, *ubi tu voles.* Z.) D.

32 *Ubi tempus tibi erit*] Non amatori. Et *ubi tu voles:* non ut nunc in milite pateris. *Ubi tempus tibi erit, sat habet, si tum recipitur*] His dictis et militem repulit ab animo meretricis, et commendavit adolescentem, et perfecit ne injuria videatur apud Thaidem, quod sponte susceperit Phædriam. D.

Sat habet] I. e. contentus est. Cæsar de B. G. III. 46. *qui satis habebant sine detrimento discedere.* Nep. in Epamin. c. 8. ut *Lacedæmonii satis haberent si salvi esse possent.* v. Drakenb. ad Liv. V. 21. R. D.

33 *Apparet servum hunc esse domini pauperis*] Tristiores enim sunt servi pauperum, et ob hoc ipsum nequiores. et hoc melius erat: quamvis illud aliter parasitus exponat. *Domini pauperis miserique*] Bene additum *miseri:* quia non continuo pauper etiam miser est. D.

34 *Nam hercle nemo posset*] Secundum illud, *ait, aio,* approbat parasitus quod miles dixit. Et est ordo, *nam hercle satis scio, nemo posset hunc perpeti, qui haberet, qui pararet alium servum. Nam hercle nemo posset*] Aliam causam subtiliorem assignat parasitus, quam quam dixerat miles. D.

Hercle nemo posset] Istum enim servum, quod malus sit, nemo posset, inquit, perpeti, si haberet tantum unde alium compararet: ut ostendatur dominus pauper. Hæc propter malitiam, qui neque nudare se posset, ut alius compararetur. E.

Illud *nam* refertur ad id, quod eleganter omissum est, sc. *Recte.* Z.

35 *Qui haberet, qui pararet*] Prius *qui,* pronomen: sequens adverbium est. D.

Qui pararet alium] *Qui* ponitur pro *ut,* ut ad Andriam notavimus. *Parare* est comparare, emere. Catull. Carm. X. 20. *non possem octo homines parare rectos.* ubi v. Muret. Cæs. de B. G. IV. 2. *quæ impenso parant pretio.* v. Buchner. de commutata ratione dicendi p. 13. et Gron. ad Senec. de ben. IV. 12. R. D.

36 *Quem ego esse puto infra omnis infimos homines*] Multum dixit, *infra infimos omnis homines.* Nam hac sententia vult, illum hominem servis etiam esse pejorem: quia et servus, homo; ut in Phormione, *servum hominem causam orare leges non sinunt.* D.

Infra omnes infimos] Prisc. lib. XIV. Plaut. Stich. III. 2. 37. *infimatum infimus.* L.

Ut *infra* sub ictum veniat, cum Donato leg. *infra esse.* B.

Infra infimos] I. e. abjectim, contemtim. Ovid. Trist. V. 8. 1. *non adeo cecidi quamvis abjectus ut infra Te quoque sim, inferius quo nihil esse potest.* R. D.

37 *Qui huic animum assentari induxeris*] Proprie: nam *animus inducitur* adversum objectas difficultates. D.

Versus gratia cum duobus codd. et edd. vett. lege, *huic assentari animum induxeris.* B.

E flamma petere te cibum posse arbitror.
THR. Jamne imus? THA. Hos prius introducam, et, quæ volo,
Simul imperabo: post continuo exeo.
THR. Ego hinc abeo, tu istanc opperire. PA. Haud convenit
Una ire cum amica imperatorem in via.
THR. Quid tibi ego multa dicam? domini similis es.
G. Ha, ha, he. THR. Quid rides? G. Istuc quod dixti modo:

38 *E flamma te petere cibum posse arbitror*] Unde sine damno aut malo nihil potest auferri. *E flamma*] Hoc intelligit, non ex foco, sed ex medio igni, vel incendio flammæ. Nam antiquum verbum est, *petere cibum e flamma*. mordetque utrumque simul: ut nescias quem pejus vituperaverit, hujusne famem, an illius immanitatem, vel voraginem. Et simul vide convicium redditum, unde conjectum est; id est, de paupertate et egestate. D.

E flamma cibum] Homerus apud Sueton. in Tiberio. cap. XXI. Lucilius apud Nonium Marc. in MORDICUS. *Mordicus petere aurum ex flamma expediat, e cœno cibum.* L.

De flamma, &c.] I. e. adeo famelicum et impudentem te esse arbitror, ut ex medio igne vel cum capitis periculo cibum petere possis. Alludere videtur ad cilicernium vel cœnam funebrem, quæ ad busta mortuorum coquebatur a pauperibus deripienda. v. interpret. ad Catulli carm. LX. et Victorii var. lection. XXI. 9, R. D.

39 *Jamne imus?*] Odium Parmenonis, et stomachum militis ista indicat festinatio; et, *jam*, increpatio moræ est.

40 *Post huc continuo exeo*] Legitur et *postea*, ut sit *post* pro *postea* ΑΠΟΡΩΤΗΙΗDE* (sensus postulat, ut legatur, *ἀποκοπὴ τοῦ ea*) quomodo pro postremo *post*. D.

Cum in *continuo* non possit non fieri synalœpha, pro *post* cum codd. lego *postea*. B.

41 *Ego hinc abeo*] Consequens erat ut offenderetur miles, tam diligenter rivalis munus suscipiente meretrice. D.

Haud convenit] Ms. R. *non convenit*. L.

42 *Una ire cum amica, imperatorem in via*] Vide *προπαρασκευὴν* futuræ litis inter Thaidem et militem. *Cum amica*] Mirifice *amicam* dixit, non meretricem. *Imperatorem in via*] Congrue in militem: quasi ipse sit, sub quo est (adde, *Thais* Z.) et hic servat Parmeno, quod sibi mandatum est, *et istum æmulum, quod poteris, ab ea pellito*. Et bene mutat nomina, hinc ad honorem, hinc ad invidiam. Hanc, non *meretricem*, sed *amicam* dixit: hunc, non *militem*, sed *imperatorem*. D.

43 *Quid tibi ego multa dicam?*] Non habuit aliud miles stultus, et redit ad illa quæ supra dixit, *domini pauperis miserique. Domini similis es*] Ineptus jocus, in quo servus, injuriæ vice, domino comparatur. D.

Similis, cum nihil vituperii contineat, mutandum est in *simia*. Nam præterquam quod ita turpitudo faciei exprimitur, usus loquendi quoque comprobat: *πιθηκίζειν* enim est *imitari* et *adulari*. Cf. Plin. Epist. I. 5. et Plaut. Most. IV. 2. 4. B.

44 *Quid rides?*] Et hoc eo vultu dicitur, quasi sibi conscius sit miles facete dicti convicii. Nam non quod nesciat causam risus, eo interrogat *quid riserit*, sed ideo, ut denuo laudetur. D.

Istuc quod dixti] Colax parasitus

Et illud de Rhodio dictum cum in mentem venit.
Sed Thais exit. THR. Abi præ, curre, ut sint domi
Parata. G. Fiat. THA. Diligenter, Pythias,
Fac cures, si Chremes huc forte advenerit,
Ut ores, primum ut maneat: si id non commodum'st,
Ut redeat: si id non poterit, ad me adducito.
PY. Ita faciam. THA. Quid? quid aliud volui dicere?
Ehem, curate istam diligenter virginem:

suum ubique implet officium. Nam cum leviter locutus miles fuisset, qui dixerat Parmenoni, *domini similis es*, continuo risum sibi commovet ex commemoratione illius dicti, quod *Rhodium adolescentulum* miles dixerat, sese ridere cœpisse. E.

45 *Et illud de Rhodio dictum*] Hoc est illud, *eorum ingenia admiror simul*. Et huic, ut apparet, fit amicior: ideo facilius ab amica, quam a parasito separabitur. D.

Illud *cum*, quod ab nostris abest, pone post *mentem*. B.

46 *Abi præ, curre, ut sint domi parata omnia*] Non dixit *quæ* (forte, *atque* Z.) quia intelligitur. *Domi ut sint parata omnia*] Ἑλλειψις ἡθική, in qua plus vultu significatur, quam verbis. D.

Pro *curre* Palmerius egregie correxit *cura*. Cf. Adel. II. 1. 13. B.

47 *Fiat*] Faciam, vel *fiet*, diceret servus: liber vero, *fiat*: tanquam et ipse jubeat sibi. D.

48 *Si Chremes huc forte ad me venerit*] Οἰκονομία ad litem futuram, et exitum fabulæ. Et hoc non audit miles: nam si audiret, nimis irasceretur. D.

Si Chremes huc] Hic est Chremes frater puellæ, quæ a milite Thaidi donata est: hunc fratrem esse ejusdem et meretricis suspicatur. Hanc causam (corrige, *meretrix suspicatur. Hanc ob causam*. Z.) mandat ancillæ, ut si venerit, maneat. Et vide, quemadmodum, quæ mandat, tria præcepta sunt, quæ scilicet secundum gradus petitionis ad minora descendunt. Primo enim, quod majus est, petimus: hoc dixit, *ut maneat*: deinde quod minus est, *si commodum non est, ut redeat*. Tertio quod ultimum ex necessitate, *si id non poterit, ad me deducito*. quæ tria servabit ancilla. E.

Melius duo codd. cum edd. vett. et Donato collocant, *si forte huc Chremes advenerit*. B.

Fac cures] Periphrasis pro *cura* ut mox v. 53. *adsitis facite* pro adeste, in Hec. II. 2. *faciam ut concedam* pro tibi concedam. Cic. ad Div. X. 17. *fecit ut mitteret* pro misit. Liv. XXXVI. 29. *non facturum ut insultet* pro non insultaturum. R. D.

49 Inverso ordine pone *redeat*, pro *maneat*: atque *maneat* pro *redeat*. Hunc ordinem Pythias ipsa in scena seq. approbat. B.

Si id non commodum est] Est formula venustæ humanitatis similis illi supra v. 31. ubi *molestum non erit* et Cic. ad Div. I. 1. *quod commode facere possis* ubi v. Græv. R. D.

50 *Ad me adducito*] Modo ubi sum (corrige, AD ME *ubi sum* Z.) significat. D.

51 *Quid? quid aliud volui dicere?*] Pro, *quid aliud?* hinc est illud Ciceronis Verr. IV. 3. *quem, quemnam? recte admones, Polycletum esse dicebant*. D.

Quid? quid aliud] Expressit morem domo proficiscentium. Ut (excidit, *si* Z.) in properatione mandare aliquid cupiamus, et in oblivionem veniat, post memoria repetatur. E.

52 *Curate istam diligenter virginem*] Hæc res est, quæ faciet virginem claudi, in lectulo collocari, et obdormire. *Curate istam diligenter virginem*] Ridiculum, quum contra eventurum sit. D.

Domi adsitis, facite. THR. Eamus. THA. Vos me sequimini.

ACT. III. SCENA III.

CHREMES. PYTHIAS.

PROFECTO quanto magis magisque cogito, Nimirum dabit hæc Thais mihi magnum malum:

53 *Vos me sequimini*] Κεφὰ πρόσωπα sunt puellæ, quæ sequuntur. D.

Domi adsitis] Ms. R. *domi ut assistis.* L.

Pro *adsitis* consuetudo Terentiana postulat *ut sitis.* B.

1 *Profecto quanto magis magisque cogito*] Hæc persona apud Menandrum adolescentis rustici est, et in consequens (*inconveniens*, ed. Argent.) oratio est. Sed conceditur secum loquentibus multa transcendere, quæ taciti intelliguut: est enim integrum hoc modo, *profecto quanto magis magisque cogito, nimirum intelligo vel invenio, quod dabit hæc Thais mihi magnum malum.* Potest autem *nimirum* et pro confirmatione accipi; ut sit *nimirum*, sine dubio, pro certo. D.

Profecto quanto] Hæc scena suspicionem habet adolescentis, quod sibi meretrix insidias præparet, quo facilius se ad amorem possit adducere; unde sio ad conjecturam argumenta sumuntur: ac primo ipsa summa est: *profecto quanto magis magisque cogito, nimirum dabit hæc Thais mihi magnum malum.* Deinde incipiunt argumenta a dictis, *quod me arcessiri jussit.* deinde a factis, *quod cum venissem, causam, ut ibi manerem repperit.* Rursus a dictis, quod ait, *rem diviniam fecisse se, et rem seriam velle agere.* A factis, quod *ipsa accumbere mecum, mihi sese dare, sermonem quærere.* Deinde a dictis, quod quæsivit, *quam pridem mihi mater et pater mortui essent. Rus Sunii ecquod nunc mihi sit.* Hæc a summo ad imum argumenta dicuntur, quorum quidem causæ denudatio manifesta est. Nam hæc omnia fecit meretrix, non ut adolescentem in amorem possit inducere, sed ut de puella quod quærit, agnoscat. hæc omnia ex derivatione causæ. Explicabimus singula: namque quæsivit, *rus Sunii ecquod?* quia supra in narratione dictum est, *abreptam puellam e Sunio.* Quæsitum est *quam longe a mari?* propterea quod puella a prædonibus rapta est: deinde reliqua, quæ consequuntur, aperto hanc indicant causam, de puella scilicet quod adjecit, *ecqua inde parva perisset soror? ecquis cum ea una? quid habuisset, cum periit?* E.

Magis magisque] Frequens hæc geminatio. Liv. VIII. 39. *quidquid progrediebantur, magis magisque turbatos hostes cernebant* ubi v. Drak. R. D.

2 *Nimirum dabit hæc Thais mihi magnum malum*] Solve *nimirum;* et fac, non est mirum: et statim consequens erit per ἀσύνδετον tota sententia, quasi dixerit, non est mirum: et subdistinctione interposita mox intulerit, *dabit hæc Thais mihi magnum malum.* Nam *ni*, ne significat: et *ne*, non. Ni pro ne: Virg. Æn. III. 685.—*læti discrimine parvo ni teneant. Ne* pro non: Plautus Epid. IV. 2. 16. *ne vult* inquit, pro non vult. *Nimirum dabit hæc Thais mihi magnum malum*] His verbis intelligitur, se sentire paulatim labi in amorem meretricis, quamvis invitum, et adhuc retinentem mentem D.

Dubit hæc T. mihi magnum malum] Menand. κακὸν τί μοι μέγα δώσει. L.

Ita me video ab ea astute labefactarier.
Jam tum cum primum jussit me ad se arcessier:
Roget quis, quid tibi cum illa? ne noram quidem.
Ubi veni, causam, ut ibi manerem, repperit:
Ait, rem divinam fecisse, et rem seriam
Velle agere mecum. Jam tum erat suspicio,
Dolo malo hæc fieri omnia. ipsa accumbere
Mecum; mihi sese dare; sermonem quærere.

Nimirum] I. e. certe, sine dubio. Horat. epist. I. 14. 11. *cui placet alterius, sua nimirum est odio sors* v. Donat. ad h. l. R. D.

3 Quinque modis ordo horum verborum in codd. variatur; sed sensui aurium maxime convenit, et plurium auctoritate comprobatur hic: *ita me ab ea astute video labef.* B.

Labefaciarier] *Labefacere* proprie est aliquid ad labem, ad ruinam adducere. metaphorice aliquem de proposito, de pristina constantia demovere, a pudicitia pellicere ad amores. Cat. Carm. LXX. 3. *non si illam raro labefactas munere vestis.* v. Victor. var. lection. III. 22. Sic. mutaturi consilium labare vel labascere dicunt, ut supra I. 2. 98. R. D.

5 *Roget quis, quid tibi cum illa?*] Prius intulit, quam interrogavit. D.

Roget quis] Si quis interroget, quid mihi cum meretrice sit: respondebo, *ne noram quidem.* E.

Roget quis] Ms. R. *si roget quis.* L.

Omnes codd. præter unum, recte habent *cum ea.* Est Anapæstus, absque synalœpha. B.

Quid tibi cum illa] Supplendum: negotii est. Cic. ad Div. XV. 10. *si mihi tecum minus esset quam est cum tuis omnibus.* Nep. in Alcib. c. 10. *quæ regi essent cum Lacædemoniis.* v. Schulting. ad Sen. controvers. I. p. 119. R. D.

6 *Ut ibi manerem*] *Manerem* modo, non dormirem, sed remanerem significat. D.

7 *Et rem seriam velle agere mecum*] Scilicet, quæ non posset nunc agi, cum operetur. An rem seriam magis agendam tunc putabat, cum rem divinam fecisset? D.

Rem divinam fecisse] Hoc est, sacrificium fecisse. E.

Rem divinam fecisse] Ms. R. *fecisse se.* L.

Rem divinam fecisse] I. e. sacrificasse. Hec. I. 2. 109. R. D.

Rem seriam] I. e. gravem et maximi momenti. Inter *serius* et *severus* hoc discrimen est, ut prius fere dicatur de rebus, posterius de hominibus. Nep. in Pelop. c. 3. *crastinum differo res serias.* v. Duker. ad Liv. XXIII. 7. R. D.

8 *Rem seriam velle agere*] Et cum rem necessariam et gravem mecum loqui fingeret, ubi oratio deficit, et, quod agat, non haberet, *huc evasit*] Eousque conscendit et exivit. Ut Æn. II. 458. *evado summi fastigia culminis.* E.

Versus postulat hunc ordinem, *jam erat tum susp.* B.

9 *Dolo malo hæc fieri omnia*] *Dolus* a lædendo dictus, id est, a dolando, id est, minuendo. Nam et δόλος, Græce læsio dicitur; et *dolones*, tela quædam bellica: et *dolare* fabri, lignum est ascia cædere (edd. Venet. et Ms. Bœnd. *scindere.* Et pro *lignum* Arg. legit *lignarii.* W. Lege, *dolare fabris est lignum*, &c. Z.) quod autem addidit *malo*: aut ἐφ-χαΐσμὸς est, quia sic in duodecim tabulis a veteribus scriptum est: aut ἐπίθετον *doli* est perpetuum: aut diastole est quia est et *bonus*, quo a medentibus falli ægros, non tamen decipi, Lucretius poeta testatur IV. 11. *Accumbere mecum*] *Mecum*, penes me significat. D.

10 *Mihi sese dare*] Non potest ma-

Ubi friget, huc evasit: quam pridem pater
Mihi et mater mortui essent. dico, jam diu.
Rus Sunii ecquid haberem, et quam longe a mari?
Credo ei placere hoc: sperat se a me avellere.
Postremo, ecqua inde parva periisset soror:
Ecquis cum ea una? quid habuisset, cum perit?
Ecquis eam posset noscere? Hæc cur quæritet?
Nisi sit illa forte, quæ olim periit parvula,
Soror, hanc se intendit esse, ut est audacia.

gis significari profusa petulantia. *Sermonem quærere*] *Sermonem quærimus*, quando non solum quod dicamus quærimus, verum etiam quomodo alter nobis respondeat et obloquatur: puta cum, deficientibus sermocinandi causis, *quota sit hora?* et, *satis recte quis valuerit?* percontamur. D.

Sese dare] *Dare se alicui* dicuntur, qui faciunt quod alter cupit, qui ei grati esse laborant omni obsequii genere. in Ad. V. 3. 52. *da te hodie mihi.* Nep. in Att. c. 9. *qui adversariis ejus se dabant.* Cic. ad Div. II. 8. *da te homini* ubi v. Manut. R. D.

Sermonem quærere] est undecunque colloquendi occasionem captare, ut Don. ad h. l. Pro eo Petronius c. 37. dicit *fabulas arcessere* ubi v. Burmann. R. D.

11 *Huc evasit*] Tanquam impudenter contenderit ad hanc inquisitionem. *Quam pridem pater mihi et mater mortui essent*] Hoc propter ætatem puellæ inquisitum est. D.

Ubi friget] I. e. loquendi materia exhausta est, ubi nihil amplius quod dicat inveniri potest. Similiter ap. Cicer. ad Div. III. 8. imminutus sermo hominum dicitur *refrigeratus* ubi v. Manut. R. D.

Huc evasit] I. e. ad has quæstiones sermonem retulit. Sallust, in Jug. c. 14. *huccine beneficia evasere* ubi v. Cort. R. D.

Pater et mater mortui] *Mortui* in masculino genere dixit non mortuæ, ut Liv. XXI. 50. *rex regiaque classis una profecti et sic centum alii.* R. D.

12 *Jamdiu*] Jam olim. D.

13 *Et quam longe a mari?*] Hoc ideo meretrix inquisivit, ut sciret, utrum rapina prædonibus fuisset, quippe ad mediterraneum locum qui accessus esse potuit piratis? Sed tamen non abhorret a suspicione hujus meretricis, quod et scire vellet, cujus pretii fundum habeat Chremes: hoc est, quam amœnum, vel quam maritimum. D.

Etsi Faerni omnes vett. codd. habent, *et quod haberem*: nostri tamen recte *habeam*, quia et rus et dominus adhuc supersunt. Deinde *Sunio* lege: non enim oppidum, sed regionem hic notat. Lege igitur, *rus Sunio ecquod habeam.* B.

14 *Sperat se a me avellere*] Bono usus est verbo *avellere*, tanquam a pertinaciter retinente. D.

Sperat se a me] V. C. *sperat se postea a me.* L.

Avellere] Pro avulsuram, præsens pro futuro. v. not. ad Andr. I. 5. 3. R. D.

16 *Quid habuisset, cum perit*] *Cum*, pro quando: aut, cum periret. D.

Lege, ut cætera, *ecquid habuisset.* B.

17 *Hæc cur quæritet?*] In gestu ac vultu id quod restat ostenditur. Nam deest, *nescio.* D.

18 Liber Bemb. et nostri fere omnes recte habent, *nisi si illa forte.* B.

19 *Hanc se intendit esse*] Proprie *intendere* est crimen in adversarium jacere. D.

Eam sese intendit esse, ut est fallacia] Hanc sese mihi objicit, et intendit, et probare cupit, ut est audacia. E.

Lectio Eugraphii, *eam sese intendit*, est præferenda. Certe enim *soror* putide hic repetitur. B.

Verum ea si vivit, annos nata'st sedecim:
Non major: Thais, quam ego sum, majuscula'st.
Misit porro orare, ut venirem, serio.
Aut dicat quod volt, aut molesta ne siet:
Non hercle veniam tertio. Heus, heus. P. Ecquis hic?
C. Ego sum Chremes. P. O capitulum lepidissimum!

Intendit] H. e. contendit. Cic. ad Div. I. 2. *Lupus intendere cœpit:* Gesnerus in thes. ling. lat. *intendit* explicat per: probare vult; quo sensu verbum hoc usitatum est jureconsultis. R. D.

Ut est audacia] Scilicet mulieris, vel in ablativo pro ut est audacia prædita. in Ad. III. 3. 36. *ut est dementia* v. Donat. R. D.

20 *Annos nata'st sedecim*] Certos adolescens dixit annos sororis suæ: quod et nuper adolescens Phædriæ indicaverat, cum dixit, *anni sedecim sunt.* Et ita ut nos diximus, optimus sensus est, quod *annos nata sedecim* sit, *non major.* post inferatur: *Thais, quam ego sum, majuscula est.* E.

21 *Majuscula est*] Diminutive dixit, ut ostenderet utramque esse primævam (si id credidit Donatus, et sororem Chremetis, et Thaidem esse majorem natu ipso Chremete, videtur errare. Lege igitur, *utcunque esse primævam.* Ms. H. corrupte, *utraque esse primæ.*) D.

Majuscula est] Priscian. lib. III. L. Prisc. p. 609. *est parvo major quam ego.* B.

22 *Misit porro orare*] *Porro,* pro postea. *Ut venirem serio*] Utrum, ut venirem serio, an orare serio? D.

Misit orare] Hoc Græcorum more dicitur pro misit oratum. v. Voss. de construct. c. 51. Mittere simpliciter est nuntium vel legatum vel literas mittere. Cic. ad Div. V. 20. *si ad me misisses.* ubi V. Manut. Justin v. 3. *statim igitur Athenas mittit.* v. Gronov. ad Liv. VIII. 33. et Duker. ad Thucydid. IV. 93. R. D.

23 *Aut dicat quid volt*] Pro *quid velit.* In Hecyra, *ac vide, quam immerite ægritudo hæc oritur mihi abs te, Sostrata. Aut molesta ne siet*] *Aut* hic moraliter; nam cui hoc imperat? aut cum quo hoc agit? D.

Quatuor codd. cum edd. vett. recte, *quid volt.* ut And. II. 6. 18. Nam *quod* locum habet, ubi pracedit *quid.* ut And. I. 1. 18. *dic quid est quod me velis.* B.

Quid vult] Pro quid velit. Similia exempla indicativi pro subjunctivo supra vidimus. R. D.

24 *Heus heus, hic quis est?*] Hæc separatim pronuncianda sunt. Nam appareat, inter hæc verba pulsatam januam personare. D.

Ecquis hic] Ms. R. *ecquis hic est.* L. Verba *ecquis hic?* ipsa Chremeti sunt tribuenda, ob Donati auctoritatem, et usum Plauti, Amphit. IV. 1. 12. et Bacc. IV. 1. 10. *heus ecquis hic est? ecquis hoc aperit ostium?* B.

25 *Ego sum Chremes*] Vide quantum distet, ac varia sit hujus rusticitas, *ego sum Chremes,* a faceta meretricis disciplina, *O capitulum lepidissimum*] Nam rusticum esse, statim magis apparebit, ubi dixerit, *rus eo* (locus ne lacuna laboret, adde; et, *dico ego mihi insidias fieri. O capitulum lepidissimum*] ὑποκρίσματα σὺν ποσπυσμῷ,) et ὑποκρίσματα σὺν ΠΟΝΙCΜΩ. D.

O capitulum] Impetratura primum præbet obsequium, deinde mandata exsequitur tria illa, quæ supra dixit (*dixi* Z.) Nam primum, *Thais maximo te orabat opere, ut cras redires.* At cum hoc nollet, offerre (*offert* Z.) aliud: *at tu apud nos hic mane.* quod utique ordinem bene vertit (forte legi debet, *servat,* aut, *tenet* Z.) Post infert, *si istuc satis certum est, te amabo, ut illac transeas, ubi illa est.* E.

C. Dico ego mihi insidias fieri. P. Thais maximo
Te orabat opere, ut cras redires. C. Rus eo.
P. Fac amabo. C. Non possum, inquam. P. At tu apud nos hic mane,
Dum redeat ipsa. C. Nihil minus. P. Cur, mi Chremes?
C. Malam rem hinc ibis? P. Si istuc ita certum'st tibi,
Amabo, ut illuc transeas, ubi illa'st. C. Eo.
P. Abi, Dorias, cito hunc deduce ad militem.

ACT. III. SCENA IV.

ANTIPHO.

HERI aliquot adolescentuli coimus in Piræo,

26 *Dico ego mihi insidias fieri*] Blandimentum rusticus insidias putat. D.

Insidias fieri] Menandri dictum forsan in mente habuit: Τότε τὰς γυναῖκας δεδίναι μάλιστα δεῖ, Ὅταν περιπλάττωσι τοῖς χρηστοῖς λόγοις. L.

Maximo te orabat opere] Pro magnopere, summopere. Sæpe divisim legitur magno opere, summo opere. v. Drak. ad Liv. I. 17. aliquando alia quoque vox interponitur ut h. l. Cic. ad Div. XIII. 7. R. D.

27 *Rus eo*] Pro potiore negotio rus posuit. Et major negatio est, quam si diceret, *non huc venio*. D.

28 *Non possum, inquam*] Plus est, quam *nolo*. D.

29 *Dum redeat ipsa*] *Ipsa*, vel domina, vel ipsa de qua agitur. *Nihil minus*] Deest *faciam*. D.

30 *Malam rem hinc ibis?*] Hoc adverbialiter dixit: quemadmodum dicimus, *domum ibis*. Et apparet illum manu tactum esse, qui sic irascitur, quia dixit Pythias, *cur, mi Chremes?* quasi dicat, cur meus sic indignatus est adolescens? nam ab eo quod est *meus*, vocativus *mi* facit. D.

Contra versum, Bembinus cod. et Donatus Faerni habet *abis*. B.

Malam rem hinc ibis] Sic e libris antiquis edidit Bentl. Dicitur autem malam rem ire eo modo quo domum ire. R. D.

31 *Amabo, ut illuc transeas, ubi illa est*] Vide non esse otiosum, quod omnia præsenta sunt potius, quam res importuna fieret, ut ad militis domum Chremes deduceretur. Neque enim hoc conveniebat personæ Bacchiali (*Bacchanali*, edd. vett.): quoniam aut infacetum, et præter usum, aut importunum: ideo hoc ipsum Doriæ præcepit. *Ut illuc transeas ubi illa est*] Ut brevem viam demonstraret. non *eas*, sed *transeas*, dixit. *Amabo*] Interjectio est amantis: sic verbum sonat. D.

32 *Deduce ad militem*] Ms. R. *deduc ad militem*. L.

Recte nostri libb. omnes cum edd. vett. *deduc*. ut alibi, *abduc*. B.

1 *Heri aliquot adolescentuli coimus in Piræo*] In hoc proloquio insinuatio personæ ejus est, cui narraturus est Chærea, quæ a se post scenam facta sunt. Fit autem hoc populi causa, ut

In hunc diem ut de symbolis essemus. Chæream ei rei
Præfecimus: dati annuli: locus, tempus constitutum'st.
Præteriit tempus: quo in loco dictum'st, parati nihil est.
Homo ipse nusquam'st: neque scio quid dicam, aut quid conjectem.

spectator auribus accipiat, quod subjicere oculis poeta non potuit. *Heri aliquot adolescentuli*] Bene inventa persona est, cui narret Chærea, ne unus diu loquatur: ut apud Menandrum. *Coimus*] *Coimus*, consensimus, ac pepigimus: ne sit solœcismus. *In Piræo*] Pro in Piræum. D.

Heri aliquot] Hic adolescens unus ex illis est, qui in Piræo convivium sibi præpararunt. Cui præparando præpositus, Chærea, qui in amorem pro Eunucho nunc suppositus, ad meretricis domum deductus est. Quærit igitur hic adolescens convivii præpositum. E.

Coimus Piræo] Ideo nempe in Piræo, ut rectius, quæ ad convivium necessaria, præstinarentur: quandoquidem rerum ibi venalium magnus proventus, ac velut δεῖγμα. Schol. Aristoph. in Equitib. Plaut. Bacchid. II. 3. 1. *Ibo in Piræum, visam ecqua advenerit In portum ex Epheso navis mercatoria.* Idem in Mostellar. I. 1. 63. *ego ire in Piræum volo, In vesperum parare piscatum mihi.* L.

Recte tres codd. habent *coiimus*, ut III. 5. 45. *iit, lavit. rediit.* Etsi Cic. ad Attic. VII. 3. legitur *Piræum*: lectio tamen hic, *Piræo*, consensu omnium codd. et contexto comprobatur. Adolescentuli enim non ex urbe *in Piræum*, sed *in Piræo*, ubi custodes erant publice, *coierunt, convenerunt, consenserunt, pepigerunt.* B.

Coiimus] *Coire* est convenire. Virg. Æn. VII. 582. *undique collecti coeunt*, v. Heins. ad Ovid. epist. VII. 123. R. D.

Piræo] Alii scriptores hunc portum semper dicunt Piræeum. v. Gron. observ. I. 3. R. D.

2 *Ut de symbolis essemus*] Plautus in Menæchmis, III. 2. 20. *minore nunquam fui dispendio.* Sed melius *essemus*, producta *e* litera.

De symbolis] De collationibus. *Ut essemus*] Hoc est, cibum sumeremus. E.

De symbolis essemus] Ut Græci ἀπὸ συμβολῆς δειπνεῖν. Eustat. in Homer. Vid. Zonar. in Canon. LV. Laodic. p. 359. L.

Chæream ei rei præfecimus] I. e. magistrum convivii vel arbitrum bibendi, ut Horat. dicit, creavimus. v. Salmasii obs. in jus Attic. p. 69. R. D.

3 *Præfecimus*] Id est συμποσίαρχον fecimus. *Dati annuli*] Nihil interim de scorto. Apparet enim ephebos esse. D.

Dati annuli] In sponsionibus annuli olim dati. Plinius lib. XXXIII. cap. 1. *ad sponsiones etiamnunc annulo prosiliente.* l. 17. §. 5. ff. de præscr. verb. l. 11. §. 6. ff. de act. emt. et vend. l. 5. §. 15. ff. de instit. action. Sic Athenis Atticis, qui judicio se provocabant, annulos invicem deponebant. Demosth. πρὸς Πανταίνετον: παρακαλοῦμαι σὲ ταυτί, δέχομαι. φέρου τὸν δακτύλιον: λάβε. τίς δ' ἐγγυητής. L.

Dati annuli] Scilicet pro pignore se ad convivium venturos. R. D.

4 *Præteriit tempus*] Quia tempus constitutum est. *Quo in loco*] Quia locus constitutus est. D.

Parati nihil] Pro paratum nihil. Sic apud Liv. IX. 16. XXXI. 7. *nihil parati.* Sic alibi *quid integri, hoc signi* &c. v. Gronov. ad Liv. XXXI. 37. R. D.

5 *Homo ipse*] Quia Chæream ei rei præfecimus. D.

Quid conjectem] Quid suspicer. E.

Nunc mihi hoc negoti cæteri dedere, ut illum quæram :
Idque adeo visam, si domi'st. Quisnam hinc Thaide exit ?
Is est, an non est ? ipsus est. quid hoc hominis ? qui hic ornatus est ?
Quid illud mali est ? nequeo satis mirari, neque conjicere.
Nisi quicquid est, procul hinc lubet prius, quid sit, sciscitari.

ACT. III. SCENA V.

CHÆREA. ANTIPHO.

NUMQUIS hic est ? nemo est. numquis hinc me sequitur ? nemo homo'st.

.6 *Cæteri dedere*] *Cæteri*, exceptis me atque illo. D.

7 *Quisnam hinc a Thaide*] Causa sciscitandi est admiratio de habitu commutato, et vix agnitus Chærea. D.

Quisnam hinc] Quoniam supra dixerat Chærea, *nescivi Thaidem nobis vicinam.* Pergens e vicina domo meretricis exeuntem Chæream videt, in habitu Eunuchi : idcirco dicit, *quisnam hinc exit ?* E.

Idque adeo visam] Ms. R. *ibo ad eum, visam. Quisnam hinc*] Ms. R. *sed quis nam.* L.

Pro *idque adeo* nostri omnes cum edd. vett. habent *ibo ad eum.* Male. Verum legendum censeo cum codd. et edd. vett. *sed quisnam a Thaide exit?* deleto *hinc*, quod versus respuit, et a cod. quodam abest. Cf. And. IV. 1. 59. Heaut. I. 1. 122. B.

Si domo est] *Si* ponitur pro *an*, ut *si* apud Græcos. Propert. Eleg. II. 29. 23. *volui, si sola quiesceret illa, Videre.* Cic. ad Div. IX. 26. *cum ille, si quis quidquam, quæreret, dixisset.* v. Duker. ad Flor. III. 3. 496. R. D.

8 *Is est, an non est ? ipsus est*] Vide an potuerit meretricem ignotam hoc habitu atque ornatu fallere, qui ab Antiphone vix agnoscitur. *Quid hoc hominis !*] Vide an longam narrationem possit audire, qui nondum amico narrat (*cui nondum amicus narrat*, corrigit Wielingius), et jam affectus pendet. *Quid hoc hominis !*] Quod a Thaide ephebus exit. *Qui hic ornatus est ?*] Quia Eunuchi veste indutus est. D.

Aliquot e nostris, *quid hoc ornati'st ?* recte. ut supra II. 2. 6. ad quem locum vide Donatum. B.

9 *Quid illud mali est ?*] Quod timidus egreditur. D.

10 *Quid sit, sciscitari*] *Sciscitari*, est occulta magis et secretiora rimari, ac velle cognoscere. ut, *suspensi Eurypylum scitatum oracula Phœbi Mittimus*, Æn. II. 114. D.

Sciscitari] Prisc. lib. IIX. L.

Procul] Procul etiam dicitur de spatio breviore. Sic in Hec. IV. 3. 1. *procul sermonem accipere* dicitur, qui tam prope adest, ut sermonem audire possit. v. Perizon. ad Sanctii Minerv. I. 16. p. 155. R. D.

1 *Numquis hic est ? nemo est*] In hac

Jamne erumpere hoc licet mihi gaudium? pro Jupiter!
Nunc est profecto, interfici cum perpeti me possum,
Ne hoc gaudium contaminet vita ægritudine aliqua.
Sed neminemne curiosum intervenire nunc mihi, 5

scena, verba gestum vultumque indicant exeuntis: cui obvia persona objicitur, sub cujus occasione spectatoribus gesta narrabuntur. *Numquis hic est? nemo est. Numquis hinc me sequitur?*] Duo metuit, ne quis obvius comprehensor occurrat, et ne quis sui persecutor existat. *Nemo homo est*] Quamvis per *nemo*, homo intelligatur: tamen addidit *homo*, ut veteres solent, τῷ ἐρχαϊσμῷ. D.

Numquis hic est?] Hæc scena allocutionem tenet exsultantis et lætantis, quam brevi tempore amoris voluptatem compleverit. *Numquis hic est?* Ita inquirere videtur adolescens, non tanquam metuat, ne aliquis superveniat, aut ut possit evadere; quam rem *(sed aliam ob rem, quam.* seu, *quam ob rem, cons.* Z.) consequenti versu significat, quippe cum dixit: *jamne erumpere hoc licet mihi gaudium?* Sed quod sequitur, repugnat, *sed neminem hic curiosum intervenire nunc mihi, qui me sequatur; quoque eam, interroganda obtundat.* E.

Nemo homo] Abundat homo ut in Ad. II. 3. 6. Cic. ad Dic. XV. 10. *esse hominem, qui ignoret, arbitror neminem.* R. D.

2 *Jamne erumpere hoc licet mihi gaudium*] *Erumpere*, quasi activum verbum posuit, pro neutrali: ut sit, *licetne mihi erumpere hoc gaudium?* Aut *erumpere* quasi exire. *Mihi*, pro a me. *Erumpere*] Utrumne *erumpere*, pro emittere posuit? An *erumpere* pro exclamare? ut, *erumpere vocem* dicitur, qui exclamat. Nam, *pro Jupiter*, dicturus est. D.

Repono, *jamne rumpere hoc mihi licet? pro supreme Juppiter!* Nam *rumpere* legit Nonius, qui explicat, *retentum proferre, diu tacita dicere.* Sic Virgilius, *rumpere silentia, voces, questus.* Atque, *mihi licet*, habet Bemb. cod. C. C. et alter ex Meadianis. Recte. Nam ita *mihi* est in Arsi. Deinde *gaudium*, cum idem nomen paulo post occurrat, tanquam glossema est ejiciendum, et restituendum *supreme.* ut Adel. II. 1. 42. et apud Plautum aliquoties. B.

Erumpere gaudium] I. e. gaudium, quod quis diu continuit, cum impetu efferre, erumpere. Erumpere sæpe active dicitur. Cic. ad Attic. XVI. 3. *ne in me stomachum erumpat.* v. Gronov. ad Liv. XXXVI. 7. R. D.

3 *Nunc est profecto*] Ordo et sensus hic est, *nunc est profecto tempus, cum perpeti me possum interfici.* Hoc autem cur ipse dixerit, statim subjicit causam. *Cum perpeti me possum*] Animadvertendum est, quod, si *cum* conjuncte legeris, *quando* significat: si separatim, *dum* significat. *Nunc est profecto*] Figurate, ac conjuncte lege sine disjunctione. D.

Nunc est profecto] Modo est, inquit, omne tempus, *cum pati me possum necari.* Ideo scilicet, *ne gaudium meum aliqua turpitudine vita contaminet.* E.

Daceria et alii interserunt *tempus* post *profecto.* Sed haud dubie est glossema. Z.

Nunc est profecto] Scilicet tempus. Liv. VII. 32. *fuit cum hoc dici poterat.* Petron. c. 127. *nunc erat a torvo submittere cornua fronte.* v. Sanctii Minerv. IV. 4. p. 645. R. D.

4 *Contaminet vita ægritudine aliqua*] Mire vitæ crimen (lege *discrimen*) ostendit: velut ipsa sit campus, possessioque fortunæ instabilis variorum. D.

5 *Sed neminem curiosum, &c.*] Apparatus ad intentionem futuræ narrationis dicitur (in utroque cod. et edd. Venet. *dicit.* Forte, *ducitur*, aut, *ducit*). D.

Sed neminem hic curiosum] Ad ætatem adolescentiæ et animos eorum, qui in re venerea amoris sui effectum, cum tenuerunt * pertinet hoc, quod volunt indicare semper (ut oratio constet, deleatur *cum*, quod haud dubie ex præ-

Qui me sequatur: quoquo eam, rogitando obtundat, enecet:

Quid gestiam, aut quid lætus sim, quo pergam, unde emergam, ubi siem

Vestitum hunc nactus, quid mihi quæram, sanus sim, anne insaniam?

A. Adibo, atque ab eo gratiam hanc, quam video velle, inibo.

Chærea, quid est, quod sic gestis? quid sibi hic vestitus quærit? 10

cedenti syllaba ortum est: præsertim cum in neutro cod. lacunæ ullum deprehenderit vestigium Westerhovius. Z.) Nam integrum et honestum gaudium magis silentio crescit. Ut hoc apud Terentium est, *sed ut tacita mecum gaudeam*. Apud Virgilium, Æn. I. 506. *Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus*. E.

Curiosum] Hic in deteriorem partem sumitur pro eo, qui alienas res nosse curat. Plaut. in Sticho II. 1. 44. R.D.

6 *Qui me sequatur*] Id cupit gaudens, quod tristibus molestum est. Nam contra Menedemus gravatur narrare quæ dolet. *Obtundat*] Odiose instet ac repetat, molestus et odiosus sit. *Enecet*] Ἐυφωνότερον quam *enicet*. D.

Illud *quoquo eam* ex cod. Bemb. est, et Eugraphio. Nostri minus recte, *quique jam*. Cæterum verba *quoquo eam* ad præcedentia sunt referenda. Si enim ad *rogitando* refers, efficitur tautologia; quia sequitur quo pergam. E.

7 *Quid gestiam*] Deest *quærens:* ut sit, rogitando obtundat et enecet, quærens quid gestiam. *Gestire*, est motu corporis monstrare quid sentias. Constat autem, a pecudibus ad homines esse translatum. *Quid gestiam*] *Gestire* proprie est, sensum corporis gestu indicare: quod magis brutorum est animalium. Virgilius, *et studio incassum videas gestire lavandi*, Georg. I. 387. *Aut quid lætus sim*] Propter quid. *Unde emergam*] Proprie dixit *emergam*, ut ex lustris atque inhonestis locis, utpote meretricis domo. Cicero, *at ne tu quidem emersisti, lutulente Cæsoni, ex miserrimis naturæ tuæ sordibus* (in Pison. 12.) D.

8 *Vestitum hunc nactus*] Bene *nactus* dixit: ut qui non sumeret, nisi suasisset hæc occasio. D.

9 *Adibo, atque ab eo gratiam, &c.*] Sensus et ordo hic est, Adibo, atque ab eo gratiam hanc inibo. *Gratiam inire*, est dare beneficium, ac per hoc alicujus inire gratiam, id est, amicitiam. Sed hæc est elocutio, *gratiam ab eo inibo*, pro, ejus gratiam merebor. Nam *ab eo*, amat Terentius pro *ejus* ponere: ut in Andria, *hæc primum animadvertenda ab eo injuria est*, id est, ejus injuria. *Inire* autem *gratiam* est mereri gratiam. Plautus *iniet tamen solidam et grandem gratiam*, Curc. III. 85. D.

10 *Quid est, quod sic gestis?*] Facete repetit verba ejus interrogationis, ut sciat se jampridem esse præsentem. *Quidve sibi hic vestitus quærit?*] Facete et figurate dictum est. Sic et alibi, *ut pernoscatis quid sibi Eunuchus velit*. D.

Chærea, quid est] Ea omnia, quæ adolescentem velle cognoverat, interrogata sunt. et tanquam non cito respondentem, rursus: *quid me aspectas? Quid taces? O festus dies hominis!* Quid est, *festus dies hominis?* E.

Quod sibi] V. C. *Aut quid sibi*. L.

Quid est, quod lætus sis? quid tibi vis? satine sanus? quid me aspectas?
Quid taces? C. O festus dies hominis! amice, salve.
Nemo'st hominum, quem ego nunc magis cuperem videre, quam te.
A. Narra istuc, quæso, quid siet. C. Imo ego te obsecro hercle ut audias.
Nostin' hanc, quam amat frater? A. Novi, nempe, opinor, Thaidem. 15

11 *Quid est, quod lætus sis?*] Vide aliud esse *gestire*, aliud *lætum esse*. *Quid tibi vis?*] Πρὸς τὸ quid mihi velim. *Satine sanus?*] Πρὸς τὸ sanus sim, an insaniam? *Quid me aspectas? quid taces?*] His duabus interrogatiunculis descripsit vultum dicturi. D.

Lege, *lætus es*, quia præcedit *gestis*. Deinde scribe *sanu's*. B.

12 *O festus dies hominis! amice! salve*] Decet a salutatione incipere luculente dicturum. Illud (*illum* Z.) autem verisimile est, et percussum re nova, et audiendi cupidum, immemorem extitisse salutandi. *O festus dies!*] Utrum quia causa est festi ac læti diei? an quia ipse tantus sit, quantus festus dies? *O festus dies hominis!*] Pro, *homo festi diei*. Sic dicitur etiam *scelus homo*. Ennius, *O pietas animi!* D.

Lege *quid dices?* C. *O festus dies! O meus amicus! salve*. Nam vulgare *taces* efficit versum claudicantem; atque ipse Donatus videtur legisse *dices*. Deinde *festus dies hominis*, cum, quid sit, plane intelligi nequeat, *hominis* mutandum est in *O meus*. Sic *meus festus dies* occurrit Plaut. Cas. I. 1. 49. et est blandientis dictum. B.

O festus dies hominis] Ex vulgata editione nullus idoneus sensus elicitur. Bentl. conjicit *O festus dies? O meus amicus! salve*. Festus dies blandientis dictum esse planum est ex Plauto. in Asina. I. 1. 49. *sine amabo te amari meus festus dies*. Gesner. in thes. lat. v. Festus et ol. Oudendorp. putabant *O festus dies, O meus amicus* scil. dies. Poetæ diem meum diem faustum vocant. v. Gronov. in diatriba Statiana. c. 43. R. D.

13 *Quem ego magis nunc*] Bene additum *magis*; ut his amicis se antepositum intelligat: quos cum optet videre Chærea, tamen eum magis; adeo ut aliis amicis antepositum neminem cupiat. D.

Nemo'st hominum] Ms. R. *Nemo'st omnium*. L.

Versus gratia colloca, *nemo omnium'st, q. e. n. m. videre cuperem, q. t.* Certe *omnium* probatur a Donato, et septem codd. nostris, et sensu. Nam Chærea non tam *hominibus* universim suam rem cupit exponere, quam *omnibus* sc. amicis et notis. B.

14 *Imo ego te obsecro hercle ut audias*] Bonum compendium, ne multa diceret ad commendandum, ut solet, narrationem futuram. *Imo te obsecro hercle ut audias*] Bene contulit verba, ut ex his appareat, quid agere velit. Ille dixit *quæso*, hic *obsecro*. D.

Obsecro hercle ut me] Expressit morem lætantium, ut dixi, maxime eorum, qui rem veneream compleverunt. Ipsi enim magis cupiunt indicare. E.

Quid sit recte vett. edd. et cod. unus e nostris. B.

15 *Nostin' hanc, quam amat frater?*] Quæritur an verisimile sit Antiphoni notam esse Thaidem, quam frater ipse nesciverit. Sed intelligere debemus, modo notitiam non vultus, sed famæ positam esse: quam famam potuit ex Phædria et Antipho scire. At vere

C. Istam ipsam. A. Sic commemineram. C. Quædam hodie est ei dono data
Virgo: quid ego ejus tibi nunc faciem prædicem, aut laudem, Antipho:
Cum ipsum me noris, quam elegans formarum spectator siem?
In hac commotus sum. A. Ain' tu? C. Primam dices, scio, si videris.
Quid multa verba? amare cœpi. forte fortuna domi 20

aliam notitiam negaverat Chærea sibi fuisse cum Thaide, hoc est, visus, vultus, oris, et corporis. *Novi, nempe, opinor, Thaidem*] Verisimile est hæc scire Antiphonem, qui adeo sit familiaris Chæreæ. Et est ordo hic, novi, nempe opinor, Thaidem. *Opinor Thaidem*] Optime et ab illo tacitum, et ab hoc nomen ablatum (*oblatum*, recte habent cod. uterque et edd. vett.) est; ut appareat quam noverit, et quam possit assequi quæ dicentur. D.

Nostin' hanc] Hinc est narratio, cum exordium a meretrice cepit: Virginem ei missam dono, dicit: simul et laudat, et de amore confitetur: indicat etiam, quod frater meretrici dare præparasset Eunuchum: quod consilium servi, quia ipse pro Eunucho ad meretricem deductus sit. Et, ne stultum videretur, adjecit causas, quas et supra posuerat: *ut viderem*, inquit, *audirem, essem una, cum qua cupiebam*. E.

Lege, *nostine hanc*. Nam *nostin* secundum corripit. B.

16 Melior numerus efficitur, si cum codd. nostris, et edd. vett. collocas, *hodie quædam*. B.

17 *Quid ego ejus tibi*] Ordo hic esse debet, *quid ego ejus tibi nunc faciem prædicem, aut laudem, Antipho? in hac commotus sum: cum me ipsum noris, quam elegans formarum spectator siem*, ut sit sensus, *in hac commotus sum*: ille scilicet, qui, ut scis, formas solet eligere, ac fastidire pro merito. *Faciem prædicem, aut laudem*] *Prædicamus*, ut res sunt: *laudamus* extollendo. Vel *prædicamus* voce: *laudamus* argumentis. D.

Ne *quid* in Thesi latitet, ponatur, *ejus quid ego*. B.

18 *Quam elegans formarum spectator siem?*] Elegans spectator est, qui sit cunctantis et fastidiosi judicii: cui non quid placet facile. *Spectator*] Probator: ut pecuniæ *spectatores* dicuntur. D.

Omnes nostri cum edd. vett. *cum me ipsum noris*. Sed auctor scripsit *ipse*. B.

Spectator] Qui judicat, qui probat. Sic *spectare* pro probare. in Andr. I. 1. 64. R. D.

19 *In hac commotus sum*] Non est consequens: esset autem, si diceretur, *in hac commotum me scias*. Erit ergo ordo, et sensus qui supra. *Primam dices, scio*] O fiduciam elegantiæ, et de alienis oculis judicare. D.

In hac commotus sum] Poetæ latini, cum de amore loquuntur, ablativo potius utuntur quam accusat. Ovid. Art. Amator. I. 731. Metam. VII. 22. *quid in hospite regia virgo Ureris*. v. Heins. ad Virg. Æn. VII. 621. et Broukhus. ad Propert. eleg. III. 6. 28. R. D.

Primam] I. e. præcipuam, omnium pulcherrimam. Primus sæpe non ad ordinem, sed ad laudem refertur in Heaut. V. 2. 10. *suavia in præsentia quæ essent prima habere*. v. Burmann. ad Petron. c. 40. R. D.

20 *Quid multa verba? amare cœpi*] Ordine egit. Nam prius est, commo-

Erat quidam Eunuchus, quem mercatus fuerat frater Thaidi:

Neque is deductus etiam dum ad eam. submonuit me Parmeno

Ibi servus, quod ego arripui. A. Quid id est? C. Tacitus citius audies:

Ut vestem cum eo mutem, et pro illo jubeam me illoc deducier.

A. Pro Eunuchon'? C. Sic est. A. Quid ex ea re tandem ut caperes commodi? 25

C. Rogas? viderem, audirem, essem una, quacum cupiebam, Antipho.

Num parva causa, aut parva ratio'st? traditus sum mulieri.

veri, inde amare. Et bene non ante dicit, quid aggressus fuerit, nisi amoris mentione prælata: quo cogente nihil est infectum cupientibus. D.

Quid multa verba] Scilicet dicam, ut plene est III. 2. 43. R. D.

21 Ob codd. et morem Terentii collocа *mercatus frater fuerat*. B.

22 *Submonuit*] Leviter monuit; et recte, quia *arripui* dicturus est. Et totum optime: nam ut non erat boni adolescentis, hanc technam reperire: sic ab illo repertam, fuit plane veri amatoris arripere. D.

Etsi *etiam dum* in cod. Bemb. reperitur: cum tamen in re præsenti dici soleat, præferendum puto *etiam tum*, quod in re præterita dicitur. B.

23 *Tacitus, citius audies*] In oratione solemus corripere extra ordinem percontantes. Et bene celeritatem promisit, qua facile tenetur auditor. Et mire, tanquam sola interrogatio mora sit. D.

Tacitus, citius] V. C. *Tacitus sis, citus*. L.

Arripui] I. e. cupide amplexus sum. Cic. pro Murena c. 30. *hæc (stoicorum placita) Cato arripuit*. ad Attic. XVI. 15. *id non perinde atque ego putarem arripere vinus est* ubi v. Victorium. R. D.

24 *Et pro illo jubeam me illuc ducier*] *Jubeam* amico dixit, tanquam inter honesta sit, quod vile (*utile* ed. Westerh. sed cur, nescio Z.) sit. Et turpe factum plerumque perseverante impudentia relevatur. D.

Cum eo mutem] Ms. R. *cum illo mutem*. L.

Omnes codd. nostri, et edd. vett. *cum illo:* recte. Deinde pro *deducier* versus postulat *ducier*. B.

25 *Quidnam ex ea re tandem*] Transit a reprehensione facti ad causam ipsius facti. D.

A vett. edd. et novem codd. abest *ut:* ergo olim sedem habuit post *quid*. B.

26 Lege, *quicum*. Cf. Adel. IV. 7. 33. Phorm. V. 1. 32. B.

Esem una] Verecunda locutione exprimit rem obscoenam. Cic. pro Cælio c. 19. *cum hac si quis adolescens forte fuerit*. Ovid. Art. Amator. III. 664. *mecum non semel ista fuit*. v. Broukhus. ad Tibulli Eleg. IV. 7. 10. R. D.

27 *Nam parva causa, aut parva ratio est?*] Sic illata interrogatio est, quasi ad hanc annuere, et vultu consentire Antipho sit coactus. D.

Illa ilico ubi me accepit, læta vero ad se abducit domum:
Commendat virginem. A. Cui? tibine? C. Mihi. A. Satis tuto tamen.
C. Edicit, ne vir quisquam ad eam adeat: et mihi, ne abscedam, imperat:
In interiore parte ut maneam solus cum sola. annuo,
Terram intuens modeste. A. Miser! C. Ego, inquit, ad cœnam hinc eo.
Abducit secum ancillas: paucæ, quæ circum illam essent, manent,

Traditus sum mulieri] Persequitur, quemadmodum ad effectum suæ cupiditatis pervenerit. E.

Lege cum Palmerio, *prava ratio'st*. B.

Non parva, &c.] Verissime Bentleius legit *non parva causa aut prava ratio est*. R. D.

28 *Læta vero ad se abducit domum: commendat virginem*] Omnia mire, quod *læta*, quod *abducit*, quod *domum*, quod *commendat virginem*. Specta singula, et mirare (*specta singularem et miram*, uterque lib. et edd. Venet.) virtutem poetæ. Hic enim commendandus est locus, erroris initium continens apud Thaidem convicium (R. Steph. ante *convicium* lacunæ signum expressit. Fortasse leg. *et occasionem vitii*. Certe Donatus ad vers. 33. quasi jam mentione facta de occasione vitii, dicit: *quæ sub vitii hujus occasione* n. e. Nisi cum Wielingio ponas *et*, ante *apud*.) D.

Tibine?] Non interrogat, sed miratur. *Satis tuto tamen*] Quid hic facit *tamen?* Utrum hoc, etsi meretrix, tamen satis tuto agit? An, etsi Chærea, satis tuto tamen: quia nullus accedet alius? D.

Satis tuto tamen] In amicos (*inimice*, Z.) dictum. E.

30 *Edicit*] *Edicimus*, jubemus, vel jure dicimus. *Edicta* enim imperatoris sunt (ita legendum censeo: *edicimus, cum jubemus vel jura dicimus. Edicta enim prætoris sunt.*) *Et mihi ne abscedam, imperat*] Certe nullus vir accedit. D.

31 *Maneam solus*] Remaneam, perseveremque in loco, ac per hoc sim miser, utpote dono datus, et serviens meretrici. Et est εἰρωνεία. D.

In interiore parte] I. e. in gyneconitide ubi Græcorum more mulieres vivebant, v. Nepot. in præfat. R. D.

32 *Ego, inquit, ad cœnam hinc eo*] Μίμησις ad imprudentiam mulieris exprimendam, quæ hoc die erit secura de custode Eunucho. D.

Terram intuens] Pudoris hoc signum et verecundiæ. Alexandr. Trallian. lib. I. Problem. Achill. Tatius lib. IIX. καὶ ἡ Λευκίππη δὲ τὰ πολλὰ εἰς γῆν ἔβλεπεν &c. L.

Terram intuens] Terram intueri est pudoris el pudicitiæ signum. Cic. Catil. III. c. 5. *sic obstupuerant sic terram intuebantur*. v. Cort. ad Sallust. Catilin. c. 31. R. D.

33 *Abducit secum ancillas*] Memoriter: nam dixerat abiens, *vos me sequimeni. Paucæ, quæ circa illam essent*] Relictæ nonnullæ, ut lavari possit ea virgo, quæ sub vitii (*officii*, Wieling.) hujus occasione nuptura est. Hoc enim totum sic inducit poeta, ut non abhorreat a legitimis nuptiis, in ea præsertim, quæ uxor futura est. *Manent*] Pro remanent, ἀφαίρεσις. D.

Abducit secum ancillas] Quod ipsa meretrix descendit (*descenderit* Z.) ad cœnam, quod paucæ circa virginem remaneant; eædem novitiæ puellæ, ita ut et morem propter novitatem nesciant, et propter ætatem nihil valeant suspicari. E.

Novitiæ, puellæ, continuo hæc adornant, ut lavet.
Adhortor, properent, dum apparatur, virgo in conclavi sedet, 35
Suspectans tabulam quandam pictam, ubi inerat pictura hæc: Jovem
Quo pacto Danæ misisse aiunt quondam in gremium imbrem aureum.

Circum illam esse] Circum esse vel addito casu circa aliquem esse dicuntur omnes quorum quis vel consuetudine vel ministerio utitur. Liv. I. 41. *Tarquinium moribundum cum qui circum erant accepissent*, ubi v. Drakenb. R. D.

34 *Novitiæ puellæ*] Αὔξησις *novitiæ*, et *puellæ*. *Continuo hæc adornant, ut lavet*] *Hæc* pluraliter, pro *hæ*. *ut* in Phormione, *hæc ille erant itiones*. *Adornant* autem, ex medio significatu, pro apparant. D.

Hæc adornant, ut lavet] Vid. Junius Philarg. Georg. III. 305. L.

35 *Dum apparatur, virgo in conclavi sedet*] Impersonaliter dixit. Et *dum apparatur*, pro *dum apparetur*; et *sedet*, pro *sedebat*. *Virgo in conclavi sedet*] *Conclave* est separatior locus in interioribus tectis: vel quod intra eum loca multa et cubicula clausa sint adhærentia triclinio. D.

Virgo in conclavi] *Conclave* dicimus locum, quem* (excidit forte, *ostia*) multa patefaciunt. E.

36 *Suspectans tabulam quandam pictam*] Bene: accedit repente pictura ad hortamenta aggrediendæ virginis: ideo quia non ad hoc venerat Chærea, ut continuo vitiaret puellam, sed ut videret, audiret, esset que una; cum nihil amplius cogitaret, cujus incitatusque, dum picturam cernerat. *Jovem quo pacto*] Mira inventio, qua hæc pictura domui tribuitur meretricis, adversus omnium pudicitiam amorum (lege, *morum*. Vitium ortum est ex scriptura compendio, *pudicitia morum*,) contra parsimoniam, contra dignitatem, contra pudicitiam. D.

Jovem quo pacto Danæ] Hæc pictura, inquit, erat in tabula, quomodo Jupiter Danæ imbrem aureum misit, sed in gremium. E.

Suspectans tabulam] Augustin. Hipp. Epist. 202. *Revera Terentianus ille adolescens, qui spectans tabulam pictam in pariete, ubi pictura inerat de adulterio regis Deorum, libidinem, qua rapiebatur, stimulis etiam tantæ auctoritatis accendit: nullo modo in illud flagitium concupiscendo laberetur, vel perpetrando immergeretur, si Catonem maluisset imitari, quam jovem.* Idem Terentii hunc Jocum in eandem rem laudat Confession. lib. I. c. 16. et de civit. Dei. lib. II. c. 7. L.

37 *Misisse aiunt*] Bene *aiunt*: et quia fabula est, et quia tam turpis Jovi, quam apta meretrici. *Quo pacto Danæ misisse aiunt quondam in gremium imbrem aureum*] Quæ aptior pictura domui meretricis ad amatorum illecebras, quam hæc, quæ exemplum continet puellæ, et amoris puellæ, et amoris ad Jovem pertinentis: et amoris non gratuiti, nec parvi proposita *(parvo propositi*, liber uterque et edd. vett. Bene: nisi malis, *parvi pretii*, vel, *parvo pretio*,) sed auro in gremium fluente venalis. Tum quod in gremium Danæ etiam ipse Juppiter, ut splendidus imber illabitur: nonne videtur meretrix dicere adolescentulis, illam corporis partem auctore Jove velut inauratam fuisse? *Imbrem aureum*] Non rorem vel pluviam, sed *imbrem* addiderat. O avaritiam meretricis! D.

Quo pacto Danæ misisse] Ita omnes scripti ac vulgati libri: nec aliter ab Augustino adducitur hic locus, lib. VII. c. 2. de civit. Dei. Fabula nemini veterum Mythistoricorum prætermissa. Vid. Zenob. in proverb. Ἄιδος αὐτ. Georg. Cedren. p. 17. L.

Egomet quoque id spectare cœpi, et quia consimilem luserat
Jam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi,
Deum sese in hominem convertisse, atque in alienas tegulas
Venisse clanculum per impluvium, fucum factum mulieri.

38 *Egomet quoque id spectare cœpi*] Moris est ad id oculos vertere, quod videmus: et eum quem aspicimus, intueri. D.

Quia consimilem luserat] Quia, inquit, Jupiter et ipse propter amoris flammas conversus in imbrem aureum sese commutaverat ad fraudem, et *similem lusum luserat*, ut ego pro Eunucho ad virginem veneram. E.

Luserat jam olim] Nequiore significatu hic τὸ *ludere* sumitur, ut et in illo, *ede, bibe, lude, &c.* Sic Græci παίζειν: Arrian. lib. I. Alexand. ἀναβάσεως: τὸ παίζε ῥαδιουργότερον ἐγγεγράφθαι ἔφασαν τῷ Ἀσσυρίῳ ὀνόματι. L.

Luserat ludum] *Ludere*, frequens est de concubitu. Petron. c. II. *ludentem me cum fratre invenit*. v. Græv. ad Sueton. Neron. c. 29. R. D.

39 *Jam olim ille ludum*] Bene, non scelus, sed *ludum* dixit. *Impendio*] Id est, magis magisque luserat. et *luserat ludum*, ut Æn. XII. 680. *hunc oro sine me furere ante furorem*. Figura ἀρχαϊσμός. D.

Impendio magis] Amplius ex hac re, quod Jupiter fecerat, mihi gaudebat animus. E.

40 *Deum sese in hominem convertisse*] Philosophice nunc Terentius demonstravit, quam cladem moribus hominum, et civitatibus afferant figmenta poetarum, cum exempla scelerum afferant peccaturis. *Deum sese in hominem convertisse*] Utrum quia Jupiter humana forma aurum infundens pictus erat in tabulis, non (lege ex edd. vett. *an*) pro Jove aurum? An *in hominem*, id est, hominis audaciam atque flagitia? *Atque per alienas tegulas*] Hic apparet, Jovem separatim, separatim aurum fuisse pictum. *In alienas tegulas*] Satis comico charactere locutus est, et presso stilo. D.

Deum sese in hominem convertisse] Utique intelligimus Jovem venisse humana figura. Deinde *per impluvium, per alienas tegulas clanculum descendisse, fucum factum mulieri*, fraudem scilicet; sunt enim cum fraude, quæ fuco videntur infecta. E.

Atque in alienas] Ms. R. *et in alienas*. L.

Cum Jupiter in ipso cœlo fingatur alias forma esse humana, et in aurum se convertisse: pro *hominem* lege vel *aurum*, vel *metallum*, vel cum Horat. Carm. III. 16. *pretium*. Deinde pro *atque in alienas*, nostri melius, *et per alienas*. B.

In hominem] Atqui Jupiter non se in hominem convertit, sed in aurum. Bentleius igitur audaci conjectura legit: *Deum sese in pretium convertisse*. ut Horat. Carm. III. 16. *conversio in pretium Deo*. Sed Oudendorp. ad Sueton. Cæsar. c. 1. vulgatam lectionem sic defendit, ut hominem capiat pro affectum humanum. Hoc sensu Jupiter humanum ingenium sibi induit. Sic *pater* dicitur pro animo paterno, mater pro materno. v. Heins. ad Ovid. Metamorph. VI. 629. R. D.

41 *Venisse clanculum per impluvium*] Hæc omnia non ut difficilia factu, sed ut humilia, et Jove indigna proferuntur, ut merito sequatur, *ego homuncio hoc non facerem*, quod non solum non Jovi, sed ne homini quidem, nisi furi,

At quem Deum? qui templa cœli summa sonitu concutit. Ego homuncio hoc non facerem? ego illud vero ita feci, ac lubens.

aptum erat? *Fucum factum mulieri*] Id est, *ut fucum faceret*, hoc est, insidias et fraudem. *Fucum*, astutam fraudem: et *mulieri*, pro, *feminæ*. D.

Fucum factum] Sic vett. et Acro ad Horat. lib. II. Sat. 2. Placidus Lactant. tamen in Stat. legit *furtum factum*: quod pro vero nolim probare: licet nihil frequentius, quam *furtum* amoris gaudia illicita vocare. Petron. c. 100. *ergo amor furtum potius, quam præmium erit?* Statius in Achill. I. 640.—*densa noctis gavisus in umbra Tempestiva suis torpere silentia furtis.* L.

Lege, *venisse clanculum: per pluviam fucum*, &c. Nam cum impluvium sit locus intra ædes cavus, a solo ad cœlum usque patulus, ut lucem admittat, et aqua de tecto collecta illuc impluat: Jupiter si per illud decidisset, non proprior Danaæ cubiculo fuisset, quam si foris in via esset. Sed ex nostra emendatione imber aureus per tegulas in virginis cubiculum perfluxit. B.

Fucum] Fucus est color factitius, quo mulieres genas oblinentes pulchritudinem naturalem mentiuntur, hinc ad fraudem et simulationem transfertur. *Factum* in supino est faciendi causa, ut faceret. R. D.

Impluvium] Est locus subdivalis in mediis ædibus, in quem aqua de tectis confluit. v. Asconium ad Ciceronis actionem 2dam in Verrem I. c. 23. R. D.

42 *Qui templa cœli summa sonitu concutit*] Ab auctoritate personæ, ut fit in exemplis. *Sonitu concutit*] Παρῳδία de Ennio. *Templa cœli*] Sententia tragica: sed de industria, non errore. D.

Etsi hic nihil mutandum censeo, præsertim cum Lucretius VI. 386. eodem modo de Jovis potentia loquatur: tamen elegantius esset *nutu*, quam *sonitu*, quia majorem indicaret potentiam: uti Homerus finxit, Ἦ, καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων,——μέγαν δ' ἐλέλιξεν ὄλυμπον. B.

Menander in τῷ Ἥρωι apud Stob. Δέσποιν' Ἔρωτος οὐδὲν ἰσχύει πλέον. Οὐδ' αὐτὸς ὁ κρατῶν ἐν οὐρανῷ Θεῶν Ζεὺς, ἀλλ' ἐκείνῳ πάντ' ἀναγκασθεὶς ποιεῖ. W.

At quem Deum] Terentium imitatus est. Cic. ad Div. IX. 20. *at quem virum*. Est autem formula laudantis et admirantis. R. D.

Templa cœli] Poetica circumlocutione dicitur cœlum sæpe. Sic loquitur Ennius cujus parodia est hic locus ut Donatus annotat. v. Columnam ad Ennii Fragmenta p. 35. R. D.

Sonitu concutit] Bentleio magis placet *nutu concutit*. Sic Ovid. Metam. II. 849. *qui nutu concutit orbem*. Sed *sonitus* capiendum pro tonitru Propert. Eleg. II. 16. 48. *vidistin moto sonitus præcurrere cœlo* ubi v. Broukhus. R. D.

43 *Ego homuncio hoc non facerem?*] Oratorie: ut Jovem extulit, ita detraxit sibi: utputa, ille est deus, et magnus: ego non homo, sed homuncio. D.

Ego homuncio hoc non facerem?] Elegans locus Aristophan. in Nubib. 1075. Μοιχὸς γὰρ ἦν τύχῃς ἁλοὺς, τὰδὲ ἀντερεῖς πρὸς αὐτὸν, Ὡς οὐδὲν ἠδίκηκας: εἶτ' εἰς τὸν Δι' ἐπανενεγκεῖν: Κἀκεῖνος ὡς ἥττων ἔρωτός ἐστι, καὶ γυναικῶν. Καί τοι σὺ θνητὸς ὤν, Θεοῦ πῶς μεῖζον ἂν δύναιο; atque hoc est quod Dionys. Halicarn. II. 20. scribit, Deos Græcorum malis hominibus occasionem sæpe præbere turpiter nequiterque faciendi. Ejus verba prudentiæ non minus, quam elegantiæ plena hæc sunt: ὁ πολὺς καὶ ἀφιλοσόφητος ὄχλος ἐπὶ τὰ χείρω λαμβάνειν φιλεῖ τοὺς περὶ αὐτῶν [θεῶν] λόγους· καὶ πάσχειν δυοῖν θάτερον, ἢ καταφρονεῖν τῶν θεῶν, ὡς ἐν πολλῇ κακοδαιμονίᾳ κυλινδουμένων, ἢ τῶν αἰσχίστων τε καὶ παρανομωτάτων οὐδενὸς ἀπέχεσθαι, θεοῖς αὐτὰ προσκείμενα ὁρῶν. Ion. apud Euripid.——οὐκ ἔτι ἀνθρώπους κακῶς Λέγειν δίκαιον, εἶτα τῶν θεῶν κακὰ Μιμούμεθ' ἀλλὰ τοὺς διδάσκοντας τάδε. Unde Seneca de brevit. vitæ cap. XVI. *quid aliud est vitia nostra incendere, quam auctores illis inscribere deos, et dare morbo,*

Dum hæc mecum reputo, arcessitur lavatum interea virgo:
It, lavit, redit. deinde eam in lectum illæ collocarunt.
Sto exspectans, si quid mihi imperent. venit una, heus tu, inquit, Dore, 46
Cape hoc flabellum, ventulum huic sic facito, dum lavamus:
Ubi nos laverimus, si voles, lavato. accipio tristis.

exemplo divinitatis, excusatam licentiam? Videndus idem de beata vita, cap. 26. L.

Legendum censeo, *ego homuncio hoc non fecerim? ego vero illud fecerim ac lubens.* Num *feci* non modo ineptum est, quia nihil tum fecerat, sed ut versum efficit claudum. Igitur Faber legi vult, *ita faciam;* alius, *ita fecerim.* Sed *ita* recte abest a cod. Petrensi, quia non est, ad quod referatur. B.

Ego homuncio, &c.] Hic versus est verissima Bentleii emendatione sic legendus: *ego homuncio hoc non fecerim. Ego vero illud fecerim ac lubens.* Nam futurum tempus requiritur, non præteritum. R. D.

44 *Dum hæc mecum reputo, arcessitur lavatum*] Servavit ordinem nuptiarum: et proprio verbo, quasi de nuptura dixit, *arcessitur.* Ut alibi, *quam mox virginem arcessant?* Nam ipse illam est habiturus uxorem. *Dum hæc mecum reputo*] Hic ostendit, non sibi primum hæc nunc in mentem venisse, sed tunc etiam cogitata, cum esset in domo meretricis. D.

Dum hæc mecum reputo] De Jovis facto cogito. E.

Arcessitur lavatum] Priscian. lib. IX. L.

45 *It, lavit, redit*] Συντομία, qua solet, utitur. *Deinde illam in lecto illæ collocant*] Vide an aliquid deest legitimis nuptiis: nam et ipsum verbum *collocant* proprium est, et adscribitur pronubis. D.

It, lavit, redit] Apta narrationi oratio est, ubi facta multa breviter explicantur. Sicuti ipse in Phormione quædam breviter explicat. E.

It, lavit] Ms. R. *iit, lavit.* L.

Lege cum nostris codd. *iit, lavit, rediit.* B.

46 *Sto exspectans, si quid mihi imperent*] Ἐνέργεια. Non enim dixit *stabam. Exspectans*] Desiderans. Et mire omne tempus exsecutus est salva veritate, in qua Virgilius negligens invenitur: cum post occisum Mezentium, non facta noctis mentione, statim intulit, *oceanum interea surgens aurora reliquit,* Æn. XI. 1. D.

47 *Cape hoc flabellum*] Præclare non sensum, sed verba ipsa per μίμησιν induxit, per quam puellaris error exprimitur. *Cape hoc flabellum*] *et ventulum huic sic facito*] Quam particulatim, cum qua diligentia et διδακτικῶς jubet, quasi novitio et imperito? *Ventulum huic sic facito, dum lavamur*] Demonstrativum, et gestu explicandum. D.

Retime *et* ante *ventulum*, quod est in nostris codd. et edd. vett. ne bis in *lum* verba contigua exeant. Deinde recte Faernus legit *lavamur*, ob Donat. Bemb. et Victor. B.

Cape hoc flabellum] Veteres lecti, cum non pannis obducti essent, ut nostri ditiores somnum meridianum capturi, servos adstare jubebant, qui ventulum facerent refrigerandi causa et muscas culicesque abigerent. v. Casaubon. ad Sueton. August. c. 82. R. D.

48 *Ubi nos laverimus*] Vide usum verbi tam cito variatum, *dum lavamur:* et, *Ubi laverimus. Si voles, lavato*] Quasi satisfacientis est (Wieling. vult legi, *quasi satisfacientes.* Potest tamen reti-

A. Tum equidem istuc os tuum impudens videre nimium vellem: 49
Qui esset status, flabellum tenere te asinum tantum.
C. Vix elocuta'st hoc, foras simul omnes proruunt se;
Abeunt lavatum: perstrepunt; ita ut fit, domini ubi absunt.
Interea somnus virginem opprimit: ego limis specto,

neri vulgaris lectio, si pro *relinquant* substituas *relinquat*, quod est in edd. Venet.) cum solum illum relinquant cum virgine. *Accipio tristis*] Id est, tristi similis: ut Æn. II. 67. *namque ut conspectu in medio turbatus inermis Constitit. Accipio tristis*] Bene *tristis*, tanquam aliud magis vellet, hoc est, lavare, aut ludere: metuit enim ne, quod cupit, prodatur gaudio. D.

Laverimus] Activo et passivo simul usus est Terentius, ut utrumque bonis scriptoribus usitatum, sed passivum frequentius. v. Bentl. ad Horat. Serm. I. 5. 24. R. D.

49 *Os tuum impudens*] Licet jocanti et amico convicium (*officium* male edidit Westerh. Z.) jocunde facere. D.

50 *Quis esset status*] *Statura* corpori adscribitur: *status* ad habitum refertur. Ergo *status* est σχῆμα: *statura*, longitudo corporis. *Te asinum tantum*] Quia hoc ministerium delicatorum servorum est. D.

Flabellum tenere te] Vehementer, inquit, vellem te videre, tantum asinum flabellum tenentem. *Qui esset status*] Hoc est, quæ forma, qui habitus in te erat, cum flabellum tantus asinus contineres. Hic turpiter quidam legunt potius * quam tantum, ut sit asinum tantum (ope alterius Ms. restituo: TENTUM, *potius quam* TANTUM, *ut sit*, ASINUM TENTUM:) quod in scena esse dictum, ob indignitatem, Terentianæ comœdiæ minime conveniebat. E.

Nisi legas *flabellulum*, versus stare non potest. E.

Te asinum tantum] Tantus refertur ad corporis magnitudinem. Apuleii Metam. I. p. 13. v. quæ annotavimus ad Rutil. Lup. p. 94. R. D.

51 *Omnes proruunt se*] Vesto neutrali quasi activo usus est. D.

Omnes proruunt se] Se foras simul proferunt. E.

Proruunt se] I. e. celeriter se propripiunt. Verbum vero *proruere* construitur cum accusat. ut paulo ante erumpere. R. D.

52 *Ubi absunt*] *Ubi*, et temporis et loci potest esse. *Interea somnus virginem opprimit*] Utpote compressam somno, et oblectatam flabello, atque ab Eunucho nihil metuentem. *Ego limis specto*] *Limis*, si nominativus singularis est, *transversus* significat: si septimus pluralis, deest *oculis*. Nam *limis*, est transversus: unde *limen* dicitur quoque, quod ingredientibus exeuntibusque transversum est. Quum igitur dissimulant homines se videre quod vident, et non recta facie, sed transversa intuentur, *limis* dicuntur *aspicere*. *Limis specte*] Cum *limi* dicantur obliqui generaliter: hoc tamen proprie de oculis dicitur. D.

53 *Ego limis specto*] Quidam intelligunt *limis*, obliquis, quod limen cum ambulamus, itineri nostro obliquum est. Alii intelligunt *limis oculis*, paululum tortis. Alii *limis*, conjunctis ad flabellum: ut Plautus dixit, Poen. I. 2. 79. *nunquam cum ea limavi caput*, id est, conjunxi. E.

Limis specte sic] Limi oculi proprie amatorum. Quinctilian. lib. XI. cap. 3. *Quadam voluptate suffusi, aut limi, et, ut sic dicam, venerei.* Vetus poeta: *non laudo os: namque est veniloquum et fatuum. Non oculos; etenim sunt lusci oculi atque patrantes.* Adamant. lib. I.

Sic per flabellum clanculum: simul alia circumspecto,
Satin' explorata sint. video esse: pessulum ostio obdo.
A. Quid tum? C. Quid? quid tum? fatue. A. Fateor.
C. An ego occasionem 56
Mihi ostentatam, tantam, tam brevem, tam optatam, tam insperatam,
Amitterem? tum pol ego is essem vere, qui simulabar.

cap. ult. Ἐπεὶ δὲ τὰ μέσα τῶν βλεφάρων καθίλκουσι, τὰ δὲ ἐκατέρωθεν ἀνασπῶσι, καὶ ἅμα ἰλλόπτουσιν, οὓς καὶ αὐτοὺς μυσχικοὺς λέγω, οὐκ ἂν ἁμάρτῃς. Apuleius Miles. 2. de Photide. *Ad me conversa limis et morsicantibus oculis.* Hinc Varro apud Nonium in voce STRABONES: *multi enim qui limina intrarunt integris oculis, strabones sunt facti; habet quiddam ἰλινστικὸν provincialis formosulæ uxor.* Et Venus ipsa straba fingitur, in dissertatione Hadriani et Secundi Philosophi, sive Epicteti: *quære Venus straba est?* Ep. *quia pravus est amor.* L.

Contra versum et probatos libros nonnulli edunt *aspecto*, pro *specto*. B.

Limis] Scilicet oculis. Limi oculi sunt transversi, indices vel invidiæ vel cupiditatis. Ovid. Amor. III. 1. 33. *limis subrisit ocellis* Apulei. II. p. 27. *ad me conversa limis et morsicantibus oculis* ubi v. Pricæum. R. D.

54 *Sic per flabellum clanculum*] *Sic* ἐπιτατικὸν est, et necessario additum. Nam et *limis* et per *flabellum*, sine demonstratione parum intelligitur. D.

55 *Pessulum ostio obdo*] Scilicet ut amoveret, arceretque auxilium virginis. D.

Pessulum ostio obdo] Id est, obdnco. E.

56 *Quid tum fatue?*] Quid enim præter vitium superest, ubi amator est adolescens, et virgo dormiens et inclusa? Grate explicata narratio est, quam audientis curiositas finit, et cujus in extrema parte major attentio est. *Fateor*] Me fatuum, qui hoc quæsierim, subauditur. D.

Quid tum? fatue] Servius Æneid. lib. IV. ad vers. 166. L.

Natura repetitionis postulat hunc ordinem: *quid tum? C. quid tum? quid, fatue?* B.

57 *An ego occasionem mihi ostentatam, tantam, tam brevem, tam optatam, tam insperatam, amitterem?*] Vide quanta dixerit: non voluntatem, sed *occasionem:* non animadversam, sed *ostentatam:* non hanc, sed *tantam:* non angustam, sed *brevem:* non appetitam, sed *optatam:* non repentinam, sed *insperatam.* Et bene *insperatam:* aliud enim sibi promiserat, ut supra diximus, non quod pictura occasioque persuasit. D.

Cum Faerno legendum est *Mi ostentam, tantam*, &c. Nam *ostentam* versus exigit, et idem occurrit Phorm. V. 4. 7. et Servius ad Georg. I. 248. ait, ab ostendor veteres participium formasse ostentus, non ostensus. B.

Ostentatam] *Ostentare* sæpe dicitur pro ostendere et contra *ostendere* pro ostentare. v. Duker. ad Flor. II. 5. p. 521. R. D.

58 *Tum pol ego is essem*] Eunuchus scilicet. D.

Tum pol ego is] Si enim occasionem istam prætermitterem, vere Eunuchus essem, quem me esse fingebam. Postea adolescens hortatur, ut pergat propter id, quod sibi mandatum est: deinde ut vestem mutet; et hanc mutationem in domo patris metuit, vel propter fratrem, vel propter ipsum patrem. Exiit ut ad amici domum pergat; illic mutet; illic consilium capiat, rursus ad meretricem quemadmodum revertatur. E.

Cum Faerno et libro Bemb. leg. *is essem vero:* ut in Heaut. *mihi illæc vero*

A. Sane hercle ut dicis. Sed interim de symbolis quid actum'st ?
C. Paratum'st. A. Frugi es: ubi? domin'? C. Immo apud libertum Discum.
A. Perlonge st: sed tanto ocius properemus. muta vestem
C. Ubi mutem? perii; nam domo exulo nunc: metuo fratrem,
Ne intus sit: porro autem, pater ne rure redierit jam.
A. Eamus ad me: ibi proximum'st, ubi mutes. C. Recte dicis.
Eamus: et de istac simul, quo pacto porro possim
Potiri, consilium volo capere una tecum. A. Fiat.

ad rastros res redit. Tum pro *simulabar* lego *adsimulabar*. Nam et codd. nostrorum auctoritate, et usu Terentii Plautique comprobatur. B.

Occasionem amitterem] I. e. prætermitterem. Cic. pro Cæcina c. 5. v. Drak. ad Liv. VII. 34. R. D.

59 *Sane hercle ut dicis*] Deest, *ita est. Sed interim de symbolis quid actum est*] Bene memor est personæ, quam induxit poeta, per hanc interrogationem. *Sed interim de symbolis*] Παροιμιώδες, ἀλλὰ περὶ τοῦ χοιρίδιου. D.

60 *Frugi es*] Utilis et necessarius, ut fruges humano generi. *Frugi* est ergo, in quo est aliquid quo fruamur, id est, utamur. *Discum*] Nomen est proprium *Discum*. D.

Frugi et frugi esse] Dicitur qui utilis est sibi vel aliis. v. in Ad. V. 9. 2. Perizon. ad Sanctii Minerv. IV. 4. p. 559. subintelligit idoneus vel natus. R. D.

61 *Sed tanto ocius properemus*] *Properemus* dixit pro ambulemus. *Muta vestem*] Hæc οἰκονομία est ad id, quod in domum Thaidis rediturus est Chærea. D.

Bentleius verba, *sed tanto ocius properemus*, Chæreæ tribuit, cætera Antiphoni. Non male. Nam et Antiphonis querela, et Chæreæ alacritas, illam rationem confirmare videtur. Z.

62 *Ubi mutem?*] Vultu ostendit, quod subaudiatur *nescio*. *Nam domo exulo*] Deest *prope*, aut *veluti*: ut sit, prope jam exulo. *Exulo* duobus modis dicitur: et de loco in quo exul est, et de loco ex quo ejectus est. *Nunc metuo fratrem*] Causas ostendit, cur domo penitus veluti exulet. D.

Domo, quod emphasin hic habet, ne in Thesi prematur, repono, *nam éxulo domó nunc*. B.

63 *Pater ne rure redierit*] Præparatur jam interventus senis: et est ζεῦγμα ad superiora. Nam et hic *metuo* est subaudiendum. D.

Cum antea dixerit *fratrem*, hic legendum esse arbitror, *porro autem patrem, ne*, &c. B.

64 *Ibi proximum est*] Hoc est, domus mea. *Recte dicis. eamus*] Ipsa verba quodammodo festinationem sonant. D.

65 *Quo pacto porro*] *Porro*, postea, deinceps. D.

ACT. IV. SCENA I.

DORIAS.

ITA me Di bene ament, quantum ego illum vidi, nonnihil timeo misera,
Ne quam ille hodie insanus turbam faciat, aut vim Thaidi.
Nam postquam iste advenit Chremes adolescens, frater virginis,
Militem rogat, ut illum admitti jubeat. ille continuo irasci:
Neque negare audere. Thais porro instare, ut hominem invitet. 5

1 *Ita me Di bene ament*] Ea persona quæsita est, quæ terribilem credat militem: et eo magis (*ut eo magis*, Ms. H.) in experiendo vanus ac ridiculus esse possit. *Ita me Di bene ament*] Hoc loco quid post scenam gestum sit, hoc est, in convivio militis, ancilla demonstrat: ut jam quæ in proscenio agantur, ex his possimus agnoscere. D.

Ita me Di ament] Hæc scena alloeutionem ancillæ tenet, quæ conjecturali statu argumenta colligit, militem cum meretrice litem parare. Ita prior propositio est, quod timere se dicit, ne ipse insanus hodie turbas faciat cum Thaide. Deinde incipit narratio: *nam postquam iste advenit Chremes adolescens, frater virginis.* Deinde in narratione argumenta præjaciuntur, quæ veniant ad quæstionem; ideo adjecit, *continuo irasci.* Deinde expurgat Thaidem: *id faciebat*, inquit, *retinendi illius causa, quia illa, quæ cupiebat, de sorore ejus indicare, ad eam rem tempus non erat.* Concludit quæstionem: *miles vero putare sibi adductum ante oculos æmulum.* Et quoniam in conjectura facta vel dicta sunt, ex quibus suspicio colligitur, facta sic ponit: *voluit facere contra huic ægre.* Deinde dicit; *heus*, inquit, *puer, Pamphilam arcesse, ut delectet hic nos.* Memor est miles præceptorum parasiti, cum dixisset, *Purgon' me de isthac Thaidi, quod eam me amare suspicatur?* respondet militi: *imo auge magis suspicionem; si laudabit hæc illius formam, tu hujus contra.* Concluditur: quod negat meretrix, ipse perseverat. *Inde ad jurgium*, inquit, hoc est, ad litem. E.

Particulam, *bene*, ejiciendam puto, quia a tribus nostris codd. abest et edd. vett. itemque a Bemb. et plerisque Faerni libris Terentii et Donati. B.

2 *Ne quam ille hodie insanus*] *Illum*, et *ille insanus*, sic effertur, ut omnibus (*omnino* Z.) insuavis miles esse noscatur. D.

3 *Nam postquam iste advenit*] Instanter (i. e. pluribus verbis. Nisi malis legere, *incidenter*) admonet, qui scilicet sit Chremes. D.

Nomen, *Chrémes*, exulet, quod a codd. quibusdam abest, et sententia non requirit. Tum pro *advenit* versus postulat *advenerat*. B.

4 *Militem rogat*] Et hoc quasi de odioso (*et hic quoque satis odiose* Z.) *Militem* dixit, non *Thrasonem. Continuo irasci*] Ut rivali. D.

5 *Neque negare audere*] Ut amicæ poscenti. *Instare, ut hominem invitet*] Vide impudentiam meretricis. Primum petit ut jubeat eum admitti: postea ut invitet, quod est majus. D.

Id faciebat retinendi illius causa: quia illa, quæ cupiebat
De sorore ejus indicare, ad eam rem tempus non erat.
Invitat tristis: mansit. ibi illa cum illo sermonem occipit:
Miles vero sibi putare adductum ante oculos æmulum,
Voluit facere contra huic ægre. heus, inquit, puer, Pamphilam
Arcesse, ut delectet hic nos. illa exclamat, minime gentium:

6 *Id faciebat retinendi illius causa*] Admonet spectatorem, ne existimet alteri rivali injuriam fieri Phædriæ. Et simul est hic (Ms. Bœnd. et ed. Du B. *Et simul est hic relictus locus*) προπαρασκευὴ virginis agnoscendæ. D.

8 *Invitat tristis*] *Tristis*, invitus, non libentur. Ut e contrario Virg. Æn. V. 236. *Vobis lætus ego hunc candentem in littore taurum constituam ante aras, voti reus.* Et, *accipio tristis*, eodem modo. *Mansit ibi*] Adolescens scilicet. Et *Mansit*, pro remoratus est, id est accubuit; nec recessit, *mansit* significat. Simile est, *mansit*, passus est. Sic *Chremes mansit*, immoratus est, conviva necessitate discessit, accipiendus est (forte leg. *simul et* MANSIT, *passus est se retineri.* MANSIT, *i. e. moratus est, nec statim discessit conviva accipiendus.* Sed Wieling. conjicit, *immoratus est convivio, nec statim discessit.* Sed Ms. H. et edd. Venet. omittunt). *Sermonem occipit*] *Sermonem*, colloquium dicit. D.

Sermonem occipit] V. C. *incipit.* L.

Omnes libri nostri et Faerni habent *incipit*, præter Bembinum, Donatum, editt. vett. et codicem unum e nostris, ubi est *occipit.* Utrumque probe, nec hilum interest. At pro *invitat tristis*, leg. *invitatu'st*, non modo versus, sed et sententiæ gratia. Nam durum est in *invitat* intelligere *Thraso*, et in *mansit* statim *Chremes.* B.

9 *Adductum æmulum*] Plus dixit *adductum*, quam *admissum*: et simul quia videbat furibundum Chremem, et (edd. Venet. recte omittunt *et*) totum crimen revocat ad Thaidem. Et hæc est causa, cur a milite in ejus domo nullam rixam patiatur Chremes. D.

Putare muta in *putans*, quia sequitur *voluit*, nisi malis, quod non est opus, corrigere *voluisse.* B.

10 *Huic ægre*] Huic Thaidi, non adducto. *Heus, inquit, puer*] Hic ostenditur, quod supra apparatum est. *Pamphilam arcesse*] Non provoca, sed *arcesse*: quia non est aptum militi (lege, *quia non est apud militem.* Forte scriptum erat: *quia non est aput mil.*) D.

Versus gratia Bentleius legi vult, *heus, inquit, puer, i, Pamphilam.* Non male. Nam *i* imitatur Gr. ἴθι cum seq. imperativo; ut Plat. Phæd. 65. ἀλλ' ἴθι, πείθου. et alibi. Z.

11 *Ut delectet hic nos*] Quasi dicat, quod hæc non facit. Sed *delectare* fidicinæ est. quia supra de illa dixerat, *et fidibus scire.* Et bene *hic*, quasi insuaviter nunc tractemur. *Illa exclamat*] Non respondet inquit; sed exclamat. *Minime gentium*] Hoc magis mirum, *minime gentium*, quam *nusquam gentium.* D.

Hic versus syllabam ultimam sequenti versui commodat a vocali incipienti; ut illi apud Virgilium versus, *decoquit humorem; vivaque sulphura: arbutus horrida.* B.

Minime gentium] Abundat *gentium* ut in *nusquam gentium.* in Ad. IV. 2. 1. R. D.

In convivium illam? miles tendere inde ad jurgium.
Interea aurum sibi clam mulier demit: dat mihi ut auferam.
Hoc est signi, ubi primum poterit, se illinc subducet, scio.

ACT. IV. SCENA II.

PHÆDRIA.

DUM rus eo, cœpi egomet mecum inter vias,

12 *In convivium illam?*] (Forte Donatus legit *tun' in convivium illam?* quæ lectio in libris Ter. quibusdam est: adeo ut ad *tun'* pertineat sequens Z.) ἐμφατικῶς. ut Virg. Ecl. III. 25. *cantando tu illum? Illam?*] Deest, arcessas: et est figura ἀποσιώπησις. *Miles tendere*] Proprie dixit *tendere*, quod significat pertinacem contentionem. Virgilius, *vasto certamine tendunt* Æn. XII. 553. *inde ad jurgium*] Subauditur, *ventum est.* D.

In convivium illam?] Apud Græcos enim mulier honesta in convivium non adhibebatur, nisi propinquorum. Corn. in Præf. Hinc Philodamus apud Cic. Verr. I. 26. negavit, moris esse Græcorum, ut in convivio virorum accumberent mulieres, sc. honestæ. Z.

In convivium illam] Apud Græcos tibicines et meretrices conviviis adhiberi solebant, non mulieres honestiores v. Nep. in præfatione. R. D.

Tendere I. e. instare, pertinaciter contendere. Liv. XXIII. 14. *si propalam tenderent* ubi v. Gronov. R. D.

13 *Interea aurum sibi clam mulier demit*] Ne aurum pro virgine, quod (*quam* legendum putat Wieling. Sed forte leg. *ne aurum per jurgium, quod renuebat, amitteret*) retinebat, amitteret: vel *aurum* demit, ut esset ad fugam expeditior, vel ad rixam. Et opportune *mulierem* dixit, non *Thaidem;* ut ostenderet malitiam sexus (Scholion de muliere Donato indignum Z.) D.

Aurum] I. e. aurea capitis ornamenta. R. D.

14 *Hoc est signi, ubi primum poterit*] Ad quam rem *signi?* Utrum hoc est signi, *quamobrem metuam, ne quam ille hodie insanus turbam faciat, aut vim Thaidi?* an hoc est signi, *unde scio quod ubi primum potetit, se illinc subducet?* Erit igitur subaudiendum sic, *unde* et *quod:* ut sit, unde scio, quod ubi primum poterit. D.

Daceria duabus de causis opinatur Thaidem sibi aurum demsisse; primum ne forte miles auferret: deinde quod meretricibus in publicum auro ornatis prodire non licitum fuerit. Z.

Subducet] *Subducere se* est clam et furtim decedere. infra IV. 7. 25. *cum eo clam te subduxti mihi* Nep. in Alcib. c. 4. *clam se custodibus subduxit.* R. D.

1 *Dum rus eo, cœpi egomet*] Hic nunc causa narratur, cur statim in urbem redeat Phædria, qui discesserat abfuturus biduum, ad tollendum jurgium militis, et (*sed* est in utroque cod. et edd. Venet.) importune redit. *Dum rus eo*] Jam tempus est revocandi in scenam Phædriam, postquam acta sunt omnia, quæ illius absentiam desiderabant. *Cœpi egomet mecum*] Ordo, cœpi aliam rem ex alia re cogitare. *Inter vias*] Figurate et nove *inter vias.* D.

Dum rus eo] Hæc scena quæstionem habet adolescentis, quod nimio amore multa officia non integra mente compleverit. E.

Ita ut fit, ubi quid in animo est molestiæ,
Aliam rem ex alia cogitare, et ea omnia in
Pejorem partem. quid opus est verbis? dum hæc puto,
Præterii imprudens villam. longe jam abieram,
Cum sensi. redeo rursum, male vero me habens.
Ubi ad ipsum veni diverticulum, constiti.
Occepi mecum cogitare: Hem! biduum hic
Manendum'st soli sine illa? quid tum postea?
Nihil est? quid? nihil? si non tangendi copia est,

Dum rus eo] Servius ad VII. Virgil. vers. 30. L.

Inter vias] H. e. in via, dum eo. *Inter* sæpe denotat temporis durationem, per quam interim aliquid simul sit. Sic *inter tumultum, inter cœnam, inter pocula.* Sueton in Domit. c. 4. *inter spectacula muneris.* v. Gronov. observat. IV. 20. et Duker. ad Flor. III. 21. p. 690. R. D.

3 *Et ea omnia in pejorem partem*] Utrum subaudiatur, *cogitare*? an, *ibant*, aut *vergebant*, aut quid tale? *Dum hæc puto*] Id est, existimo. ut Virgilius, *multa putans, sortemque animo miseratus iniquam* Æn. VI. 332. Et est ἀφαίρεσις pro *reputo*. *Putamus* enim instantia: *reputamus* præterita. D.

Magis ex Terentii est consuetudine, si sic refingis: *et ea omnia pejorem in partem.* B.

4 *Dum hæc puto*] Ms. R. *reputo.* L. *Puto*] H. e. considero, cogito. Plaut. in Casina III. 2. 25. *cum eam mecum rationem puto.* Virgil. Æn. VI. 332. *multa putans.* ubi v. Serv. in Ad. V. 3. 10. *rem ipsam putemus.* R. D.

6 Melius ex regiis unus, *male me vero habens.* B.

Male me habens] I. e. molestia affectus. v. not. ad Andr. II. 6. 5. R. D.

7 *Ubi ad ipsum veni diverticulum*] *Diverticulum* est, ubi iter de via flectitur. Et proprie *diverticula* dicuntur in via domicilia, ad quæ de itinere divertendum sit. *Constiti*] Plus est nunc scientem stetisse, quam præteriisse nescientem. D.

Ad ipsum veni diverticulum] Ad ipsum locum, ex quo diverti ad villam deberet. E.

Ad ipsum veni diverticulum] Glossarium. vet. καταγωγεῖον, *diversorium, diverticulum.* L.

Tres vett. libri Faerni recte habent *deverticulum.* Tum versus fit suavior, si cum cod. regio legimus *venio*, ut prius *redeo.* B.

Divorticulum] Est ubi iter de via flectitur. *Deverticulum* est in via domicilium ad quod de itinere devertendum est. *Divertit* qui a via regia discedens semitam inde in diversa tendentem incedit; *devertit*, qui de via deflectens hospitium subit. Sic horum verborum differentiam constituit Drak. ad Liv. XLV. 42. R. D.

8 *Hem! biduum hic manendum est*] *Hem* interjectio laborantis animi. *Biduum* sic pronuncia, ut longum nimiumque tempus. Tum deinde *hic*, tanquam in loco solo atque tristi. D.

9 *Soli sine illa?* Aut sine alio oblectamento? *Sine illa?*] Satis amatorie. *Sine illa?*] Jam causa est, cum (*cur* est apud Westerh. Z.) biduum gravetur loco tristi, cur solatium conquirendum. Sunt autem qui idem putent soli esse, et *sine illa*: ut *sine illa* ἔξηγησις ejus sit, quod dixerat, *soli.* D.

10 *Nihil est: quid? nihil?*] Amantium disputationes intermiscent quædam consilia sanæ mentis, quæ tamen statim resurgentis amoris sævitia devincantur. D.

Eho, ne videndi quidem erit? si illud non licet,
Saltem hoc licebit: certe extrema linea
Amare haud nihil est. villam prætereo sciens.
Sed quid hoc, quod timida subito egreditur Pythias?

ACT. IV. SCENA III.

PYTHIAS. PHÆDRIA. DORIAS.

UBI ego illum scelerosum, misera, atque impium inveniam? aut ubi quæram?

11 *Eho, ne videndi quidem erit?*] *Eho,* ridicule additum: tanquam omnino non secum loquatur, sed cum altero. *Si illud non licet, saltem hoc licebit*] Bene bis dictum *licet, licebit*: quasi de re magna loquatur. Totum ergo amatorie. D.

12 *Certe extremea linea*] Et hoc recte: quia quinque lineæ perfectæ sunt ad amorem: prima, visus; secunda, loqui; tertia, tactus; quarta, osculari; quinta, coitus. An sic dixit *extrema linea*, quemadmodum dicitur *longis lineis quid fieri?* id est, de longinquo. D.

Extrema linea] Quinque lineæ esse dicuntur amoris: videre, accedere, colloqui, osculari, concumbere. Veluti enim postremam diximus rem atque usum, prior fit postrema illa, quam nos collocavimus: videre scilicet. Ergo ita concludit: *si non tangendi est copia, nec videndi quippe erit?* E.

Extrema linea] Charis. lib. II. L.

Extrema linea amare esse solo puellæ, quam amas, aspectu frui, cum ex hoc loco patet, tum ex Lutatio ad Stat. Theb. III. 283. ubi est: *puellam extrema amoris linea diligens, satis animo solo faciebat aspectu.* Unde vero hæc metaphora sit ducta, non satis convenit. Forte ad popularem rationem propius accedunt, qui de linea alba circo, seu calce, originem ducunt. Z.

Extrema linea amare] I. e. e longinquo amare, non adire amicam aut tangere. Donat. observat veteres dixisse *longis lineis quid fieri* quod fit e longinquo. Valer. Maxim. I. 7. 8. Metaphora ducta a lineis stadii, in quibus cursores insistebant ut ex æquo percurrerent. Sed alii aliunde metaphoram repetunt v. Salmas. in exercitat. Plinian. p. 648. et Heins. ad Ovid. Amor. Eleg. III. 2. 19. R. D.

13 *Amare, haud nihil est*] *Amare* modo frui amore dicit. Plautus in Bacchidibus, *prius hic adero, quam te amare desinam* 1. 2. 67. Et, *sine te amem. Villam prætereo sciens*] Sciens quidem, sed non minus amator, quam prius. D.

14 *Sed quid hoc, quod timida subito egreditur Pythias?*] Ex his verbis persona in scenam veniens, et locutura describitur. Et, *timida*, modo ægra, turbata, commota. Plautus, *manum ex mari, timide.* Et hic ipse, *uxorem*, inquit, *Philumenam pavitare, nescio quid, dixerunt.* Timidum aliud naturale, aliud eventu est: ut Virg. Ecl. VI. 20. *addit se sociam, timidisque supervenit Ægle.* D.

1 *Ubi ego illum*] In hac scena operæ pretium delectationis est (*delectatio est, quæ oritur* Z.) spectatoribus ex querela ancillæ Thaidis, atque errore Phædriæ. *Ubi ego illum*] Hoc initio ostenditur, tanquam persequentem fugientem, progressam esse personam. *Scelerosum*] *Scelerosus* est multorum: *scelestus* vel unius. *Scelerosus* proprie auc-

Hoccine tam audax facinus facere esse ausum? PH. Perii! hoc quid sit vereor.
PY. Quin etiam insuper scelus, postquam ludificatus est virginem,
Vestem omnem misere discidit: tum ipsam capillo conscidit.
PH. Hem! PY. Qui nunc si detur mihi; 5

tor est sceleris: *sceleratus*, in quo scelus sit constitutum vel commissum. *Scelerosum atque impium*] *Scelerosum* in Thaidem, *impium* in virginem. D.

Ubi ego illum] Hæc scena controversiam tenet talem: munera meretrici amator misit, in his Eunuchum: qui commendatam virginem scissa veste laniavit, et fugit. Reus est injuriarum, qui dona misit. Hic primo qualitas: deinde conjectura, an hoc animo miserit, ut injuriam faceret. Rursus alia conjectura, an Eunuchus vitiaverit virginem, vel vitiare potuerit. Hæc per versus suos plenius explicabimus. Primo propositio fit summæ, per conquestionem: *hoccine*, inquit, *tam audax facinus facere esse ausum?* Deinde quasi testimonii genus adjicit: *quin etiam insuper scelus, postquam ludificatus est virginem, vestem omnem miserœ discidit*. E.

Hic et subsequens versus trochaicus est, tetrameter acatalecticus. B.

Scelerosus] *Scelerosus* plus est, quum sceleratus. Nam Gellius IV. 9. observat adjectiva in *osus* exeuntia excessum quendam denotare. Voce *scelerosus* utitur etiam Lucret. I. 84. ubi v. Lambin. De aliis hujus formæ adjectivis v. Cortium ad Sallust. p. 66. R. D.

2 *Audax facinus facere*] *Facinus facere*, figura ἀχαϊσμός. *Hoc quid sit vereor*] Pro duobus unum dixit, scilicet *vereor*, pro, et nescio et vereor. D.

Perii cum libris fere omnibus et edd. vett. Pythiœ tribuendum est. Vid. And. III. 5. 1. B.

3 *Quinetiam insuper*] Accusatio facti. *Scelus*] Αὔξησις. Plus enim est *scelus*, quam *scelestus*. Ut Lucilius, *carcer, vix carcere dignus*. *Postquam ludificatus est virginem*] Argumentum ab his quæ sunt post negotium (*proscenium* Z.) gesta. Et mire, *postquam ludificatus est, discidit* dixit: cum ille videlicet, dum virgo reluctatur, hoc fecerit. Et mire expressit vitium illatum virgini ab eo quidem, qui vitiare jam posset: sed tamen ejusmodi adolescentulo, cujus propter teneras adhuc vires ad explendam venerem, longiore noxa (lege, vel *mora*, vel *rixa*, vel *lucta*) adversus virginem utendum fuit. Nam ideo præter occasionem familiæ discedentis, tempus, locus, et cætera attributa negotio, etiam somnus virginem opprimens, adjuvat Chæream. Et mire *ludificatus* potius, quam, complexus est, aut tale aliquid, quod amorem indicaret. D.

Ludificatus est] Per ludum et jocum irrisit. E.

Ludificatus est virginem] Priscian. lib. VIII. L.

Ludificatus] I. e. corrupit, vitiavit, pro quo in Hec. I. 2. 74. *ludibrio habere*, apud Tacit. Annal. VII. 2. v. Heins. ad Sil. Italic. VIII. 642. R. D.

4 *Vestem omnem misere discidit*] Adeo ut non amore fecerit, sed injuria. Et vide, ut ex his appareat, multum virginem reluctatam esse. *Tum ipsam capillo conscidit*] Multo melius, quam si diceret, *capillum illi conscidit*. D.

Bentleius edidit, *miserœ*; quod minus placet: quia *ipsa* in membro sequente opponitur *vesti omni*. Vid. cl. Ernesti ad Il. á, 4. ubi disputatur de vi pronominis ἀυτός. Z.

Conscidit] Pro illius capillum conscidit. Rara et insolens constructio. Gronov. observ. IV. 13. comparat illud Justin. I. 10. *lacerari toto corpore*. R. D.

5 *Si detur mihi*] Ita sæpe loquuntur irati in Ad. III. 2. 13. *nihil est quod*

Ut ego unguibus facile illi in oculos involem venefico!
Ph. Nescio quid profecto absente nobis turbatum'st domi.
Adibo. Quid istuc? quid festinas? aut quem quæris, Pythias?
Py. Ehem, Phædria, ego quem quæram? i hinc, quo dignus, cum donis tuis
Tam lepidis. Ph. Quid istuc est rei? 10
Py. Rogas me? Eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit!

malim, quam totam familiam dari mihi obviam. R. D.

6 *Uti ego unguibus facile illi in oculos involem*] Nonne credis Pythiam id comminari, quod a virgine minus factum sit? quod, quia puella, non potuit. *Unguibus*] Quibus armatur hic sexus. *In oculos*] Quasi amatori. *Venefico*] Mutanti homines (Bœclerus recte acumen hoc grammaticale ineptias vocat. Melius Eugraphius,) et ex virginibus mulieres facienti. An *venefico* amatori? quia amor venenum occultum est. ut Virg. Æn. I. 688. *occultum inspires ignem, fallasque veneno.* Et Æn. I. 749. *longumque bibebat amorem.* D.

Ut ego unguibus facile] In ejus oculos unguibus meis involem. *Venefico*] Scelerato, malo. E.

In oculos involem] I. e. cum vi irruam. infra V. 2. 20. *quin involem in capillum.* Ovid. Metam. XII. 560. *involat et digitos in perfida lumina condit,* ubi v. Heins. R. D.

7 *Absente nobis turbatum est domi*] Aut subdistinguendum est, et subaudiendum *me*; aut ἀρχαϊσμὸς figura est, *absente nobis,* pro nobis absentibus, Pomponius, *sine ergo istuc, præsente amicis inter cœnam.* Varro in Marcellum, *id præsente legatis omnibus, exercitu, pronunciat. Absente nobis*] Cum sic dicit, pro præpositione ponit *absente*: ac si diceret, coram (*clam*: nisi malis hoc scholium referre ad locum Pomponii Z.) amicis. D.

Profecto absente nobis] Me absente. E.

Absente nobis] Pro absente me. Sic veteres aliquando loquebantur ad sensum magis, quam ad verba attendentes. Catull. Carm. CVIII. 5. *insperanti nobis* Tibull. Eleg. III. 7. 24. 55. *nec merito nobis inimica merenti,* ubi v. Broukhus. R. D.

8 *Quid festinas?*] Properas, turbaris, et trepidas? Sallustius, *festinantibus in summa inopia patribus.* D.

9 *Egon' quem quæram?*] Deest *rogas.* D.

Ehem, Phædria] Hinc incipit accusatio. Deinde narratio: *cum donis tuis.* Simul propositio: *Eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit! virginem, quam heræ miles dono dederat vitiavit.* E.

Alii libri habent, *abi hinc* alii, *ii hinc.* Sed Bembinus et Vatic. *in hinc*; h. e. *isne hinc?* Recte. B.

10 Alii perperam, *inlepidis.* B.

11 *Eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit*] Aut ἀντίπτωσις, ut Æn. I. 573. *urbem quam statuo, vestra est*; aut *quem* cum interrogatione pronunciandum, ut sit, *qualem. Eunuchum quem dedisti*] Quidam volunt *quem* distinguere, quasi dicat *qualem*: sed nesciunt, hac figura multum veteres usos esse. *Eunuchum* enim ad *dedisti* verbum retulit. Nunc ergo addit propter aliud ἀξίωμα assumendum extrinsecus, is Eunuchus. Nam quoties uno nomine, aut pronomine diversæ declinationis enunciationes comprehenduntur, necesse est, quod alteri accommodatum fuerit, ab altero discrepare. *Quem de-*

Virginem, quam hesce dono dederat miles, vitiavit. PH. **Quid ais?**

PY. Perii! PH. Temulenta es. PY. Utinam sic sint, qui mihi male volunt!

D. Au obsecro, mea Pythias, quid istuc nam monstri fuit?

PH. Insanis: qui istuc facere Eunuchus potuit? PY. Ego illum nescio 15

disti, quas turbas] Et *quem* et *quas* sic accipe, quasi dixerit, *qualem* Eunuchum, et *quales* turbas. D.

Quas turbas dedit] Id est, quantas seditiones fecit! Deinde negatio: *Temulenta es*, inquit, quæ stulto * obices (locus, quem Westerh. ut desperatum deseruit, sanandus sic: *atque statim objectiones* Z.) adjungit. E.

Cod. Petrensis *rogasne?* Repone *rógan?* ut cum duobus seqq. Trochaicus sit, et acrior fiat increpatio, celeritate ipsa. B.

12 *Quid ais*] Hoc admirantis est magis, quam interrogantis. D.

Etsi in Bemb. et Basil. est *dono dederat;* tamen sonus ipse commendat ordinem, *dederat dono.* B.

13 *Temulenta es*] Ebria, a *temeto*, quo nomine antiqui grave vinum appellabant, eo quod tentaret mentem, id est, labefactaret Virg. — *tenuisque Lageos Tentatura pedes olim, vincturaque linguam*, Ge. II. 93. *Utinam sic sint qui mihi male volunt*] Bene. non ebriam esse, in maledictum vertit: quasi vero temulentam esse, felicitatis sit. An (ac Z.) non negat se esse ebriam, sed non vino, verum malo ebriam vult intelligi? (edd. Venet. *bene se non ebriam esse in maledictum verbum probat: quasi vero temulenta esse infelicitatis sit procul dubio: quia non negat, se esse ebriam: sed non vino, verum malo ebriam vult intelligi.* Wielingius conjicit, *bene. Nam ebriam e. i. m. v. q. v. non temulentam esse, s. s.*) D.

Orde melior hic: *mihi qui male volunt.* B.

Utinam sic sint qui mihi male volent] Sic veteres, quæ a se remota vellent, hostibus imprecari solebant in Heaut. V. 3. 13. Plaut. in Asinar. V. 2. 13. v. Lambin ad Horat. Carm. III. 27. 21. *male velle alicui* est aliquem odisse, *bene velle alicui* favere in Heaut. V. 2. 6. *tibi bene ex animo volo.* v. Burmann. ad Petron. c. 38. R. D.

14 *Mea Pythias*] *Mea*, et *mea tu*, et *amabo*, et alia hujusmodi, mulieribus apta sunt blandimenta. *Quid istucnam monstri fuit?*] Quippe *monstrum* est omne contra naturam. Si igitur Eunuchus est, et vitiavit virginem, contra rerum naturam factum est, et recte monstrum est. Et ordo est, quid istucnam monstri fuit? (*quidnam istuc monstri fuit.* edd. Ven. recte.) D.

Bembinus, Basilio. et duo ex nostris vett. recte, *quod istuc nam monstrum fuit?* ceteri, *quid monstri.* B.

15 *Qui istuc facere Eunuchus potuit?*] *Istuc facere*, honestius apud puellam, quam si *vitiare* dixisset: et potest videri aliquid nutu significare. *Ego illum nescio qui fuerit*] Σύλληψις. Bene vitavit Eunuchi nomen, ut vitiasse virginem, obtinere possit. D.

Insanis; qui istuc facere potuit Eunuchus?] Hic jam quæstiones sunt et argumentum a defensore, an verisimile sit Eunuchum adulterium facere potuisse. Sumsit argumentum ergo a persona; sed contra argumentum personæ accusatur: *ego illum nescio qui fuit; hoc, quod fecit, res ipsa indicat.* Deinde supponit de summo ad imum: *virgo ipsa lacrumat, neque, num rogites quid*

Quid fuerit: hoc, quod fecit, res ipsa indicat.
Virgo ipsa lacrumat; neque, cum rogites, quid sit, audet dicere.
Ille autem bonus vir nusquam apparet: etiam hoc misera suspicor,
Aliquid domo abeuntem abstulisse. PH. Nequeo mirari satis,
Quo ille abire ignavos possit longius; nisi si domum
Forte ad nos rediit. PY. Vise amabo, num sit. PH. Jam faxo scies.
D. Perii! obsecro, tam infandum facinus, mea tu, ne audivi quidem.
PY. At pol ego amatores mulierum esse audieram eos maximos:

sit, audet dicere. Deinde a testimonio: *ille autem bonus vir nusquam apparet.* E.

Vulgo in versu seq. *qui fuerit.* Ego ut versus sit dimeter iambicus, repono *ego illum nescio: hoc quod fecit, res ipsa indicat.* B.

17 *Virgo ipsa lacrumat*] Nunc ostendit quid fecerit, et ostendit argumentis. *Neque, cum rogites, quid sit, audet dicere*] Quid? si verberata esset? sed non puderet queri. Hæc autem injuria apud virginem non habet nomen. D.

18 *Bonus vir*] Εἰρωνικῶς. Non enim jam Eunuchus. *Bonus vir*] Bene *vir*: quia hoc illum esse contendit. *Nusquam apparet*] Nescias utrum fuga ejus queratur an culpa (lege c. Wieling. *n. u. fugam e. q. a. culpam.*) Sed constat, hæc argumenta esse, quod ipse virginem vitiaverit. *Etiam hoc misera suspicor*] Bene *etiam*: quia et hoc suspicatur, virginem vitiatam. D.

19 *Neque mirari satis*] Bene hic omnes suspiciones ad Eunuchum, quem novit, revocat: nescit Chæream siquidem (*sic quidem.* Z.) hunc esse. Et mira locutio, pro eo quod est, *nescio.* D.

20 Lege versus causa, *quo hinc ille abire.* B.

21 *Vise, amabo, num sit*] *Domi* subaudiendum est; aut, *num sit quod dicis.* D.

Vise amabo] Interponitur comica dictione. *Num*] *Ne* hic significat. E.

Redierit, quod quidam habent, corrumpit versum. B.

22 *Tam infandum facinus*] Hoc est, tam infandum facinus non solum gestum non vidi, sed ne audivi quidem. E.

Ne audivi quidem] V. C. *audisti.* L.

Mea tu] *Mea* et *tu* solum sunt formulæ blandiendi in Ad. III. 1. 2 *modo dolores, mea tu, occipiunt primulum.* R. D.

23 *At pol ego amatores*] Hic non credunt virginem esse vitiatam; sed Eunuchum incitatum ad vitiandam virginem, ut ei vellet facere, quod non posset implere. Ideo ait, *Eunuchos audieram maximos esse amatores, tametsi nihil possent.* E.

Amatores mulierum esse] Inde Hieronym. ad Demetriad. de Eunuchis, *truncatorum corporum violentam pudicitiam*, dixit. Et Pet. Chrysolog. Serm. LVI. *invitam castitatem.* Bene autem hanc salacitatem Eunuchorum describit Arnob. advers. gent. lib. V. *quasi vero affecti corporalibus his damnis fiant*

Sed nihil potesse. verum miserae non in mentem venerat:
Nam illum aliquo conclusissem, neque illi commisissem virginem.

languidioris audaciæ, et non quotidie videamus eos, qui sibi demessuerint has partes, majoris petulantiæ fieri, atque omnibus postpositis pudoris et verecundiæ frenis, in obscœnam prorumpere vilitatem flagitiorum confessione vulgata. L.

Hic ordo, qui et in Bemb. est, habet duo vitia; quod *mulierum* secundam acuit, quod *audiéram* tertiam. Repone ex edd. vett. et nostris codd. omnibus, *at pol ego amatores audieram mulierum esse eos m.* B.

24 *Sed nihil posse*] Ut voluntatis rei sint, non etiam facti. *Verum miseræ non in mentem venerat*] Non, *nihil posse eos*, sed, *amatores esse maximos*. Ad partem enim sententiæ pertinet quod dicit, *non in mentem venerat*: non ad totam quod audivisset dudum (forte, *quod audivisse se dicit.*) Etiam nisi penitus negative consideraveris, controversia inerit: si enim nihil posse audieras, quid est quod in mentem non venerit ut vitarea? utrum igitur amatores mulierum esse maximos audieras? quod ipsum vitandum fuit. Neque enim hoc satis est ad pudicitiam, stuprum vitasse, cum impudica fieri vel solo osculo possit, quam omnino integram et illibatam velis. An *verum*, non erit conjunctio, sed nomen? ut illud quasi falsum audierit: hoc autem, quod verum inventum est, non ipsa suspicata sit. Nam in *mentem venire*, non reminisci tantum, sed etiam cogitare significat. Sic Cicero, pro Rosc. Amer. 21. *in mentem tibi non venit, causam publicam sustinere*, id est, non cogitas, non suspicaris. *Verum miseræ*] Si *verum* pro conjunctione accipimus, subaudiendum erit, *amatores mulierum eos esse maximos*. *In mentem non venerat*] Non, quod audieram: sed, quod hic fecit. An non aliud in mentem venerat? non, scilicet facturum fuisse quod fecit. *Non in mentem venerat*] Aut, non erat cogitatum: aut, non eram recordata. D.

Sed nihil posse] Alexand. Aphrod. Problem. libi I. de Eunuchis: ὅτινες φαντάζονται μὲν τὴν χρῆσιν, οὐκ ἐνεργοῦσι δὲ τὴν ἐπιθυμίαν. Aristænet. libr. I. Epist. 21. καθάπερ εὐνοῦχος τὰ ἐρωτικὰ περιεργαζόμενος καὶ λιχνεύων. Ecclesiast. cap. 30. *quasi spado complectens virginem et suspirans.* Unde apud Sopatrum in Hermogen. quæritur pag. 93. 223. Eunuchus si cum muliere rem habeat, adulteriumne committat: πῶς γὰρ ἂν εὐνοῦχος μοιχεύσειεν, ὁ μὴ χρῆσθαι δυνάμενος, μηδὲ τὸ γένος ἀμφίβολον τῇ συνουσίᾳ ποιῶν. Sed voluntatis reos esse, non etiam facti, Donati sententia est: Μηδὲν διαφέρει πρὸς τὸ εἶναι αὐτὸν μοιχὸν, εἴτε δυνατὸς χρήσασθαι, εἴτε μὴ· τὸν γὰρ προαίρεσιν ἐξετάζειν δεῖ. Augustini Epist. locus huc pertinet lib. VI. contra Julian. Pelag. cap. 5. *uti concupiscere viventis sentientisque naturæ est, ita ut non desit concupiscentia, quam spadonum quoque castitas frenat, minus quidem laboriosa: quia ubi materiam, de qua aperetur, non invenit, minus adversus eam libido consurgit. Est tamen pudiceque comprimitur, ne concumbendi quamvis irritus ipse conatus in eam turpidinem veniat, propter quam Calligonum Valentiniani junioris Eunuchum gladio novimus ultore punitum, meretricis confessione convictum.* L.

Nostri omnes, *potesse*. B.

25 *Nam illum aliquo conclusissem*] Mire *conclusissem* dixit, ut sævam feram. Sic alibi: *conclusam hic habeo uxorem sævam. Neque illi commisissem virginem*] Si vel amatorem tantum meminissem. D.

ACT. IV. SCENA IV.

PHÆDRIA. DORUS. PYTHIAS. DORIAS.

EXI foras, sceleste: at etiam restitas,
Fugitive? prodi, male conciliate. Do. Obsecro. PH. Oh!
Illud vide, os ut sibi distorsit carnufex!
Quid huc reditio'st? quid vestis mutatio?

1 *Exi foras, sceleste*] Jucundus error, in quo non (*sensus postulat, non tantum non*) dubitet Phædria, ipsum esse qui quæritur: verum insuper sic aggreditur, tanquam sit ipse. *Sceleste!*] Quale est scelestum appellari, qui nihil sciat. *Restitas?*] Necessario restitat, qui niratur se protrahi. D.

Exi foras] Hæc scena adhuc superioris controversiæ vim tenet: quippe hoc confirmat, quod vitiata virgo est. quod utique diximus esse conjecturæ, ut ex hoc concluderet, quod Phædria injuriam amicæ fecerit, cui talia miserit dono. Cognoscit Chæream fratrem Phædriæ (*Phædria* Z.) pro Eunucho ad meretricem mutata veste venisse, et sic vitiasse virginem. E.

Etiam] Eleganter inservit objurgationi. Plaut. in Persa II. 4. 4. *scelerate etiam respicis.* Petron. c. 25. *etiam dormis* ubi v. Burmann. R. D.

2 *Fugitive*] Et scelestam et fugitivam increpat, in hunc crimen transferens Chæreæ. *Male conciliate*] Opportune adolescens hic exprobrat munus magno emtum. *Male*, magno significat, ut Plautus in Amphitryone I. 1. 132. *hæc nox scita est exercendo scorto conducto male.* Ergo *male conciliate*, magno emte significat. Nam omnis conventio, *concilliatio* nominatur. *Conciliatum* ergo, magno emtum. D.

Male conciliate] Male emte. Nam *concilium* nundinas dicimus. E.

Male conciliate] I. e. care emte, magno pretio comparate Cic. ad Attic. II. 4. *mihi placet ea, quæ male emta sunt, reddi.* ubi v. Græv. Ovid. Amor. El. I. 10. 44. *pro male conducto gratia nulla thoro.* Contra *bene emere* est vili pretio emere. Cic. ad Attic. XII. 23. *bene emitur quod necesse est.* v. Drakenb. ad Sil. Italic. IV. 756. *Conciliare* est emere. Plaut. in Epidic. III. 4. 36. in Pseudolo I. 2. 1. *ite ignavi male habiti et male conciliati* v. Donat. ad h. l. R. D.

3 *Os ut sibi distorsit*] Et hic memor adolescens insinuandi muneris, dicit illum sibi os distorsisse, qui natura sit pulcher. *Os* autem dicimus illi *distorquere*, quem, natura pulchrum, deturpamus. D.

Lego ex uno codd. *illuc vide.* cf. Adel. II. 2. 20. B.

4 *Quid huc reditio est?*] Eleganter ei reditio objicitur, qui revera loco se non moverit. *Quid vestis mutatio est?*] Sic veteres. Plautus in Trinummo, III. 2. 83. *quid tibi interpellatio, aut in consilium huc accessio est?* Cæcilius ἀφαζομένη, *quid tibi aucupatio est argumentum, aut de meo amore verbificatio est patri? Quid vestis mutatio est?*] Nam liberi vestem habebat, utpote Chæreæ: servi vero atque Eunuchi deposuerat. D.

Lege *quid huc tibi reditio'st? vestis quid mutatio'st?* Nam *tibi* et in Donato Faerni et Bembino libro est. Dein *mutatio est* extat in Bemb. B.

Quid huc reditio est, quid vestis mutatio] I. e. cur huc rediisti, cur vestem mutasti. Sæpe verbalia cum verbo *sum* ponuntur pro ipsis verbis unde du-

Quid narras? paululum si cessassem, Pythias.
Domi non offendissem: ita jam ornarat fugam.
Py. Habesne hominem, amabo? Ph. Quidni habeam?
Py. Factum bene!
Do. Istuc pol vero bene. Py. Ubi est? Ph. Rogitas? non vides?
Py. Videam? obsecro, quem? Ph. Hunc scilicet.
Py. Quis hic est homo?
Ph. Qui ad vos deductus hodie'st. Py. Hunc oculis suis
Nostrarum nunquam quisquam vidit, Phædria.

cantur, habentque casum verbi sui in Ad. III. 3. 67. *hi mihi ne corrumpantur cautio est.* Plaut. in Trucul. II. 7. 62. *quid tibi hanc est notio.* Poterat Terentius etiam scripsise *quid vestem mutatio est.* v. Vossium de analogia III. 9. R. D.

5 *Paululum si cessassem, Pythia*] Familiare est iratis, avertere se ad aliam personam ab ea, in quam commoveantur (exempla vide And. V. 3. 5. Phorm. V. 8. 22. D.

Paulum edidit Bentleius, ut alii. Z.

6 *Ita jam ornarat (adornarat* Z.*) fugam*] Ut supra, *adornant, ut lavet.* D.

Domi non offendissem] Domi non invenissem. *Ita jam adornarat*] Veste mutata se ad fugam præpararat. Ut supra diximus, ornamenta ponit ad utramque partem, et ad divitias, et ad miseriam. Quomodo parasito dictum, *quid istuc ornati est?* E.

Ornarat fugam] V. C. *adornabat.* L. Vulgo *ornabat;* alii *adornabat,* Bemb. *ornarat.* Sed Basilic. et nostri plerique recte, *adornarat;* ut, *ita,* sit in Arsi, et *domi* corripiatur. B.

Jam ornarat fugam] I. e. parabat et instruebat se ad fugam. Sic Plautus in Epid. V. 1. 9. *adornare viaticum ad fugam.* Cic. pro Quint. c. 30. *ornare convivium.* v. Cortium ad Sallust. Jugurth. c. 90. R. D.

7 *Habesne hominem, amabo?*] Hæc omnia Pythias, cernens Eunuchum, loquitur. Id enim erit jucundum, ut quærat illum quem videt. *Quid ni habeam?*] *Quid ni,* quid nisi? hoc est, cur non habeam? D.

Ex metri ratione lege, *haben'.* Dein cum codd. nostris et edd. vett. *O factum bene!* ut eliquescat ultima in *habeam.* B.

8 *Ubi est?*] Dorum contemplata dicit, *ubi est?* quia non ipsum, sed alterum novit. *Rogitas? non vides?*] Stomachatur uterque errans mirifice: illa, quod Eunuchum credidit, Chæream videns: hic, quod Eunucho objecit, quod commisit Chærea. D.

9 *Hunc scilicet*] Hoc jam, tangens Eunuchum, dicit Phædria. D.

10 *Hunc oculis suis nostrarum nunquam quisquam vidit*] Ἀρχαϊσμὸς est figura, pro *nostrum.* vel *nostrarum,* id est, quæ familiæ nostræ sunt: ut parum sit, non vidisse Thaidem, nisi addatur, ne familiarum quidem ullam esse, quæ hunc viderit. D.

Oculis suis vidit] Sæpe Latini dicunt oculis videre, auribus audire, sed hoc semper fit emphasis causa, quæ ubi nulla est, vitiosum hoc loquendi genus, esse docet Quintilian. VIII. 3. *quisquam* dicitur pro *quæquam,* de quo archaismo diximus. R. D.

11 *Quisquam*] Antiqua locutio est. D.

Apud Priscian. 960. abest, *nunquam.* At Cledonius pag. 1907. *Nemo,* inquit,

PH. Non vidit? PY. An tu hunc credidisti esse, obsecro,
Ad nos deductum? PH. Nam quem? alium habui neminem. PY. Au!
Nec comparandus hic quidem ad illum'st: ille erat
Honesta facie et liberali. PH. Ita visus est
Dudum, quia varia veste exornatus fuit:
Nunc tibi videtur fœdus, quia illam non habet.
PY. Tace obsecro; quasi vero paulum intersiet.
Ad nos deductus hodie adolescentulus,
Quem tu videre vero velles, Phædria.

feminino genere lectum est apud Terentiam; ut, illum nemo nostrarum quisquam vidit. Sed hodie codd. omnes, *nunquam quisquam.* Utrumvis probe. B.

12 *Non vidit?*] Totidem, iisdemque verbis repetit. Et interrogatio stuporem admirantis ostendit, et jam veluti consentientis. D.

13 *Namque alium habui neminem*] Bene ad illud quod ait, *au tu hunc*: quasi ex multis. D.

Au! ne comparandus] Prisc. lib. 15. L.

Namque pro vulgari *nam quem?* præter Bembinum, etiam ex nostris veterrimus recte habet. B.

14 *Au! ne comparandus hic quidem est*] *Au*, interjectio est conturbatæ fœminæ, nec constantis sibi. D.

Ne comparandus is] Sic distinguendum, ut sit sensus, *ad illum, qui ad nos venit, hic Eunuchus ne comparandus quidem.* E.

Nec pro ne, auctoritate Bembini male edidit Faernus. Nam præterquam quod *ne quidem* centies apud alios occurrit, etiam nostri omnes habent *ne.* B.

Ne quidem] Editiones quædam vitiose habent *nec quidem* ut apud alios etiam perperam scribitur; sed semper legendum esse *ne quidem*, interpositæ voces docent. Bentl. ad h. l. et Duker. ad Flor. II. 5. 279. R. D.

15 *Ille erat honesta facie et liberali*] Τῷ ἰδιωτισμῷ *erat*, quasi de mortuo, aut qui non est, scilicet Thaidi (*non est in domo Thaidis.* Lib. uterque), quia fugit. *Honesta facie et liberali*] Commode descriptus est Chærea. D.

16 *Varia veste exornatus*] Eunuchi veste utebantur versicolore, ut multis coloribus texta fulgerent. E.

Varia veste] I. e. varii coloris. Ovid. epist. XV. 37. *et variis albæ junguntur sæpe columbæ.* Eugraphius ad h. l. dicit eunuchos veste usos esse versicolore, sed is sine teste loquitur. R. D.

17 *Nunc eo tibi videtur fœdus*] Facete, *fœdus videtur.* Non est enim. D.

Lege, *nunc eo videtur fœdus.* Nam *eo tibi* codd. fere omnes. Sed duo vett. *tibi* non habent. Deinde non soli Pythiadi, sed cuique alii fœdus videbatur. B.

18 *Tace obsecro*] Apte dictum est *tace*, fœmineo stomacho, quasi impudenter assistenti formæ improbæ, et argumenta inaniter pertinaciterque invocanti. *Tace obsecro*] De consuetudine dictum est *tace.* et bene additur *obsecro*, ne *tace* ipsum videatur injuria. D.

Quasi vero paulum] Vestis adjectio aliquid formæ adjicit vel detrahit, non tamen novam efficit. E.

19 *Hodie est* edidit Bentl. Z.

20 *Quem tu vero videre velles, Phædria*] Commota adversus Phædriam, cogitur eum laudare, cui irata est: et ideo totum callide. *Quem tu vero vi-*

Hic est vietus, vetus, veternosus, senex,
Colore mustellino. Ph. Hem, quæ hæc est fabula?

dere] Facete, quasi nec hunc, nec ipsum qui misit, conspectum velit. *Quem tu*] *Quem*, talem. Et breviter ejus forma laudata est: cum prolixius illius sit describenda deformitas. *Quem tu vero videre*] *Vero*, pulchre. Pulcher enim est, cujus forma nec odium, nec convicium commeruit. Lucilius in Satyra Athymnidis * *ex facie florem delegeris* (varie hæc leguntur: Ms. H. *Athymidi sacti*. ed. Ven. 1490: *Lucil. in Saty. Athinidi sacci ex f. f. t delegeris*. Ed. altera 1512: *Luci. in Satii. Attinidi sacri ex facie delegeris*. Douza ex incerto Satyrarum libro vers. 128. ex Ms. Rod. Snellii laudat: *ex facie florem delegens*. Ms. Bœnd. *Athimudi sacci*. Forte scripsit Lucilius, *ac thymini succi ex facie florem delegeris*). *Quem tu videre*] Quare *tu?* an quia iste jam non velit videre, iratus scilicet ob vitiatam virginem? an *tu*, quasi spectator elegans formarum, et qui amator sis Thaidis? D.

21 *Hic est vetus, vietus, veternosus, senex*] Sic hoc totum pronunciandum, quasi irascatur huic, propter quem laudaverit Chæream. *Vietus*] Mollis, flaccidusque, et flexibilis corpore. unde et *vimina*, et *vimenta*, et *vites*, et *vietores* dicuntur; et *viere*, religare dicitur: quia *vietis* virgis magis religare possumus quidlibet. Lucretius, III. 384. *araneæ* dixit *vietam vestem*, id est, putri mollitia præditam. *Vetus*] Ad vituperationem modo, non ad laudem ponitur: ut, *veteris poetæ maledictis respondeat*. *Vetus* est, cujus diminutivum est *vetulus*. *Veternosus*] Morbo vetere confectus, id est, veterno: quales sunt qui hydropem patiuntur. Et recte. Nam sæpe Eunuchi in senecta veternosi fiunt, et cito hoc laborant morbo. *Senex*] Ex morbo ægritudine rugosus. *Senex*] Utrum (adde, *vere*) senex, an quia ita videtur ob deformitatem? D.

Vietus, vetus, veternosus] Vietus ac turpitudine (Westerh. *ac* mutat in *a*. Sed leg. *veterno ac turpitudine* Z.) oppressus. Ut Virg. Ge. I. 124. *nec torpere gravi passus sua regna veterno*. E.

Vietus, vetus] Vid. Fest. et Porph. ad Hor. Oden XII. L.

Vetus] I. e. senex. Horat. Epod. VIII. 3. *et rugis vetus frontem senectus exaret*. v. Broukhus. ad Tib. I. 10. 18. Eunuchi vero cito senescebant. Petron. c. 23. *molles, veteres Deliaci manu recisi*, ubi v. interpretes. R. D.

Vietus] I. e. languens, curvus per senectutem; proprie vietus est flexilis a *viere*, vincire, ligare, unde etiam *vietores* et *vimen* dicuntur, v. Donat. ad h. l. R. D.

Veternosus] I. e. senio tardus et ignavus. *Veternus* proprie est immodica dormiendi cupiditas, unde translate dicitur pro torpore animi et ignavia. v. Servium ad Virgil. Georg. I. 123. Sed *veternosus* etiam accipi potest pro hydropico. v. Donat. ad h. l. et Bentl. ad Horat. epist. I. 8. 10. R. D.

22 *Colore mustellino*] Erravit Terentius, non intelligens Menandricum illud, *αὐτόσε ἐστὶν γαλεώτης γέρων* (R. Steph. edidit: *γαλεώτης ἐστὶ τὸ χρῶμα*. Sed pro *αὐτόσε* lege *αὐτὸς δὲ*. Z.) Ait autem *stellionem*, animal quod lacertæ non dissimile est, maculoso corio: namque ad id genus coloris facies exprimitur Eunuchorum corporis (*corporis* dele, aut muta in *corpore* Z.), quia plerique lentiginosi sunt. Hinc ergo erravit ideo, quia *γαλῆ mustela* dicitur, *γαλεώτης Stellio*. *ὡς παρ' Ἀριστοφάνει ἐν νεφέλαις. ἥσθην γαλεώτῃ καταχέσαντι Σοκράτους*, vers. 174. Ego Adesionem sequor, qui recte intellexit, Terentium scientem, *mustelino colore* Eunuchum dixisse coloratum, velut sublivido: quia vere Eunuchi aut ex candidissimis lentiginosi fiunt, ut ex Gallis, et hujusmodi occidentalibus: aut ex fuscis sublividi, ut et Armeniis, et aliis orientalibus. D.

Colore mustelina] Nigro scilicet, qui

Eo redigis me, ut, quid egerim, egomet nesciam.
Eho tu! emin' ego te? Do. Emisti. Py. Jube, mihi denuo
Respondeat. Ph. Roga. Py. Venistin' hodie ad nos? negat.
At ille alter venit, annos natus sedecim,
Quem secum adduxit Parmeno. Ph. Agedum, hoc mihi expedi

color est in mustelis, supra domorum tecta currentibus. E.

Quæ hæc est] In Ms. R. *est* desideratur. L.

Terentium nego scripsisse *mustelino colore*, quia ut equo, aut cani non unus est color, ita nec mustelæ, quæ fere in dorso et lateribus est rutila, raro subfulva, in gutture semper candida, et interdum tota candida reperitur. Menander igitur, cum, auctore Donato, Eunuchum hunc γαλεόπτην, stellionem, vocavit, significavit, eum fuisse facie maculosa, lentiginosa. Quapropter Terentius scripsit *colore stellionino*, quia stellioni talis est color. Ovid Met. V. 460. *aptumque colori nomen habet, variis stellatus corpora guttis.* Cæterum ut a leone formatur *leoninus*, a parone, *paoninus*, ita a stellione *stellioninus*. B.

Colore mustellino] I. e. sublivido qualem habent mustelæ. v. Donat. ad h. l. at Bentl. erudite legit *colore stellionino* i. e. instar stellionis. Rationes apud ipsum videte. R. D.

23 *Ut, quid egerim, egomet nesciam*] Pro, non meminerim, vel, non agnoscam. D.

Egomet nesciam] Ms. R. *ego nesciam*. L.

Lege, *eo rediges me, ut, quid emerim egomet, nesciam?* Nam *rediges* habet Bemb. et *emerim*, Donatus. Cic. ad Att. I. 19. *Metellus est consul sane bonus, et nos admodum diligit: ille alter ita nihil est, ut plane quid emerit nesciat.* B.

Quid egerim] Nihil verius lectione quam Bentleius revocavit *quid emerim*. *Quid* eleganter dicitur de homine. R. D.

24 *Eho tu! emin' ego te?*] Miro stomacho, quod ipse fecit, id ex alio conatur audire: et donec hæc audiat, an hoc fecerit, dubitat. *Sine, mihi denuo respondeat*] Hoc est, quod in rhetoricis Cicero ait, *contra firmam argumentationem, aliam æque firmam aut firmiorem opponimus.* Hæc est autem æque firma. *Denuo* autem ad *respondeat* pertinet, non ad *jube*. *Denuo respondeat*] *Jube vero, mihi denuo respondeat*, intelligendum est. D.

25 *Roga*] Mire utriusque fiducia confertur, et apud utrumque est veritas, cum uterque fallatur. D.

Lege, versus gratia, cum tribus eodd. *venisti*. B.

26 *At ille alter venit*] Bene instat, quasi ex parte jam obtinuerit Pythias. D.

Melior numerus est in tribus eodd. *natus annos sed*. B.

27 *Agedum, hoc mihi expedi*] Hæc Plautina sunt, cum in iisdem longa sit disputatio: sed mire a Terentio proferuntur ad ejus exemplum; et quod est plus, carent Plautinis nugis. *Agedum*] *Dum, παράλυσις* est, et adjuvat ex animo loquentem. D.

Cognoscitur deinde quod hic Eunuchus non venerit ad meretricis domum, ideo efficitur interrogatio a domino, *Agedum hoc nunc mihi expedi, primum istam, quam habes, unde habes vestem*] Quem rem interrogatus narrat Eunuchus, venisse Chæream, suam accepisse vestem, hanc quam habet sibi dedisse; deinde cum Parmenone con-

Primum: istam, quam habes, unde habes vestem? taces?
Monstrum hominis! non dicturu's? Do. Venit Chærea.
Ph. Fraterne? Do. Ita. Ph. Quando? Do. Hodie.
Ph. Quam dudum? Do. Modo.
Ph. Quicum? Do. Cum Parmenone. Ph. Norasne eum prius?
Do. Non. nec, quis esset, unquam audieram dicier.
Ph. Unde igitur fratrem meum esse sciebas? Do. Parmeno
Dicebat eum esse: is dedit mihi hanc. Ph. Occidi.
Do. Meam ipse induit: post una ambo abierunt foras.
Py. Jam satis credis sobriam esse me, et nihil mentitam tibi?

tinno egressum foras. Quare confirmata accusantis conclusio efficitur, *Jam satis credis sobriam esse me, et nihil mentitam tibi?*] *Sobriam*, quia supra illi adolescens dixerat, *temulenta es*. Adjungit enim terminationis summam, *jam satis certum est, virginem vitiatam esse*. E.

Expedi] I. e. dic. expone infra V. 5. 20. *istuc, quicquid est, primum expedi*. Sallust. in Jug. c. 5. *priusquam hujus rei initium expediam*. Justin. XLIII. 1. vbi v. Græv. R. D.

28 *Taces?*] Et recte tacet: quia metuit Chæream. D.

29 *Monstrum hominis!*] Bene Eunucho dictum est *monstrum hominis*: hoc est, nec mas, nec femina existens. Sic et supra, *senem mulierem* dixit. D.

30 *Modo*] Nota *modo* aperte pro præterito tempore dictum, esse, id est, jamdudum. Nam qui vitiaverat virginem, non *modo*, sed *longe ante* vestem mutavit cum Eunucho Phædria. D.

Fraterne ita] Priscian. lib. XV. L. Lege, *meus fráterne?* ne, *ita*, in Thesi lateat, et, *quando*, sit sine synalœpha. B.

31 *Quicum?*] Præpositio, *cum*, his dictionibus supponitur, *quicum, nobiscum, vobiscum*. Cæteri vero, ita ut ipsum nomen præscribit, præponitur: ut, *cum amicis, cum exercitu, cum advocatis*. D.

32 Pro binis unum versum habent Bemb. Basilic. et noster academicus: D. *Non*. P. *Unde igitur fratrem meum esse scibas?* D. *Parmeno*. Recte, dummodo, versus causa, cum cod. C. C. ejeceris *igitur*. B.

33 *Unde igitur fratrem meum esse sciebas?*] Utpote novitius: et eum qui ex Piræo raro discesserit: et longo intervallo εἰς τὸ ἄστυ venerit. Et hæc sunt obliquæ interrogationes, quibus uti oratores videmus, cum derivare testimonium nituntur. Et ideo sic ait Phædria, ut frustretur omnia, quæ confessus est Dorus. Vult enim fratri esse consultum. D.

34 *Parmeno dicebat eum esse*] Prope infirmatum testimonium est. Quod enim sic ait, *Parmeno dicebat eum esse*, falsum esse potest. Et mire sic ait: ut, *sola mihi tales casus Cassandra canebat*, Æn. III. 183. Sic autem dicimus, quando non semel, quod factum fuerit, sed sæpius demonstramus. D.

Omnes libri, excepto Bembino, habent *vestem*. Lege igitur, *is mi hanc dedit vestem*. B.

36 *Jam satis credis me esse sobriam*] Quia supra dixit, *temulenta es*: et quasi gravem injuriam hoc dico passa sit,

Jam satis certum'st, virginem vitiatam esse? PH. Age nunc, bellua,
Credis huic quod dicat? PY. Quid isti credam? res ipsa indicat.
PH. Concede istuc paululum: audin'? etiam nunc paululum. sat est.
Dic dum hoc rursum: Chærea tuam vestem detraxit tibi?
DO. Factum. PH. Et ea'st indutus? DO. Factum. PH. Et pro te huc deductus'st? DO. Ita.
PH. Juppiter magne! O scelestum atque audacem hominem! PY. Væ mihi!
Etiam nunc non credis, indignis nos esse irrisas modis?
PH. Mirum, ni tu credas quod iste dicat. quid agam nescio.

memoriter dictum retulit. ut, *en ego victa situ*, Æn. VII. 452. et *pulsus ego?* Æn. XI. 392. D.

37 *Jam satis certum est virginem vitiatam esse?*] Ordine ait, quum primum de se, tum de adversario loquitur. D.

Hic conclusionibus nihilominus pugnat adolescens, dicens Eunucho non esse credendum: *Age nunc belua*] Illa rarius (forte *apertius* Z.) quæ accusabat a persona, rem ad facta deducit. Convictus adolescens, etiam cum tacito interrogasset Eunuchum, ne vereatur injuriam fecisse meretrici, monet ut, quod dixerat, neget. E.

38 *Credas huic quod dicat?*] A personæ qualitate derogat fidem. Nam quid credendum est servo Eunucho fugitivo? *Quid isti credam? res ipsa indicat*] Hic a persona, quæ convincebatur, oratorie ad factum se retulit. D.

39 *Concede istuc paululum*] Ad se versum dicit *istuc* (forte, *ad se verso dicit istuc*, W. Aut, *ad servum aversus* &c. seu, *adeo aversus* &c. Z.) ut longe sit a Pythia. Eunucho enim dicit Phædria. D.

Ne versui syllaba supersit, lege, *etiam nunc paulum*. B.

40 *Vestem detraxit*] H. e. exuit. Sueton. in Cæs. c. 84. *vestem detractam sibi injecere flammæ* in Heaut. I. 1. 72. *soccos detrahunt*. R. D.

41 Lego cum nostris, uno excepto, omnibus, et cum edd. vett. *et eam est indutus*. Nempe hoc interest: *indutus est eam*, perinde est ac ipse se ea induit: at, *indutus est ea*, perinde ac alius eum veste induit tanquam mancum aut mortuum. B.

42 *O scelestum, atque audacem hominem*] Chæream scilicet vel Parmenonem. Sed sic pronunciandum est, ut putet ancilla de Eunucho dici, hoc ipso quod præsto est (edd. Venett. *de Eunucho dici hoc ipsum, qui p. e.*) Ideo illa infert, *væ mihi! etiam nunc non credis, indignis nos esse irrisas modis? Væ mihi!*] Hoc totum, *væ mihi*, quidam a Pythia, usque ad *irrisas modis*, dici existimant. D.

43 In duobus nostris deest, *nunc*, in uno, *non*. Repone versus causa; *etiam nunc credes indignis*. B.

44 *Mirum, ni tu credas, quod iste dicat*] Utrum an serva, quod servus? an stulta, quod stultus? an femina,

Heus! Negato rursum: possumne ego hodie ex te ex-
sculpere
Verum? vidistin' fratrem Chæream? Do. Non. Ph.
Non potest sine
Malo fateri, video: sequere hac: modo ait, modo negat.
Ora me. Do. Obsecro te vero, Phædria. Ph. In' intro
nunc jam? Do. Oi, ei.
Ph. Alio pacto honeste quo modo hinc abeam nescio:

quod Eunuchus? *Mirum ni tu*] Clare dicit. Quidam pressius putant. D.

Lege ex duobus nostris, et uno Fabricii, *mirum ni tu credis;* quia noster cum indicativo semper. ut, *mirum ni domi est: mirum ni dabo* &c. R.

45 *Heus! tu, negato rursum*] *Rursum*, non ad negationem pertinet, sed ad interrogationem: ut sit, rursus interrogatus. *Rursus*, retro, id est, contrario: ac per hoc contrarium superioribus dicito. D.

Possumne hodie ex te] (Adde, *exsculpere* Z.) Hoc est, producere et formare: quemadmodum formas reddunt illi, qui exsculpunt gemmas. E.

Lege, *heús negato rúrsus. possumne hódie ego ex te exsculpere.* B.

Exsculpere] I. e. vi et minis extorquere. Plaut. in Cistell. II. 2. 6. *in quæstione vix exsculpsi ut diceret.* R. D.

46 *Non potest sine malo fateri, video*] Ampliatio et dilatio quæstionis argumento est, nihil constitisse. Adde, quod poenam minatur, non tanquam jam incerto, sed falso testi. Deinde ipsum, *fateri*, consideremus quale sit. Non est testis fateri, sed rei. Hic igitur, ut in illum culpam transferat universam, *fateri* dixit, non *indicare*: ut ipse reus, non alieni facti testis esse dicatur. *Non potest sine malo*] Quasi hæc hæc fuerit, nec illa confessio, in quibus nulla (*ulla* Z.) veritas sit. D.

In Bemb. et nostris plerisque recte est, *vidistine*, et dictio, *sine*, sequenti versui adscribitur, ut sint trochaici, ut cæteri. B.

Sine malo] I. e. sine verberibus ut ad Andriam explicuimus. R. D.

47 *Sequere hac*] Quasi ad tormenta. *Modo ait, modo negat*] Testis aut ab adversario convincitur falsitatis: aut a se ipso, si vitiaverit dicta. Ergo, priora quia non potuere convinci, ab inconstantia testis præsidium defensionis inquisitum est. D.

Modo ait, modo negat] Priscian. lib. XV. L.

48 *Ora me*] Hoc lentius: ut sit causa non sæviendi. *Obsecro te vero, Phædria*] Bene *vero*. Nam quia ille dixerat, ut simularet preces: hic annixus (*anxius* Z.) *vero* addidit, ostendens serio se rogare, et ex animo: non, et ille jubebat, dolo. *I intro*] Terribiliter, dummodo eum summoveat. *Intro*] Utrum *intro* domum ad Phædriam? an ad Thaidem? sed non oportet ad Thaidem intelligi, ne celandarum rerum index teneatur. *Oi, ei*] Bene, *oi, ei, σχετλιασμὸν* rusticum posuit, utpote et pervi et novitii. Et est deploratio ab eis (forte, *atticis*, seu, *a miseris*, quia *σχέτλιος* primo miserum significat. W. Forte pro *eis* leg. *lòv*, seu, *οἴμοι*, s. *ejulatu* Z.) sic dicta. D.

Faernus probat lectionem Bembini, *in*, h. e. isne, *intro nunc jam?* Nos vero legimus, *i intro*. D. *Eoi ei*. Nam, *nunc jam*, ab omnibus cæteris libris abest: et, *eoi ei*, reperitur in cod. acad. notæ optimæ. B.

49 *Alio pacto honeste*] Contra officium fuit, mentiri docuisse servum, et affuisse mendacio liberalem adolescentulum. Sed vide quemadmodum defendatur, dum se mentiri coactum di-

Actum'st siquidem. tu me hic etiam, nebulo, ludificabere?

Py. Parmenonis tam scio esse hanc technam, quam me vivere.

Do. Sic est. Py. Inveniam pol hodie, parem ubi referam gratiam.

Sed nunc quid faciendum censes, Dorias? Do. De istac rogas

Virgine? Py. Ita; utrum taceamne, an prædicem? Do. Tu pol, si sapis,

cit, dum consulit honestati. Hanc autem causam longæ sermocinationis ad hoc induxit artifex poeta, ut apud omnes jam certum sit, a Chærea vitiatam virginem, ne ullo errore impediantur ulterius nuptiæ, vel finis fabulæ differatur. *Alio pacto honeste*] *Nullo alio* scilicet, nisi per hanc fallaciam. D.

Alio pacto honeste] Quoniam, inquit, constat de injuria, nullo pacto me hinc liberare possum, nisi dum neganti Eunucho vehementer irascor. Hæc autem secum loquitur. F.

Quo modo hinc abeam] I. e. quomodo me hinc expediam in Heaut. IV. 2. 5. *scilicet me latere tecto abcedere* in Phorm. V. 8. 58. *pulchre discedo.* R. D.

50 *Actum est siquidem*] Huc rursus alare. Et sic dicit tanquam adhuc iratus Eunucho suo. D.

Actum est, si tu etiam me hic nebulo ludificabere] Actum est, inquit, si etiam me tu illudis, *nebulo*, hoc est, fraudator et pessimus. E.

51 *Quam me vivere*] Deest *magis*: ut sit, *magis scio, quam me vivere.* D.

Hanc technam] Hanc fraudem. E.

Technam] Vox Græca significat fallaciam et dolum, *tam* est tam certe. Plaut. in Aulul. III. 6. 12. Burmann. ad Petron. c. 75. R. D.

52 *Inveniam hodie pol*] Hæc est προοικονομία ad futurum exitum fabulæ. Nam dum se ulciscitur Pythias, fit indicium patri Chæreæ, et confirmantur nuptiæ. D.

53 *Sed nunc quid*] Hic secum ancilla deliberat, an indicandum sit dominæ, virginem esse vitiatam. Quod brevi argumento percurritur. Primum sic positum est, *taceam an vero dicam?* Suadet autem ut taceat, ab utili, *tu pol si sapis, quod scias nescis, neque de Eunucho, neque de vitio virginis.* E.

Censes, Dorias?] V. C. *suades, Dorias?* L.

Censes reperitur in edd. vett. et una ex nostris: in cæteris, *suades.* Utrumque probe. B.

54 *Utrum taceamne, an prædicem?*] Tertium παράλογον: abundat enim aut *utrum*, aut *ne*: aut certe hoc fit, ut sit figura τμῆσις. *Tu pol, si sapis, quod scis nescis*] Non possumus nescire quod scimus. Sed ita, ut, *concordia discors.* et Virgilius, Æn. XI. 695. *sequiturque sequentem. Tu pol, si sapis, quod scis, nescis*] Videamus, cur nolit poeta de vitio virginis continno scire Thaidem: utrum, ne improviso malo vehementius commoveatur, ac doleat: an, ut ex ejusdem virginis habitu, vultuque ista cognoscat? quod est actuosius: an, quod proximum vero est, ut illam et Thais, et frater, ignorantes vitiatam, animosius adversus militem defendant, repetitum eam venientem, cum tanto strepitu ac minis? Nam quo ore præterea diceret Thais Chremeti, de sororis pudore sollicito, *educta est ita, uti teque illaque dignum est*, si sciret, eam virginem non esse? D.

Quod scis, nescis, neque de Eunucho, neque de vitio virginis:
Hac re et te omni turba evolves, et illi gratum feceris.
Id modo dic, abisse Dorum. P. Ita faciam, Do. Sed videon' Chremem?
Thais jam aderit. P. Quid ita? Do. Quia, cum inde abeo, jam tum inceperat
Turba inter eos. P. Aufer aurum hoc: ego scibo ex hoc, quid siet.

Si, *prædicem*, retines, laborat versus, qui trochaicus est; sin cum Vaticano legis, *prædicam*, repugnat sententia. Igitur muta ordinem, *utrum prædicemne an taceam?* Præsertim cum in deliberando consilium melius posterius fere ponatur: ut Heaut. III. 2. 38. B.

Utrum tacesamne an prædicem] *Utrum* et *ne* eleganter per pleonasmum junguntur in Ad. III. 3. 28. *utrum studione id sibi habet an laudi putat fore.* Cic. de nat. Deor. II. 34. *utrum ea fortuitane sint an eo statu* &c. ubi v. Davis. R. D.

55 *Quod scis, nescis*] Unde in Heaut. *nescias quod scis, si sapis.* Et hoc est quod καυζηλον dicitur. *Quod scis, nescis*] Proverbiale est, et multum apud dialecticos tractatum: ut, *facio, et non facio:* et, *amicus sum, et non sum:* et, *audio, et non audio*, et cætera hujusmodi. *De Eunucho*] Quid fuerit. *De Eunucho*] Quod Chærea sit, non Eunuchus. *De vitio virginis*] Quod jam mulier facta sit. D.

Quod scis, nescis] V. C. *quod scias.* Sic in Heautont. IV. 4. 26. *tu nescis id, quod scis.* Plautus in Milite II. 6. 38. *næ tu hercle, si te Dii ament, linguam comprimes Posthac: etiam illud, quod scies, nesciveris, Ne videris, quod videris.* Jo. Sarisber. epist. 186. *comicum illud fere in omnium volveretur animis, Quod scio, nescio.* L.

56 *Hac re te omni turba evolves*] Causa quæsita, cur ante jurgium cum milite Thais nesciat vitiatam virginem. *Et illi gratum feceris*] Cui, nisi virgini? cujus crimen, ut supra, silentio texeris, præsertim tacentis injuriam suam, et sic dolentis amissam virginitatem, ut nec confessionem suæ calamitatis subire possit (Daceria recte, *illi*, retulit ad Thaidem. Etenim serva potius Heram curare videtur, quam alienam. Z.) D.

Te turba evolves] H. e. te expedies, te liberabis rixa. in Phorm. V. 4. 5. *ego possum nullo remedio me evolvere ex his turbis.* R. D.

57 *Id modo dic*] *Id* pro *hoc*, subjunctivum pro præpositivo. D.

58 *Thais jam aderit*] Bene dixit, *aderit.* huic enim aderit Thais. *Quia cum inde abeo*] Aliam causam ex alia supposuit: quasi diceret, *video causam.* D.

58 *Inceperat*] ponitur pro inchoata erat. Cic. in Verr. V. 10. *cum rosam videret, tum incipere ver arbitrabatur.* v. Duker. ad Liv. VIII. 38. R. D.

59 *Tu fer aurum*] Ms. R. et V. C. *tu aufer aurum.* L.

Scibo] Antique pro sciam, ut aliis locis. R. D.

ACT. IV. SCENA V.

CHREMES. PYTHIAS.

ATAT! data hercle verba mihi sunt: vicit vinum quod bibi.
Ac dum accubabam, quam videbar mihi esse pulchre sobrius!
Postquam surrexi, neque pes, neque mens satis suum officium facit.
P. Chremes! C. Quis est? ehem Pythias: vah! quanto nunc formosior
Videre mihi, quam dudum! P. Certe tu quidem pol multo hilarior. 5

1 *Atat! data hercle verba mihi sunt*] Hic semigravis inducitur vino Chremes priorum memor, titubans in præsentibus, ut fere adpoti solent. *Atat!*] Interjectio est paulatim percepti atque intellecti mali. *Data verba*] Fraus facta. *Data hercle verba*] A milite, an a meretrice, cujus jampridem dolum malum in omni re suspicatus est? an magis a vino, quasi captioso aliquo, data verba sunt? quia bibere dulce est: ebrium fieri, turpissimum. adeo his quæ sequuntur, quasi subtilem fraudem ebrietatis inducit. Plautus di vino (Pseud. V. I. 6. *pedes captat primo, luctator doloso.* Virgil. de vua, Ge. II. 94. *tentatura pedes olim, vincturaque linguam.* D.

Atat! data] Hæc scena adolescentis narrationem habet, quod sit illusus. R.

2 *Ac dum accubabam*] Hic verba data sunt. *Quam videbar mihi esse pulchre sobrius!*] Nihil elegantius. Non dixit, videbar mihi tunc esse sobrius: sed, ut hoc ipsum jam erroris esset hac vinolentiæ accumulatio, *videbar*, inquit, *mihi nimium sobrius. Pulchre*] Fortiter ac nimis. D.

3 *Neque pes*] Ad incessum. *Neque mens*] Ad facta ac dicta. *Satis suum officium facit*] Bene: non enim, omnino non facit, nam hoc insani est: sed, non satis facit, quod est ebrietatis. D.

Neque mens, neque pes] Impedita omnia sunt vino, ut membra se ad actus suos explicare non possint. *Verbum hercle hoc*] Hoc proverbium in ætate sempiternum. E.

Apud Menandrum in Ἀρρηφόρῳ, auctore Athenæo, ebrius ita: Ἀνίσταμαι γοῦν τίσσαρας κεφαλὰς ἔχων. W.

Neque pes neque mens suum officium facit] I. e. neque incedere possum, neque cogitare, ut decet. Terentium imitatur Ovid. Art. Amator. I. 590. *officium præstent mensque pedesque suum.* v. Schulting. ad Sen. controvers. I. p. 121. R. D.

4 *Quis est? ehem Pythias*] Γνωμικῶς et satis miro exemplo, mutatam credit, postquam ipse mutatus est. *Quanto nunc formosior videre mihi, quam dudum!*] Hoc multum academicos juvat, qui aiunt: prout habiti fuerimus atque affecti, ita nobis aliud atque aliud videri: et ideo nihil certi comprehendi posse. D.

Cod. plerique, *Chreme.* B.

5 *Certe tu quidem pol*] Et *certe* et *pol*, hæc dixit, ut appareret hanc vere loqui, quæ sobria est: illum vero ex vino falli. Et honorifice, atque ut so-

C. Verbum hercle hoc verum est, sine Cerere et Libero friget Venus.

Sed Thais multo ante venit? P. An abiit jam a milite?

bria est: illum vero ex vino falli. Et honorifice, atque ut sobria, non dixit temulentior, aut lascivior, sed *alacrior*. D.

Pol multo hilarior] Ita omnes libri scripti: Donatus tamen, *alacrior*, legisse videtur. L.

Certo habet Bemb. Sed omnes nostri, *certe*: quod rectum est. B.

Dudum] I. e. paulo ante. Nam sæpe *dudum* dicitur de tempore non longo. v. Broukhus. ad Tibull. Eleg. III. 6. 63. R. D.

6 *Verbum hercle hoc*] *Verbum*, proverbium. ut idem in Andria, *verbum illud verum est, vulgo quod dici solet. Sine Cerere et Libero friget Venus*] Hoc si ad sententiam revoces, non conveniet ebrio: si ad petulantiam, quam * sic ante dictum est (*perquam ad rem apte dictum est*. Z.) Nam et improbior factus est. Et quum tropice locutus sit, tamen ordinem naturalem servavit: nam primum cibus, deinde potus, postremo libido venerea. *Friget* autem, quia omnis ejusmodi voluptas in calore sanguinis constituta est, qui his rebus aliter. Et *friget* proprie, non, adhæret. Translatum enim hoc proverbium a picatione vasorum, quæ frigida, (*frigidam*, uterque lib. Cæterum hanc interpretationem recte Erasmus in Adag. dicit frigidam) picem non tenent: quum alia multa (*multo*, edd. Venett.) meliora sint ad usum frigida, ut ferrum, argentum, aurum, et cætera hujusmodi. Nam sic alibi, *ubi friget, huc evasit*. Et vide tres μετωνυμίας, Cererem, Liberum, Venerem. D.

Sine Cerere et Libero] Cicero de Natur. deor. II. 23, *fruges Cererem appellamus, vinum autem Liberum; ex quo illud Terentii*, sine Cerere et Libero friget Venus. Minutius in Octavio. 21. *comicus sermo est*, venerem sine Libero et Cerere frigere. Hieron. Epist. ad Furiam: *etiam comicus, cujus finis est, humanos mores nosse atque describere, dixerit*: sine Cerere et Libero friget Venus. Theo. in Arat. καὶ ὀρθῶς Διόνυσος καὶ Ἀφροδίτη λέγονται μετ' ἀλλήλων εἶναι &c. Euripid. Οἴνου δὲ μηκέτ' ὄντος, οὐκ ἐστὶν Κύπρις. Achæus apud Athenæum lib. VI. 20. Ἐν τῇ κενῇ γὰρ γαστρὶ τῶν καλῶν ἔρως Οὐκ ἔστι· πεινῶσι γὰρ ἡ Κυπρις πικρά. Achilles Tatius Amor. lib. 2. Οἶνος γὰρ ἔρωτος τροφή. Pulchre Apuleius Miles. lib. 2. *Veneris hortator et armiger Liber advenit ultro; vinum illud sorbeamus hodie omne, quod nobis restinguat pudoris ignaviam, et alacrem vigorem incutiat: hac enim sitarchia navigium veneris indiget sola*. Vid. Fulgent. Mythol. lib. 2. Serv. Æneid. I. L.

Omnes nostri habent, *est* ut Andr. II. 5. 15. *verum illud verbum est*. Sed optimi libri Faerni, *erit*; quo verbo antiqui etiam præsentia et præterita significabant. Igitur, *erit*, retinendum putamus. B.

Verbum hercle hoc verum est] Bentlei. e. Mss. bene edidit *erit* pro *est*. Nam veteres verbo *erit* cum præsentia tum præterita confirmare solent v. in Heaut. V. 3. 12. secundum lectionem Bentl. in Phorm. V. 3. 18. interpretes ad h. l. et Gifanium in observat. ling. lat. p. 171. R. D.

Sine Cerere et Libero friget Venus] Sic Horat. Carm, III. 18. 6. crateram vocat Veneris sodalem, Apulei. Metam. II. p. 115. Liberum Veneris hortatorem et armigerum, ubi v. Pricæum. R. D.

7 *Sed Thais multo ante venit?*] Interrogative pronunciandum hoc. Et scias de his interrogationibus hanc ipsam esse, in quibus ita quærimus, ut qui interrogantur, responsuri nobis se (*quid responsuri nobis sint* Z.) nescire videantur. D.

An abiit?] V. C. *anne abiit?* L.

C. Jamdudum: ætatem. lites sunt inter eos factæ maxumæ.

P. Nihil dixit, ut sequerere sese? C. Nihil, nisi abiens mihi innuit.

P. Eho nonne id sat erat? C. At nesciebam id dicere illam, nisi quia 10

Lege, *sed Thais multo me antevenit?* P. *Anne abiit*, &c. Nam, *anne abiit*, codd. plerique. *Abiit* hic est disyllabon. B.

8 *Jamdudam, ætatem*] Quia, *jam dudum*, infinitæ moræ est: addit *ætatem*, ut ostendat multum abiisse temporis, ut factum est. *Jamdudum, ætatem*] Pro longinquo tempore; Lucilius, *ut multos mensesque diesque: non tamen ætatem. Ætatem*] Diu, longinquoque tempore ac prolixo, ut est ætas. Nam sic dicimus de die et *dieculam*, aliquantulam moram. D.

Ex omnibus codd. colloca, *lites factæ sunt inter eos m.* B.

Ætatem] I. e. diu, longo tempore. v. in Heaut. IV. 3. 38. et Duker. ad Flor. III. 13. p. 614. intelligitur præpositio *per*. R. D.

9 *Nihil dixit tum, ut sequerere sese?*] *Nihil*, pro non. Virgilius Æn. V. 751. *deponunt animos nil magnæ laudis egentes. Nihil, nisi abiens mihi innuit*] Apparet quasi iratam discessisse Thaidem a milite, et tamen sic iratam, ut illi ira consilium non ademerit. *Innuit*, inquit, *quum abiret*. D.

Abiens mihi innuit] Inter signa, quibus meretrices suis se amatoribus approbare nituntur, oculorum hi nutus, quos *νεύματα δόλια* Cyrillus vocat, maxime observantur. Nævius apud Isidor. Origin. lib. I. c. 25. *alium tenet, alii adnictat, alibi manus est occupata.* Id propter non neglexit Plautinus Diabolus, dum amicæ leges præscribit, in Asinaria IV. 1. 39. *neque illa ulli hómini nutet, nictet, annuat.* Sic amatorium erat, os alicui ad suaviandum formare. Apuleius in Miles. vel in convivio extrema parte potionis communicare: sive, ut ait Sophocles in Ajace, *ὁμιλεῖν βαθεῖαν τέρψιν ἀυλίων.* apud Plaut. et Petr. Arbitr. Unde apud Fortunatianum, *meretrix ex tribus amatoribus alium osculata est, alii residuum poculi dedit, alium coronavit. Contendunt. quem magis diligat.* Quod ipsum Photius ex Jamblichi *ἐρωτικοῖς* refert Biblioth. p. 133. *καὶ ἴρις τριῶν ἐραστῶν γίνεται . . * . . ὅτι τῷ μὲν ἡ Μεσοποταμία τὴν φιάλην, ἐξ ἧς ἔπινεν, ἔδωκε· τῷ δὲ τὸν ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ἐξ ἀνθέων ἀφελομένη στέφανον περιέθηκε· τὸν δὲ ἐφίλησε.* De coronis similiter cavit adolescens in Asinaria IV. 1. 58. *tum si coronas, serta, unguenta jusserit Ancillam ferre suam Veneri aut Cupidini, Tuus servus servet, Venerine eas det, an viro.* Hæc ergo sub Veneris signo militantium velut *παρασυνθήματα* Chremes, ut simplex ac rusticus, minime se intellexisse fatetur, ideo a Stratonico *στρατιωτικῶς* etiam tractatur. L.

Lege, *nil dixit, tu ut sequerere sese?* Nam, *tu*, et in Bemb. duobus aliis vett. reperitur, et suam hic habet emphasin. Vulgo legitur, *tum*. B.

10 *Eho nonne id sat erat?*] Adeo simplex hic inducitur adolescens, ut a Pythia reprehendi possit. Nam quid opus fuit dicere, si innuit? *(nil nisi innuit* Z.) *At nesciebam id dicere illam*] *Dicere* pro velle, vel significare. Sic alibi, *quasi tu dicas id factum consilio meo* (sic *φημὶ* Græcis dicitur. Z.) *Nisi quia correxit miles, quod intellexi minus*] Hoc videtur facetius et sapientius, quam dici ab ebrio, rustico, et adolescente debuisset. Hoc vitium tunc fit, quum poetæ ingenium suum in personas conferunt. D.

Correxit miles, quod intellexi minus: nam me extrusit foras.
Sed eccam ipsam: miror ubi ego huic anteverterim.

ACT. IV. SCENA VI.

THAIS. CHREMES. PYTHIAS.

CREDO equidem illum jam adfuturum esse, ut illam a me eripiat: sine veniat!
Atqui si illam digito attigerit uno, oculi illico effodientur.

11 *Quod intellexi minus*] Verisimile, hunc tantum extrusum fuisse, non etiam vapulasse: quia miles Thaidi magis, quam huic irascitur. D.

12 *Miror, ubi ego huic anteverterim*] Id est, hanc præcesserim. *Ubi*, in qua parte viæ. D.

Ubi anteverterim] Ubi ergo jam (lege, *ego eam*) antecesserim. E.

Sed eccam ipsam] Ms. R. *sed eccam ipsam video. Ubi ego huic*] V. C. *ubi ego hinc*. L.

1 *Credo equidem illum jam adfuturum esse, ut illam a me eripiat*] Vides ut ex ipsis appareat verbis, quam concita (*concitata*. edd. vett.) et recens a litigio veniat Thais. Itaque nec nominat militem, nec virginem: sed pronomine utrumque significat, quasi in medio constituta negotio. *Adfuturum esse*] Id est, adventurum: ut Æn. X. 143. *assuit et Mnestheus. Sine ut veniat*] Quasi dicat, sine * (forte leg. *sine, nil est*. Aut, *sine, video minas illius*. Aut, ut Wieling. conjicit, *minis terreor nullis*) nullis; et comminantis est: ut, *sine modo*. D.

Credo equidem] Hæc scena repetit puellæ accusationem, quod noluerit meretrix pacta servare. Verum anteponitur adolescens, qui adversus militem possit obsistere, ne conturbata (forte, *conturbatus* Z.) cum suam puellam duxerit (corrige, *repetierit*, sc. miles. vide nostrum sc. seq. 1. Z.) cedat, sed hanc audacter suam sororem esse dicat. E.

Dele, *esse*, cum vett. edd. nam ita, *illam*, in Arsi habebis; alioquin in Thesi. B.

A me eripiat] frequentius est *mihi eripiat*; sed alii quoque præpositionem huic verbo addunt, ut Liv. XII. 14. *jussit coloniam ex hostibus eripere* ubi v. Duk. R. D.

2 *Atque si illam digito adtigerit uno*] Moris comminantium est, ad exiguum revocare commissa, quæ se ulturos prædicent. *Oculi illico effodientur*] Et feminæ minæ sunt, et in libidinosos quam maxime: nam hunc suspicatur amatorem esse virginis. Sic et alibi, *ut ego unguibus facile illi in oculos involem venefico*. In oculos autem maxime sævire feminas, et tragœdiæ fere omnes, comœdiæ protestantur. D.

Lege, *átqui s. i. d. a. óculi illi illico éffodientur*. Nam, *uno*, non est opus, et, *illi*, absorptum erat a vicinis litteris, et postea ad versum sustentandum *uno* addiderunt. B

2 *Digito attigerit uno*] H. e. si illam leviter attigerit. Cic. Tusc. quæst. V. 19. *Lælius, si digito quem attigisset, pœnas dedisset*. v. Pricæum ad Apulei Metam. IX. p. 188. R. D.

Usque adeo ego illius ferre possum ineptias, et magnifica verba,
Verba dum sint: verum enim si ad rem conferentur, vapulabit.
C. Thais, ego jam dudum hic adsum. T. O mi Chremes, te ipsum exspectabam. 5
Scin' tu, turbam hanc propter te esse factam? et adeo ad te attinere hanc
Omnem rem? C. Ad me? qui? quasi istuc. T. Quia, dum tibi sororem studeo
Reddere et restituere, hæc atque hujusmodi sum multa passa.

3 *Usque adeo ego illius ferre possum ineptias, et magnifica verba*] Non dixit, usque adeo illum possum amare: sed, quam insuavis jam diu sit, ostendit, dicendo, *ferre possum*. Et cito ostendit, quæ sit amicitia militis. *Ineptias*, inquit, et *magnifica verba*. D.

Ejice illud *ego;* quod versui obest, et a Donato abest in edd. vett. B.

4 *Verba dum sint*] Hoc est, quæ vim non admisceant rerum. *Verum enim si ad rem conferentur, vapulabit*] Si discesserit a verbis, et rem experiri cœperit, vapulabit. Et bona locutio: ut si dicas, verba ad rem contulit, hoc est, agere, quod dicebat, aggressus est D.

Illud, *enim*, quod versum gravat, recte abest a Donati Msto et in edd. vett. B.

Magnifica verba] I. e. plene jactantia. Tibull. Eleg. II. 6. 11. *magna loquor. sed magnifice mihi magna locuto Excutiunt clausæ fortia verba fores*, ubi v. Broukhus. R. D,

Verba si ad rem conferentur] I. e. si quæ jactat exequi voluerit. R. D.

5 *Te ipsum exspectabam*] Ms. R. *te ipsum expecto*. L.

In omnibus nostris cod. est, *exspecto;* pro quo legendum puto, *expeto*. Nam alibi sæpe illa duo verba a librariis sunt permutata. Dein Thais, quæ ante et post in tetrametris plenis debacchatur, in hoc versu, vise Chremete, ubi defervet paulum ira, catalectico utitur. Denique sensus ipse postulat, *expeto*. Quomodo enim *exspectat*, qui ipse quæritat? Et quomodo Thais Chremen hic exspectabat, quem apud Thrasonem ipsa discedens deliquerat? B.

6 *Turbam hanc*] Turbationem. E.

7 *Ad me? qui? quasi istuc*] Et rusticus, et timidus, et pudens commotus est meretriculæ dicto. D.

7 Pro, *qui? quasi istuc*, cod. reg. Chartaceus, de optimo quodam transcriptus, et a manu secunda academicus recte habet, *qui quæso istuc?* B.

Qui quasi istuc] Recte Bentl. legit e libris suis *qui quæso istuc*. R. D.

8 *Hæc atque hujusmodi sum multa passa*] Mulier facunda meretrix, hæc imputat (*incultat repetendo* Z.) adolescenti quæ vidit, et alia quibus (addunt. *non*. codd. vett.) interfuit. *Reddere et restituere*] Proprie *redditur* cupientibus, ut domino servus: *restituitur* cupiens, ut patriæ civis: *redditur* et *restituitur*, cupiens cupientibus, ut parenti filius. Ergo in hac utrumque est, et reddi et restitui. D.

Hæc atque hujusmodi] Commendat hic munus, cum maximas se injurias passam dicit. E.

C. Ubi ea est? T. Domi apud me. C. Hem! quid est?
T. Educta ita, uti teque illaque dignum'st. C. Quid ais? T. Id quod res est:
Hanc tibi dono do, neque repeto pro illa quicquam abs te pretii.
C. Et habetur, et refertur, Thais, a me, ita uti merita es, gratia.
T. At enim cave, ne prius, quam hanc a me accipias, amittas, Chreme.
Nam hæc ea'st, quam miles a me vi nunc ereptum venit.
Abi tu, cistellam, Pythias, domo effer cum monumentis.

9 *Hem!*] Extimuit adolescens, cum sororem suam in domo meretricis esse audivit: cui rei statim occurrit Thais. D.

Ut hic sit Trochaicus, qui succedat tetrametris plenis, ut semper, pronuncia sic: *ubi ea'st? Dómi apud me. Hém. Quid est?* B.

10 *Educta*] Subauditur *est*. *Uti teque illaque dignum est*] Bene purgavit, quod ex fastu meretricio exspectabatur (ope codd. vett. restituo, *quod ex astu meretricio spectatur:*) non inquit, ut me dignum est, apud me est. *Quid ais?*] Recte: quia mirum, apud meretricem liberaliter educatam. D.

Quid ais?] Vehementer miratus adolescens, quod (*quum* Z.) apud meretricem educta sit soror, quemadmodum dictum, *ita uti teque illaque dignum est*. E.

Id quod res est] I. e. verum, infra V. 5. 9. *quod res est*. R. D.

11 *Hanc tibi dono do*] Melius dixit (Westerh. inservit *quam*. male Z.) *dono*: ut donum placidius videatur et præstantius. *Neque repeto pro illa abs te quicquam pretii*] Ex eo quod potuit jure facere, beneficium demonstravit, oratorie dicens serio non (*rem se* Z.) esse facturam. D.

12 *Et habetur et refertur a me Thais*] Qui habet apud se gratiam, nondum retulit. *Retulit*, qui destitit habere. Multum ergo hic dixit, et *habetur gratia* et *refertur*. Quem sensum transtulit Sallustius in bellum Jugurthinum c. 110. *arma, pecuniam, sume, utere: et quoad vixeris, nunquam redditam tibi gratiam putaris* (*imputaris* edd. Ven.) *semper apud me integra erit*. D.

Faernus recte ex Bemb. et aliis libris vett. et sensu vult legi, *referetur*. Nam *referre gratiam* in præsentia non poterat, sed pollicetur se relaturum. B.

Et habetur et refertur gratia] *Habere gratiam* est memorem se officiorum præstare. *referre gratiam* rebus ipsis beneficia pensare. v. Cort. ad Sallust. in Jug. c. 110. R. D.

13 *Ne prius, quam hanc a me accipias, amittas, Chreme*] Hoc in comœdia licet more vulgi dicere. Cæterum non potest amitti, quod nondum acceptum sit. An quia jam dudum sumtum sit? (Verba *an—sit*, Guido Juvenalis omisit, forte, quod aliunde assuta viderentur). D.

14 *Nam hæc ea est, quam miles a me vi nunc ereptum venit*] Non ad deterrendum, sed ad præparandum animum adolescentis hæc dicit, quem audacem putat, aliter ac res ipsa est. Nam mox Thais mutabit orationem, et dicet, *quicum res tibi est, peregrinus est: Minus potens quam tu, minus notus, amicorum hic habens minus*. D.

15 *Cum monumentis*] *Monumenta* sunt, quæ Græci dicunt γναφίσματα καὶ σωράγγια (utraque Veneta, λείψανα σωράγγια). D.

C. Viden' tu illum, Thais? P. Ubi sita'st? T. In risco. odiosa cessas?

C. Militem secum ad te quantas copias adducere! Atat! T. Num formidolosus, obsecro, es, mi homo? C. Apagesis,

Abi tu, cistellam] Soliti fuerant semper, quos exponebant, aliquid dare monumentorum pueris, ut ex his monumentis fieret postero tempore cognitio. Hæc igitur monumenta petit, uti de cistella deferantur: quo facilius Chremes inter locutus (*instructus* conjicit West. Sed melius, *intrepidus*, s. *interlocuturus* Z.) sit, quod militem venire videat. illa (*ancilla*) intercedit, tamen, interrogans ubi cistella. E.

Cum monumentis] Infantes antiquitus, cum alienæ misericordiæ exponebantur, moris erat ἐπισήμοις quibusdam donis muneratos, relinquere: quæ Græci γνωρίσματα, Latini crepundia vel monumenta vocant. Plaut. Rudent. IV. 4. Velut Apul. in Apol. *crepundia sacrorum* dixit, quæ ibidem *monumenta, signa*, et *memoracula sacrorum* vocat. Idcirco vero dabantur, ut essent signa, quibus meliori tempore agnoscerentur. quod nemini ignotum esse potest, qui antiquorum fabulas legit, et Heliodorum, Longum, Parthenium, Phleg. Trallianum, Neronis Troica apud Servium Æneid. V. Sic Faustulus, ut monumentum aliquod exhiberet agnitionis Remi et Romuli, τὸ γνώρισμα τῆς ἐκθέσεως τῶν βρεφῶν τὴν σκάφην ἀναλαβὼν ἐξέπεμψεν εἰς τὴν πόλιν. Dionys. Halicar. libr. I. p. 69. At vero non sic tantum cum munusculis, immo etiam inusti in cute notis sæpissime abjiciebantur, agnitionis indicium præbituris. velut de Œdipo legimus apud Mythologos, et Trogi Justinum libr. 64. 4. de Habisd. *tunc et lineamentorum similitudine, et notis corporis, quæ inustæ parvulo fuerant, nepos agnitus.* Quod ideo monendum puto, quia ab omnibus, qui hac de re scripserunt, id neglectum video. Cæterum quibuscum pueri ludunt, crepundia, Græcis σπάργανα sunt: ut etiam in actis concilii Chalcedon. καὶ ἡ μὲν πιστὶς τοῦ βρέφους διὰ τὴν τῶν σπαργάνων ἐντέλειαν ἐπιγινώσκεται; eaque perinde ac nunc quoque, e collo pueris pendere solebant. Plaut. Milite V. 6. *faciam quasi puero e collo pendeant crepundia.* Adhelmus de Virginitate: *crepundia collo gemmiferis lunulis pendentia.* L.

Monumentis] Monumenta plerique interpretes explicant crepundia vel alia signa, cum quibus infantes exponi solebant, ut meliore tempore agnoscerentur quæ Græci vocant γνωρίσματα. v. Lindenbrog. h. l. et quos laudat cl. Albertus ad Hesychium in hac voce. Enimvero hæc puella non est exposita, sed a prædonibus rapta et mox vendita. Sunt igitur monumenta vel signa, quod infra vocat, vestes, ornamenta vel aliud quodlibet quod puella tum, cum raperetur, secum habebat. Huc referendum supra III. 3. 16. *ecquis cum ea una quid habuisset, cum perit.* R. D.

16 *Viden' tu illum, Thais?*] Longe videre, timoris est indicium. *Ubi sita est?*] Trepidantes personas immiscuit. *In risco*] Cista pelle contecta: nomen Phrygium. D.

In risco] *Riscum* cistellæ genus de vimine factum, et tectum corio, intelligimus. E.

In risco] Glossar. Λάρναξ, *arca, riscus.* Glossæ Lat. *scrinium, riscus.* L.

In risco] riscus est vimenia cistula pellibus contexta. v. Pollucem X. 31. et Cujacii observat. VIII. 1. R. D.

17 *Quantas copias*] Proprie dixit *copias*: nam sic dicuntur legiones in unum collectæ. Convenit tamen rudi et rustico adolescenti, sex homines *copias* dicere: militem scilicet, Parasitum, Donacem, Syriscum, Simalionem, Sangam. D.

18 *Num formidolosus obsecro es, mi homo?*] *Formidolosus*, et terribilis, et

Ego formidolosus? nemo'st hominum, qui vivat, minus.
T. Atque ita opus'st. C. Hau! metuo, qualem tu me hominem existumes.
T. Imo hoc cogitato; quicum res tibi est, peregrinus est.
Minus potens quam tu, minus notus, minus amicorum hic habens.
C. Scio istuc. Sed tu quod cavere possis, stultum admittere'st.
Malo ego nos prospicere, quam hunc ulcisci, accepta injuria.
Tu abi, atque obsera ostium intus, dum ego hinc transcurro ad forum.

timidus intelligitur. *Apagesis*] Plautus in Trinummo *apage amor* II. 1. 25. D.

Apagesis] Hoc est, timidus ego? discede, non sum. E.

19 *Egon'* omnes Faerni codd. et nostri, uno excepto. B.

20 *Atque ita opus est*] Ut minus formidolosus sis. *Metuo, qualem tu me esse hominem existumes*] Videtur ebrius factus hic Chremes jam etiam displicere nolle mulieri. Nam idcirco fatetur, se timere malam opinionem Thaidis de se. Et, *metuo qualem tu me existimes*, nove dixit, pro, *metuo ne ignara sis*. D.

Omnes nostri, *hau*, vel, *au*. Sed Faerni fere omnes, *ah*. Recte. B.

21 *Peregrinus est, minus potens quam tu*] Quam * post quam tamen ipsa non eloquitur, quid efficiatur: ex eo quod ait, *peregrinus est, minus potens quam tu:* bene sic dixit (locum ita ordino; *post* QUAM TU *ipsa non eloquitur, quid efficiatur ex eo quod ait:* PEREGRINUS EST; MINUS POTENS QUAM TU. *Tamen bene sic dixit*): quia tardum fuit dicere, *ille impotens, tu potens*, et cætera. D.

23 *Sed tu, quod cavere possis, &c.*] Ostendere vult Terentius, plures sententias ad timiditatem congruere, quam ad audaciam. Nam et mox dicturus est, *omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet*. Quia ex providentia timor, ex audacia temeritas provenit. *Admittere est*] Fieri sinere. Et melius dixit, quam *pati:* hoc generale est. Nam nunc *admittere*, pati fieri significat. D.

Tu quod cavere possis] Menander apud Stobæum: *εὐήθειά μοι φαίνεται δηλουμένη, Τὸ νοεῖν μὲν ὅσα δεῖ, μὴ φυλάττεσθαι δ' ἃ δεῖ.* Augustin. de vita beata: *verissima est illa sententia: Nam tu quod vitare possis, stultum admittere est.* L.

Σωφρονέστερον δ' οἶμαι τοῦ μετὰ τὸ παθεῖν ἐγκαλεῖν τὸ πρὶν παθεῖν φυλάξασθαι τὸ μὴ παθεῖν. Menander apud Stob. W. Plato, *νήπιον παθόντα γνῶναι.* Z.

24 *Malo ego, nos prospicere*] Providere ne fiat: id est, prospicere et cavere ab eo quod præcedit, id quod sequitur. *Accepta injuria*] Hic causa ostenditur, cur illud malit. D.

25 *Ostium obsera intus*] Pavidi consilium nihil aliud continet post (*quam* Z.) claustra et fugam. Nam *sera* est claustrum januæ. *Transcurro ad forum*] *Transcurro* dixit, non, *curro:* ut proximitatem fori ostenderet. D.

Obsera ostium] *Serare* est claudere. Ita compositum *obserare*. contrarium est vero, *reserare*, quod est aperire. B.

Transcurro ad forum] In foro nimirum causidici obambulabant, expectantes cui advocationem linguæque venale servitium venderent. De hisce

Volo ego adesse hic advocatos nobis in turba hac. T. Mane.
C. Melius est. T. Mane. C. Omitte, jam adero. T. Nihil opus est istis, Chreme:
Hoc modo dic, sororem illam tuam esse, et te parvam virginem
Amisisse; nunc cognosse. signa ostende. P. Adsunt. T. Cape.
Si vim faciet, in jus ducito hominem: intellextin'? C. Probe.
T. Fac animo hæc ut præsenti dicas. C. Faciam. T. Attolle pallium.

forensibus Cerberis Ammian. Marcell. lib. XXX. *videre est per eos omnes tractus violenta et capacissima genera hominum, per fora omnia volitantium,* &c. Justinian. Const. de novo cod. fac. et alibi passim. Atque inde etiam ἀγοραῖοι vocantur, licet Œcumenius παρὰ τὸ ἀγορεύειν, ὅ ἐστι δημηγορεῖν, eos dictos velit. In Act. Apostolor. cap. κθ. pag. 87. L.

26 *Volo ego*] Quasi minus timeat: *cupio* non inquit, sed *volo*. *In turba hac*] Vide timidum *turbam* appellare, quam mulier non timet. D.

Nobis in turba hac] Ms. R. *advocatos nobis*. T. *Mane, mane*. L.

Transcurro] I. e. celeriter curro in Hec. III. 4. 17. *in arcem transcurso opus est*. R. D.

27 *Melius est*] Fugæ (*fugiendi*, libb. vett.) occasionem hic cupit dari. *Mane*] Hoc, gestu jam adjuvatur. *Omitte, jam adero*] Ex hujus (forte, *hisce*) verbis apparet, etiam manu comprehensam esse adolescentem. *Omitte, jam istic adero*] Quia causam probari non videt, celeritatem redeundi pollicetur. *Nihil opus est istis*] *Istis*, utrum advocatis, an istis omnibus quæ dixisti? (Dubium non est, quin sit sermo de advocatis.) Virgilius, *aut quid petis istis?* Æn. IX. 94. D.

28 *Hoc die modo, sororem illam tuam esse*] Ordine est exsecutus: primo utrum personam habeat, *dic sororem*, inquit, *illam tuam esse*. Utrum negotium habeat, *et te parvam virginem amisisse*. Cur hodie agat, *nunc cognosse*. Et unde probet, *signa ostende*. Hæc omnia sic pronuncianda sunt, ut et justa et factu facilia demonstrentur. D.

Nostri collocant, *sororem esse illam tuam*. Recte. Nam, *illám tuam esse*, male acuit ultimam. B.

30 *Si vim faciet, in jus ducito hominem*] Et recte: quia violento civiliter resisti solet. D.

In jus ducito] Ad forum in judicium. E.

31 *Fac animo hæc ut præsenti dicas*] Hæc non dicerentur a Thaide, nisi in illius vultu pavor nimius appareret. *Faciam*] Adjuvandum pronunciatione: *faciam* enim, timide dictum est. *Attolle pallium*] His verbis Chremetis (*Chremes*, legunt edd. Ven. Sed lege, *Thais*. Nam pro Th. librarii legerunt Ch. Hactenus *West*. Sed forte Donatus scr. *Chremes*; et verba, *attolle pallium*, tribuit ipsi Chremeti. Z.) demonstravit, nimium liberaliter (forte *illiberaliter*) pavidi adolescentuli animum. *Attolle pallium*] Vel quia simplex est, vel quia ebrius, pallium trahit Chremes (vel quia ante detractum erat a Thaide retinente, vel ut ad fugam aut pugnam esset expeditior, si verba sunt Chremetis. Z.) D.

Perii! huic ipsi est opus patrono, quem defensorem paro.

ACT. IV. SCENA VII.

THRASO. GNATHO. SANGA. CHREMES. THAIS.

HANCINE ego ut contumeliam tam insignem in me accipiam, Gnatho?

Attolle pallium] Quoniam comœdia Athenienses personas habet, idcirco *pallium* dixit. Sunt enim comœdiæ quæ *togatæ* dicuntur, quæ personas Romanas habent. E.

Lege cum edd. vett. *fac animo hæc præsenti ut dicas.* B.

Animo præsenti] I. e. intrepido, nihil turbato in Phorm. V. 7. 64. *animo virili præsentique ut sis.* Cic. de offic. I. 23. *præsentis animi uti consilio.* Contrarium est *non apud se esse.* Andr. II. 4. 5. R. D.

Attolle pallium] Sic enim expeditius currere poterat. Plaut. in Capt. IV. 1. 2. *conjiciam in collum pallium primo ex me hanc rem ut audiat.* R. D.

32 *Perii! huic ipsi est opus patrono*, &c.] Hæc meretricis querela, rudem adolescentulum magis et honeste natum, quam culpandum esse demonstrat. D.

Ipsi est opus patrono] Hic, inquit, qui mihi defensor paratur, ita timet, ut ei potius patronus adhibendus sit. E.

1 *Hancine ego contumeliam*] Hic rursus inepti vanitas militis demonstratur, ad amicam tanquam ad hostilem exercitum pergentis irritato animo, concitato cursu, inclinata (*undanti*, edd. Ven. Ms. Bœnd. et ed Du B. recte. Nam ita notatur militis corpus succussantis, et ridicule fastuosi, et truculenti ingressus. De ejusmodi quoque milite Plaut. Epid. III. 3. 54. *sed hic quis est, quem huc advenientem conspicor, suam qui* undantem chlamydem *quassando facit?*) chlamyde, trepidi et quatientis caput. Et hæc verba pro hortatu imperatoris accipienda sunt: quandoquidem omnia de exercitu transferuntur. *Contumeliam* vero proprie, et ut miles (contumeliam. *propria, non ut miles, sed ut nequam.* (edd. Venet. Ms. B. et ed. Du B. recte.) Sallustius, *ne qua contumelia*, &c. *Contumeliam tam insignem in me accipiam, Gnatho?*] Apparet Gnathonem et dehortatorem esse certaminis, et ad pocula militem provocare: maxime cum videat persuasisse ista consilia, ut hoc certamen moveretur. *Tam insignem*] *Insignem*, ut miles dixit, quia *insignia* amorum sunt. D.

Hancine ego] Repetiturus, ut diximus, puellam, advenit miles exemplo; sic enim supra etiam Thais ipsa dixerat: *velle se illam mihi dare, verum id vereri, ne ubi acceperim, esse relinquam.* Et alio loco; *fidem habeat, se iri præpositum tibi apud me.* Nunc vero cum de Chærea (*Phædria* Z.) pactum sit ut præponatur ille, et hodie introduxerit Chremetem, quem miles suspicatur amatorem, dicit contra pactum esse hoc factum. unde istum credit repetiturum esse, quod dono dedit. Et vide militis gloriosi stultitiam, quasi aciem et prælium ante disponit. et eo (*ei* Z.) consensum commodat parasitus, quem colacem in hac comœdia intelleximus. E.

Particula, *ut*, inprimis cum adjuncta particula, *ne*, servit interrogantibus ad indignationem exprimendam; ut And. 1. 5. 28. *Eine ego ut adversor?* h. e.

Mori me satius est. Simalio, Donax, Syrisce, sequimini.

Primum ædeis expugnabo. G. Recte. THR. Virginem eripiam. G. Probe.

THR. Male mulctabo ipsam. G. Pulchre. THR. In medium huc agmen cum vecti, Donax:

plane indignum est ei adversari. Horat. Sat. II. 5. 16. *ut ne tegam Spurco Damæ latus?* Homerus ad hanc rem significandam, fere utitur illo *πμεσσυτέν*. Cf. Drakenb. ad Liv. IV. 2. Z.

Ut accipiam] Intelligendum: *an patior* vel simile quid. Eadem ellipsis in interrogatione in Andr. I. 5. 28. *eine ego ut adverser* III. 5. 12. *tibi ego ut credam.* v. Perizon. ad Sanctii Minerv. I. 13. p. 94. R. D.

2 *Mori me satius est*] Ridicula præsumptio: tanquam adversus meretricem jurgia nunquam Thraso sumere ausus esset, nisi morte proposita. Ergo velut mortis contemtu opus est ad tale prælium. *Mori me satius est*] Tanquam aliter miles adversus mulierem audere non posset, vel quia nihil (lege ἀπὸ κοινοῦ, MORI ME SATIUS EST. *Vel quia miles,*) vel quia amator. *Mori me satius est*] Quasi ille sibi dicat vel molestum esse certamen, vel amicam non esse lædendam. *Simalio*] Et (*et* abest ab edd. Ven.) hoc concitate pronunciandum est. *Sequimini*] Hujusmodi militia per tumultum repente suspicitur, et dicitur *evocatio*: ubi dux alloquitur cives, *qui rem publicam salvam vultis, me sequimini.* Unde Virgilius sic ait Æn. VIII. 693.—*desuetaque bello Agmina in arma vocat subito, ferrumque retractat.* Æn. VII. 614. *ipse vocat pugnas; sequitur tum cætera pubes.* D.

Simalio, Donax] Ms. R. et vett. libb. *Doras:* ut et in scriptis exemplaribus Priscian. libr. VII. pag. 766. L.

Bentleius edidit, *satiu'st.* Z. Menander apud Stobæum simile quid dicit: Ἁπλοῦν γὰρ ἦν, τὸν μὴ δυνάμενον ζῆν ἀλύπως, ἀποθανεῖν. W.

Sequimini] Donatus ad h. l. erudite annotat, hujusmodi militiam per tumultum repente susceptam vocari evocationem, ubi dux ita alloquitur cives *qui rem publicam salvam vultis me sequimini.* Qui sic ad arma vocati erant, proprio verbo dicebantur *evocati.* Cic. ad Div. III. 6. Grævius ad Flor. III. 17. p. 633. R. D.

3 *Primum ædes expugnabo*] Debet hic esse vociferatio vana ad hoc, et verbum militis cum quodam motu ingenti, et per immanes minas, sine ulla vi rerum. Vanaque comminatio est, velle ædes expugnare, cum foris sit meretrix (locum ope codd. ita restituo: *debet hic esse vociferatio vana, ad hoc, ut verbo miles cum quodam metu ingenti, et per immanes minas, sine ulla vi rerum, vanaque comminatione velle videatur ædes expugnare, cum foris sit meretrix.*) D.

Recte probe, pulchre] Vid. Jo. Sarisberiens. Polycrat. lib. VI. cap. 30. L.

4 *Male mulctabo ipsam*] Vide ordinem belli. Primo expugnatio mœnium; tum recuperatio captarum rerum; demum pœna prædonum. *Pulchre*] Postquam non obtinuit, quod volebat Gnatho, assentatur ad omnia. Vide autem manifestam irrisionem ex ipso genere laudandi. Nam quid est in *ædium expugnatione* recti? quid in *virginis ereptione* probitatis? quid in *male mulctanda muliere* pulchritudinis? Sed hoc est, quod ait supra de se ipso parasitus. *quicquid dicunt, laudo. In medium huc agmen cum vecti, Donax*] Mire composita ad contemtum nomina legionariorum sunt. Nam *Donax* ab arundine, veluti sit inanis et fragilis, nomen sortitus est (Pollux IV. 9. καὶ Δόναξ δέ τινα ὑπολύριον οἱ καμικοὶ ἐπήμαζον, ὡς πάλαι ἀντὶ κεράτων ὑποτιθέμενον ταῖς λύραις) *In medium huc*] Ridicule satis. Armaturas leves non putat adversus Thai-

Tu, Simalio, in sinistrum cornu: tu, Syrisce, in dexterum.

Cedo alios: ubi centurio'st Sanga, et manipulus furum?
S. Eccum adest.

Thr. Quid, ignave, peniculon' pugnare, qui istuc huc portes, cogitas?

dem idoneus: et ideo agmen (Donacem) cum vecti vult venire in medium (adde, *agmen.*) An ideo cum vecti, quia ad expugnationem venitur adhuc? D.

In medium huc agmen cum vecte. manipulus furum] *Manipuli* dicuntur in legione, certi et collecti milites; quemadmodum turma est, ita et manipulus. Et hic miles manipulum se habere dicit furum. E.

Recte a Bentleio est editum, *mulcabo*. Nam *mulctare*, quod sæpe a librariis pro *mulcare* positum esse ostendit Taubmann. ad Plaut. Most. IV. 2. 23. et Burmann. ad Phæd. I. 3. 9. de pœna primum pecuniaria, deinde alia adhibetur; sed *mulcare* est verberare, nimis mulcere, acerbe commitigare, ut Omphale Herculem commitigavit Sandalio, aut, ut graculus superbus *male mulcatus* est a pavonibus. Phæd. l. l. Z.

Mulcabo] *Mulcare* proprie est mollire, dissolvere, hinc verberare, pulsare et quovis modo male accipere in Ad. I. 2. 10. *rem familiarem mulcavit neque ad mortem* ubi v. Donat. Phædr. Fab. I. 3. 9. *male mulcatur gyaculus.* Tacit. Annal. I. 38. *postratos verberibus mulcant* ubi v. *Lips.* Hoc verbum sæpe confunditur cum *multare* i. e. pœnam pecuniariam imponere, ut critici sæpe monuerunt. v. Gronov. ad Liv. XXVIII. 30. Duker. ad Liv. III. 11. et interpretes ad Sueton. Cæsar. c. 17. R. D.

Vecti] Vectis est instrumentum portis effringendis aptum *vecti* in ablat. dicitur pro vecte. v. Bentlei. ad Horat. Serm. I. 5. 72. et Drakenb. ad Sil. Italic. VII. 368. R. D.

5 *Simalio*] A simia, vel a simia derivatum est, ob fœditatem oris vel nasi. *Syrisce*] Jam diminutivum est a Syro. *Tu Simalio in sinistrum cornu: tu Syrisce in dexterum*] Hic agmen instruitur. Facetum autem est, cum a rebus magnis res ridiculæ derivantur. D.

6 *Cedo alios*] Non *reliquos* dixit, sed *alios*, quasi multi sint. *Sanga*] Nec sangarius, saltem ut nomen esset? *Manipulus furum?*] *Manipulus* proprie est militis. Cum Romani et Latini sub uno centurione bellum aggressuri deputabantur, sibi certum vel coronam ex manipulo herbæ vel hujusmodi conficiebant, quem pro signo sequebantur. Merito ergo centurionem videns, *manipulum* desideravit: hoc est, coquum videns, convivas desiderat: qui apparaverat, quotiens locus affuit, id est, convivium est constitutum (Ms. B. *vel quotiens convivium est institutum.* Aut leg. *quotiens et locus dictus, et tempus convivio constitutum affuit*). Alii *manipulum furum*, coci discipulos dici putant. *Eccum adest*] Pro se se pro discipulis Sanga. D.

Manipulus furum] Manipulus in militia Romana est certus numerus militum extraetus centuriis. Fures sunt servi, quorum furacitas sæpe notatur. Virg. Ecl. III. 16. et ibi Serv. R. D.

7 *Quid? ignave*] Apparet, coquum ad repentinum strepitum sic exisse, ut ad artem suam fœrat expeditus. D.

Quid, ignave, peniculon'?] Intelligimus Sangam coquum cum peniculo egressum, ac propterea militem interrogare cum (*cur*) peniculum portet. Sed quoniam et familiæ, et domini mores novit, perite respondit: *egone? imperatoris virtutem noveram et vim militum.* E.

Peniculone pugnare] Glossar. *peni-*

S. Egone? imperatoris virtutem noveram, et vim militum,
Sine sanguine hoc fieri non posse, qui abstergerem vulnera.
THR. Ubi alii? S. Qui, malum, alii? solus Sannio servat domum. 10

culum σπογγιῖον, σπογγάριον: pro quidem ad vulnera sive abstergenda, sive obliganda uti solere, ex medicorum libris satis notum. Apuleius Meles. I. *quod vulnus, qua maxime patebat, spongia affulciens.* Auson. Idyll. IX. *impingas spongiam.* Et apud Plautum Menech. I. 1. 1. parasitus *Peniculum* se vocari dicit, *quod mensam, quando edit, detergeat.* Arrian. Epict. lib. VII. cap. 26. *ἀρσν τὰς τραπέζας, σπόγγισον.* Ulpian. l. 12. §. 22. ff. de instr. et instrum. *perticæ, quibus araneæ detergantur: item spongiæ, quibus columnæ, pavimenta, podia extergantur.* Hic ergo primus usus spongiarum. Dein, certa quadam arte coactis, *καρδιοφύλακος* loco illis utebantur. Aristophanes Ranis: *οἷσε μοὶ πρὸς τὴν καρδίαν σπογγιάν.* Ridicularia sunt quæ sequuntur, et nimia ut hic perscribantur. Quæ vero ex Livio, Tertulliano, Aristæneto, aliis addi possent, jam pro compertis habentur. L.

Omnes codd. nostri, *istunc huc*, præter Petrensem, ubi recte, *istum huc.* Festus enim; *peniculi, spongiæ longæ propter similitudinem caudarum appellatæ.* B.

Peniculo] Peniculus est spongia oblonga sanguini sistendo a caudæ similitudine sic dicta. Veteres caudam penem vocabant quod nomen in obscœnis hæsit. A *penis* duplex est deminutivum peniculus et penicillus. v. Festum in hac voce et Lindenbrog. ad h. l. R. D.

8 *Egone?*] Hæc causa est. *Imperatoris virtutem noveram, et vim militum*] Hoc plus habebit salis, si sic intellectum fuerit, ut Sanga uno eodemque tempore et quærat quid dicat, simulque respondeat, *hoc noveram, sine sanguine fieri non posse*, scilicet: *ἀπροσδοκήτως.* Quid igitur, si hoc sciebat? D.

9 *Qui abstergerem vulnera?*] Quasi hoc fuerit auxilii genus. Quid hoc est? unde vulnera? quorum vulnera? utrum utriusque partis? An, quod magis ridiculum est, suorum? D.

Abstergerem vulnera] Priscian. lib. IX. L.

Nostri omnes cum edd. vett. et Prisciano, longe numerosius, *sine sanguine hoc non posse fieri.* In Bemb. et Victor. est, *volnera.* Cæterum octonarius stat producta penultima in *abstergerem.* B.

10 *Qui malum*] *Malum*, per *παρένθεσιν* suaviter infertur. Plautus in Epidico, *quæ, malum, hæc imprudentia est?* Et non interponitur *malum*, nisi oculis conversis ad eum, qui id, quod reprehendimus, dixerit. *Malum* nunc interjectio est. *Solus Sannio servat domum*] Hæc figura *παρόμοιον* dicitur. *Solus Sannio servat domum*] Ut, Æn. III. 183. *sola mihi tales casus Cassandra canebat. Servat domum*] Pro remanet ut observet. Nam *servat domum*, rectum erat: non, *servat domi*, si *custodit* intelligeretur. Vel *servat*, pro sedet: ab eo quod sequitur, id quod præcedit. Nam non servat, nisi qui prius in eo loco sederit. D.

Solus Sannio servat domi] Aut absolute dictum *servat domi*: aut, *servat ea, quæ domi sunt.* E.

Solus Sannio servat] Ammian. Marcell. lib. XIV. *Ne Sannione quidem, ut ait comicus, domi relicto.* L.

Bentl. edidit, *domi.* Recte. Nam sic *servare*, h. e. observare diligenter, et custodire, occurrit Plaut. Most. II. 2. 21. *natus nemo in ædibus servat.* et alibi. Z.

Servat domi] H. e. custodit ea, quæ sunt domi. Eadem eleganti brevitate Plautus in Aulul. I. 2. 3. *redi-*

THR. Tu hosce instrue: hic ego ero post principia: inde omnibus signum dabo.

G. Illuc est sapere! ut hosce instruxit, ipsus sibi cavit loco.

THR. Idem hoc jam Pyrrhus factitavit. C. Viden' tu, Thais, quam hic rem agit?

Nimirum consilium illud rectum'st de occludendis ædibus.

THA. Sane, quod tibi nunc vir videatur esse, hic nebulo magnus est; 15

num jam intro atque intus serva. v. Gronov. in lection. Plautin. pag. 122. R. D.

11 *Post principia*] Magnifice ad risum commovendum: nam dicere debuit, *post vos*. Et hunc locum sibi optimum elegit, ut timidus. *Post principia*] Militare dictum est. Et ambigunt multi, an in extremo agmine sit hic locus, an in medio. *Inde omnibus signum dabo*] Tanquam non omnibus dari possit, si aliunde detur. D.

Ego post principia] *Principia* dicuntur acies et frons prima exercitus. Ita *post principia*, est postrema aciei pars. Denique intelligens parasitus, prudentem appellat militem, quod sibi in periculoso loco caverit. E.

Dele, *hic*, cum cod. Petrensi: quod frustra versum onerat et impedit. B.

Post principia] Principia in acie Romana sunt prima signa primi ordinis, frons aciei, quæ omne discrimen excipit. Qui igitur post principia stat, tutus est, propugnatores habet. v. Gronov. observation. IV. 10. p. 157. R. D.

12 *Ipsus sibi cavit loco*] An *loco* simpliciter, quia post principia? an *loco*, in loco, opportune et ἰναίρως? Terentius in Adelphis, *pecuniam in loco negligere, interdum maximum est lucrum*. An pro *de loco*? D.

Sibi cavit loco] I. e. de loco. præpositio *de* sæpe omittitur. R. D.

13 *Idem hoc jam Pyrrhus factitavit*] Irridet quidem poeta: veruntamen ostendit officium imperatoris hoc esse, ne se in periculum projiciat. Sic Sallustius, *et in prœliis actu promtus*. Et hoc totum, quasi in Palliata: sed concessum poetis fuit. Pyrrhus autem peritissimus stratagematon fuit: primusque, quemadmodum ea disciplina per calculos in tabula traderetur, ostendit. D.

Verba, *idem hoc jam P. f.* plerique libri tribuunt Gnathoni; quod non est opus. B. Temere Daceria vult legi, *factitat*. Nam etiamsi Menander, cujus temporibus vixit Pyrrhus, usus sit fortassis tempore præsenti: Terentius tamen et potuit, et debuit præterito uti tempore. Z.

14 *Nimirum consilium illud rectum est*] Illud *rectum est*, et nova locutio, et superiori similis, *nimirum dabit hæc Thais mihi magnum malum* (excidit, NIMIRUM RECTUM EST Z.): pro, sine dubio rectum est. D.

15 *Sane, quod tibi nunc vir videatur esse, hic nebulo magnus est: ne metuas*] Figurata locutio, et præterea ἐναίσιμον intermixtum. Nam hic ordo est, *sane hic nebulo est, ne metuas*. An hic erit ordo et sensus, ut sit dictum, *ne metuas: sane qui tibi vir videtur esse, hic nebulo magnus est*. Et recte: nam obterretur adolescens et ætate militis, quod jam vir est: et magnitudine, quod magnus corpore: quæ utraque in illo vana esse, meretrix, ut experta, denunciat. *Nebulo* autem, vel inanis, vel va-

Ne metuas. THR. Quid videtur? G. Fundam tibi nunc nimis vellem dari,
Ut tu illos procul hinc ex occulto cæderes: facerent fugam.

nus, aut mollis, ut est nebula, dicitur (forte excidit, SANE, ad quod sequens pertineat Schosion. Z.) Et hoc εἰρωνικῶς dictum est. Meretrix, frustra metuentem corripiens Chremetem, *sane*, inquit, *quid tibi nunc vir videatur esse.* et deest, *non est;* ut sit, non est quod tibi nunc vir videatur esse: hic nebulo magnus est. Sic et alibi, *si in platea hac te offendero post unquam, nihil quod dicas mihi, Alium quærebam: iter hac habui: peristi.* Ut sit, non est, quod dicas mihi. D.

Quod tibi nunc vir videatur esse hic, nebulo magnus] Glossarii auctor hunc locum in mente habuit: qui sic interpretatur: Μάταιος, *inanis, cassus, vanus, nebulo.* Terentius Eunucho: *sane quod tibi nunc vir videatur esse, hic nebulo magnus est.* L.

Ut perspicuitati et linguæ legibus consulatur, leg. cum edd. vett. et Donato Msto, et sex nostris codd. *sane, qui t. n. v. videtur,* &c. B.

Quod tibi nunc vir] Vulgata lectio obscura et inepta, sed clara et perspicua, quam e Manuscriptis revocavit Bentl. *qui tibi nunc vir videtur esse, hic nebulo magnus est.* R. D.

16 *Quid videtur?*] Non diceret miles, si staret in sententia: sed jam videtur timore mutatus. *Quid videtur?*] Dubitandi (edd. vett. *dubitandum.* Ms. H. *dubitantis.* Malim, *dubitant, a quo dictum sit*) est quod dictum sit, *quid videtur?* Ego sane hoc militem puto dicere, quem paulatim a violentis atque acribus principiis ad terrorem desidiamque perducit timor. Nam primo ipse præcedit, utpote qui dicat, *sequimini.* Dum denique propius deventum est, *post principia* refert pedem. Post jam nihil ipse audet, sed quærit consilium parasiti. Denique, ubi cominus res gerenda est, dixit *mane,* et continet irruentes. Ad postremum diffisus, nescit quid agat: ad parasitum spectans, *quid agimus?* inquit. *Fundam tibi nunc*] Mire parasitus hoc ait: vel quia militem nolle videt, vel quia (*non* inseruit Westerh. Forte leg. *vel quia militem nolle impugnare videt, vel quia eum audet ab impugnando avocare* Z.) audet impugnare, consilium formidolosum et aptum metuenti dedit, subtiliter tamen: nam *funda* pugnant, qui cominus non possunt: et *ex occulto,* qui non audent palam. Sed honesta causa, non, quia timeas, inquit, sed *ut fugiant:* tanquam nisi hostes fugerint, non sit tutum accedere. *Fundam tibi*] Non dixit hastam, aut lanceam: sed sagittam, *fundam,* quæ nimirum longe jactatur (*sed satis mire,* fundam, *qua nimirum lapis longe jactatur* Z.); ut ex hoc intervallo pavorem ostenderet non audentis accedere. Et mire *tibi:* tanquam ipse parasitus nec hoc audeat. Sunt autem qui putent hæc a Thaide ad Chremetem dici; sed male. Non enim conveniunt ista meretricis dictis superioribus: nisi quia movet me, quod *ex occulto* dicit: quasi constet ei jamdudum videri militem, et ipsum non vidisse, cum qua pugnaturus sit. D.

17 *Ut tu illos*] Meretricem scilicet cum suis; ut alibi, *nos prius introduceant* (lege, *hos prius introducam.* Eun. III. 2. 39. *Ut cæderes*] Pro, cædendo cogeres ut facerent fugam. *Facerent fugam*] Deest rursus *ut,* sic, *ut facerent fugam,* vel ἀσυνδέτως illatum est. *Facerent fugam*] Desiderat conjunctionem *enim:* ut sit, *facerent enim fugam.* D.

THR. Sed eccam Thaidem ipsam video. G. Quam mox irruimus? THR. Mane:
Omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet.
Qui scis, an quæ jubeam, sine vi faciat? G. Di vestram fidem,
Quanti est sapere! nunquam accedo, quin abs te abeam doctior.
THR. Thais, primum hoc mihi responde; cum tibi do istam virginem,

18 *Sed eccam Thaidem ipsam*] *Eccam* et *ipsam*, figura ἔμφασις: quasi *eccam* principem belli: et *ipsam*, contra quam pugnaturus est. *Quam mox irruimus*] Hoc parasitus irridens militem dixit. Et *irruere* proprie dicuntur, qui cum furore prælium ineunt. D.

19 *Omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet*] Animadverte quantam vim habeant ad delectandum in comœdiis severæ sententiæ, cum a ridiculis personis proferuntur: quale est apud Plautum, Mil. I. 1. 68. ubi miles suam formam admirans, ait, *nimia est miseria nimis pulchrum esse hominem. Quam armis*] Ἀναπόλουθον: pro, *quam arma*. Aut ἔλλειψις est, si subaudiamus *agere*. Et mire non dixit *me*, sed *sapientem*. quod magis ridiculum est. D.

Omnia prius] V. C. *omnia prorsus*] Simile vero dictum Dionysii in Eclog. Legat. II. pag. 295. *μὴ πρότερον ἄρξαι τῶν ἔργων, πρὶν ἢ πειρασθῆναι τῶν λόγων.* Menelaus apud Libanium Sophist. p. 196. *πρῶτον μὲν γὰρ τὰ δίκαια τῷ λόγῳ πειρᾶσθαι λαμβάνειν, ἀλλὰ μὴ τοῖς ὅπλοις ἐπιπηδᾶν ἀνθρωπινώτερον δήπουθεν.* L.

Ut versui et sensui consulatur, pro *armis*, repone, *arma*. Certe cod. acad. egregius 900 annorum habet, *armas sapientem*. B.

Armis] Scilicit experiri. Sed dura est ellipsis et duplex in eadem locutione constructio. Placet igitur quod Bentleius e veteris codicis vestigiis reponit *omnia prius experiri, quam arma, sapientem decet. Experiri arma* dicitur ut experiri vires ap. Ovid. Art. Amator. II. 180. R. D.

20 *An quæ jubeam*] Et mire non *velim*, sed *jubeam* dixit. *Jubeam* pro *velim*; ut, *jubeo Chremetem. Di vestram fidem*] Bona ἀναλόγια: qui leviora laudaverat, hic exclamare jam debet. Et hoc est quod supra ait, *id rursum si negant, laudo id quoque*. Nam negat rursum male (*militi* Z.) pugnandum esse, qui superius retineri non poterat, quin in prælium vel moriturus irrueret. D.

21 *Di vestram fidem, quanti est sapere? nunquam accedo quin abs te abeam doctior*] Mire egit personam admirantis, per trinam ἀποστροφήν. Ad deos, ut, *Dii vestram fidem*: ad seipsum, *quanti est sapere*: ad militem, *nunquam accedo, quin abs te abeam doctior*. Et ridicule parasitus, *nunquam accedo ad te*, dixit, qui nunquam recedit. *Quin abs te abeam doctior*] Nimis impudens assentatio, se fieri doctiorem ex militis sapientia. D.

Nunquam accedo, quin abs te abeam doctior] Symm. lib. IX. Ep. 79. *quod ait noster comicus*, nunquam te adeo, quin abs te doctior abeam, *id ego de epistolis tuis jure memoraverim, quæ multis salibus, nonnunquam sententiarum, plerumque versuum farciuntur*. L.

22 *Thais, primum hoc mihi responde*] Omissa contentione repetendæ virginis. Non enim jam puellam, sed pactum exigit, ut amator. *Cum tibi do*] Pro, *cum tibi darem*. D.

Thais, primum mihi] Hic propositio

Dixtin' hos mihi dies soli dare te? THA. Quid tum postea?

THR. Rogitas? quæ mihi ante oculos coram amatorem adduxti tuum:

THA. Quid cum illo agas? THR. Et cum eo clam te subduxti mihi?

THA. Lubuit. THR. Pamphilam ergo huc redde, nisi vi mavis eripi.

est pactorum: unde arguit, quod sibi non sint pacta servata. Deinde proponit, quemadmodum servata non sint: *quæ mihi ante oculos coram amatorem adduxti tuum. qui cum illo agas.* Scit amatorem suum non esse, et ideo omnia militi permittit, ut nullum *(tumultum)* faciat, quem credit amatorem. E.

Thais, primum hoc mihi] Vid. Jo. Sarisber. Polycr. l. IIX. c. 3. L.

Do] Pro dedi, præsens pro præterito ut sæpe. v. Perizon. ad Sanctii Minerv. I. 13. p. 97. R. D.

23 *Quid tum postea?*] Aut, *dixi*, respondendum erat: aut, *non dixi*. Sed vide contumaciam meretricis, in contemtionem personæ militis, interrogantem interrogare maluit, quam per inductionem capi (vid. Donat. ad II. 2. 42.) D.

Versus gratia lego, *dixtin' hosce mihi dies*, &c. ut, *dies*, sicut passim, sit monosyllabon. B.

Tum postea] *Tum* et *postea* junguntur per pleonasmum, ut *post deinde, olim quondam, repente subito, tandem denique.* v. Vossium de constructione c. 63. et Broukhus. ad Propert. II. 2. 14. R. D.

24 *Rogitas?*] Contentionis genus interrogativæ. *Quæ mihi ante oculos coram*] Utrum *(idem utrumque* Z.) significat inepti militis dictum? An, *ante oculos*, minus est quam *coram? Ante oculos coram*] Potest *ante oculos*, et longe tamen *(de longo tempore* Z.) intelligi: *coram* proximitatem significat. D.

25 *Quid cum illo agas?*] Omnino meretrix non putat illum idoneum, cui reddenda sit ratio, cuique se purget: adeo apud *(nunc* Z.) illam amicitiæ ejus pertæsum est. Nam errant qui dicunt, eam se velle militi reconciliari. *Et cum eo clam subduxti te mihi*] Invidiose, *et cum eo*: nam ut supra legimus, exclusit Chremem. *Subduxti te mihi?*] Furtim subtraxisti mihi. Virgil. Æn. VI. 524.—*et fidum capiti subduxerat ensem.* D.

Trochaicus postulat lectionem vett. codd. *illoc.* Cæterum totus versus ipsi quoque tribui debet Thrasoni. B.

Quid cum illo ut agas] H. e. quid cum illo agis nisi quod meretricis est, venerem cum eo exerceas. Hæc verba Thrasonis sunt, non Thaidis, cui in editionib. tribuuntur. v. Bentl. ad h. l. R. D.

26 *Lubuit*] Superbum est, et meretricium verbum. Sic de Chelidone Cicero, Verr. I. 52. ait, *libenter ait se facturam. Huc redde*] Idioma est, pro contumelia *(per contumeliam)* reposcentis. sic et in Hecyra, *renumeret dotem huc: eat. Nisi vi mavis eripi*] Utrum *nisi* pro non et si: ut sit, *si tibi illam mavis eripi.* D.

Pamphilam ergo huc] Quoniam meretrix dixit *libuit*, ideo Pamphilam nunc repetit. E.

Meliores codd. habent, *nisi si vi mavis*: quorum alterutrum cum sit inutile, ejicio, *vi*, quod in Thesi locum non habere potest. Ut taceam, in ipso *eripi*, præsentibus militibus, *vim* satis intelligi. B.

C. Tibi illam reddat? aut tu illam tangas? omnium!
G. Ah, quid ais? tace.
THR. Quid tu tibi vis? ego non tangam meam? C. Tuam autem, furcifer?
G. Cave sis: nescis cui nunc maledicas viro. C. Non tu hinc abis?
Scin' tu, ut tibi res se habeat? si quicquam hodie hic turbæ cœperis,
Faciam ut hujus loci, dieique, meique semper memineris.
G. Miseret tui me, qui hunc tantum hominem facias inimicum tibi.

27 *Tibi illam reddat?*] Se primum interponit Chremes, ut adolescentulus potuit jam fracto milite. *Aut tu illam tangas? omnium*] Ait utrumque Chremes. Nam quia dixit, *nisi si tibi mavis eripi*, ait, *tu illam tangas?* et addidit, *omnium*. Et est ἀποσιώπησις secunda. Sic autem loqui solent plus gesta, quam verbis conciti. *Tibi eam reddat? aut tu eam tangas, omnium?*] Magna vis in pronominibus et significatio est. ut *cantando tu illum?* Virg. Ecl. III. 25. D.

Tu illam tangas?] Tandem excitatus Chremes intercedit, et furentis more verba non exprimit, quippe eum intercedat parasitus, jam intelligens futurum jurgium, quod dicit, *ha! quis ais? tace*. E.

Lege, *aut tu eam tangas?* et pro *ais*, repone, *agis*. Nam omnes nostri, præter unum, habent *eam*, quod versus probat. Deinde, *agis*, firmatur plerisque nostris libris. B.

28 *Quid tu tibi vis?*] Recte. cum Thaide enim loquebatur, non cum hoc. *Ego non tangam meam?*] Bene addidit *meam*. Hinc enim probatur injuste dictum, *tu illam tangas? Tuam autem? furcifer!*] Incongrue, ut imperitus adolescens, liberum servilibus conviciis exagitat. D.

Verba, *quid tu tibi vis?* male codd. assignant Chremeti. B.

Autem] *Autem* in responsione, quæ fit interrogando, habet vim indignandi in Ad. II. 1. 31. *egon debacchatus sum autem*. R. D.

29 *Cave sis, nescis cui maledicas* nunc *viro*] Animadverte, parasitum neque tacere omnino, ne defuisse patrono videatur; neque in aliena causa rixam in se transferre. *Cave sis*] Quia imperativa sunt contumeliosa, addebant veteres, *sis*: quod significat *sis vis*. D.

Bentl. edidit, *nescis cui maledicas nunc viro*. Z.

30 *Non tu hinc abis? scin' tu, ut tibi res se habeat?*] Hoc parasito, illud militi Chremes. *Scin' tu*] Non parasito, sed militi dicit. D.

Scin' tu, ut tibi res?] Vis, inquit, scire, quemadmodum res istæ sint? Si aliquid hodie hic turbaveris aut litis feceris, perficiam ut verberibus diei locique hujus, et mei semper memineris. E.

31 *Faciam ut hujus loci, dieique, meique semper memineris*] Moris est magnas esse minas hominum meticulosorum. Specta ergo quam acriter timidus comminetur. *Hujus loci, dieique, meique*] *Loci*, in quo læsus. *Dici*, quo cæsus. *Mei*, a quo cæsus. D.

Faciam, &c.] Sic minantes loquuntur. Liv. XXXI. 18. ubi v. Gronov. R.D.

32 *Miseret tui me*] Hic parasitus nunc quasi monitor Chremeti respondet. *Qui hunc tantum hominem inimicum facias tibi*] Ne nunc quidem

C. Diminuam ego caput tuum hodie, nisi abis. G. Ain' vero, canis?
Siccine agis? THR. Quis tu homo es? quid tibi vis? quid cum illa rei tibi est?
C. Scibis: principio eam esse dico liberam. THR. Hem! C. Civem Atticam. THR. Hui!
C. Meam sororem. THR. Os durum! C. Miles, nunc adeo edico tibi,

parasitus a militis assentatione discedit. D.

Miseret tui me] Parasitus quantum potest, refregit audaciam Chremetis, et miserere se dicit, quod talem inimicum militem faciat, cum (*cui* Z.) repugnare non possit. E.

33 *Diminuam ego caput tuum hodie, nisi abis*] Rusticius dixit, *caput tuum diminuam*, quam si diceret, *diminuam tibi caput*. *Ain' vero, canis?*] Hoc verbo impudentibus inimicis convicium fieri solet. Nam militare dictum est in hostem, *canis*: et apud Homerum, Il. ά, 159. pro gravi contumelia in adversarium dicitur, velut in illo loco, τὶ μὴν ἀρνύμενοι Μενελάῳ σοίτε, κυνώπα. D.

34 *Quis tu homo es? quid tibi vis?*] Ἐπιτροχασμὸς (περιπλοκασμὸς. edd. Venet.) figura est, ubi multa terribiliter interrogantur: ut, Æn. IX. 376. *state, viri, quæ causa viæ? quive estis in armis? Quove tenuetis iter?* D.

Siccine agis? Ms. R. *sic agis?* L.

35 *Scibis*] Non obsequenter, sed figurate dicitur ab irato. *Scibis*] Et *scies*, et *scibis* dicitur post productionem (*pro productione*, edd. Venett.) tertiæ conjugationis. *Principio eam esse dico liberam*] Quo tollitur, *tuam videri*. *Principio*] In tria divisit officium defensionis suæ: in assertoris, *principio eam esse dico liberam*: in cognitoris, *civem Atticam*: in fratris, *meam sororem*. Et bonus est ordo, *libera, civis, nobilis*. *Civem Atticam*] Quo etiam negotium potest ei fieri, qui se pro domino gessit in civem. *Hui*] *Hui, hem*, et cætera hujusmodi generis, sannæ sunt adversus eos, quibus irascimur. D.

Eam dico esse liberam] Hic jam respondetur militi repetenti puellam, et primum opponitur *libertas*, deinde quod *civis* est, tertio quod nobilissimi adolescentis *soror*: postremo edicitur militi, *ne vim faciat* in Thaidem. E.

36 *Meam sororem*] Quo constat, præsto esse defensionem puellæ. *Os durum*] Quasi ex omnibus hoc sit impudentius, quod et sororem suam dicat. *Os durum*] Os impudens: ut contra, *mollis frontis* dicuntur, qui sunt reverentes. *Nunc adeo edico tibi*] Ut superbe, quasi militi. Nam *edictum*, prætoris dicitur et imperatoris. *Miles, nunc adeo tibi*] *Miles*, contumeliose dixit. De iis enim est officiis, quæ suo nomine contumeliosa censentur. sicut in Adelphis, *delibera hoc, dum ego redeo, leno*. D.

Os durum, Daceria intelligit de osse, ut sit exclamatio vehementer dolentis, quæ gravitate superet priores, *hem* et *hui*. At usus loquendi repugnat; nec usquam aliter, nisi de impudentia, occurrit. Sic apud Ciceronem *ore durissimo* dicitur esse, qui plane impudens reperitur. Et Ovid. Metam. V. 451. *duri puer oris et audax*. Z.

Os durum] *Os durum* dicitur pro homine impudenti. Cic. pro Quintio c. 24. *mihi videri ore durissimo esse* pro quo Sueton. in Nerone c. 2. *os ferreum* dixit, ubi v. interpretes et *os* solum pro impudentia dicitur. Cic ad Div. V. 10. *si Appici os haberem*, ubi v. Manut. Contra *mollis frontis* dicuntur qui sunt reverentes, ut Donatus annotat. R. D.

Ne vim facias ullam in illam. Thais, ego eo ad Sophronam
Nutricem, ut eam adducam, et signa ostendam hæc. THR. Tun' me prohibeas,
Meam ne tangam? C. Prohibeo, inquam. G. Audin' tu? hic furti se alligat.
Satis hoc tibi est. THR. Idem hoc tu ais, Thais? THA. Quære qui respondeat. 40
THR. Quid nunc agimus? G. Quin redeamus: jam hæc tibi aderit supplicans

37 *Ne vim facias ullam' in illam*] Servavit præcepta meretricis: adeo ut meminerit, *si vim faciet, in jus ducito hominem. Ego eo ad Sophronam*] Hoc lentius a Thaide Chremeti (melius in Ms. B. et edd. Venet. *ad Thaidem Chremes.*) D.

39 *Prohibeo, inquam*] Non satis exercitate adolescens totidem verbis dictum repetit militis. *Audin' tu? hic furti te alligat*] Gnatho occasionem finiendi litigii jamdudum quærit, ob desiderium mensæ et cibi: et ideo quasi de jure consilium suggerit, hunc reum militis esse posse, qui paratus est alienam rem suam dicere, et id in jure profiteri, hoc est, apud prætorem. Ergo *furti te alligat*, i. e. reum te efficit fraudis. Nam μεταληπτικῶς *furtum* pro omni fraude et dolo accipimus et injuria. *Alligat*] Astringit, illaqueat, et obnoxium facit. Omne igitur quod fraude fit, furtum est. Sic Virgilius, Æn. XI. 515. *furta paro belli*, id est, insidias. et, Georg. IV. 546. *dulcia furta*, id est, adulteria. Omne malum factum, Æn. VI. 568. *quæ quis apud superos furto lætatus inani, Distulit in seram commissa piacula mortem. Furtum* duobus modis dicitur: uno, cum omne maleficium generaliter significatur: altero, cum res surrepta demonstratur Nunc ergo *furtum*, maleficium est. D.

Audin' tu? hic furti se alligat] Dum hoc proponitur, furti tibi crimen intenditur. E.

Omnes Faerni libri antiqui, et tres ex nostris vett. habent in futuro, *prohibebo*: cæteri *prohibeo*. Utrumvis probe. B.

Furti se alligat] I. e. plagii se reum facit. Plaut. in Pœn. III. 4. 27. Supplendum est crimine vel scelere, ut sæpe ap. Cicer. alligari et obligari scelere. v. Ernesti in clavi Ciceron. his vocibus. R. D.

40 *Satis hoc est tibi?*] Ad repetendam scilicet virginem, sumendamque injuriæ vindictam. *Idem hoc tu ais*] Id est, hoc quod Chremes, et tanquam Chremes. Et ipsam circumventuras interrogat, quod illa intelligens malitiose ait, *quæ qui respondeat.* satis contumeliose: illud enim quæritur, quod difficile reperitur. Ergo non modo indignus es, inquit, cui ego respondeam: sed vix invenies, qui te dignum responso judicet. *Quære qui respondeat*] Et contemsit interrogantem: et indixit inimicitias professione iracundiæ, cum dixit indignum militem. D.

Per interrogationem, et deleto *hoc*, ut trochaicus constet, legendum puto, *satis tibi est?* Sed Faernus probat Donati lectionem et rationem. B.

Quære qui respondeat] Elegans formula, qua utuntur qui alium vix dignum judicant, cui respondeatur. Similis illa apud Ovid. Amor. III. 11. 28. *quære alium pro me qui queat ista pati.* v. Burmann. ad Petron. I. 80. R. D.

41 *Quid nunc agimus?*] Vide ut eva-

Ultro. THR. Credin'? G. Imo certe. novi ingenium mulierum:
Nolunt, ubi velis: ubi nolis, cupiunt ultro. THR. Bene putas.
G. Jam dimitto exercitum? THR. Ubi vis. G. Sanga, ut fortis decet
Milites, domi, focique fac vicissim ut memineris.
S. Jamdudum animus est in patinis. G. Frugi es.
THR. Vos me hac sequimini.

nuerit actio militis. Primo dixit, *omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet*: post, *idem hoc tu ais, Thais?* et postremo, *quid nunc agimus?* Et, *quid nunc agimus?* consilium quærentis est. *Quid nunc agimus?*] Languidi atque defessi est. *Quid nunc agimus?*] Ubi est illud quod ait, *primum ædes expugnabo*, et cætera. Sed vani impetus hunc exitum semper accipiunt. *Quin redeamus*] *Quin*, modo imo. Non, abeamus inquit, sed *redeamus*: ut irritos conatus uno verbo ostenderet. D.

Pro *redeamus*, leg. *redimus*. Nam sic legitur in cod. acad. a manu prima. Et, *quin*, si sententiam inchoat; semper apud nostrum, indicativo jungitur, ut, *quin taces? quin accipis? quin abeo.* B.

Quin redeamus] Recte Bentleii. edidit *quin redimus*. Nam *quin*, ubi sententiam inchoat, semper cum indicativo jungitur. R. D.

42 *Credin'?*] Ex parte consentit, qui sic interrogat. *Credin'?*] *Credere*, dubitantis est: *certum esse*, fidentis. D.

43 *Ubi nolit, cupiunt ultro*] Plus intulit spei, non revocando verbum quod exspectabatur, hoc est, *volunt*: sed cupiunt. Ergo variavit: non enim intulit, *volunt ultro*. *Bene putas*] Hoc est, recte putas, sapis, vel intelligis. Virgilius, VI. 332. *multa putans, sortemque animo miseratus iniquam.* Vel conicis. Vel *putas*, disputas. Vel *putas*, cogitas. D.

Nolunt, ubi velis] Acro ad Horat. lib. II. Od. 12. L.

44 *Jam dimitto exercitum?*] *Dimitti exercitus* dicitur, vel pace facta, vel vexatis hostibus. Ridicula ergo magnificentia verborum est, cum sint facta deformia. D.

Ut fortes decet milites] Quoniam pro labore satis (forte, *pro tempore laboris satis* Z.) exactum est, vicissim id agit, ut procuret milites. E.

45 *Sanga, uti fortes decet milites, domi focique fac vicissim ut memineris*] Ut mire in coquum, qui focum curat in domo (*domi*, edd. Venet) quia milites hi (*vix*) fortiter pugnant, qui sunt memores domorum. Vide ergo quam utrumque comicum. Ad ineundum prælium, resque bellicas Donax primus est: ad res domesticas Sanga, qui coquus (in utroque libro est: *Dorax enim primus est ad res domesticas. Sanga vero coquus, qui vicissim domi focique ministerium satagebat.*) *Domi focique*] *Domi* et *foci*, genitivi sunt. Cæcilius, *decora domi.* Plautus, Trin. IV. 1. 22. *quanquam domi cupio, opperiar tamen.* D.

Foci et domi] Ad cibos scilicet præparandos. E.

Domi focique] Priscian. lib. VI. L. Non male ait Daceria, verbum, *memineris*, esse ipsum militare, quo dux hortatus sit ad fortiter pugnandum. Ut apud Homerum, μνήσασθε δὲ θοὸν ἄλκης. Z.

46 *Jamdudum animus est in patinis*] Hic aperuit causam poeta, cur et invitus Gnatho iret ad litem, et libens domum rediret. *Frugi es*] Utilis et necessarius: a frugibus, quæ quod his frus-

ACT. V. SCENA I.

THAIS. PYTHIAS.

PERGIN', scelesta, mecum perplexe loqui?
Scio; nescio; abiit; audivi; ego non affui.
Non tu istuc mihi dictura aperte es, quicquid est?
Virgo conscissa veste lacrumans obticet;
Eunuchus abiit: quamobrem? quid factum'st? taces?
P. Quid tibi ego dicam misera? illum Eunuchum negant

mur, dictæ sunt. Inde *fructus* et *frumentum*, *frui* autem est vesci, a frumine, quæ est summa pars gulæ: a qua re, etiam his, quæ nec cibo nec poculo sunt, *frui* dicimur, καταχρηστικῶς: utpote rebus venereis, et delectatione odoris, visus, auditus, et cæteris D.

Animus est in patinis] Alexis apud Athen. Dipnos. lib. I. ὁ νοῦς γάρ ἐστι τῆς τραπέζης πλησίον. L.

Omnes nostri, præter tres, Sangæ tribuunt verba, *vos me h. s.* Male, opinor: nam et Thraso exit, et par est, eum præcedere. B.

Animus est in patinis] I. e. nil nisi cœnam cogito. v. Victorii var. lection. VII. 12. et cl. Toupii emendation. in Suid. II. p. 126. R. D.

1 *Pergin' scelesta mecum perplexe loqui?*] Nunc demum virgo vitiata esse cognoscitur a Thaide, oportune; postquam magnopere et defensa est, et retenta. Nam statim consequentur nuptiæ ejus et Chæreæ, qui illam vitiavit. *Perplexe loqui?*] Ideo *perplexe*, quia statuerat crimen virginis celare. D.

Pergin'] Et hæc conjecturali modo accusat. quippe conqueritur, an virgo vitiata sit: denique argumenta colligit: *virgo conscissa veste lacrumans obticet*. Satis plenum est. Nam si injuria fuerat, facile loqueretur: nunc vero tacet. quæ est pudoris amissio. E.

Perplexe loqui] Glossar. *Perplexe* σκοτδαλως, περιπλεγμένως, σκολιῶς. Plautus Sticho. 1. 2. 18. *utrum ego perplexim lacessam oratione*. Et in Asinaria IV 1. 47. *perplexabile verbum*. it. Pers. IV. 6. 26. *cortortiplicata oratio*. Glossar. *tortiloquium* συστραμμένη ὁμιλία. L.

Perplexe loqui] I. e. dubie et obscure. Liv. XXXIII. 34. *nihil jam perplexe, ut ante, sed aperte pronuntiatum*. Mox v. 3. contrarium est *aperte dicere*. v. Burmann. ad Petron. c. 134. et cl. Valkenarium ad Euripid. Phœniss. p. 161. R. D.

2 *Scio; nescio; abiit; audivi*] Mire ex dictis omnibus pauca decerpit; et ostendit quid perplexe dixerit: et stomachum sævientis expressit. *Scio*] Flere puellam. *Nescio*] Vitiatam. *Abiit*] Eunuchus. *Audivi*] Domi hoc admissum. *Ego non affui*] Cum hæc fierent. Acriter iratorum est, ea repetere, quæ proxime dixerint, quibus irascuntur. ut Æn. VIII. 452. *en ego victa situ, verique effœta senectus*. D.

3 *Non tu istuc, &c.*] *Non*, est hic interrogatio. D.

4 *Virgo conscissa veste lacrumans obticet*] Hæc omnia rixam esse (*fuisse*, vel, *rixatam esse*, vel, *vitiatam esse*) significant. *Virgo obticet*] *Tacemus* consilia: ut Æn. II. 94. *nec tacui demens. Reticemus* dolores: ut, *ne verere, ne retice. Obticemus* quorum nos pudet: ut in Phormione, *heu quidnam obtices?* D.

5 *Eunuchus abiit*] Non Chærea, sed *Eunuchus*: non *fugit*, sed *abiit* dixit. *Quamobrem? quid factum est? taces?*]

Fuisse. T. Quis fuit igitur? P. Iste Chærea.
T. Qui Chærea? P. Iste ephebus frater Phædriæ.
T. Quid ais, venefica? P. Atqui certo comperi.
T. Quid is obsecro ad nos? quamobrem adductus est?
P. Nescio;
Nisi amasse credo Pamphilam. T. Hem! misera occidi;
Infelix, si quidem tu istæc vera prædicas.
Num id lacrumat virgo? P. Id opinor. T. Quid ais, sacrilega?
Istucine interminata sum hinc abiens tibi?
P. Quid facerem? ita ut tu justi, soli credita'st.
T. Scelesta, lupo ovem commisisti. dispudet,

Hæc *διάνοια* instantis dominæ vultum habitumque demonstrant. D

7 *Quis fuit igitur?*] Hæc cunctative (*minative.* ex codd. vett.) pronuncianda sunt: aut quia invita indicat, aut dubitat de nomine ignoti: aut trepidat per timorem: aut, ut non videatur affuisse, cum fuerit actum: aut quia non libenter dicat ejus nomen, cui irascitur. Sed ego agnosco ancillarum consuetudinem, quæ obliviosæ sunt. D.

8 *Iste Ephebus*] *Ephebus* nomen ad ætatem retulit, non ad facinus commissum. *Ephebus*] Cito ostendit, cur iste Eunuchus creditur. D.

9 *Quid ais, venefica?*] Redit rursum ad iracundiam. aptum convicium et comicum in ancillas, *venefica, lupa, vipera,* et *sacrilega,* et cætera (an *excetra?* Certe Plautus hoc convicio utitur Pseud. I. 2. 82.) D.

10 *Quid is obsecro ad nos?*] Non rogantis est *obsecro,* sed dolentis. D.

Corrige, *quid is obsecro ad me, aut quamobrem adductu'st?* &c. Nam, *me,* postulantur a sensu, quia Thais ædium domina est sola. Tum, *aut,* reperitur in omnibus nostris codd. præter unum, ubi, ut in Bembino, abest. Denique versus causa, *adductu'st,* uti habet ipse Bemb. B.

11 *Nisi amasse credo Pamphilam*] Deest *quod*: ut sit, *nisi quod.* D.

13 *Num id lacrumat virgo?*] Ut supra, *id vero serio triumphat*: pro, ob id. *Id opinor*] Callide Pythias *opinor* dixit, cum sciat. *Quid ais, sacrilega?*] Αὔξησις. Nam primo *scelesta,* deinde *venefica,* postremo *sacrilega.* D.

Quid ais, sacrilega? istuccine?] Quasi intendat crimen, quod neque custodierit virginem. At illa præcepto se paruisse respondet: *quid facerem? ita uti justi, soli credita'st.* E.

14 *Istucine interminata sum*] Satis moraliter, *istucine interminata sum:* pro, *num istuc tibi comminata sum? Istucine interminata sum, hinc abiens tibi?*] Apparet hæc post scenam esse mandata. Nam supra non meminit, (cur non? vide III. 2. 52.): sed dixerat tantum, *hos prius introducam: et quæ volo simul imperabo: postea continuo exeo.* D.

15 *Ita ut tu justi, soli credita est*] Dixerat enim prius Chærea, *edicit ne vir quisquam ad eam adeat, et mihi, ne abscedam, imperat. Justi*] Συγκοπὴ καὶ μεταπλασμός, pro *jussisti.* D.

Ut tu justi] Ms. R. *jussisti.* L.

Quid facerem] Formula excusandi qua culpam a nobis removemus. v. Virgil. Eclog. I. 41. et VII. 14. R. D.

16 *Scelesta, ovem lupo commisisti*] Bene dilatum tot occasionibus proverbium, personæ Thaidis asscriptum est; continet enim femineam reverentiam et

Sic mihi data esse verba. quid illic hominis est?
P. Hera mea, tace; tace obsecro, salvæ sumus:
Habemus hominem ipsum, T. Ubi is est? P. Hem ad sinistram,
Videsne? T. Video. P. Comprehendi jube, quantum potest.
T. Quid illo faciemus, stulta? P. Quid facias, rogas?
Vide amabo, si non, quum aspicias, os impudens

meretricium sensum, reditque rursus ad minora convicia: quia videt se esse convictam. Et est proverbium, *ovem lupo commisisti*. D.

Ovem lupo commisisti] Prædam, inquit, prædatori dedisti. *Dispudet*] Valde ego hic et vehementer erubesco. E.

Scelesta] Isidorus Different. pag. 771, *Lupo ovem*] Herodot. lib. IV. *πυγαρῶν ἔφη αὐτὸν καταλείψειν ὄϊν ἐν λύκοισι*. Plaut. Pseudolo I. 2. 8. *Mavelis lupos apud oves linquere, quam hos domi custodes*. L.

Omnes quidem libri, Nonius, et Acron ad Horat. Carm. 1. 3. habent *commisisti*. Sed ut versus sit salvus; leg. *commisi*. Nimirum Thais commisit jubendo, ut Pythias parendo. Hinc sequitur *mihi*, non, *tibi*. Atque se *scelestam* ipsa dicit, ut Heaut. V. 2. 17. Syrus: *scelestus quantas turbas concivi insciens*. Deinde colloca, *ovém lupó*; ut sit utrumque in Arsi, et in pronunciatione fiat mora. B.

17 *Sic mihi data esse verba*] Videtur plura fuisse dictura, nisi supervenisset Chærea. *Quid hominis illic est?*] Per genitivum casum injuriose dicitur: per nominativum, honorifice. *Quid hominis illic est?*] Non continuo agnoscit hunc hominem meretrix. Quia etsi adhuc Eunuchi veste indutus est, attamen exuit spadonis incessum: vultum, habitumque mutavit: et præter vestem, totus in Chæream rediit. D.

Sic mihi data esse verba] Sic me esse deceptam. *Quid illic hominis est?*] Hic intelligitur, reverti Chæream, adhuc Eunuchi veste indutum, sicuti post cognoscitur, et ideo miraculum fit: *hera mea, tace obsecro, salvæ sumus*. E.

Recte Faernus pro *illic* probat *illic* ob fidem cod. Bemb. et Victor. B.

18 *Hera mea tace; tace obsecro*] Blande ac puellariter arridet. *Tace*] Non silentium indicentis est, sed securam facientis: ut, *tace, egomet conveniam ipsum*. D.

19 *Habeamus hominem*] Mire *hominem* dixit, ut reum. D.

Versus gratia leg. *sinisteram*. B.

20 *Jube comprehendi*] Pro *comprehende*. *Jubere* enim *velle* significat. *Quantum potest*] Deest (*hoc est* Z.) *cito*. D.

Cum omnibus fere nostris lego, *viden?* B.

21 *Quid illo faciemus, stulta?*] Subauditur *comprehenso*. *Quid facias, rogas?*] Moraliter expressit puellæ (forte, *poeta* Z.) stupentis verba, et non habentis quid respondeat ad ea, quæ dicta sunt. D.

Illo, præter Donat. et Bemb. habet unus veterrimus, et Priscianus p. 1101. Cæteri, *illi*; nescio an rectius. Nam scen. seq. 10. occurrit, *faciet mihi*. B.

22 *Vide amabo! si non, cum aspicias, os impudens videtur*] Mire ab eo quod respondere cœperat, ad aliud transit, mirata confidentiam Chæreæ. Non, est impudens, inquit; non est, nisi similis impudenti. Sic alibi, *severitas inest in vultu, atque in verbis fides*. D.

Vide amabo? si non, cum aspicias, os impudens] *Amabo* dixit, quod semper inter poetas nulla significatione est. Sensus autem talis: vide impudentiam, vide aspectum, quemadmodum incedit.

Videtur. non est? tum quæ ejus confidentia'st!

ACT. V. SCENA II.

CHÆREA. THAIS. PYTHIAS.

APUD Antiphonem uterque, mater et pater,
Quasi dedita opera, domi erant, ut nullo modo
Introire possem, quin viderent me: interim
Dum ante ostium sto, notus mihi quidam obviam
Venit: ubi vidi, egomed in pedes, quantum queo,

Os ergo *impudens* videtur, *cum aspicias* venire. Et quasi aliquid meretrix dixerit, ita subjungit, *non est?* quasi, negas esse, quod dico? Et, hoc ut confirmet, adjungit, *cur igitur tanta confidentia fretus incedit?* R.

23 Faerni libri omnia tribuunt Pythiæ, sed plurimi nostri verba, *non est*, Thaidi. Hanc rationem sequendam puto, sed deleto, *est*, ut intelligatur, *videtur*. Nam supra Thais *honestum* dixerat B.

1 *Apud Antiphonem uterque*] Redit ens in viciniam suam, causam reddit Chæreæ, cur non mutaverit vestem. Oportuit autem, et de necessitate argumenti fuit, Chæream non mutasse vestem: ut cum meretrix virginem a Chærea vitiatam audiret, et eum cum turpi habitu incedentem intuerentur, eum rem vitiatæ virginis putaret. *Apud Antiphonem* dixit, pro in domo ejus. *Uterque, mater et pater*] Non, uterque pater, et utraque mater, sed *uterque parens*: quia (*qui est* Z.) pater et mater. D.

Apud Antiphonem] Hæc scena injuriarum actionem tenet. reum facit Chæream meretrix injuriæ. at ille se veniali statu purgat dicens, se, quod fecerit, amore fecisse. At primo quidem loquitur, cur non mutata veste nunc venerit. E.

2 *Quasi dedita opera domi erant*] Non tam mirum, si domi erant: sed illud magis mirum, quod in ea domus parte, qua in ædes introeundum erat adolescentulo. D.

Dedita opera] I. e. studio de industria. Plaut. in Pœnulo III. 1. 5. *dedita opera amicos fugitavi.* Liv. II. 51. *dedita opera passim ad illecebras propulsa pecora.* R. D.

3 *Ut nullo modo introire possem*] Superius causa continetur, cur non mutaverit vestem: inferius autem, cur huc redierit. *Quin viderent me*] *Quin* modo, pro quo minus. D.

4 *Dum ante ostium sto*] Antiphonis scilicet. *Notus mihi quidam obviam venit*] An notus, qui me posset agnoscere? an qui me noverit, id est, amicus? D.

Notus] Active dicitur, qui me norat Liv. III. 44. *notos grata eorum, turbam indignitas rei virgini conciliat.* v. Manut. ad Cic. Div. V. 12. R. D.

5 *Quantum queo*] Deest (*id est.* Z.) *velociter.* D.

Omnes libri vett. vitiose, *egomet*, pro, *ego me*. Nec magis probanda est Lolgii lectio Plautina, *egomed*. Nam hiatus hic est nullus. B.

Ego me in pedes] Scilicet conjicio i. e. quam celerrime aufugio, in Phorm. I. 4. 13. *hinc me conjicerem protinus in pedes.* Potes etiam suppleri *do.* Plaut. in Captiv. I. 2. 11. *mene vis dem ipse in pedes.* R. D.

In angiportum quoddam desertum: inde item
In aliud, inde in aliud: ita miserrimus
Fui fugitando, ne quis me cognosceret.
Sed estne hæc Thais, quam video? ipsa'st: hæreo,
Quid faciam? quid mea autem? quid faciet mihi?
T. Adeamus. bone vir Dore, salve: dic mihi,
Aufugistin'? C. Hera, factum. T. Satin' id tibi placet?
C. Non. T. Credin' te impune habiturum? C. Unam hanc noxiam

6 *In angiportum*] Vide illum non vitasse sub una clausula bis *in* dicere, *in pedes, in angiportum. Angiportum* dicebant vicum non pervium, viam publicam *(angiportus ergo est via publica,* edd. Ven. cum Ms. H. Sed forte, *angiportum dicebant vicum pervium, vel viam non publicam.) In angiportum quoddam desertum*] Deest, fugiens. D.

In angiportum quoddam] *Angiportum* dicimus et angustum et tortuosum * (in neutro Msto lacuna. Forte exciderunt verba; *quasi anguiportum.)* Nam anguis modo flectitur. E.

Angiportum] I. e. viam angustam v. Fest. in hac voce. Dicitur *angiportus* mascul. gen. et *angiportum* neutr. gen. R. D.

7 *Ita miserrimus fui fugitando*] Id est fatigatus, lassus, et languidus sum, dum fugio. Et honesta locutio est: ut, *miser amando, miser currendo.* D.

8 *Ne quis me cognosceret*] Nota improprie dictum, pro *agnosceret.* D.

9 *Sed estne hæc Thais, quam video?*] Jampridem ipse visus, nunc primum videt. *Hæreo*] Incertus remaneo atque defigor. Primus metus adimit consilium: sed recognitio *(recogitatio)* reddit confidentiam. D.

Hæreo] I. e. impeditus sum, quid agam nescio. Cic. Philipp. II. 29. *hærebat nebulo, quo se verteret, non habebat;* in Phorm. V. 7.70. *nisi mihi prospicio, hæreo.* R. D.

10 *Quid mea autem?*] Colligit se rursus ad impudentiam Chærea. Et vide, si non eadem est audacia in Chærea, quæ in suscipiendo facinore fuit. Et ἀλλαττικῶς, *quid mea autem? Quid faciet mihi?*] Opportune se confirmavit, quia si extimuisset et fugisset, nihil nuptiæ promoverentur. D.

Quid faciet mihi] Hac formula utuntur, qui periculum aut minas aliorum sperunt. Plaut. in Persa II. 3. 16. *quid faciet mihi verberibus cædi jusserit, compedes imponi.* R. D.

11 *Bone vir, Dore*] Hoc totum figurate dixit, ut meretrix, et subtiliter. Nam scit Chæream esse quem alloquitur, non Eunuchum. Et hic magna occasio datur meretrici adeundi adolescentis, qui habitum non mutavit: et adhuc quasi Eunuchus et servus est. *Bone vir, Dore salve*] Major objurgatio est, per hanc dissimulationem Thaidis adversus Chæream, quam si illum id, quod est, appellet. D.

Bone vir, Dore] Fingit adhuc meretrix illum Eunuchum esse: uti: *(ut in* Z.) sic salutatum facilius tanquam subjectum et sibi deditum invehi possit. E.

12 *Hera, factum*] Non potuit subtilius respondere Chærea, quam accommodare se interroganti. *Satin' id tibi placet?*] Hoc potest et non figurate dici, sed aperte. D.

Satin id tibi placet] Sic expostulamus cum iis, quos in manifesto peccato ita, ut ne ipsi quidem factum defendere audeant, deprehendimus. in An. IV. 7. 19. *cæterum placet tibi factum.* Plaut. in Amphitr. I. 3. 16. *hoccine placet.* v. Cic. ad Attic. VI. 6. et ibi Muret. R. D.

13 *Unam hanc noxiam mitte*] Trisyl-

Omitte: si aliam admisero unquam, occidito.
T. Num meam sævitiam veritus? C. Non. T. Quid igitur?
C. Hanc metui, ne me criminaretur tibi.
T. Quid feceras? C. Paululum quiddam. T. Eho paululum, impudens?
An paulum hoc esse tibi videtur, virginem
Vitiare civem? C. Conservam esse credidi.

labo nomine *noxiam* dixit, quasi noxam. Alibi aliter, Heaut. II. 3. 57. *dominum* dixit *extra noxam*. D.

Lectio, *impune abiturum*, a melioribus libris repudiatur. B.

Te impune habiturum] In quibusdam libris legitur *te impune abiturum*, sed recte dicitur *impune habere*. infra V. 6. 18. Lactant. de morte persecutor. c. 2. *nec tamen habuit impune*. v. Rivium ad h. l. R. D.

Unam hanc noxiam mitte] Meliores editiones recte habent *unam hanc noxiam amitte*. *Mittere* est remittere. Plaut. in Pœnulo I. 2. 191. *tibi hanc amittam noxiam unam*. Terentium imitatur Petronius c. 49. De discrimine inter *noxam* et *noxiam* sæpe multumque disputarunt viri eruditi. v. Duker. de lat. vet. JCtorum p. 10. sqq. *Noxia* vere adjectivum, subintellecto *culpa* vel res, semper significat culpam, injuriam, peccatum, *noxa* culpæ pœna, unde *noxæ dare* et hinc quodvis detrimentum ac damnum. Sic discrimen constituit Oudendorp. ad Sueton. Cæsar. c. 81. R. D.

14 *Si aliam admisero unquam, occidito*] Verba servorum, quibus nihil horribile est post præsentes plagas. Et non *cædito*, sed *occidito*: et non *alias* dixit (excidit, *sed aliam*,) quasi illa Chæreæ dixerit, *at hic irrisor est ut fugitivus* (*adhuc irrisor es* Ms. H. et Venet. Sed Wieling. putat, verba *quasi—fugitivus* rejicienda ad finem versus 21.) D.

Si alium admisero] Cicero pro Q. Ligario 10. *ignoscite, judices, erravit, lapsus est, non putavit; si unquam posthac. ad parentem sic agi solet*, &c. L.

Pro, *omitte*, in plerisque nostris et Faerni libris est, *amitte*. Recte. B.

15 *Num meam sævitiam veritus es?*] Ut fugeres. D.

Versus causa leg. *num meám sævitiam véritus's?* Ch. *Non*. Th. *Non? quid igitur?* Hoc pacto responsum Chæreæ in ictu exauditur. B.

16 *Hanc metui, ne me criminaretur tibi*] Perfecte imitatus est verba fugitivorum, quæ apud dominos faciunt comprehensi. D.

Hanc metui, ne] Hanc, inquit, Pythiam timui, ne me reum apud te faceret. E.

17 *Eho! paululum, impudens?*] *An paululum hoc esse tibi videtur, virginem vitiare civem?* Hic jam intelligimus, quod non Eunuchum credat esse, cum quo loquitur meretrix. Verum adhuc latet, quis iste sit. Ita quamvis ille convictus est de vitiata virgine, adhuc tanquam servus proponit ut dicat, *conservam esse credidi*. E.

Ex Bemb. uno nostrum, et ratione versus pro *paululum* leg. *paulum*. Et pro *quiddam* corrige, *quid*; ut *paulum* acuat ultimam; veluti Gr. *μικρόν τι*. B.

19 *Vitiare civem?*] Bene intulit *civem*: quod plus est, quam *virginem vitiare*. *αὔξησις* gradatim facta. *Conservam esse credidi*] Locus erat ut diceret, *servam esse credidi*, sed admirabiliter *conservam* dixit. Et hoc ipsum miserabiliter pronunciandum est: tanquam miserabiliter crediderit conservam esse, quæ civis erat, atque eam quasi conservam vitiare debuerit. D.

Ne, *conservam*, in repetitione variet accentum; deleto, *esse*, corrige, *meám conservam erédidi*. B.

P. Conservam? vix me contineo, quin involem in
Capillum: monstrum; etiam altro derisum advenit.
T. Abin hinc, insana? P. Quid ita vero abeam?
Credo isti quicquam furcifero, si id fecerim:
Præsertim cum se servum fateatur tuum.
T. Missa hæc facimus. non te dignum, Chærea,
Fecisti. nam si ego digna hac contumelia

20 *Conservam!*] Oportune stomachabatur Pythias, facta mentione conservæ. *Vix me contineo, quin involem in capillum*] Minæ istæ propriæ feminarum sunt, et in se, et in alios unguibus saevientium: ut Æn. IV. 673. *unguibus ora soror fœdans, et pectora pugnis.* Sed *involem*, ab avibus tractum est: ut apud Virgilium Æn. III. 233. *prædam pedibus circumvolat uncis.* Ergo hoc gestu, et dicto, et corporis motu, est adjuvandum. D.

21 *Involem in capillum*] Apparet more veterum intonsam esse. *Etiam ultro derisum advenit*] Mire nunc addidit accusationem, quod non saltem fugeret. D.

22 Bentl. cum Faerno legit et distinguit: *quid ita? vero debeam.* Z.

Debeam] Debere alicui aliquid vel debere alicui pœnas dicitur qui alteri injuriam fecit, quoniam qui alteri injuriam facit, quasi contractu se obligat et eo nomine ejus fit debitor. Virgil. Æn. XI. 54. *nil jam cœlestibus ullis debentem.* v. Burmann. ad Ovid. Metam. VI. 588. Hinc etiam qui injuria affectus est tanquam creditor pœnas exigere dicitur. v. Heins. in sylloge epistol. IV. p. 722. R. D.

23 *Debeam, credo, isti quicquam furcifero*] Subauditur *vero*, aut εἰρωνικῶς pronunciandum est (leg. QUID ITA VERO? Abeam, subauditur. VERO autem εἰρ. &c.) Sane debere dicimur pœnas pro injuria ei, cui injuriam fecerimus: quas se non debituram Chæreæ ut furcifero dicit Pythias, si illi cædem intulerit in servili habitu constituo. *Si id fecerim*] Si involaverim in capillum ejus. D.

24 *Præsertim cum se servum*] Nihil est, inquit, quod metuam, si injuste, aut per injurias aliquid fecero, *maxime cum hic servum tuum fateatur se esse.* E.

25 *Missa hæc faciamus*] Hæc scilicet jocularia et futilia. *Non te dignum, Chærea, fecisti*] Artificiose meretrix ab eo quod licuit, ad id quod oportuit, transit: nec tractat quid sit legitimum (*licitum,*) sed quid honestum. Itaque totam illam partem facti accusandi omittit, et ab accidentibus (*succedentibus*, edd. Ven.) personæ adolescentis objurgat. Scit enim, uno verbo obstari posse, *licuit mihi*, in domo meretricia scilicet: ne videatur irrationabilis, audacia illa ingenui a poeta inducta est. *Non te dignum*] *Dignum*, pro digne. aut deest *facinus*: ut sit, *non te dignum facinus fecisti.* Mira accusatio mixta laudi et blandimento. D.

Missa hæc faciamus] Hic jam meretrix, sublata simulatione, accusat adolescentem injuriarum, dicens, quod non dignum factum adeo fecerit, etsi digna pati potuerit ipsa. Exprimit deinde quid incommodi sibi evenerit ex vitiata virgine, quod non possit suis illam, uti decreverat, reddere, et maximum beneficium et perpetuam gratiam collocare. E.

26 *Nam si ego digna hac contumelia sum*] Deest, *et*, ut sit ordo: *nam etsi maxime.* Et bene additum est *maxime*, ut appareat, quod etsi digna pati sit meretrix, non tamen maxime digna pati Thais est (leg. *quod, etsi maxime digna pati sit, ut meretrix, non tamen pati digna a tali.*) D.

Si ego digna hac] Hieronym. advers. Rufin. *Nonne etiamsi ille dignus esset contumeliis, tu facere non deberes?* L.

Sum maxume, at tu indignus qui faceres tamen.
Neque ædepol, quid nunc consilii capiam, scio
De virgine istac: ita conturbasti mihi
Rationes omnes: ut eam non possim suis,
Ita ut æquom fuerat, atque ut studui, tradere:
Ut solidum parerem hoc mihi beneficium, Chærea.
C. At nunc dehinc spero æternam inter nos gratiam
Fore, Thais: sæpe ex hujusmodi re quapiam, et
Malo principio magna familiaritas
Conflata'st. quid si hoc quispiam voluit Deus?

Si ego digna] I. e. si ego hoc merebar pati, attamen tu non debebas facere, non conveniebat personæ tuæ. Ita h. l. interpretatur. Gronov. observ. III. 8. egregie disputans de vi vocum *dignus* et *indignus* in Hec. III. 5. 27. *quando sese esse indignam deputat, matri meæ cui concedat* h. e. quando inferius sua persona esse, non convenire sibi putat, ut concedat matri. *Facere contumeliam* M. Antonius passive dicit pro ferre, pati contumeliam, ut dicitur, *facere damnum, jacturam*. Sed hoc tanquam a linguæ ratione abhorrens exagitatur a Cic. Philipp. III. 9. v. Gronov. l. c. R. D.

27 *At tu indignus qui faceres tamen*] Recte dixit. Quatuor enim sunt modi in hujusmodi rebus: ita ut aut uterque indignus sit: aut alter dignus, alter indignus: aut contra. D.

28 *Neque ædepol, quid nunc consilii capiam scio de virgine istac*] Intelligit Thais amari virginem ab hoc: et ideo sic ait, ut conciliet nuptias. Nam satis signi est, quod Eunuchi habitum propter hanc sumsit. Et vide quemadmodum ad captionem nuptiarum res eant: quod tamen dicere non audet Thais: sed ostendit *(transeat; ut, quod dicere non audet Thais, ostendat*, &c. edd. Venet.) adolescenti conjecturis, quem tentat, sciens amantem virginem: et viam ostendit petendæ sibi uxoris. D.

29 *Conturbasti mihi rationes*] I. e. disturbasti, irrita feciti consilia mea. Proprie *conturbare rationes* proprie est accepta expensis paria facere non posse. Cic. ad Quint. fratr. II. 12. *nihil esse quod posthac areæ nostræ fiducia conturbaret*. v. Manut. ad Cicer. epist. ad Attic. IV. 17. R. D.

30 Pro *non*, repone *ne*, ob auctoritatem sex codd. vett. B.

31 Pro *atque* leg. *itaque*. Nam, *ita itaque*, sæpius. And. III. 3. 18. B.

32 *Hoc mihi beneficium, Chærea*] Blande nomen repetitum est, Chærea. D.

33 *At nunc dehinc spero*] Nunc jam Chærea vera veris æquiparans, recedit a jocularibus. D.

At nunc dehinc] Defensionem adolescens sub promissione inchoat: dicit enim *æternam ex hac re futuram gratiam*. Hoc enim intelligi vult, quod illam sit ducturus uxorem. Deinque adjecit: *sæpe ex hujusmodi re quapiam, et malo principio magna familiaritas conflata est*. Frequenter, inquit, ex tali re aliqua et initio non bono, ad familiaritatem maximam concordiamque perventum est. *Hujusmodi re quapiam*] Comico loquendi stilo *quapiam*, aliquam intelligimus. E.

34 *Sæpe ex hujusmodi re*] Hoc est, turbulenta. *Quapiam*] Quacunque, vel aliqua. D.

35 Etsi sex codd. habent, *ex malo*, tamen leg. *malo ex*. quia apud Terent. liquescunt sæpe vocales ultimæ, præsertim cum eædem geminantur. B.

36 *Quid si hoc quispiam vŏluit Deus?*]

T. Equidem pol in eam partem accipioque, et volo.
C. Imo ita quæso. unum hoc scito: contumeliæ
Non me fecisse causa, sed amoris. T. Scio.
Et pol propterea magis nunc ignosco tibi.
Non adeo inhumano ingenio sum, Chærea,
Neque ita imperita, ut quid amor valeat, nesciam.
C. Te quoque jam, Thais, ita me Di bene ament, amo.
P. Tum pol tibi ab istoc, hera, cavendum intelligo.

Pleraque repentinis impulsionibus nata, mirisque proventibus, deo adscribi solent: ut Æn. II. 632. *descendo, ac ducente deo flammam inter et hostes expedior.* Et Æn. III. 715. *hinc me digressum vestris deus appulit oris.* Et Sallustius, *ut tanta repente mutatio non sine deo videretur. Quid si hoc quispiam voluit Deus?*] Vult amorem intelligi deum. D.

Quid si hoc quispiam voluit Deus?] Libanius progymnasm. contra homicid. pag. 41. *κάλλους τὶς ἠττηθὶς ἀδικεῖ μὲν, ἀλλ' ἔχει παραίτησιν· ἐβιάσθη γὰρ ὑπὸ τοῦ θεοῦ, καὶ πρὸς τὸν Ἔρωτα δυνάστειαν ἀνταίρειν οὐκ ἴσχυσεν.* Plautus Aulul IV. 10. 7. *Deus mihi impulsor fuit, is me ad illam illexit.* L.

Conflata est] I. e. contracta, orta est. Metaphora ducta fusoribus metallorum, quæ flari et conflari dicuntur. Hoc verbum, tametsi in utramque partem dicitur, maxime tamen in deteriorem, ut *bellum, invidiam, suspicionem, accusationem conflare.* v. Cort. ad Sallust. Catil. c. 14. R. D.

37 *Equidem pol in eam partem accipioque et volo*] Ut æterna inter vos sit gratia, et ex malo principio compleatur magna familiaritas. *Et volo*] Evenire subauditur: et est *σύλληψις* tertia. D.

Equidem pol in eam] Intelligit meretrix quid sibi ab adolescente dictum sit, et ideo adjecit, hoc quidem accipio ex dictis tuis, quod vehementer desidero. E.

38 *Imo ita quæso*] Utrum meretricem, an deos quæso? utrumque enim accipi potest. *Unum hoc scito*] Unde hoc sciat Thais, inepte quæritur, quum ipsa res clamet, nunquam hanc conditionem subiturum Chæream, ut pro Eunucho etiam servo, se fingeret sine amoris impulsu. D.

Unum hoc scito] Hic illa defensio, quam venialem supra diximus. E.

40 *Nunc ignosco tibi*] Quod culpa non sit hominis, sed amoris. D.

41 *Non adeo inhumano ingenio sum Chærea*] Hoc est, immitis non sum, quantum putas (*tam im. n. s. quam tu p.*) ut, *non obtusa adeo gestamus pectora Pœni* Æn. I. 567. D.

Non adeo inhumano] Quoniam meretrices ab amatoribus suis quasi quasdam exigant pœnas, ideo se purgat, ut dicat, non tam inhumano ingenio se esse, ut, amor quid sit, ignoret. E.

Cum plerique codd. habeant, *sum ingenio*, reponendum censeo, *n. a. i. ego sum ing.* B.

42 *Neque tam imperita*] Id est, non experta. *Ut quid amor valeat, nesciam*] Non *inhumana*, quia homo; non *imperita*, quia meretrix. Et *neque tam imperita* inquit: quasi dicat, neque tam pudica sum, ut, quid amor valeat, nesciam. D.

43 *Te quoque jam, Thais*] Bene *quoque*: non enim jam hanc ita amat, ut negligat illam: sed hanc illius causa. D.

44 *Pol tibi ab istoc, hera, cavendum*] Facete. tanquam qui soleat capillum et vestem ejus conscindere, quam amaverit. D.

Tres codd. vett. recte habent, *tum pol ab istoc tibi, hera, cau.* &c. B.

C. Non ausim. P. Nihil tibi quicquam credo. T. Desinas.
C. Nunc ego te in hac re mihi oro ut adjutrix sies;
Ego me tuæ commendo et committo fidei;
Te mihi patronam capio, Thais; te obsecro;
Emoriar, si non hanc uxorem duxero.
T. Tamen si pater. C. Quid? ah volet, certo scio:
Civis modo hæc sit. T. Paululum opperirier
Si vis: jam frater ipse hic aderit virginis:
Nutricem arcessitum iit, quæ illam aluit parvolam:
In cognoscendo tute ipse aderis, Chærea.
C. Ego vero maneo. T. Vin' interea, dum is venit.

45 *Non ausim*] Pro, *non audebo*: et est verbum hujus temporis tantum. *Non ausim*] Utrum propter ætatem? an propter fratrem suum Phædriam potius? *Nihil tibi quicquam*] Παρίλκον quartum. aut *nihil*, pro *non*. *Desinas*] Pro eo quod est, *desine*. aut deest *fac*: ut sit, *fac desinas*. D.

Non ausim] Quoniam Pythias dixerat, timendum esse dominæ Chæream, hoc est, ne quam vim pateretur, respondit ille, non audeo. scit enim fratris amicam esse. E.

47 *Ego me tuæ commendo et committo fidei*] Satis amatorie, ut appareat nunc maxime captum Chæream, ac mancipatum virgini. *Commendamus* nos cognitis: *Committimus* ignotis. Ergo αὔξησις est majoris officii, fideique circa Thaidem. D.

48 *Te mihi patronam capio*] *Te* adjectum, vim habet, et ex animo supplicantis habitum adolescentis ostendit. D.

In quibusdam libris Donati est *cupio*; sed cum *capio* in omnibus Terentii codd. reperiatur, id retinendum censemus. B.

49 *Emoriar, si non hanc uxorem duxero*] Vide amatorem adolescentulum, cui in ipso flore nihil dulcius vita est, ipsam despicere, si sibi uxor non datur. D.

50 *Tamen si pater*] Ἔλλειψις, aut ἀποσιώπησις secunda. *Quid? ah volet, certo scio*] *Quid?* deest *dicat*. Sed ista omnia ad confirmationem valent. D.

Tamen si pater] Pendens hæc oratio sensum plenum habet: tamen si voluerit pater. Sed continuo cum hoc intellexisset adolescens, respondit, *quid? volet, scio; civis modo hæc siet*. Apud Athenas (*Athenienses* Z.) dedecoris maximi erat, non civem ducere uxorem. Unde et in Andria Simo ita loquitur: *adeon' est demens? ex peregrina?* E.

Distingue ita: *tamen si pater quid.* Ch. *Ah volet, c. s.* ut And. V. 4. 47. *Patér* ultimam acuit, ob sequens enclitic*on quid*. B.

Si pater] Scilicet patiatur. R. D.

51 *Civis modo hæc sit*] Mire hic in votum conversum est, quod timere potuit, non ducturus uxorem. D.

Paululum opperirier] Exspectare? E.

Paululum opperirier si vis, jam frater ipse hic aderit virginis] Adeo cito probari potest. D.

55 *Ego vero maneo*] Modo *vero* consentientis est adverbium, alias confirmantis, alias conjunctio, alias particula ironiam juvans: ut Æn. IV. 93. *egregiam vero laudem et spolia ampla refertis Tuque puerque tuus*. D.

Alii libri cum habeant, *dum is venit*, alii, *dum venit is*; nos cum Faerno se-

Domi opperiamur potius, quam hic ante ostium?
Immo percupio. P. Quam tu rem actura, obsecro, es?
T. Nam quid ita? P. Rogitas? hunc tu in ædis cogitas
Recipere posthac? T. Cur non? P. Crede hoc meæ fidei,
Dabit hic aliquam pugnam denuo. T. Au, tace obsecro.
P. Parum perspexisse ejus videre audaciam.
C. Non faciam, Pythias. P. Non pol credo, Chærea,
Nisi si commissum non erit. C. Quin, Pythias,

quimur lectionem Bemb. ubi, *is*, plane abest. Cæterum *visne* melius putamus, quam *vin*. B.

56 *Domi opperiamur potius, quam hic ante ostium?*] Non ignara illecebrarum meretrix, non solum Chæream retinet: verum etiam vocat, ubi virgo est. Et satis callide interrogat an velit: quasi nesciat velle. D.

57 *Immo percupio*] Amatorie, non *volo*: sed *percupio*. D.

Immo percupio] Cupit adolescens ut ingredi velit domum, quoniam illic ea puella est, quam videre desiderat. Sed hoc intellexit Pythias et propugnat dicens, *quam tu rem actura, obsecro, es?* E.

58 *Hunc tu in ædes*] Pronomen in his plus valet, quam accusatio (*appellatio* Z.) *Hunc tu in ædes cogitas?*] Mire: cum illa jam velit, *cogitas* dixit, volens ut recogitet. *In ædes cogitas recipere posthac?*] Per ancillæ verba vult ostendere (forte, *poeta ostendit* Z.) quam sit tractandorum adolescentium perita meretrix. D.

Nam quid] Sic dicebant veteres pro *quid nam* in Phorm. I. 4. 23. *nam quod* pro quodnam. Virg. Georg. IV. 445. *nam quis te juvenum confidentissime*, ubi v. Servium. R. D.

59 *Posthac?*] Post hoc factum, post hanc audaciam. *Crede hoc meæ fidei*] Puellariter dixit, *meæ fidei*. D.

60 *Dabit hic aliquam pugnam denuo*] Pro stupro: ut Æn. XI. 736. *at non in Venerem segnes, nocturnaque bella*. Ut, *vereturque bella et ingens facinus*. Ut Lucilius, *vicimus, O socii, et magnam pugnavimu' pugnam*. *Dabit*] Autem proprie pro inducet: ut Æn. XII. 453. *magnam dabit ille ruinam*. *Au, tace obsecro*] *Au* interjectio est perturbate mulieris: ut apud Græcos *εὐ*. D.

Dabit hic aliquam pugnam] Proprium verbum est, et familiare ad exprimendum semper, (*celere* Z.) cum aliquid fieri dicitur. Ut Virg. Ge. III. 265. *imbelles dant prælia cervi*. et hic, *dabit aliquam pugnam*. E.

Dabit hic aliquam pugnam] Plaut. Bacchid. II. 3. 39. L.

Bentl. collocat ita: *dabit hic pugnam aliquam*, &c. Z.

Dabit pugnam aliquam] H. e. magnum et audax facinus in Ad. V. 3. 57. *pugnaveris* i. e. magnam et memorabilem rem facies. R. D.

61 *Parum perspexisse ejus videre audaciam*] *Parum ulcisse* est: Et non *sensisse*, sed *perspexisse* dixit: ut jam non sit experienda illius audacia, quæ sit perfecte cognita. D.

Lege, *parum perspexe ejus mihi v. a.* Sic enim Plaut. Mil. I. 6. 72. ubi est, *despexe*, et ita *respexis* aliquoties occurrit. B.

62 *Non faciam, Pythias*] Bene et moraliter appositum, *Pythias*. D.

Non pol credo] Verbis talibus fidem non habeo, neque, quod dicit, fieri credo, nisi fuerit factum. E.

63 *Non pol credo, Chærea, nisi si commissum non erit*] Joculariter, ut ille,

Tu me servato. P. Neque pol servandum tibi
Quicquam dare ausim, neque te servare: apage te.
T. Adest optume ipse frater. C. Perii hercle; obsecro,
Abeamus intro, Thais: nolo me in via
Cum hac veste videat. T. Quamobrem tandem? an quia pudet?
C. Id ipsum. P. Id ipsum? virgo vero. T. I præ, sequor.
Tu istic mane, ut Chremem introducas, Pythias.

Pythias dicit: ita hæc *Chærea*. *Quin, Pythias*] Iterum nomen vultuose est additum. *Quin*, pro imo. D.

64 *Neque pol servandum tibi quicquam dare ausim*] Totum garrule et gesticulose, ut puellam cum adolescentulo fabulari videas. D.

66 *Adest optume ipse frater*] *Optume*, oportune. Et non est additum, cujus frater: utpote in re manifesta. D.

Perii hercle] Ex *(et* Z.) hoc exprimitur quod supra dixit, *immo percupio*. Viso enim Chremete noto et nobili viro, vehementer erubescit, quod cum Eunuchi veste sit. E.

67 *Nolo me in via cum hac veste videat*] Subtiliter adolescens, quia nihil profecerat dicendo, *percupio*, invenit causam, qua tandem ingredi possit. D.

68 *Quamobrem tandem?*] Pro *tamen*. Interrogatio hæc increpationem continet impudentissimi facti. *An quia pudet?*] Hæc interrogatio irrisionis plena est in eum, quem nihil pudet. D.

69 *Id ipsum?* Hoc veluti moleste (forte, *mœsto*) vultu dicitur: adeo ut imitetur dictum, vultumque ejus Pythias. *Virgo vero!*] *Vero* εἰρωνικῶς: nam εἰρωνία est, ut Æn. IV. 93. *egregiam vero laudem*. *Virgo*] Quasi qui minime pudicitiæ statum ac verecundiæ virginalis veneretur. *I præ, sequor*] Manifestum est, cur meretrix docta capiendorum juvenum, præire velit Chæream, et in consequendo ipsa sit tardior. Vult enim liberum sine arbitris cum puella esse colloquium, et licitum amorem. Nisi forte putamus Terentium hæc sine causa fecisse, qui sit *(fuit*, uterque cod.) artificiosissimus poeta. Nam neque ipsa ingreditur cum Chærea, neque ingredi simul permittit Phædriam *(Pythiam*, recte in edd. vett.) D.

Id ipsam? virgo] Quidam intelligunt, confusus es quasi virgo: erubescis ex veste, et confusionem pateris, quam virgo patiatur, quam vitiasti. Et rursus est quasi admonitio, ut et pudori non sit, quod ista veste indutus est; siquidem vitiavit virginem. *I præ, sequor*] Antecede, ego te sequar. E.

Pro, *sequar*, leg. *sequor*, ob codd. et quod Thais una cum Chærea egreditur e scena. E.

Virgo vero] Mente supplendum est: ejus te nihil pudebat. R. D.

70 *Tu istic mane, ut Chremem introducas*] Relicta est Pythias ob multas causas: et in primis, ut possit per eam delusus Parmeno pavore suo senem compellere, ingredi ad meretricem, et præsentem fieri ad confirmandas nuptias. D.

ACT. V. SCENA III.

PYTHIAS. CHREMES. SOPHRONA.

QUID? quid venire in mentem nunc possit mihi?
Quidnam? qui referam illi sacrilego gratiam,
Qui hunc supposuit nobis? C. Move vero ocius
Te, nutrix. S. Moveo. C. Video, sed nihil promoves.
P. Jamne ostendisti signa nutrici? C. Omnia.
P. Amabo, quid ait? cognoscitne? C. Ac memoriter.

1 *Quid? quid venire in mentem*] In hoc loco cogitantis disputatio est apud seipsam Pythiæ, quatenus Parmenonem dolo possit ulcisci. D.

Quid? quid venire] Hæc scena consilium quærentis ancillæ tenet, quemadmodum se possit ulcisci. Deinde admonitionem, ut Chremes cum nutrice ingrediatur. E.

2 *Quidnam?*] Sic Cicero Verr. IV. 3. *sed earum rerum artificem, quem? quemnam? recte admones, Polycletum esse dicebant. Qui referam*] *Qui*, quomodo, vel ut. D.

Omnes fere codd. collocant, *referam sacrilego illi*. B.

3 *Qui hunc supposuit nobis?*] Proprie *supposuit*. Nam ut *subduci* dicuntur, quæ nolumus amittere, ita *supponi* quæ non desideramus. Sic Plautus Casin. Grex. versu 7. *ei pro scorto supponetur hircus unctus nautea. Move vero ocius te, nutrix*] *Vero*, pro interjectione posuit stomachantis. D.

Qui hunc supposuit] Frequentes hujusmodi suppositiones ab antiquis introducuntur: sed frequentiores in comœdiis, quam tragœdiis. Ulpianus ad illum Demosthenis locum κατὰ Μειδίου. Τὰς ἀποῤῥήτους ὥσπερ ἐν τραγῳδίᾳ, τὰς τούτου γονάς,] πλείους, inquit, εἰσὶν ἐν ταῖς κωμῳδίαις ὑποβολιμαῖοι, ἥπερ ἐν ταῖς τραγῳδίαις, &c. Itaque sic in Plauti Truculento meretrix alienos dolores sibi supposuerat, Stratophanem militem dolis ut ductaret. In Capteivis Caterv. 2.—*neque ulla amatio, nec pueri suppositio. Move vero ocius*] Sic κινεῖν apud Theocrit. Idyll. XV. vers. 29. —κινεῦ δὴ, φέρε θᾶσσον ὕδωρ. L.

Lege, *supposivit*, versus gratia. Plautus sæpe, *exposivit, deposivit*. B.

Move vero ocius] I. e. celeriter perge. Sic Theocrit. idyll. XV. 19. κινεῦ δή. v. in Andr. IV. 3. 16. et Lindenbrog. ad h. l. particula *vero* singularem vim habet. Cic. de Divinat. II. 8. *quod enim is, qui divinat, prædicit, id vero futurum est*. Liv. XLV. 19. *universos omnia et huic tribuere et illi vero negare* ubi v. Drakenb. R. D.

4 *Video, sed nihil promoves*] Hinc est illud Virgilianum Æn. IV. 641. *illa gradum celerans studio properabat anili*. Scilicet non re celerat, sed studio. *Promoves*] Proficis. D.

Nihil promoves] Expressit tardos gradus ancillæ ambulantis. Motum, inquit, corporis video, sed itineris nulla progressio est. E.

Te, nutrix] Ms. R. *move vero ocyus, genetrix*. L.

6 *Amabo, quid ait? cognoscitne?*] Exhibitum spectatori est, quid post scenam geratur, id est, agnitio puellæ. *Ac memoriter*] Plus intulit quam interrogabatur: nam magna sunt signa, in quibus anilis memoria non errat. *Ac memoriter*] Responsionis brevitas attulit compendium perquirenti, ne plura interrogaret. D.

P. Bene ædepol narras: nam illi faveo virgini.
Ite intro; jamdudum hera vos exspectat domi.
Virum bonum eccum Parmenonem incedere
Video. vide ut otiosus it, si Dis placet!
Spero me habere, qui hunc meo excruciem modo.
Ibo intro, de cognitione ut certum sciam:
Post exibo, atque hunc perterrebo sacrilegum.

ACT. V. SCENA IV.

PARMENO. PYTHIAS.

REVISO, quidnam Chærea hic rerum gerat.

Ac memoriter] *Ac* intendit orationem, quasi dicas *etiam, vel, et quidem* in Andr. II. 1. 37. supra III. 5. 43. *ego vero illud feci ac lubens. Memoriter* est sine mositore. Similis locus est Sueton. in Ner c. 10. *omnes ordines subinde ac memoriter salutavit*, ubi v. Oudendorp. R. D.

7 *Nam illi faveo virgini*] Quasi dicat, illi faveo, non Chæreæ. et simul causa est, cur illum ulcisci cupiat: quia scilicet multum illi favet. D.

9 *Virum bonum*] Εἰρωνία. *Eccum Parmenonem incedere video*] Res odio dignior, novitate scilicet incessus. D.

Incedere] Dicitur qui gravitatem et securitatem præ se ferens ambulat Propert. II. 2. 58. *incedit vel Jove digna soror*, ubi v. Broukhus. R. D.

10 *Vide ut otiosus it*] Invidet illi securitatem, quem sollicitum reddituræ est: non enim ulla alia erit vindicta post, præter istam. *Vide ut otiosus it*] Vultu dicit, et gestu eum esse securum. Et mire poeta lætum describit, ut repente ostendat esse commotum. *Si Dis placet!*] Proprium est exclamantis propter indignitatem alicujus rei. D.

Vide ut otiosus] Attende, inquit, ut securus Parmeno ambulat, et otiosus. E.

Si Dis placet] Est formula indignantium et contemnentium, in qua est ironia. Nam semper de re mala, quæ Diis placere non potest, dicitur. v. in Ad. III. 4. 30.

11 *Spero me habere*] Pro *habiturum*. aut *spero* pro *credo*, more suo. *Meo modo*] Id est, ut volo. D.

Spero me habere] Credo jam me reperisse consilium, quemadmodum istum tormentis afficiam, et cruciem pro mea voluntate. E.

Ut *meo* in ictu acuatur, sequor ordinem, *qui hunc excruciem meo modo*, qui reperitur in cod. vet. Prisciani pag. 1143. B.

12 *Ibo intro, de cognitione ut certum sciam*] Eleganter, defatigare Parmenonem non necessarium putat, sed ex occasione. Nam post eum (*nam prius*, ed. Argent.) dicit se ire intro: exitura autem, ut ipsum in timorem conjiciat. D.

Ibo intro] Pergam intro, ut cognoscam an puella cognoscatur. E.

De cognitione] Cognitiones sive agnitiones crebræ in comœdiis: quod Placid. Lactantius observavit in Stat. Theb. libr. V. 718. *Mire*, inquit, *comœdiæ contigit agnitio filiorum.* Videnda Aristotele περὶ ποιητικῆς. L.

13 Cum Faerno reponendum puto, *post exeo*, ut supra III. 2. *simul imperabo, postea continuo exeo.* B.

1 *Reviso quidnam Chærea, &c.*] *Astu,*

Quod si astu rem tractavit, Di vostram fidem!
Quantum, et quam veram laudem capiet Parmeno!
Nam ut mittam, quod ei amorem difficillimum, et
Carissimum ab meretrice avara: virginem
Quam amabat, eam confeci sine molestia,
Sine sumtu, sine dispendio. tum hoc alterum,
Id vero'st quod ego mihi puto palmarium,

pro *astute*, modo adverbium est; alias nomen: ut, *an in astu venit?* D.

Reviso, quidnam] Hæc scena allocutionem tenet servi gloriantis, quod consilio tantum beneficium dederit, uti amorem ei difficillimum explicaverit. cujus partes enumerat, quod *eum confecit sine molestia, sine sumtu, sine dispendio.* Illud maxime providisse gloriatur, *ut adolescens meretricum ingenia moresque cognosceret, ut, cum cognovisset, semper odisset.* E.

2 *Di vostram fidem*] Modo non invocantis est, sed admirantis; et est figura ἐπιμονὴ per ἐφώνησιν facta. D.

Quod si astu] Servius in Virgil. Æneid. XII. 694. L.

3 *Capiet Parmeno*] Pro *capiam ego.* Nam nomina propria sæpe ponuntur pro pronominibus, quando quis de se loquitur. in Phorm. V. 8. 38. *Phormionem qui volet lacessito* h. e. me. in Hec. V. 4. 38. *an temere quidquam Parmenonem prætereat* i. e. me. Magnam autem vim habet nomen sic positum. R. D.

4 *Nam ut omittam, quod et amorem difficillimum et carissimum*] Quum dicere deberet, *quod ei amorem et difficillimum et carissimum confeci:* primo quasi oblitus dicti superioris, transit ad virginem: deinde addit causam ex abundanti. Quod si dixisset, *amorem confeci*: posset intelligi *confeci*, expedivi, perfeci. At vero *virginem confeci*, quid intelligemus, nisi hoc unum, quod insultat Parmeno confectam virginem: quasi dicat superatam atque devictam? Nam proprie hoc verbum convenit gladiatoribus iis, qui gravissimis vulneribus occubuerunt. Sic Cicero in Catilinam II. 11. *gladiatori illi confecto et saucio.* Convenit ergo servilibus verbis, et velut joeose verniliterque jactanti, rem confectam esse in puella virgine, et non exhibere Chæream damnum vel negotium. D.

Pro *omittam* recte Bemb. et duo vett. e nostris habent *mittam.* B.

Amorem] I. e. rem quam amabat. Ovid. Metam. I. 452. *primus amor Phœbi Daphne.* v. Drakenb. ad Sil. Italic. XV. 248. R. D.

5 *Ab meretrice avara: virginem quam amabat*] Ἀναστάτωσις secunda. *Difficillimum*, quia virginem quam amabat: *Carissimum*, quia a meretrice avara (leg. difficillimum, *quia a meret. avara.* Carissimum, *quia virginem quam amabat*). D.

Hunc et seq. versum emenda ita: *carissimum, a meretrice avara virginem quo amabat, eum confeci*, &c. Nam ita habes, quod Donatus de verbo, *confeci*, postulavit. Deinde Eugraphius quoque legit *eum.* B.

6 *Eam*] Abundat. Sæpe enim veteres post verba quædam injecta, *is, hic* et similia ponunt quæ abesse poterant, infra v. 29. *virginem istam, Thaidi quæ hodie dono data est, scis eam hinc esse civem.* in Ad. III. 3. 4. *si illum potest, qui alicui rei est, etiam eum* [sic edid. Bentl.] *ad nequitiam abducere.* v. interpret. ad Liv. XXV. 27. R. D.

Confeci] H. e. effeci ut ea potiretur. Quint. Cic. de petit. consulat. c. 5. R. D.

8 *Id vero est*] *Vero*, nisi ornativum esset, nihil significaret. (cur non? nam signif. *haud dubie, nimirum*, et omnino habet vim affirmandi. Z.) *Palmarium*] Palma dignum. D.

Me reperisse, quo modo adolescentulus
Meretricum ingenia et mores posset noscere:
Mature ut quum cognorit, perpetuo oderit.
Quæ dum foris sunt, nihil videtur mundius,
Nec magis compositum quicquam, nec magis elegans:
Quæ, cum amatore suo quum cœnant, liguriunt.

Puto esse palmarium] Hoc est, quod ego arbitror mihi esse gloriosum, ibi palmam debere sumi. E.

Puto palmarium] Glossar. *palmarium ἀξιωτικόν.* Priscian. lib. 2. L.

Palmarium] I. e. præcipuum et gloria dignum. Eadem metaphora *palma* pro victoria est in Heaut. IV. 6. 31. et in Phorm. in prol. v. 18. R. D.

10 *Meretricum ingenia*] Optime, non *meretricis* dixit, sed potius *meretricum.* D.

11 *Mature*] Cito et ante tempus. *Ut cum cognorit*] Suaviter non, *noverit*, sed *cognorit*, dixit: quod est plenæ perspicaciæ. *Mature ut cum cognorit*] Bene addidit *mature.* Fere enim cito cognovisse obfuit: sed id ad illecebram fuit quod* cognitus est cito (forte, *fere enim sero cogn. obfuit; quippe id ad ill. fuit, quod nimis cognitum est sero.* Z.) D.

12 *Quæ dum foris sunt*] Apud amantes scilicet. *Nihil videtur mundius*] Bene *videtur*: non enim sunt. D.

13 *Nec magis compositum quicquam*] Bona varietas. Nam hæc omnia per *magis* adverbium profert: nec omnia per comparativum gradum. *Nec magis elegans*] More suo, ne diceret compositius aut elegantius: ut supra, *hoc nemo fuit minus ineptus, magis severus.* D.

Compositum] *Componere* est quidlibet suo loco et ordine ponere. Quoniam vero ex ordine decente conciliatur ornatus, *componere* sæpe dicitur pro ornare. Ovid. Amor. II. 17. 10. *nec nisi compositam se prius illa videt.* v. Burmann. ad Ovid. Metam. IV. 318. R. D.

14 *Quæ cum amatore suo quum cœnant*] Unum *cum*, præpositio est: alterum conjunctio. et dicitur hæc figura λειπτότης. *Liguriunt*] Ἀπὸ τοῦ λιγυροῦ, quod secundum Græcos suave intelligitur. *Ligurire* dicitur, qui eleganter et more senum multo fastidio suaviora quæque degustat. D.

Ligurriunt] Ut supra dixi, leviter cibos tangunt. cui contrarium *abligurrire*, quod significat absumere. E.

Cum amatore suo quum cœnant, liguriunt] V. C. *cum amatores suos vocant, lig.* quæ lectio non mala. *Liguriunt*, λιχνεύουσι. Et *ligurius, gulosus, catillo* λίχνος. Gloss. L.

Illud *suo*, recte Faernus ejecit. Sed versum totum esse spurium multis de causis existimo. Primum enim *ligurrire* semper secundam producit, nec potest, qui est error Donati, proficisci a Gr. λιγυρὸν, quod de suavitate soni tantum dicitur, nunquam de sapore. Deinde *ligurrire* significat, edacem esse, cibi avidum; quod vero a sensu hujus loci abhorret. Tum *cœnant* hic acuit ultimam, satis invenuste. Adde, quod *amatore suo*, stulte sit dictum pro *amatoribus suis*: illud enim de una dicitur, non de pluribus. B.

Meretricis foris cœnantis mores egregie expressit Lucianus in loco, quem dudum laudavit Daceria, in Dial. Crobylæ et Corinnæ: Ἦν δέ ποτε καὶ ἀπίλθῃ ἐπὶ δεῖπνον λαβοῦσα μίσθωμα, οὔτε μεθύσκεται, καταγέλαστον γὰς, καὶ μισοῦσιν οἱ ἄνδρες τὰς τοιαύτας, οὔτε ὑπερεμφορεῖται τοῦ ὄψου ἀπιεροκάλως, ἀλλὰ προσάπτεται μὲν ἄκροις τοῖς δακτύλοις, στωπῇ δὲ τὰς ἐνθέσεις οὐκ ἐπ' ἀμφοτέρας παραβύεται τὰς γνάθους· πίνει δὲ ἠρέμα, οὐ χανδὸν, ἀλλ' ἀναπαυομένη. Cf. Heaut. III. 1. 48. Z.

Liguriunt] I. e. cum elegantia et fastidio cibos suaves degustant. v. Donat. ad h. l. et Victorii Var. lection. IX. 15. Ei mox v. 17. opponitur *vorare.* R. D.

Harum videre illuviem, sordes, inopiam,
Quam inhonestæ solæ sint domi, atque avidæ cibi:
Quo pacto ex jure hesterno panem atrum vorent.
Nosse omnia hæc, salus est adolescentulis.
Py. Ego pol te pro istis dictis et factis, scelus,
Ulciscar: ut ne impune in nos illuseris.
Proh fidem deum! facinus fœdum. O infelicem adolescentulum!

15 *Harum videre ingluviem*] Ordo erat, *harum videre ingluviem, sordes, inopiam, quam inhonestæ solæ sint domi*: id est, cum solæ sint, ut inhonestæ, atque avidæ cibi: quæ quum foris sunt, cœnant scilicet. D.

Pro, *ingluviem*, i. e. cibi aviditatem, legi debere *illuviem*, seu, *inluviem*, et codd. bonorum auctoritas, et sensus ratio suadet. Nam non modo *illuvies* et *mundities* sibi solent opponi, sed et cum sequatur *avidæ cibi*, ad vitandam tautologiam, præferendum est *illuvies*. B.

Illuviem] *Illuvies* a non lavando dicitur et contraria est munditiei. Deteriores libri habent *ingluviem* i. e. voracitatem, v. interpretes. ad h. l. R. D.

17 *Quo pacto ex jure*] *Ex* pro *cum* positum est, aut deest *madidum*, aut *maceratum*, aut *emollitum*. Nam apparet et sordidum esse, et quasi atrum durumque panem, qui ex jure hesterno sit comedendus. Cui contrarium Sallustius Jug. 44. posuit, de deliciis militum loquens, *panes enim in dies mercari*, inquit. *Ex jure hesterno panem atrum vorent*] Hoc est, ut quidam volunt, ex antiquitate mucidum: quasi dicat, panem mucidum hesterno jure accipientes deglutiunt. D.

Quo pacto ex jure] Expressit meretricum sordes. Si quidem præter cætera et *jus* dixit *hesternum*, (quod significat aquam pinguem) quod ab amatore tulerunt; aut domi fuerit ac remanserit, quod foris cœnaverint. E.

Ex jure hesterno panem atrum] I. e. madidum factum jure hesterno. Sic præpositione *ex* sæpe utuntur medici. Celsus III. 19. *intritum ex vino* v. Tanaquill. Fabrum ad h. l. *Ater panis* est coctus ex farina, unde furfures non sunt secreti, cui opponitur candidus panis. v. Donat. ad. h. l. R. D.

18 Lege, *saluti est*, uti suavitas soni, et linguæ ratio postulat. B.

Salus est adolescentulis] Bentlei. emendat *saluti est adolescentulis*. Suet. in Aug. c. 14. *saluti fuit quod qui desiderabatur apparuit incolumis*. R. D.

19 *Ego pol te pro istis dictis et factis, scelus, ulciscar*] Miro artificio poetæ, et ab initio non placatur Pythias, nec in gratiam redit Chæreæ. Et insupex nunc mire a Parmenone irritatur magis: ut per eam Parmeno terreatur, et per Parmenonem ingredi ad Thaidem cogatur senex: et demum per senem nuptiæ confirmentur. Hæc ergo artificibus et eruditis, cætera spectatoribus poeta exhibet. D.

Pro istis factis] I. e. ita ut mereris pro tuis factis, in Hec. II. 1. 12. *an quidquam pro istis factis dignum te dici potest* Sallust. in Catil. c. 51. *si dignum poena pro factis eorum reperitur*, ubi v. Cortium. R. D.

20 *Ne impune in nos*] Ne sine pœna nobis injuriam feceris. E.

Dele, *in*, cum duobus codd. Sic enim *illudere* occurrit Heaut. IV. 4. 19. et Phorm. V. 8. 22. B.

21 *Proh fidem deum*] Vim magnam ostendit, deorum implorans fidem: quasi in hoc negotio nihil possit (*prosit*, cod. uterque) humanum consilium. *Proh fidem deum*] Simulata perturbatione sui, Parmenonem terret Pythias. *Proh fidem deum*] Hæc singula pronuncianda sunt pavido et attonito vultu.

O scelestum Parmenonem! qui istum huc adduxit. PA. Quid est?
PY. Miseret me: itaque ut ne viderem, misera huc effugi foras
Quæ futura exempla dicunt in eum indigna? PA. O Juppiter,
Quæ illæc turba'st? numnam ego perii? adibo. quid istuc, Pythias?
Quid ais? in quem exempla fient? PY. Rogitas, audacissime?
Perdidisti istum, quem adduxti pro Eunucho adolescentulum,

Fœdum] Crudele. Sallustius, Catil. 15. *fœdi oculi. O infelicem adolescentulum*] Plus est, miseriam adolescentis dicere (*plus est, misereri jam adolescentis*, Ms. H. Si quid mutandum est, lege, *p. e. de miseria* &c. Z.) Pythiam, quam irasci ei. D.

Pro deum fidem!] Dum progreditur Pythias, fingit adolescentem Chæream intus captum, et pro mœcho deprehensum, quo facilius Parmeno terreatur. E.

Omnes libri, excepto Bembino, collocant, *proh deum fidem*. recte. Servius ad Æn. II. 502. sic laudat; *proh deum atque hominum fidem*. B.

Ab hoc versu novam exorsa est scenam Daceria. Z.

22 *O scelestum Parmenonem*] Ut verba sunt, periit profecto miser adolescens, quum in eodem peccato irascitur Parmenoni Pythias, non Chæreæ. D.

23 *Miseret me*] Hæc omnia quasi secum loquitur: et fingit se nescire, quod assistat Parmeno. D.

Itaque ut ne viderem] Recte Perizon. ad Sanctii Minerv. IV. 11. p. 723. conjungit omnia, et sine interrogatione verba *exempla indigna quæ dicunt in eum futura* refert ad *viderem*, et sic edidit Bentleius. R. D.

24 *Quæ futura exempla dicunt in eum indigna?*] Graves pœnæ, quæ possunt cæteris documento esse, *exempla* dicuntur. *In eum indigna?*] Modo per *indigna*, fœda, crudeliaque significat. Ut Virg. VI. 162.—*atque illi Misenum in littore sicco, Ut venere, vident indigna morte peremtum*. D.

Exempla] *Exemplum* dicit gravem pœnam, scilicet quæ cæteris esse possit ad exemplum: nam alias dicit, *uterque in te exempla edent*. E.

Exempla] *Facere vel edere exemplum in aliquem* significat grave supplicium de aliquo sumere, ut ejus pœna aliis exemplum sit. Cæs. de B. G. I. 31. *in eos omnia exempla cruciatusque edere*. infra V. 6. 21. *uterque in te exemplum edet*. v. Donat. ad h. l. et ad Phorm. IV. 4. 7. item Gronov. ad Liv. XXIX. 27. R. D.

25 *Quæ illic turba est?*] Quæ loquitur: aut quam ostentat ex vultu ac dictis (*an, quam loquitur? an, quam ostentat ex vultu?* Ms. H.) sed appareret, vultum (*ex vultu*, Ms. B.) Pythiæ turbam dicere. ut in Andria, *sed quid Pamphilum exanimatum video? Vereor quid siet: operiar, ut sciam nunc, quidnam hæc turba tristitiæ adferat*. D.

26 *Rogitas, audacissime?*] Totum hoc terribile est in gestu ac vultu Pythiæ, et nimis usitatum et femineum. D.

27 *Perdidisti istum, quem adduxti*, &c.] Artificiose non accusat, quid peccaverit adversus Thaidem, quasi ex pœna adolescentis plus doleat, quam irascatur Parmenoni. D.

Dum studes dare verba nobis. PA. Quid ita? aut quid factum'st? cedo.
PY. Dicam: virginem istam, Thaidi quæ hodie donò data'st,
Scis eam hinc civem esse, et fratrem ejus esse apprime nobilem?
PA. Nescio. PY. Atqui sic inventa'st: eam iste vitiavit miser.
Ille ubi rescivit factum frater violentissimus.
PA. Quidnam fecit? PY. Colligavit primum eam miseris modis. PA. Hem!
Colligavit? PY. Atque equidem orante, ut ne id faceret, Thaide.
PA. Quid ais? PY. Nunc minatur porro sese id, quod mœchis solet:

28 *Dum studes dare verba nobis*] Bene, *studes dare*: neque enim dedisti. *Quid ita?*] Deest *dicis*: ut sit, *quid ita dicis?* D.

29 Collocatio, *hodie quiæ*, codicibus probatur, et gratiorem efficit versum. B.

30 *Scis eam hinc civem esse*] *Eam*, abundat: quemadmodum supra, *quam amabat virginem, eam confeci sine molestia. Et ejus fratrem apprime nobilem?*] Hæc ad terrorem et gratiam aucta sunt. Nam primo *virginem* posuit, post *civem*, ad ultimum *nobilis sororem*. D.

Scis istam civem] Ut vitiatori crimen increscat, dicit *virginem esse civem*, et ejus fratrem *adolescentem nobilem*, qui facile possit consurgere. Præterea dixit esse *violentissimum*. E.

Versus gratia repone, *scis eam civem hinc esse?* Atque pro, *ejus*, sensus poscit, *eii*, quia Parmenoni, qui ne ipsam puellam quidem, quæ esset, sciret, frater ejus notus esse non potuit. B.

31 *Nescio*] Perturbatus Parmeno nec negare potuit, nec consentire voluit, sed quasi defensionis loco dixit, *nescio*. *Atqui sic inventa est*] Facile est ut credat, qui dicit *nescio*. Ergo Pythias non laborat, ut suadeat civem esse. *Atqui sic inventa est*] Magnum horrorem incutit audienti, non accusando, sed miserando Chæream. D.

32 *Frater violentissimus*] Hoc inventum est, quod daretur ad nobilem (*quo declararetur* Adeo nobilem. Vide. supra I. 2, 124.) D.

Omnes codd. præter Bemb. et unum e regiis, *ille ubi* id *rescivit*. B.

Frater ejus violentissimus] Violentus est audax ad quodlibet faciendum, omnia vi et impetu faciendum, non ratione. Sueton. in Cæs. c. 29. *Curionem violentissimum tribunorum*. R. D.

33 *Colligavit primum eum*] Mira tarditas, ad torquendum Parmenonem: simul etiam relictus ad succurrendum locus. D.

Illud *hem* a codd. vett. recte abest. B.

34 *Atque equidem orante, ut ne id faceret, Thaide.*] Adeo violentissimus. Et recte hoc additum, ne speret auxilium a Thaide. D.

Lege versus et sensus causa, *et quidem*. Nam, *equidem*, in priscis scriptoribus semper est primæ personæ. B.

35 *Nunc minatur*] *Minatur* ut suc-

Quod ego nunquam vidi fieri, neque velim. PA. Qua audacia
Tantum facinus audet? PY. Quid ita tantum? PA. Annon tibi hoc maximum est?
Quis homo pro mœcho unquam vidit in domo meretricia

curri possit ei, qui non sit passus. *Minatur porro sese*] Deest *facturum*. *Quod mœchis solet*] Deest *fieri*. D.

Id quod mœchis solet] Hinc intelligimus quædam in mœchos esse supplicia, vel spadari, vel aliud quidlibet ad crudelitatem sive turpitudinem. Hæc Pythias reticet. E.

Quod mœchis solet] Puta abdomen adimere. Plautus Misit. scen. ult. Horat. lib. 2. Sat. 2. 45. *Testes caudamque salacem Demeteret ferro.* Qua poena affici postea κτηνοβάται soliti. Matt. Blastares Hieromonach. ὁ μέντοι πολιτικὸς νόμος, οἱ ἀλογευόμενοι, φησὶ, ἤτοι κτηνοβάται καυλοκοπείσθωσαν. Soliti etiam mœchi παρατίλλεσθαι, Scholiast. Aristoph. in Plutum. Horat. lib. I. Saty. 2. 132. *Discincta tunica fugiendum est, ac pede nudo; Ne nummi pereant, aut pyga, aut denique fama.* Vid. observationes Catullian. L.

Id quod mœchis solet] De variis mœchorum pœnis. v. Muret. et Lindenbrog. ad. h. l. R. D.

37 *Quid ita tantum?*] Nimis (*minus*, edd. vett.) callide Pythias hunc dicit violentum: et tamen injustum, audademque dici non patitur, sed defendit, ut magis terreat Parmenonem. D.

38 *Quis homo pro mœcho unquam*] Causa finalis (*sit talis*), virginem civem apud meretricem vitiavit: mercedem offert: petitur ad supplicium. D.

Quis homo pro mœcho] Et supra isto consilio usi sunt, ut impunitatis spem sibi in domo meretricis pollicerentur; ita et nunc arguit Parmeno, quod *pro mœcho in domo deprehensus sit meretricia adolescens.* E.

Pro mœcho unquam vidit] Ergo cum ejusmodi lupis impune erat voluptatem capere. Vid. Augustin. de Civit. Dei XIV. 17. Lanctantius divin. instit. VI. 23. *ne quis esset, qui pœnarum metu abstineret alieno, lupanaria quoque constituit, et pudorem infelicium mulierum publicavit.* Asterius Episc. Amaseæ Homil. *an liceat homini dimittere uxorem*, pag. 73. οἱ τοῖς τοῦ βίου τούτου νομοθέταις προσέχοντες, ἀνέυθυνον καταλειποῦσι τῆς πορνείας τοῖς ἀνδράσι τὴν ἐξουσίαν. Hieronym. in Epitaphio Fabiolæ: *aliæ sunt leges Cæsarum, aliæ Christi: aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit. Apud illos viris impudicitiæ frena laxantur, et, solo stupro atque adulterio condemnato, passim per lupanaria atque ancillulas, libido permittitur.* Elegans hac de re locus Zenonis Episc. Veron. Homil. de Pudicitia: *lubrici mariti humanarum legum iniqua impunitate decepti, justitiam veram nec ex sua ipsa voluntate noscentes, quod pati nolunt, libenter efficiunt; qui profanæ libidinis detestabili furto distracti, turpibus jam non contenti latibulis, aliquotiens, proh nefas! sub ipsis obtutibus matronarum vesana congressione desudant.* Hinc apud Quinctilian. VII. 4. quæritur, an deprehensus in lupanari cum alterius uxore adulter sit: quia non de appellatione, sed de vi facti ejus ambigitur, an omnino peccarit. Inter hæc autem scorta, cauponæ quoque mulieres, ministræque earum numerantur: L. fin. C. Si mancip. ita ven. et sane meretrices inter instrumenta cauponæ referuntur. l. 49. §. 9. ff. de ritu nuptiar. ideoque ab istis feminis pudicitiæ ratio non requiritur, quas vitæ vilitas dignas legum observatione non credidit. Imp. Constant. l. 29. C. ad L. Jul. de adult. Ulpian. I. 13, §. 2. ff.

Prǽhendi quemquam? PY. Nescio. PA. Anne hoc nesciatis? Pythias:
Dico, edico vobis, nostrum esse illum herilem filium. PY. Hem,
Obsecro, an is est? PA. Ne quam in illam Thais vim fieri sinat.
Atque adeo autem cur non egomet intro eo? PY. Vide, Parmeno,
Quid agas, ne neque illi prosis, et tu pereas. nam hoc putant,
Quicquid factum'st, ex te esse ortum. PA. Quid igitur faciam miser?
Quidve incipiam? ecce autem video rure redeuntem senem:

eod. Eclog. Basil. lib. LX. Tit. 37. L.

Ne, *prŏ*, acuatur, et, *moecho*, in Thesi deprimatur, repone, *quis homo unquam pro moĕcho vidit*, &c. B.

39 *Nescio*] Quam astute dixit *nescio*: ne laborans ad contradicendum, amitteret fidem supplicis (*simplicis*, Ms. B.) personæ, ac vera dicentis. Vult enim magis nuncii officio fungi, quam persuadentis. D.

Pro *prehendi*, quod in probatis reperitur libris, versus gratia cum Faerno repono, *prendi*. Deinde legendum est, *at ne hoc nesc.* B.

40 *Dico, edico vobis*] Αἴξησις, ut supra, *ubi quæram. ubi investigem? Dico*] Tibi, Pythias. *Edico*] Omnibus tuis. Ergo ad universos utrumque refertur, et *dico* et *edico*. D.

Dico, edico] Uti iracundiam vel meretrix, vel quilibet alius temperare possit, maluit (*mavult* Z.) qui ille adolescens sit, confiteri, ne propter nobilitatem in eum aliquid constituatur. E.

Edico] Plus est quam dico. Hoc enim verbo utuntur poenas minantes, nisi dictis suis obediatur. R. D.

41 *Obsecro, an is est?*] Insultantis, ut in Phormione, V. 7. 52. *hicine eras?* Nam sciebat eum esse. *Ne quam in illum Thais vim fieri sinat*] Quam bene providet Pythias! (forte, quantum ex literis q. e. o. n. n. s. i. t. quæ in quibusdam libris sunt, conjicere licet, addenda sunt hæc: *quæ equidem omnia narrat, ne servus irrumpat ad Thaidem.* Z.) D.

Ne quam in eum Thais] Bene adjecit *Thais*, quæ ejus fratrem habet amatorem. E.

42 *Atque adeo autem cur non egomet intro eo*] Pythias, *vide, Parmeno, quid agas, ne neque illi prosis, et tu pereas.* Totum hoc ad id addidit, ut senex intromittatur ad confirmandas nuptias: sed poeta hoc agit, personæ nesciunt. D.

Cur non ego] Credit jam se non (*nunc*) posse succurrere. Verum quoniam Pythias mentitur, metuit ne ingressus Parmeno aliud inveniat, ideo obsistit et prohibet ne ingredi vellet, quod illi potius irascuntur, quod credunt ipsius consilio cuncta perfecta. E.

44 Nostri fere omnes, *a te esse*. Recte: ut And. III. 2. 9. et II. 1. 35. B.

45 *Quidve incipiam?*] *Faciamus* mediocria, *incipimus* ingentia. *Ecce au-*

Dicam huic, an non? dicam hercle: etsi mihi magnum malum
Scio paratum; sed necesse est: huic ut subveniat. PY. Sapis.
Ego abeo intro: tu isti narra omnem rem ordine, ut factum siet.

ACT. V. SCENA V.

LACHES. PARMENO.

EX meo propinquo rure hoc capio commodi:

tem video rure redeuntem senem] Choragii est administratio, ut opportune in prosceniun (leg. *choragi fit artificio, ut opportune in prosc. veniat senex.*) D.

Ecce autem video] Supponit deliberativæ speciem, utrum ipdicet domino an non; ut oportuit, celeri consultatione, quid faciendum esset, elegit, dicens: *necessitatem esse dicendi.* Ita et honestum, et utile semper vincitur, si modo necessitas sit, ob quam aliter quam cogitur, fieri non potest. E.

46 *Dicam huic, an non?*] Hoc non esset verisimile, nisi dubitasset. Quid enim ad Chæream pertinet, dubitat. (leg. DICAM H. A. N. DICAM HERCLE. *Hoc non esset verisimile, nisi dubitasset. Quod ad Chæream pertinet, non dubitat: quod ad se ipsum pertinet, dubitat.*) D.

Ne versus, qui, ut cæteri, tetrameter esse debet, toto pede sit brevior, leg. *dicam huic, annon dicam? dicam hercle: etsi* &c. B.

47 *Scio paratum: sed necesse est*] Hæc causa dubitandi fuit: quod hinc Parmenonis, illinc adolescentis periculum ceruitur. *Sed necesse est*] *Dicere*, subaudiendum est: ut sit, *sed necesse est dicere*, et *ἀσυνδέτως* inferendum est quod sequitur. Deest enim *propterea*, vel quid tale. *Sapis*] *Sapis* dicit, non videns quid futurum sit: sed tantum derisisse contenta. D.

48 *Ut factum siet*] Ms. R. *sit.* L.

Pro *omnem rem*, cum uno cod. Faernus recte legit, *omne.* Nam ita et versui et sensui consuliter. B.

Narra rem omnem ut factum sit] Notandum est feminium *res* post se habere diversum genus. Sic in Heaut. V. 1. 3. *in me quodvis harum rerum convenit quæ sunt dicta in stultum.* v. Duker. ad Liv. I. 3. R. D.

1 *Ex meo propinquo rure hoc capio commodi*] Annotandum, quod hujus senis nomen apud Terentium non est: apud Menandrum Simon dicitur. *Ex meo propinquo rure hoc capio commodi*] Firmatur (*formatur* Z.) status trepidantis senis, ut appareat, quam inopinato malo amens fieri possit: quod ipsum superius et in Parmenone servatum est. Imparatis enim mentibus mala majora sunt. Ergo nunc tam otiosus incedit senex, ut neque mores increpet, nec quicquam suspicetur mali, sed agat (*aiat* Z.) gratias proximæ villæ: cujus beneficio non scit, quid in urbe agerent filii. Et nunc adest, ubi opus est poetæ. Et vide hanc causam fuisse, cur non ad villam diverterit. Omnes villas comicas surburbanas esse (ordo de-

Neque agri, neque urbis odium me unquam percipit.
Ubi satias cœpit fieri, commuto locum.
Sed estne ille noster Parmeno? et certe ipsus est.
Quem præstolare, Parmeno, hic ante ostium? 5
P. Quis homo est? ehem, salvum te advenire, here, gaudeo,

bet esse hic: *et vide, omnes villas c. s. esse, et hanc causam fuisse, cur* &c.) commoditatem ipsam nunc explicat et ostendit. D.

Ex meo propinquo] Hæc scena narrationem continet, quemadmodum filius ejus (*senis* Z.) in domo meretricis pro Eunucho captus: simul cum defensione et adolescentis qui captus est, et ipsius qui narrat, ne videatur ipse suis ad periculum consiliis dominum impulisse. *Ex me propinquo*] Ex solo et vicino agro. E.

Ex meo propinquo rure] Charis. libr. I. L.

2 *Neque agri, neque urbis*] Tragicus apparatus. Delicias memorat, qui periculo cogniturus est. *Odium me unquam percipit*] Fastidium ex abundantia est (hoc scholio *satias* explicatur. Z.) D.

Odium me percipit] *Odium* est fastidium, tædium ut supra. *Percipere* est penitus capere, occupare. Lucret. III. 80. *vitæ percipit humanos odium*, ubi v. Lambin. Liv. XXII. 51. *Hannibali nimia lætæ res est visa majorque quam ut eam capere animo posset.* v. interpretes ad Liv. XXX. 3. et Græv. in lection. Plaut. p. 23. R. D.

3 *Ubi satias cœpit fieri*] Suffecerant ad hanc sententiam duo superiores ii versus: sed *ἐνέργεια* est senilis eloquii, faceti et garruli simul. *Commuto locum*] Mira brevitate duas res explicuit simul *Ubi satietas est*, deest *nam*: ut sit, *nam ubi satietas cœpit fieri.* Et *cœpit*, pro *cœperit. Satietas*, odium: ab eo quod præcedit, id quod sequitur. D.

4 *Sed estne ille noster Parmeno? et certe ipsus est*] Et dubitavit, et firmavit postea: utpote senex, visu jam languido, atque oculis ætate defessis. D.

Estne ille noster Parmeno] In Ms. R. *est* omittitur. L.

5 *Quem præstolare, Parmeno, hic ante ostium?*] Nove (*antique.* Nam apud Plautum idem occurrit Z.): non, *cui præstolare*: sed, *quem* dixit. Aliter Tullius in Catilinam, I. 9. *qui tibi ad forum Aurelium præstolarentur. Præstolari*, est præsto esse et apparere, hoc est, obsequi. D.

Quem præstolare] Notandum quod hic per accusativum protulit, *quem præstolare.* At vero Cicero per dativum, Catil. I. 9. *qui tibi ad forum Aurelium præstolentur armati?* E.

Quem præstolare] Priscian. lib. IIX. L.

Præstolare] *Præstolari* est præsto esse, alicujus exspectandi causa. v. Fest. in hac voce. Veteres huic verbo etiam dativum jungunt ut Cic. ad Attic. II. 15. ubi v. Victor. R. D.

6 *Quis homo est?*] Quare, *quis homo*, quum providerit venientem: utrum non vult videri providisse, ne quid fallaciæ parasse videatur? Sic et in Andria, *quasi de improviso respice ad eum.* Vel quia perturbatur exanimatus, qui dum quid apud Thaidem geratur, ausultat, non videt senem propius accedere, quem longe viderat? An vero idcirco hoc fingit, quia quod parabat dicere de Chærea, postquam cominus ventum est, non audet loqui? D.

Advenisse recte habent omnes nostri, uno excepto. Deinde dele, *here*, quod a tribus probatis abest, præsertim cum idem nomen paulo post occurrat. B.

Salvum te advenire gaudeo] Formula salutandi eos, qui peregre adveniunt. Cic. ad Att. V. 21. R. D.

L. Quem præstolare? P. Perii: lingua hæret metu.
L. Hem! quid est, quid trepidas? satine salve? dic mihi.
P. Here, primum te arbitrari, quod res est, velim:
Quicquid hujus factum'st, culpa non factum'st mea.
L. Quid? P. Recte sane interrogasti: oportuit
Rem prænarrasse me. Emit quendam Phædria
Eunuchum, quem dono huic daret. L. Cui? P. Thaidi.
L. Emit? perii hercle! quanti? P. Viginti minis.

7 *Lingua hæret metu*] Virgilius, Æn. II. 774. *et vox faucibus hæsit.* D.

Lingua hæret metu] Sæpe timor, dolor, aliæque animæ affectiones sermonem impediunt. Virg. Æn. II. 724. *vox faucibus hæsit.* Ovid. Amor. I. 7. 20. *pavido lingua retenta metu.* R. D.

8 *Quid est, quod trepidas?*] Instandum est seni ad audienda, quæ de facili nunquam fateretur Parmeno. *Satisne salve?*] *Salve*, integre, recte, commode. Plautus in Trinummo, v. 2. 53. *benevolens tuus atque amicu'st.* LE. *Satin' salve? Satisne salve?*] Nunc adverbium est: producta est *e* litera. Sallustius, *inde ortus sermo, percontantibus utrimque, satin' salve* (*salvæ* sc. res) *quam grati ducibus suis, quantis familiaribus copiis agerentur* (augerentur.) D.

Appone *hem* versui priori: et in sequenti lege, *quid est, quod tu trepidas?* Nam, *tu*, habent nostri plerique. B.

9 *Here, primum te arbitrari, quod res est, velim*] Quod ante narrationem confirmatio inducitur, contra morem et præcepta est: sed merito, quia perturbatus est, licet simul * ut non possit dicere (*quia pert. est ita, licet simulet, ut*, &c.) D.

Primum te arbitrari] Antequam crimen vel admissum aliquod facinus narraret, prius voluit, quod factum esset a se removere. *Ne me*, inquit, *spectes*, hoc est, ne de me esse credas. Sed hoc stulte factum, nisi crimen vel facinus dixisset, purgare non debuit personam suam. Ideo senex interrogat *quid factum sit*. Et Parmeno, *recte*, inquit, *oportuit rem prænarrasse me.* Hoc est, crimen, quod est admissum, prius oportuit dicere, et sic adhiberi in omnibus purgationem. E.

Plerique codd. *id quod res est:* ut supra IV. 6. 10. B.

10 *Quicquid hujus factum est*] Absolute ut supra, *et quicquid hujus feci, causa virginis feci.* Aut deest *rei:* ut sit, *hujus rei.* Stomachose. D.

11 *Quid?*] *Quid*, interrogat. quis enim ante, crimen, quam objiciatur, aut proponatur, neget. *Recte sane*] Docte Terentius ipse se reprehendit. Nam ordine factum non est præ timore et conscientia. D.

12 *Emit quendam Phædria Eunuchum*] Vide narrationem a necessariis et urgentibus cœptam, non in se continere, nisi quod rei conditio cogit fateri. *Emit*, inquit, *quendam Eunuchum, quem dono huic daret*] Non dixit, cui dono daret; aliter ab amoris mentione cœpisset. *Deinde τὸ quendam ἐξουθενισμὸν* significat, et *ἐντέλειαν ἀνδρός.* D.

Emit quendam Phædria Eunuchum] Cum Æthiopissam etiam, tamen de Eunucho tantum narrat, quia ipse pertinet ad causam, et ne dominum in muneribus onerare videatur. E.

13 *Huic*] *Huic* more suo dixit potius, quam *meretrici.* Quinetiam interrogatus, *Thaidi* potius dicturus est, quam ut nomen dicat, quo offenditur senex. *Eunuchi* autem solius mentio necessaria est; quia dicturus est, *pro Eunucho deductum Chæream.* D.

L. Actum'st. P. Tum quandam fidicinam amat hic Chærea.
L. Hem, quid? amat? an scit jam ille quid meretrix siet?
An in astu venit? aliud ex alio malum!
P. Here, ne me spectes: me impulsore hæc non facit.
L. Omitte de te dicere: ego te, furcifer,
Si vivo. sed istuc quicquid est, primum expedi.
P. Is pro illo Eunucho ad Thaidem deductus est.

15 *Actum est*] Desperantis verbum. *Tum quandam fidicinam amat hic Chærea*] Mire et necessario variavit: ille *emit*, ut Eunuchum mittat ad Thaidem: hic *amat*, ut deduci se pro Eunucho velit. *Quandam fidicinam*] Extenuatio criminis est: non (excidit, *dicens*, Z.) quod virginem, quod civem vitiaverit. D.

Pro *hic*, repone *hinc*, h. e. eadem Thaidis domo. Sic occurit, *amat a meretrice, a lenone*. Vide ad V. 4. 5. B.

16 *Hem, quid? amat?*] Hæc singula pronuncianda sunt, ut stuporem nimiæ indignationis ostendant. *An scit jam ille quid meretrix siet?*] Quia fidicina, meretrix est. D.

Hem! quid? amat? an scit jam] Licet breviter supra Parmeno utrumque narraverit, vel ipsum emisse * (etsi Westerhovius negat, se in Mss. lacunam invenisse; nomen tamen, *Phædriam*, excidisse videtur. Z.) meretrici, vel Chæream amare cœpisse; tamen utriusque calamitatis sensus (lege *sensu*, vel *sensu perturbatus*. Z.) senex graviter indignatus conqueritur; *scit jam ille, quid meretrix?* Sed ita non adolescenti crimen instituit, quod vir sit; sed quod *scit, quid meretrix siet*. An quia (*aut cujusdam jam*. Z.) quodam astu et calliditate, mala hæc mihi ingeminata sunt, ut *aliud malum ex alio* nasceretur. Aliud enim malum computat Eunuchum; aliud, quod minor filius cœperit amare meretricem. E.

Ne, *amat*, quod in repetitione acui debet, in Thesi lateat, illud *hem* appone priori versui. Deinde colloca, *an jam scit ille*, &c. B.

17 *An in astu venit*] *In astu*, in urbem de Piræo. Sic Athenienses vocabant urbem suam: unde ipsi incolæ ἀστοὶ vocantur. *Aliud ex alio malum*] Hoc separatim dixit senex, fixis in Parmenonem oculis. D.

An in astu venit] Asconius Pedian. in II. Verr. Priscian. lib. XV. Acro ad XIV. Epist. Horat. Stephan. de Urbib. ἐλέγετο δὲ κατ' ἐξοχὴν πόλις (Alexandria) καὶ πολῖται ἐξ αὐτῆς· ὡς ἄστυ αἱ Ἀθῆναι, καὶ ἀστοὶ, καὶ ἀστικοὶ οἱ Ἀθηναῖοι, ὡς καὶ ἐπὶ Ῥώμης λέγεται ὥρᾳ. L.

18 *Me impulsore hæc non facit*] Ipsum accusat conscientia: non enim quod levius est, dixit, *me sciente*: quum (*sed quo*. Z.) plus inferat, *me impulsore*. D.

Here, ne me spectes] Narratio causæ redit ad defensionem suam, quam supra dimiserat. E.

19 *Ego te, furcifer, si vivo*] Modo omnis sævitia comica aut in comminatione est, aut in apparatu verborum. D.

20 *Si vivo!*] Ἀποσιώπησις, *te ulciscar*; quia necessario sequitur. *Sed istuc quicquid est*] Inventa causa, cur supplicia differantur, donec uxorem ducat Chærea, et ipse purget Parmenonem: secundum argumenta, quæ sibi ipse prospexit, jussu coactuque fecisse, et imperio herilis filii sui, Chæreæ scilicet. D.

21 *Ad Thaidem deductus est*] Unde ductor ipse sceleratus (*bene, deductor ipse silstur*. edd. vett. recte.) D.

Pro vulgari illo, *Thaidem hanc*, lege, *Thaidem huc?* ut supra II. 3. 60. Namque et hic et illic Parmeno ante Thaidis ætatem ostium. B.

L. Pro Eunuchon'? P. Sic est. hunc pro mœcho postea
Comprehendere intus, et constrinxere. L. Occidi!
P. Audaciam meretricum specta. L. Numquid est
Aliud mali damnive, quod non dixeris,
Reliquom? P. Tantum est. L. Cesso huc introrumpere?
P. Non dubium est, quin mihi magnum ex hac re sit malum:
Nisi quia necesse fuit hoc facere. id gaudeo,

22 *Pro Eunuchon'*] Non interrogat, sed exhorrescit. *Hunc pro mœcho postea*] Bene studuit Terentius *pro* bis numero dicere: et *pro* Eunucho, et *pro* mœcho. *Pro mœcho* autem quasi excusans dixit. Nam vere in virginem Atticam, non *pro mœcho*, sed mœchus est. *Hunc pro mœcho postea*] Bene utrumque *pro*: quia neque Eunuchus est, qui vitiavit virginem: neque mœchus, qui in domo meretricia. Et specta quam oratorie transtulerit mentionem vitiatæ virginis. *Pro mœcho*, inquit, ut culpam Chæreæ sub meretricis accusatione celaret. *Hunc pro mœcho*] Bene totum *pro*: quia neque Eunuchus, qui ephebus: neque adulter, qui amator. D.

Hunc pro mœcho] Bene ita *pro mœcho* dixit, quia in domo meretricis mœchi crimen nullum est. E.

23 *Comprehendere intus, et constrinxere*] Quo dicto vim ingentem inferri significat Chæreæ. *Comprehendere*, significat strictim (lege, *strictum*, ob codd. et edd. vett.) aliquem in facinore deprehensum. D.

Et constrinxerunt] Hoc est, vinculis alligarunt. E.

24 *Audaciam meretricum specta*] Major ἔμφασις accusationis est per pluralem numerum, quam singularem. Sic alibi:—*an potius ita me comparem, non perpeti meretricum contumelias? Audaciam meretricum*] Oratorie avertit iram senis a se, et a Chærea: atque derivat in meretricem. D.

Audaciam meretricum] Jam servus meretrices accusare cœperat, et audaces dicere, ut exinde a crimine suo per accusationem (excidit *aliorum* Z.) avocet dominum. E.

25 *Numquid est aliud mali, damnive?*] Bene interrogat: quia omnia invitus servus dicere videbatur. Et cum damnum, malum sit, de proximo collatum discernitur: et *damnum* ad emtionem Eunuchi, *malum* ad comprehensum pertinet et constrictum Chæream. D.

Num quid est aliud mali damnive] *Mali* pertinet ad hoc, quod Chæream pro mœcho intus est deprehensus et ligatus: *damni* ad illud, quod est a Phædria emtus Eunuchus. E.

26 *Cesso huc introrumpere?*] In tantam formidinem conjectus est senex, ut non miremur, quod tam cito nuptias firmet ephebi et virginis: et (*ut* Z.) quamvis non honeste, tamen quia ex (*est in* Z.) ingenti metu, vel indigno matrimonio filii vitam paciscí velit. D.

Ut versus stet, lege *reliquom*, ut quadrisyllabon. B.

Tantum est] Hac formula significamus, nihil aliud restare, quod dicamus. Plaut. in Cas. prol. v. 87. *tantum est valete* in Hec. V. 3. 3. 15. *tantumne est.* R. D.

27 *Non dubium est, quin mihi magnum ex hac re sit malum*] Suave est, nescire personas, quid agat poeta. Ita non (lege, *nam non*: aut, *annon sit*, deleto puncto Z.) periclitaturus Parmeno. D.

28 *Nisi quia necesse fuit*] *Necesse*, est nomen. Nam *necessus*, *necessis*, et *necessitus*, et *necessum*, lectum est. *Id*

Propter me hisce aliquid esse eventurum mali:
Nam jam diu aliquam causam quærebat senex,
Quamobrem insigne aliquid feceret iis: nunc repperit.

ACT. V. SCENA VI.

PYTHIAS. PARMENO.

NUNQUAM ædepol quicquam jam diu, quod magis vellem evenire,
Mihi evenit, quam quod modo senex intro ad nos venit errans.

gaudeo] Scilicet, ut succurratur Chæreæ periclitanti. D.

In Bemb. est, *necessus*. Præfero equidem, *necessum*, quod sæpenumero apud Plautum occurrit. B.

29 *Propter me*] Plus dixit, quam si *per me* diceret. *Hisce aliquid*] Meretricibus, non adolescentibus. Et item pluraliter suo more: ut, *audaciam meretricum specta*. Et, *non perpeti meretricum contumelias*. D.

30 *Nam jam diu aliquam causam quærebat senex*] Nota *causam*, pro occasione. D.

Causam quamobrem] Hodie fere dicunt: *quærebat causam ob quam*, sed veteres dicebant *causam quam ob rem* vel *cur*. Sic etiam dicebant *quid est quam ob rem*, *quid est cur*, *quid est quare*. R. D.

31 *Quamobrem insigne aliquid faceret*] Manifestius hoc Menander explicat, jampridem infestum meretrici senem, post corruptum ab ea Phædriam: nunc demum se inventa occasione vindicaturum. *Quamobrem*] Quamvis dixisset *causam*, intulit *quamobrem*. *Insigne aliquid*] Magnum et nobile facinus. *Faceret*] ἰδιοτικῶς dixit. D.

Cum ordo verborum in alio cod. alius sit, et, *aliquid mali insigne*, satis latine dici nequeat; repone, *quamobrem aliquid ægre fac*: ut supra IV. 1. 10. et Plaut. Cas. III. 4. 17. ubi *ægre facere alicui* occurrit. B.

1 *Nunquam ædepol quicquam jam diu*] Pythias egreditur veluti irrisura Parmenonem, ut ipsa putat. Egredi autem a poeta cogitur, ut doceat populum, quid intus egerit senex. Ergo persona cachinnans inducitur, quærens Parmenonem: aspectuque ejus, ob nimium risum, vix loqui posse *(potest)*. *Nunquam ædepol quicquam*] Rarum est evenire quod velis: et quod maxime velis, id rarum magis. D.

Nunquam ædepol] Hæc scena continet insultationem, quod cum ingressus esset senex in domum Thaidis, quasi timidus et sollicitus de filii poena, invenerit eum indutum veste Eunuchi, quod se Pythias per dolum fecisse laudat, ut Parmeno deciperetur, ac metu territus domino indicaret, quod celare debuerat. Pulchre autem factum, quod metu quodam compulsus senex ingressus est in domum meretricis, ut filio subveniret; et sic, dum illic Chremes est, frater quoque vitiatæ virginis adest, et Chæreæ promissio ad nuptias completur. E.

2 *Intro ad nos venit errans*] Non gressu errans, nec via: sed animo et opinione. D.

Mihi solæ ridiculo fuit, quæ, quid timeret, sciebam.
PA. Quid hoc autem est? PY. Nunc id prodeo, ut conveniam Parmenonem.
Sed ubi obsecro est? PA. Me quærit hæc? PY. Atque ecoum video: adibo.
PA. Quid est, inepta? quid tibi vis? quid rides? pergin'? PY. Perii,
Defessa jam sum misera te ridendo. PA. Quid ita? PY. Rogitas?
Nunquam pol hominem stultiorem vidi, nec videbo: ah,
Non possum satis narrare, quos ludos præbueris intus:
At etiam primo callidum et disertum credidi hominem.
Quid? ilicone credere ea, quæ dixi, oportuit te?

3 *Mihi solæ ridiculo fuit*] *Soli* regulariter dicitur: *solæ* non recte, sed antique. ut alibi, *hoc ipsa in itinere alteræ dum narrat, forte audivi.* D.

Etsi *solæ* olim dictum est: non tamen unquam *solo* in masculi, pro *soli*. Cæterum *scibam* placet, pro *sciebam*. B.

Solæ] Antique pro *soli*, ut *alteræ*, *nullæ*, *istæ*, aliis locis ap. Terent. et Plaut. v. Bentl. ad h. l. R. D.

4 *Quid hoc autem est?*] Ridentem miratur Parmeno. *Nunc id prodeo*] Propter id. D.

5 In vett. libris Faerni et nostris verba, *me quærit hæc*, affirmative leguntur. B.

6 *Quid rides? pergin'?*] Ex hujus verbis ostendit *(ostenditur)* quam multum rideat petulans puella. *Perii*] Proprie hic *(hoc)* verbum est aptum, quasi sit lassa ridendo. D.

Ne claudicet versus, lege, *quid tibi est*; ut Creticus efficiatur. B.

8 *Nunquam ædepol hominem stultiorem vidi*] Postquam *rogas* dixerat, quasi narratura videbatur: et *(sed)* redit ad insultationem. D.

9 *Quos ludos præbueris intus*] Ex errore et metu nimio senis, credentis constrictum filium se offensurum in domo meretricis. D.

Non possum satis narrare] Ms. R. *non pote satis narrari.* L.

Lege, ordine paulum immutato, *non p. s. n. quos præbueris ludos intus.* B.

10 *At etiam primo callidum ac disertum credidi hominem*] Hæc omnia sic in scena pronunciata sunt, ut risu interrumpi verba puellæ viderentur. Majorisque insultationis est, si is qui fatigat alterum (adde e codd. *risu,*) dicat se ante de illo multo aliter sensisse. D.

Callidum ac, codd. et edd. vett. B.

Disertum] Disertum viri docti explicant ingeniosum, acutum, sed hæc notio non satis certis exemplis confirmatur. R. D.

11 *Ilicone credere*] Non ideo hoc dicit, quod personæ suæ fidem deroget: sed quod res incredibilis fuerit, quam illi persuaserit; aut certe si credendum fuerit, non statim, neque exanimata, neque facta rei cognitione. *Ilicone credere*] Objurgatio de tempore. D.

Quid? illicone] Accusat Parmenonem stultitiæ, primum quod credit ea, quæ sibi ab ancilla, et ab amata *(amara* W. *alienata*, seu *acerbata*, seu, quod exquisitius est, *animata* Z.) dicerentur. Deinde quod ea, quæ celare debuerat, indicaverit domino. E.

Quidam, *quid?* tribuunt Parmenoni, sed contra codd. vett. B.

An pœnitebat flagitii, te auctore quod fecisset
Adolescens, ni miserum insuper etiam patri indicares?
Nam quid illi credis animi tum fuisse, ubi vestem vidit
Illam esse eum indutum pater? quid est? jam scis te periisse.
Pa. Hem, quid dixti, pessuma? an mentita es? etiam rides?

12 *An pœnitebat flagitii*] Illud quod supra, a stulto: hoc quod nunc dicit, a malo fieri potuit. Illud, ab imprudente: hoc quod pejus est, a sciente: *An pœnitebat flagitii*] Parvum videbatur. Ipse alibi Heaut. I. 1. 20. *quantum hic operæ fiat, pœnitet.* Plautus in Truculento, *pœnitetne te, quod ancillas jam?* (locus integer Plauti II. 6. 52. est: *pœnitetne te? quot ancillæ sunt jam?*) Nimis erumpere * (*nisi nimirum erumpere.* Z.) D.

An pœnitebat] An, inquit, te pœnitebat ejus flagitii, quod factum esset ab adolescente * indicare patri et prodere (*ab adolescente, ni miserum insuper etiam indicares patri, et proderes* Z.) quo ejus facinus publicaretur? E.

An pœnitebat flagitii] An non satis tibi videbatur, an non contentus eras, quod te impulsore adolescens flagitium fecerat. in Heaut. I. 1. 20. Cic. ad Attic. I. 20. *in senatu quanti fiam minime me pœnitet* de Offic. I. 1. v. Ernest. in clavi Cicer. voce pœnitet. R. D.

13 *Ni miserum insuper etiam patri indicares?*] Duo objicit: unum, quod male consuluerit; alterum, quod male prodiderit consilia sua. Et bene *indicares.* Nam *indicium* dicitur ejus, qui una peccaverit (Donato convenit Asconius in divin. cap. II. *Index est*, inquit, *qui facinoris, cujus ipse est conscius, latebras indicat, impunitate proposita.*) *Ni miserum insuper etiam patri indicares?*] Ad invidiam Parmenonis, miserum dicit adolescentem. eo modo quo Juno accusans Venerem, ait Æn. X. 89.— *an miseros qui Troas Achivis objecit?* Sic enim agimus, quum ab his, qui falso rei sunt, in auctores culpam sceleris removemus. D.

Indicares] I. e. deferres apud patrem, proderes patri. in Heaut. III. 3. 23. *hic prius se indicavit quam ego argentum effecero.* R. D.

14 *Nam quid illi*] Adolescenti scilicet. D.

Quid illi credis animi] Qualem, inquit, credis adolescenti fuisse animum eo tempore, quo se visum vidit a patre, quod Eunuchi veste esset indutus? E.

Ne versus juguletur, repone, *nunc quid illi credis tum animi.* B.

Quid illi credis animi fuisse] I. e. quomodo affectum animo fuisse credis. *Animus* sæpe dicitur de affectionibus animi, metu, pudore, dolore, in Ad. IV. 5. 31. *quid illi tandem creditis fore animi misero.* Ovid, epist. VII. 66. *quid tibi mentis erit* idem ep. XI. 87. *quid mihi tunc animi credas germane fuisse.* R. D.

15 *Quid est? jam scis te periisse*] Hoc non stupentibus, ac culpam patientibus dicitur (*hoc obstupentibus ac culpam fatentibus*, recte legit Guido Juven.) D.

Lege *quid? jam scis.* ut V. 11. *quid? illicone.* B.

16 *Hem, quid dixti pessuma?*] Nunc demum intelligit Parmeno, se esse delusum. *Etiam rides?*] Apparet eam ex hujus stomacho vehementius cachinnare. D.

Ut versus stet, aut *hem* appone priori versui, aut cum Faerno, ex quibusdam libris, lege, *dixisti.* B.

Itan' lepidum tibi visum est, scelus, nos irridere? Py. Nimium.

Pa. Siquidem istuc impune habueris. Py. Verum! Pa. Reddam hercle. Py. Credo.

Sed in diem istuc, Parmeno, est fortasse, quod minitare.

Tu jam pendebis, qui stultum adolescentulum nobilitas Flagitiis, et eundem indicas: uterque in te exempla edent. 21

17 *Nos irridere?*] *Nos* superbius dixit, quam si dixeret *me*. D.

Nos irridere, scelus] *Tu scelus*, hoc est, sceleratus. sic enim res ipsa ponitur pro persona. Ut Sallustius in Jugurthino (*in Catil.* 14.) *ad hæc facinorum circum se, tanquam stipatorum, catervas habebat*. E.

18 *Siquidem istud impune habueris*] Subauditur, *tum nimium* (forte, *tuum nimium*, aut, *tuum nimirum*. Nam videtur pro *nimium* Donatus legisse *nimirum*, quod etiamnum in libris quibusdam Terentii esse fertur. Z.) *Verum?*] Irridentis interrogatio. D.

Reddam] Scilicet vicem i. e. par pari referam. v. Burmann. ad Petron. c. 58. R. D.

19 *Sed in diem istuc*] In longam dilationem. unde *dilatio* est dicta, diei prolatio. D.

In diem istuc] Videlicet, quod mihi minitaris supplicium, adhuc imminet et impendet: at tu jam punieris. E.

Faerni libri vett. et nostri plerique, *minare*. B.

In diem est] H. e. in aliquod tempus differetur, unde *præsens* et *in diem* opponuntur in Phorm. V. 2. 16. *præsens quod fuerat malum in diem abiit*. Nepos in Attic. c. 9. *cum illa fundum emisset in diem* i. e. ut post aliquod tempus solveret. Sic JCti dicunt *promissa pecunia ad diem, addicto in diem, legatur in diem*. R. D.

20 *Tu jam pendebis*] *Jam*, nimiam velocitatem significat. D.

Qui stultum adolescentem nobilitas] Hoc est, peccatis notum omnibus reddis: eundem indicas. E.

Ut numeris et sententiæ consulas, repone hunc et seq. ita: *tu jám pendebis, stúlte, qui adulescéntulum nobílitas Flagítiis, et patri índicas: utérque exempla in te édent*. Nam cur Chæream vocet stultum, nulla subest ratio, quem intus ipsa noverat rem bene genere. Tum duo codd. *et eundem patri indicas*: unde vox advena domesticam expulit. Deinde nisi *patri* retineas, *uterque* est alienum. Denique omnes codd. et edd. vett. *exempla in te*. B.

Pendebis] H. e. poena afficieris. Nam veteres servos e trabe suspensos verberabant in Phorm. I. 4. 43. *ego plector pendens* Plaut. in Asin. III. 3. 27. *qui pendet multo est miserior*. R. D.

Nobilitas] *Nobilis* est qui nosci*tur*, *nobilitare*, notum facere. Itaque hæc verba in utramque partem dicuntur. Cic. de Offic. II. 7. *cujus est præter cæteros nobilitata crudelitas*. v. interpretes ad Liv. XXXIX. 9. R. D.

21 *Nobilitas flagitiis, et eundem indicas*] Duas res significat simul: et cogis flagitia facere, et facientem indicas. *Uterque in te exempla edent*] Nova ac mira tormenta, quæ pro exemplis narrentur; aut quæ documenta sint cæteris, ne delinquant, *exempla* dicuntur. Et *edent*, et *edet* legitur. Si *edent*, figuratum est: si *edet*, recte. Et plus est *edet*, quam *dabit*. D.

Uterque exempla in te edent] Adolescens qui nobilitatus est flagitiis, et pater cui hoc est indicatum. E.

Pa. Nullus sum. **Py.** Hic pro illo munere tibi honos est habitus: abeo.

Pa. Egomet meo indicio miser, quasi sorex, hodie perii.

ACT. V. SCENA VII.

GNATHO. THRASO.

QUID nunc? qua spe, aut quo consilio huc imus? quid inceptas, Thraso?

22 *Nullus sum*] Hoc secum Parmeno. *Hic pro illo numere tibi honos est habitus: abeo*] Εἰρωνικῶς et μεταφορικῶς, *pro munere*. Et honos rumigerulis (*munerigerulis*, recte conjicit Bentl. ut apud Plaut. Pseud. I. 2. 48. *honos habetur, cum ei qui munus dat, tum et ei qui portat* Z.) haberi solet. D.

Honos] *Honor* sæpe est præmium, munus pro officio. Cic. ad Div. XVI. 9. *medico honos haberetur*, ubi v. Manut. Cæsar de B. C. II. 21. v. Drakenb. ad Liv. II. 12. Sic *honorare* est præmio afficere. Suet. in Aug. c. 45. *pro merito certantium quemque honoravit*. R. D.

23 *Egomet meo indicio miser, quasi sorex, hodie perii*] Proprium soricum est, vel stridere clarius quam mures, vel strepere magis, quum obrodunt frivola: ad quam vocem multi se intendentes, quamvis per tenebras noctis, transfigunt eos. Plautus, Bacch. IV. 8. 46. *confossiorem te faciam soricina nævia*. *Egomet meo indicio*] Proverbium in eos, qui ipsi se produnt. quia sorex non facile caperetur, nisi emitteret vocem noctu. *Quasi sorex hodie perii*] Quia latere potuit, nec occidi, si taceret. D.

Meo indicio miser] Ausonius Symmacho: *latebat inter nugas meas libellus ignobilis; utinamque latuisset, neque indicio suo tanquam sorex periret*. Hieronym. advers. Pelagian. *suo quasi mus prodetur indicio, ampliora in vero certamine vulnera suscepturus*. Augustinus Episc. de Ordine I. 3. *egomet meo indicio, quasi sorex* (inquit) *non dictum est commodius apud Terentium, quam nunc dici a me de me potest. Sed sane illud ultimum fortasse in contrarium vertetur. Quod enim ait* HODIE PERII, *ego hodie forte inveniar*. L.

Quasi sorex] De hoc verbo v. Donat. ad h. l. R. D.

1 *Quid nunc? qua spe, aut quo consilio huc imus?* Reminiscere hunc esse, qui supra militi dixerat de Thaide, *jamdudum te amat*. et rursus, *jam tibi hæc aderit supplicans ultro*. Et hinc videbis, quos exitus habeat assentatio. Nam idem militi auctor est summæ desperationis. Et animadverte, quod semper a mensa Gnatho invitus abstrahatur: nam et supra, quum ad litem venitur, ex verbis Thrasonis manifestum est, et Gnathonem invitum sequi, ubi dicit, *hancine ego ut contumeliam tantam? tam insignem in me accipiam, Gnatho? Mori me satius est*. Et bene, *qua spe*, et *quo consilio*: tanquam omnia expertus, et nec muneribus gratus, nec terroribus metuendus. *Quid nunc? qua spe*] Parasitus intelligit (pro, *qua spe paras. &c.* leg. *non quasi minus parasitus intelligat* Z.) quid agat miles: sed ad hoc inducitur interrogare (forte, *interrogans* Z.) ipsum militem, ut populus

T. Egone? ut Thaidi me dedam, et faciam quod jubeat.
G. Quid est?
T. Qui minus, quam Hercules servivit Omphale? G. Exemplum placet!
Utinam tibi commitigari videam sandalio caput!

audiat, quo consilio veniat ad Thaidem. *Quid nunc? qua spe*] Summa desperatio est apud militem reconciliandæ amicæ, ad hoc (*adeo* Z.) ut æquo animo ferat admitti Phædriam, dum ipse quoque recipiatur. Nam non in fine fabulæ contristandus est. *Quid inceptas, Thraso?*] *Incipere*, magnorum facinorum est, et audaciæ. D.

Quid nunc?] Inducitur in hac scena miles Thraso ad Thaidem reverti velle ut recipiatur, quoniam se intelligit exclusum esse. Ejus autem posterior vis est, quanquam hoc dissuadet parasitus. Sed quoniam colax est, dat consensum. E.

Pro *inceptas*, Bentl. edidit. *cœptas*. Z.

2 *Ut Thaidi me dedam*] Post indictionem belli, et instructionem pugnæ quid sequatur, nisi deditio superatorum? *Et faciam quod jubeat*] Proprie: nam in deditione victores jubent, victi obsequuntur. D.

Pro, *est?* malim *ais?* nam est admirantis: *ais* monosyllabon, ut passim. B.

3 *Qui minus, quam Hercules servivit Omphale?*] Hic Terentius exprimit consuetudinem, in qua ignavis rationes criminum, et exempla suppeditant: nam sic et supra de Pyrrho. Omphale Lydiæ regina fuit, quæ Herculem sibi servientem etiam ad lanificium compulit: quum ipsa (*ipsi*, sc. Herculi corrigit Barthius ad Stat.) calathum, et colum, cultusque femineos, sagittis (*cum sagittis* codd.) et clava, leonisque tegmine mutasset. *Hercules servivit Omphale?*] Subauditur; *et ego serviam Thaidi?* D.

Qui minus, quam Hercules] Omphalen dicitur Hercules amasse vehementer, ita ut indutus muliebri habitu, opera quoque feminea faceret, et habitum suum amicæ eidem daret. Ergo miles, quoniam serviturum se esse meretrici dicere volebat, ne turpe videretur quod miles esset, et vir meretrici se subjiceret, exemplum ab Hercule suscepit. Ita enim gloriosi faciunt ut peccent, et peccandi tamen se habere profiteantur exempla. E.

Hercules servivit Omphale] Quinctilian. lib. 3. c. 10. *quædam vero etiam in defensionis speciem cadent, ut, si in laude Herculis permutatum cum regina Lydiæ habitum, et imperata, ut traditur, pensa orator excuset.* Vid. Appollodorus de Diis, et reliqui Mythologi. L.

Omphalæ] De hac fabula v. quos laudat Broukhus. ad Propert. IV. 9. R. D.

4 *Utinam tibi commitigari videam sandalio caput*] *Commitigari*, est tundendo deprimi atque deponi. *Sandalio caput*] Plus dixit *caput*, quam si aliam partem corporis diceret verberari. Et mire, calceamento caput verberari. D.

Commitigari videam sandalio caput] *Sandalium* genus calceamenti est. Utinam tibi communi et percuti videam caput, ut vere servire videaris. Hoc quidem paululum summissiore voce parasitus dixit. E.

Commitigari videam sandalio] Lucian. in dialogo de histor. scribenda: παιόμενον ὑπὸ τῆς Ὀμφάλης τῷ σανδάλῳ. Locum Terentii imitatus est Augustin. Epist. contra Julian. Pelagian. III. 5. *timetis, ne capitu vestra sandaliis mulierum commitigenter.* Σάνδαλον *galla* est: ut in illo dicto, *gallam subigo*: et σανδάλιον *gallicula*. in vett. glossis. Sic interpretatur Rufinus Josephum Antiq. IV. 8. ὑπολύσασα δ' αὐτὸν ἡ γυνὴ τ' ἀδελφοῦ τὰ σάνδαλα, καὶ πτύουσα αὐτοῦ εἰς τὸ πρόσωπον: *solvens uxor fratris gallicula illius viri, et expuens in faciem.* Qui locus facit, ut aliud ejusd. auctoris res-

Sed fores crepuere ah ea. T. Perii! quid hoc autem'st mali? 5
Hunc ego nunquam videram: et jam hic quidnam properans prosiliit?

ACT. V. SCENA VIII.

CHÆREA. PARMENO. PHÆDRIA. GNATHO. THRASO.

O POPULARES, ecquis me vivit hodie fortunatior? Nemo hercle quisquam: nam in me plane Di potestatem suam

titnatur, V. 11. hactenus sic legitur: ἐπάλευσε τῇ γυναικὶ ὑπολύσαι αὐτὸν περισκελῆσαν κατὰ τὸν νόμον, καὶ τύπτειν εἰς τὸ περίσσιον. sed scribendum, καὶ πτύειν εἰς τὸ πρ. in facili est agnoscere: neque aliter Rufinus. L.

Comitigari] Est contundere, ut molle fiat, pro sensu *mitis sum fustibus* dixit Plaut. in Mil. glor. V. 1. 31. Hæc autem Terentius sumsit a Turpilio ap. Non. Marcellin. p. 343. *misero mihi mitigabat sandalio caput.* v. Victor. var. lect. XIV. 15. R. D.

Sandalio] Sandalium est soccus vel calceus muliebris, quo etiam puerorum nates cædere solebant. v. Casaubon. ad Persii Satyr. V. R. D.

5 *Perii, quid hoc autem est mali?*] Eunuchi habitu Chærea, sed virili confidentia prosilit, et militem velut novi rivalis terret aspectu. D.

Omnes libri *crepuerunt*. Ita versus, qui trochaicus est, constat, eliso ex *quid, d.* B.

6 *Hunc ego nunquam videram*] Ideo Chæream miratur. D.

Interpunge post *etiam:* h. e. adhuc: ut infra V. 8. 62. Reliqua lege, *quidnam hic properans prósilit?* Pro *hic* alii malunt *hinc*, alii, *huc*. Male. Nam *hic* est pronomen. B.

1 *O populares! ecquis me vivit hodie fortunatior?*] Hic persona Chæreæ est fervens gaudio, ut adolescentuli est in prosperis rebus. *O populares*] Non mirum, si insane exsultat nuptiis, qui jamdudum ob id solum, quod vitiaverat virginem, lætabatur. D.

O populares] Exsultationem hæc scena habet, quod Chærea consilium complere potuerit suum: est ergo hic allocutio gaudentis. Laudat ergo Parmenonem, se, atque fortunam. Parmenonem, quod consilium dederit; (excidit *se*) quod aggressus est; fortunam, quæ cuncta complevit. Mox ea quæ istic acta sunt narrat, et sibi esse sponsam, et illam cognitam civem: et meretricem tantum fratris esse Phædriæ, et militem exclusum. Idcirco Parmeno adjecit, *fratris igitur Thais tota'st?* Hoc cum miles audisset, vehementer in amoris flammas incensus deliberat, quid facere debeat. Sumit consilium, ut hos roget. Ac primum allocutio. Rursus interponitur Phædria, qui exsultationem gaudii sui exprimit, et de suis facultatibus gaudet: gratias agit patri, quod festive et jocunde interveniens cuncta compleverit. E.

Lege cum codd. nostris, *me hodie vivit fort.* B.

2 *Nemo hercle quisquam*] Et interrogavit, est respondit sibi. *Nemo hercle quisquam*] Παρίλλων tertium. D.

Omnem ostendere; cui tam subito tot contigerint commoda.

PA. Quid hic lætus est? C. O Parmeno mi, O meorum voluptatum omnium

Inventor, inceptor, perfector: scin' me in quibus sim gaudiis?

Scis Pamphilam meam inventam civem? PA. Audivi. C. Scis sponsam mihi?

PA. Bene, ita me Di ament, factum. G. Audin' tu illum quid ait? C. Tum autem Phædriæ

Meo patri gaudeo amorem esse omnem in tranquillo: una'st domus.

Thais patri se commendavit in clientelam et fidem:

3 *Cui tam subito tot contigerint commoda*] *Tam* qualitatis, *tot* quantitatis est. D.

4 *Quid hic lætus est?*] Inventa persona est, ad quam gesta hæc narret Chærea, ut populus et miles instruatur, quid intus gestum sit. D.

5 *Inventor, inceptor*] *Invenire, sapientis* est: *incipere*, audacis: *perficere*, constantis, ergo plena laudatio est; et constat, hoc Chæream laudative dicere. Nam in subditis solum consilium attribuitur: est Parmenoni. *Scin' me in quibus sim gaudiis?* Σύλληψις. Et nota, *scin' me*: quum sufficeret *scin'*. Ergo *me* abundat: et est figura ἐγχείρησις. D.

6 *Scis Pamphilam meam*] Amatorie dixit *meam*: vel potius sponsam meam, vel quam amo. *Inventam*] Cognitam. *Civem*] Deest *esse*. *Scis sponsam mihi*] Deest et *esse*. Et est *sponsa* nunc participium. D.

7 *Audin' tu illum, quid ait?*] Hoc vultu mutato et turbato dicitur. D.

Lege ex codd. omnibus Fædrai et nostris; *audin' tu hic quid ait?* B.

8 *Amorem esse omnem in tranquillo*] Bene, *in tranquillo*, quia mari et tempestatibus amicæ mobilitas et instabilitas comparatur. Sic Horat. Carm. I. 5. 5. *simplex munditiis? heu quoties fidem Mutatosque deos flebit: et aspera Nigris æquora ventis Emirabitur insolens, Qui te fruitur credulus aurea*, &c. *Una est domus*] Post Pamphilæ nuptias. D.

Fædrai libri et nostri comprobant hunc ordinem, *esse amorem omnem*. B.

In tranquillo] I. e. tranquillum, tutum ut nihil metuendum sit a rivali. Supra similes locutiones vidimus *res est in vado*, *in portu navigo*, *in tranquillo*, subintelligitur *mari*. in Phorm. IV. 4. 9. [abest totum incisum in edit. nonnullis] *qui te ad scopulum e tranquillo inferat*. v. interpret. ad Liv. III. 14. XXVIII. 27. R. D.

9 *Thais patri se commendavit*] Hoc est quod profuit Phædriæ. *In clientelam et fidem*] *Clientelam*, ut ametur: *in fidem*, ut defendatur. D.

Primum nostri codd. omnes, præter unum, habent; *Thais se patri*: recte; ut vel ipso accentu personæ dignitas intelligatur. Deinde interpunge, *commendavit: in clientelam et fidem nobis*. d. s. E.

In clientelam et fidem] Nos patronos cepit, sive, ut Attici dicebant, προστάτας, quos omnes peregrini Athenis habebant. Fides, clientela sæpe tanquam synonyma conjunguntur. Cic. pro Roscio Ameri. c. 33. R. D.

Nobis dedit se. PA. Fratris igitur Thais tota'st? C. Scilicet.

PA. Jam hoc aliud est quod gaudeamus: miles pellitur foras.

C. Tu, frater ubi ubi est, fac quam primum hæc audiat. PA. Visam domum.

T. Numquid, Gnatho, dubitas, quin ego nunc perpetuo perierim?

G. Sine dubio, opinor. C. Quid commemorem primum? aut laudem maxume?

Illumne qui mihi dedit consilium, ut facerem: an me, qui ausus sim

Incipere? an fortunam collaudem, quæ gubernatrix fuit; Quæ tot res, tantas, tam oportune in unum conclusit diem?

10 *Fratris igitur Thais tota est?*] Bene *tota*: ut ne ex parte quidem sit militis. D.

Fratris Thais tota est] I. e. soli fratri dedita est. Liv. XXXV. 33. *multitudo Antiochi tota erat.* v. Drakenb. ad Liv. XXV. 16. Sic etiam dicitur *esse alicujus.* Liv. VI. 44. *plebs cum jam unius hominis esset.* v. interpretes ad III. 36. R. D.

11 *Miles pellitur foras*] Sunt gaudia ex nostris bonis: sunt gaudia ex aliorum malis, hostium aut inimicorum, Ergo utrumque genus gaudiorum complexus est. D.

Miles pellitur foras] Ms. R. *pelletur.* L.

Pelletur omnes codd. præter quatuor, habent; satis concinne, et ad sensum numerosque apte. B.

12 *Visam domum*] Bene domi quæritur amator exclusus: nam neque ruri, neque in foro est. D.

13 *Perpetuo perierim*] Quia illud *periisse* supra, temporale videbatur. *Quin ego nunc perpetuo perierim*] Hic jam militi neque serviendi amicæ, ut appareret, præbetur locus. D.

Solus Bembinus post *Gnatho* recte habet *tu.* B.

14 *Sine dubio opinor*] Quia non quis dicitur perpetuo periisse. Quid enim opus hac exceptione est, quando nemo ita perit, ut temporaliter pereat, et postea fiat non perditus? Correxit parasitus stulti dictum militis: non illum *perpetuo*, sed *sine dubio* periisse (adde, *se*) *opinari* respondens. Non est enim contrarium *opinor te periisse sine dubio*, pro certo periisse. Confirmatur periisse miles, ut post tanta munera ex desperato supplex, ex supplice patiens rivalis existat. *Quid commemorem primum?*] Διαπόρησις oratoria familiaris laudantibus. Cicero, *unde igitur potius incipiam?* Hoc autem fit, ubi omnia et magna videntur et paria. D.

15 *Illumne, qui mihi dedit consilium*] Attribuuntur personis consilia, facta, casus, et orationes. Ergo hic laudatur consilium Parmenonis, factum Chæreæ, casus fortunæ, id est, eventus, oratio senis. *Illum, qui mihi dedit consilium*] Tria sunt in vita hominum, consilia, facta, successus. Consilium, animi est: factum, corporis: successus, fortunæ. *Illum*] Parmenonem scilicet. D.

Ne versus hiet, repone, *qui id ausus sum.* Certe *sum*, quod habet unus cod. requiritur ab indicativis *dedit, fuit.* B.

17 *Quæ tot res*] Bene, *tot res:* quasi dicat, Eunuchum pro quo duceretur,

An mei patris festivitatem et facilitatem? O Juppiter,
Serva, obsecro, hæc nobis bona. PH. Di vestram fidem!
incredibilia
Parmeno modo quæ narravit. sed ubi est frater? C.
Præsto adest.
PH. Gaudeo. C. Satis credo. nihil est Thaide hac tua,
frater, dignius
Quod ametur: ita nostræ est omni fautrix familiæ.
PH. Mihi illam laudas? T. Perii! quanto minus spei
est, tanto magis amo.

commendationem virginis, absentiam meretricis, occasionem vitii inferendi, patris interventum in nuptias. D.

18 *An mei patris festivitatem?*] Etiam patri laus impartienda est: nam non erat transeundum *festivitatem*, qua et festivus amatori non obstitit, quod ignovit ut facilis: unde *festivitas* in dictis, *facilitas* vero in animo et factis. *Festivitatem*] Lætitiam: ut, *festivus dies est.*

Festivitatem] I. e. comitatem in Ad. V. 9. 29. *quod te isti facilem et festivum putant* i. e. suavem, comem. v. Manut. ad Cic. ad Div. VI. 4. R. D.

19 *Di vestram fidem*] Cito intervenit Phædria, utpote qui domi erat. D.

Di vestram fidem!] Ingressus Parmeno Phædriæ narravit universa, quæ dixerat frater: ita cum fratrem continuo vidisset, nihil aliud dixit, quam gaudium et lætitiam se habere. Nam ostendit, se cuncta a Parmenone cognovisse. E.

Faerni codd. et nostri, *hæc bona nobis.* B.

A verbis Phædriæ scenam decimam orditur Daceria. Z.

20 *Quæ narravit*] Nimius affectus in utramque partem defectus orationis amat: est ergo ἔλλειψις: deest enim *gaudeo* (leg. *audio.* et illud *gaudeo* refer ad sequens Scholion.) D.

Præsto adest] Pro præsto est Justin. I. 6. *jubet omnes præsto securibus adesse* ubi errat Vorstius rectius putans *præsto esse* quam *adesse* Cic. ad Div. IV. 8. *ut ad omnia, quæ tui velint, adsim præsto,* ubi v. Manut. Curt. VII. 1. *edicit ut omnes in vestibulo regiæ præsto adforent.* R. D.

21 *Satis credo*] Sic dici nota agentibus (*aientibus*) solet. Recte igitur huic dicitur, cui fiunt nuptiæ, *gaudeo*: et ille sic respondet, ut amicis gratulentibus decet, *satis credo. Credo*] Autem ideo, quia multi se fingunt gratulari, quum invideant: gaudere, quum doleant. D.

Nihil est Thaide hac tua, frater, dignius, quod ametur] Melius nihil quod amari possit. E.

Consensu codd. repone, *hac, frater, tua.* Tum ut omnes trochaici fiant, *dignius* præpone sequenti. B.

22 Bemb. et unus e nostris habent *omnis*: minus recte. Tum colloca, *omni est*: atque auctoritate codd. et edd. et sensus fini appone, PH. *Hui.* B.

Omni fautrix familiæ] *Fautrix* regit casum verbo *favere*, a quo derivatur. in Hæc. prol. II. 40. *ut vestra auctoritas fautrix sit.* v. Bentl. ad h. l. R. D.

23 *Mihi illam laudas?*] Scilicet amatori ejus. Et *mihi* pronunciatione juvandum est. *Perii! quanto minus spei est, tanto magis amo*] Hic vero est ardor insanissimus: ut Virg. Ecl. II. 1. *formosum pastor Corydon ardebat Alexin, Delicias domini.* Et profecto sic est, sapientes spe (forte, *ratione*) maxime ad amorem coguntur: stulti forma tantum. D.

Mihi Thaidem illam laudas?] Utique

Obsecro, Gnatho, in te spes est. G. Quid vis faciam? T. Perfice hoc
Precibus, pretio, ut hæream in parte aliqua tandem apud Thaidem.
G. Difficile est. T. Si quid collibuit, novi te. hoc si effeceris,
Quodvis donum et præmium a me optato: id optatum feres.

cum scias me amatorem, quodammodo supervacuum est, mihi illam quod laudas. *Perii! quanto minus spei*] Amorem etiam (*et minus* Z.) concitari manifestum est, et rursus, ut hic Terentius dixit, desperatione incendi. verum illa desperationis quadam spe ducatur * quod pervenire possit amor, minus incenditur. Denique hoc (*primum enim illa desperatione, qua nulla plane spe ducatur ejus, ad quod pervenire possit, amor minus incenditur. Denique hic* Z.) miles, quoniam recipi se in partem sperat, idcirco *quanto minus spei est*, inquit, *tanto magis amo*. E.

24 *Obsecro, Gnatho, in te spes est*] Mire, quasi desperatis omnibus auxiliis, abjecta nimis supplicatio inducitur. Nam et, *obsecro*, et, *Gnatho*, id significant, et, *in te spes est*. *Quid vis faciam?*] Non est hoc interrogantis, sed ostendentis, non esse quid faciat. D.

Perfice hoc precibus] Hic persuadet Parmenoni (*parasito* Z.) ut, quocunque pacto hoc compleatur, ad meretricem possit admitti. E.

25 *Precibus, pretio*] Nihil militi superest præter precem, ut victo: et pretium, ut diviti. Nihil aliud optat, quam sic res eant, ut persona Thaidis conveniri possit. *Precibus, pretio*] Ἀσύνδετα, velut afflicta et lassa (forte, *ab afflicto et lasso*) pronuncianda sunt. *Pretio*] Varie: quia alibi dixit, *precario*. *Ut hæream*] Τὸ *hæream* ultimum genus beneficii est. *In parta aliqua*] Non enim *parte* dixit, ut æqua (*sed*, aliqua, *ut non æqua* Z.) intelligatur. *Tandem*] Et desperantis est, et difficulter credentis. *Tandem*, non est adverbium temporis: sed nunc *saltem* significat. D.

Ut hæream in parte aliqua] I. e. ut saltem ultimum locum in amore teneam. Cic. in Vatin c. 5. Liv. V. 2. *ne in turba quidem hærere plebeium quemquam* ubi v. Gronov. R. D.

26 *Difficile est*] Vultu et pronunciatione (excidit forte, *sine* Z.) asseveratione firmandum est. *Si quid collibuit*] Ἔλλειψις: pro, si quid collibitum est, efficis. *Novi te*] Deest *perficis*. Sed ubique plura gestu significat miles, utpote infantissimus. D.

Si quid conlibuit, novi te] Εἰρωνία est: quicquid conlibitum est. E.

Repone *conlibitum'st*. Nam in Bemb. et Donati cod. et edd. vett. est *collibitum*. B.

27 *Quodvis donum, et præmium a me optato*] *Donum*, præmium est: et *munus*, præmium. Sed *donum*, præmium diis datur: *munus*, præmium hominibus. Nam separatim, donum deorum est: præmium virorum est fortium: munus hominum. Et donum munusque, tam ante factum, quam post factum datur: præmium non nisi post factum est. Donum, voluntarium: præmium, debetur. Alii ergo ἀσυνδέτως pronunciant, primo *donum*, et sic *præmium*, quasi unam partem orationis. *Quodvis donum et præmium*] *Donum*, ut a largo homine: *præmium*, ut a præclaro facinore. *Quodvis donum, et præmium a me optato, id optatum feres*] Donum optato, ob quod præmium accipias. *Præmium a me optato*] Totum militariter. Nam et

G. Itane? T. Sic erit. G. Si efficio hoc, postulo ut mihi tua domus,
Te præsente absente, pateat: invocato ut sit locus
Semper, T. Do fidem futurum. G. Accingar. PH. Quem
hic ego audio?
O Thraso. T. Salvete. PH. Tu fortasse quæ facta hic
sint nescis?

optio dicitur, et *optari* a militibus; ut alibi (excidit locus, et nomen auctoris), *vir fortis optet quod volet præmium.* D.

Quodvis donum, præmium] Novi te. si hoc effeceris, quod vis donum præmio donasse (*donari* Z.) hoc, inquam, a me poscito: id cum optaveris, accipies. Atque ultra merita sunt *dona; præmium* vero est, quod quasi ob meritum datur. Proprium enim verbum est, ut: optet præmium vir fortis, quod volet. E.

Bentleius, *et*, omisit. Z.

Menander: Ἔυξαι τι βούλει, πάντα σοὶ γενήσεται. W.

Optatum feres] *Optare* est eligere, *ferre* est accipere, auferre, Ovid Met. II. 44. *quodvis pete munus ut illud Me tribuente feras.* Tibull. I. 1. 20. *fertis munera vestra lares* ubi v. Broukhus. R. D.

28 *Si hoc efficio, postulo ut mihi tua domus te præsente absente pateat*] Proverbiale est *præsente absente*, ut, *sursum deorsum, ultro citro*, et cætera hujusmodi: *fanda nefanda, justa injusta, digna indigna, velit nolit.* D.

Si efficio hoc, postulo] Varia distinctio: quidam enim sic dicunt, sic distingunt (*esse distinguendum* Z.) *si efficio hoc*, ut postea subjungant, *postulo ut mihi tua domus te præsente, absente, pateat.* Parasitus nil aliud desiderat præmii loco, nisi ut sibi cibus suppeditari possit: et sive præsens miles, sive absens sit, numquam vocatus, semper tamen ad cœnam veniat. E.

Multi codd. *ut tua mihi domus*, concinnius, ut *mihi* sit in Arsi. B.

Sic erit] I. e. ipse comperies. Eadem formula in Phorm. V. 3. 18. R. D.

29 *Invocato ut sit locus semper*] *Invocato*, non vocato, significat. *In* etenim auget et minuit dictionem. *Invocato*] Male intelligitur precibus vocato, quum sit αὐτομάτῳ, id est, etiam non invitando, quin ultro venire debeat suam domum. D.

Invocato ut sit locus] Plaut. in Capt. I. 1. 2. *invocatus semper adesse solet in convivio.* L.

Invocato] I. e. non invitato. *Ad cœnam vocare* sæpe absolute ponitur pro invitare ad cœnam. Cic. pro Rosc. Amer. c. 18. ubi *revocare* est eum ad cœnam vocare, qui prior vocavit. Hinc *servi* vocatores dicti sunt, quibus a dominis datum est invitandi negotium. v. Seneca de ira et interpret. ad Nepot. Cimon. c. 4. R. D.

30 *Do fidem*] Juro, confirmo, spondeo. *Accingar*] Non quia facile est, quod negavit supra, sed suis votis parasitus adductus est ad cœnandum (*cœnandum*): ideo et *accingar* dixit: sic enim dicimus in magnis rebus suscipiendis, ut Æn. II. 235. *accingunt omnes operi.* D.

Do fidem futurum] Jam fidem promitto, spondeo. E.

Omnibus Faerni et nostris libris comprobatur ordo, *quem ego hic audio?* Recte. Nam *quem*, in principio anapæsti est in ictu. B.

Accingar] I. e. rem aggrediar. Hoc autem verbo utuntur in magnis rebus suscipiendis. Liv. VI. 35. ubi v. Gronov. Loquendi ratio ducta est ex eo, quod qui aliquid serii facere parabant, cingulo vestes alioquin fluxas constringebant. v. Casaub. ad Suet. Aug. c. 24. R. D.

31 *Salvete*] Supplex sine gratia et

T. Scio. PH. Cur ergo in his ego te conspicor regionibus?
T. Vobis fretus. PH. Scin' quam fretus? Miles, edico tibi,
Si te in platea offendero hac post unquam, quod dicas mihi,
Alium quærebam: iter hac habui: periisti. G. Eia, haud sic decet.
PH. Dictum'st. G. Non cognosco vostrum tam superbum. P. Sic erit.

sine timore *(honore)*, modo inimicus et infestus. *Tu fortasse, quæ facta hic sint, nescis?*] Hoc totum superbe ac minaciter inquit adolescens. D.

Faernus hunc et sequentem versum ex auctoritate codd. et consensu restituit ita: *O Thraso.* T. *Salvete.* P. *Tu fortasse quæ facta hic sient Nescis.* T. *Scio.* P. *Cur te ergo in his ego consp.* &c. B.

32 *Scio*] Compendium poetæ: ne rursus eadem dicerentur. *Conspicor*] Commune verbum est *conspicor*. D.

Cur ergo in his] Ms. R. et V. C. *Cur te ergo in his ego conspicio reg.* L.

33 *Vobis fretus*] Et hoc stulte: quis enim et rivalibus et inimicis fretum se esse dicat? Deinde *ἀναπόλογον*, et vitiosa responsio est: nisi enim addideris *sum*, erit solœcismus conveniens loquenti, impolito homini et militi. *Scin' quam fretus?*] Est ab ea subaudiendum est *(esse debeas, subaudiendum est)*. *Miles edico tibi*] Hoc contumeliose, et proprie ut militi: *miles*, inquit, *edico tibi*. D.

Scin' quam fretus?] Etsi præsumis, inquit, de nobis, prædico, ut scias istam nos habere sententiam: quod, si te in hac platea aliquando invenerimus, ita accipieris, ut nunquam tibi subvenire possit ista defensio, quod alium quærebas, aut iter quod hac te habere dicas. E.

Fortasse leg. *vobis fretum. Scin' quam fretum?* Nisi cum Donato solœcismum statuas. B.

34 *Si te in platea offendero hac*] Hoc est, si vel casu invenero. Et in *platea*, inquit, non circa meretricis fores. *Nihil quod dicas*] *Nihil*, pro non: ut sit, non est quod dicas mihi: id est, nihil est quod dicas, pro, ut dicas mihi. ut sit, *quod*, pro *ut*: (excidit, *aut quod* Z.) pro quid dicas mihi. Certum est autem, sic veteres locutos esse. D.

Quod dicas] *Quod* ponitur pro quamvis, ut pulchre vidit. Bentl. Propert. IV. 1. 49. Ovid. epist. XVII. 51. *quod genus et proavos et regia nomina jactas*, ubi v. interpret. R. D.

35 *Alium quærebam*] Aut *alium* pro *quendam*, posuit: ut sit, *quendam quærebam*, id est, aliquem. aut *alium*, hoc est, non quem tu putas: hoc est, alium, non Thaidem. Sed si *aliam* diceret, neque commode, neque *ἰμφόπως* (forte *ἰνφόπως*, aut *ἰνφοῦς* Z.) loqueretur; prævalet enim masculinum genus. *Periisti*] Ordo est, postquam in platea hac te offendero, periisti. *Eia*] Interdum hortantis est; ergo nunc *eia*, correctionem significat. D.

Iter hac habui] I. e. hac iter feci. Nepos in Eum. c. 8. *iter quod habebat omnes celat.* Lucān. II. 439. *nullas nisi sanguine fuso gaudet habere vias*, ubi v. Burmann. R. D.

36 *Non cognosco vestrum tam superbum*] Locutio annotanda: mire laudavit, ut persuadere potuisset. *Vestrum tam superbum*] Non, *vestrum superbum*. *Vestrum superbum*] Absolute: ut, *pol, Crito, antiquum oblines*. Ergo subau-

G. Prius audite paucis: quod quum dixero, si placuerit,
Facitote. PH. Audiamus. G. Tu concede paululum
istuc, Thraso.
Principio ego vos credere ambos hoc mihi vehementer
velim, 39
Me hujus quicquid facio, id facere maxume causa mea.

diamus vel *ingenium*, vel *animum*, vel *morem*, vel *institutum*. D.

Non cognosco vestrum] Hoc quod respondisti, est *superbum*. Nam *vestrum* esse non cognosco, nec credo. E.

Non cognosco vestrum tam sup. h. e. non solebatis esse tam superbi; hoc tam superbum non vestrum est, non vestri moris. Ut Plaut. Trin. II. 4. 44. *haud nosco tuum*, &c. B.

Dictum est] Hæc formula habet vim comminandi et adseverandi, *omnino ita futurum ut dictum est*. Eodem sensu ponitur *dixi* in Phorm. II. 3. 92. et in Hæc. IV. 3. 6.

Non cognosco vostrum tam superbum] Supplendum est ingenium, ut sensus sit: non solebatis esse tam superbi. Plaut. in Trinummo II. 4. 44. *haud nosco tuum*. v. Donat et Bentl. ad h. l. R. D.

37 *Prius audite paucis*] Mira insinuatione agit: qui non, ut consentiant, sed ut audiant, paucis petit. Et bene *prius*, quasi non obstet, quo minus faciant quod velint. Tum deinde quo attentiores existant, addidit *paucis*; deinde, *si placuerit*. facilius enim flectitur, cum quo non pugnamus, ut consentiat. *Prius audite*] Fiduciam ostentat persuasoriam rem dicturi. D.

Prius audite paucis] Hoc deliberativæ species est. Deliberat Phædria an rivalem in partem meretricis recipiat. Est ergo principium ab . . . (*ira* W. Forte, *a concessione sumtum* Z.) collocatum, cum dixit, *si placuerit, facitote*. E.

38 *Audiamus*] Bene: non *faciamus*, sed *audiamus* dixit: nam prima oratoris impetratio in mala causa est, audiri meruisse. *Tu concede paululum istuc, Thraso*] Thraso hoc in bonam partem accepit; et ideo paret. putat enim vel turpe esse, si humiliter precetur suo nomine, seque audiente, parasitus: vel incongruum sibi, in os præsens a Gnathone laudetur. *Istuc, Thraso*] Non ad se vocat: sed locum ostendit, quo abeat atque concedat. D.

Lege, *paulum istuc*. B.

39 *Principio, ego vos*] Videt neque se odio haberi, neque (*videt non adeo se odio haberi, sed* Z.) offendi animos audientum in militis nomine. Hoc ergo oratorie: pro eo homine in quo offenditur, eum in quo non offenditur, posuit. D.

Principio ego vos ambos, &c.] In hoc principio rursus Gnatho, quoniam scit odio, sum (*odiose hunc* Z.) militem interponi, se utilitatis causa id facere confitetur. Verum ne sibi consulere intelligatur tantum, cum utique alienus sit qui (*quod utique alienum est, si quis* Z.) cupiat persuadere, adjecit, *verum si id vobis prodest, vos non facere inscitia'st*. Exemplum deinde apponit ipsius sententiæ, per propositionem, *militem ego rivalem recipiendum censeo*] Primum hoc deliberativum est, ut qui suadet, aliquam sententiam dicat: quemadmodum in Philippicis; *quare ita censeo*. E.

Vehementer velim] Ms. R. et vett. libb. *vehementer volo*. L.

Pro *velim* codd. habent *volo*. B.

40 *Me hujus quicquid facio, id facere maxime causa mea*] Deest *rei*, aut *est*: ut sit, *ve hujus quicquid est quod facio, id facere maxime causa mea*. Hic a persona discessit: et rem non odiosam pro odiosa posuit, id est, parasiticam, pro æmuli amore et commodo. D.

Verum si idem vobis prodest, vos non facere inscitia'st,
Ph. Quid est? G. Militem ego rivalem recipiendum
censeo. Ph. Hem,
Recipiendum! G. Cogita modo. tu hercle cum illa, Phædria,
Et libenter vivis: etenim bene libenter victitas.

Quicquid facio] V. C. *q. faciam.* L. Libri omnes cum edd. vett. *faciam.* B.

41 *Verum idem si vobis prodest*] Multum attulit ad persuadendum: non esse commodum militi admitti, et suum commodum ipsorum esse commodum. *Vos non facere, inscitia est*] Oratorie, et secundum insinuationis præcepta sic dixit. Nam remittendo et dubitando, magis flectit animos, quam si aperte ac pertinaciter asseveret. D.

Inscitia] I. e. stultitia in Phorm. I. 2. 27. R. D.

42 *Militem ego rivalem recipiendum censeo*] Artificiose satis, semel intulit omne quod durum dictu ad persuadendum erat. Nam quod *militem* et *rivalem* dixit, ad eam rem valet, ut magis admittendus sit, quam excludendus: et simul fiducia dicentis parat animos ad audienda quæ dicet. *Militem ego rivalem recipiendum censeo*] *Rivales* dicuntur æmuli de mulieribus, facta translatione nominis a feris bestiis: quæ sitientes cum ex eodem rivulo haustum petunt, in prælium contra se invicem concitantur. Sic Cicero pro Cælio cap. 8. *Sin érit ex illo fonte rivalis*, inquit. *Militem rivalem ego*] Considera quo vultu hoc dicendum sit: et intelliges et *militem*, et *rivalem*, et *recipiendum*, et *ego censeo*, quanta significent. Non enim dixit *Thrasonem*, sed *militem*: quod nomen ad stultitiam valet. Non *socium*, sed *rivalem*: quo ostendit, quandoquidem rivalis in meretrice capiendus est, hunc potius eligendum. Nec (dele *nec* Z.) non *excludendum*, sed *recipiendum* dixit: ut ostenderet adeo prodesse, ut etiam de industria retinendus sit. Non, *volo* aut *rogo*, sed *censeo*: ut consiliarius, non parasitus, videatur loqui. Nam quod *ego* addidit, eo dicto usus est, quo uti solent qui plus in negotio vident. Nam sic in Phormione Jurisconsulti, *ego, quæ in rem tuam fuerint, ea velim facias. Ego sedulo hunc dixisse credo. Ego amplius deliberandum censeo. Censeo*] Vide virtutem poetæ. non enim dixit *peto*, sed *censeo*: tanquam illis modo consulat, neque pro milite agat. D.

Quid id est, recte codd. quinque cum edd. vett. B.

43 *Cogita modo*] *Modo*, aut tantummodo significat: aut temporis est adverbium. Et simul incerta distinctio est. D.

Cogita modo, tu hercle] Post sententiæ propositionem subnectit ea quæ utilia sunt Phædriæ, ut (excidit, *cum* Z.) libenter capiat victum, ipsum quidem non plurima dare, Thaidem contra plurima velle accipere. E.

Recte Faernus ait, *recipiundum* tribui debere Chæreæ: et, *hem*, solum Phædriæ; qui præ indignatione nihil respondeat, sed vultu consilium spernat. B.

44 *Et libenter vivis*] Id est, bonorum ciborum edax es. D.

Leg. et dist. *ut libenter vivis (et enim bene libenter victitas)*. Nam, *ut*, quod reperitur in cod. reg. signif. *prout*. Ut tu lante, sumtuose, cum ea vivis quotidie, necesse est ut illa multum accipiat; tibi vero paulum est quod des. cf. Heaut. I. 1. 116. B.

Et libenter vivis] Ex Bentl. conjectura legendum est *ut libenter vivis*, deinde parenthesi includenda verba (etenim bene libenter victitas) sensus hic est: ut tu laute et sumtuose cum ea vivis, quotidie necesse est, ut illa mul-

Quod des, paululum est: et necesse est multum accipere Thaidem,
Ut tuo amori suppeditare possit sine sumtu tuo.
Ad omnia hæc magis opportunus, nec magis ex usu tuo
Nemo est: principio et habet quod det; et dat nemo largius.
Fatuus est, insulsus, tardus, stertit noctesque et dies:

tum accipiat, tibi vero paulum est quod des. *Ut* ponitur pro prout in Heaut. I. 1. 116. *bene* est laute, delicate in Hec. III. 5. 11. *vixit bene libenter* est hilariter. Cato de re rust. c. 156. *si voles in convivio multum bibere eamaregue libenter*. R. D.

45 Tres codd. recte *paulum*, pro *paululum*. B.

46 *Suppeditare possit sine sumtu tuo.* Aut *suppeditare*, pro *suppeditari*: aut deest *se*. Ut, Æn. II. 235. *accingunt omnes operi*. D.

47 *Ad omnia hæc magis oportunus, nec magis ex usu tuo nemo est*] Locutio est ex negativis tertia: ut, *agrum in his regionibus meliorem nemo habet. Magis ex usu*] Pro utilior. et *magis oportunus*, pro oportunior. *Nemo est*] Hoc est oportunus. D.

Nec magis ex usu tuo] Hoc est, nec est aliquis qui magis sit ex tua utilitate, quia *habet quod det, et largius nemo dat.* Sed ne incidat quæstio, (adde *si*, vel, an Z.) forte datorem amare incipiat meretrix, subjunxit: *fatuus est, insulsus, tardus, stertit noctes et dies: neque istum metuas, ne amet mulier: facile pellas, ubi velis.* Ad ista omni genere aptus est miles; vel ut dona det, vel ut facile contemni possit. E.

Ne ex trochaico fiat iambicus, priorem versum et hunc lege, *ut tuo amori suppeditare possint sine sumtu tuo omnia hæc; magis*, &c. Nam *suppeditare* hic est suppetere. Nisi malis cum duobus codd. legere *suppeditari*. B.

Ut tuo amori, &c.] I. e. ut abunde tibi sit ad alendum et fovendum amorem sine tuis impensis. *Suppeditare* sæpe dicitur pro suppetere, satis esse. Cic. de Offic. I. 4. *parare ea quæ suppeditent et ad cultum et ad victum*. R. D.

48 *Habet quod det*] Ut dives. *Et dat nemo largius*] Ut liberalis. D.

Nec magis nemo est] Notandum duas negationes pro una poni, quod frequens esse ostendit Duker. ad Flor. III. 17. p. 636. R. D.

Ex usu tuo] I. e. tibi utilior in Heaut. I. 2. 36. *tibi quod ex usu sit*. R. D.

49 *Fatuus*] Inepta loquens. A fando *fatuus* dicitur: inde *fauni fatui*: et nymphæ *fatuæ* dictæ sunt. *Fatuus est*] Hoc ex usu tuo. *Insulsus*] Sine sale et sapientia: aut sine saltu et facilitate. *Fatuus est, insulsus*] *Fatui* sunt, qui verbis et dictis fatui sunt: *insulsi* vero, corde et animo. *Fatuus est, insulsus*] Sunt qui *fatuum*, animo putant: *insulsum*, dictis. sed male. Nam *fatui* quoque Dii sunt, qui et *fauni* dicuntur: et non stulti, sed multum fantes, id est, loquentes. *Fatuus est, insulsus*] Hæc quæ nunc addidit, non ex superioribus pendent: sed cum superiora valeant plurimum: nam quia dives et liberalis, potuit obesse rivalibus: hæc omnia bona in milite corrumpuntur, quod fatuus, quod insulsus, et cætera, quæ ipse persequitur. *Fatuus est, insulsus*] Hæc bene adduntur: quia dixit, *et habet quod det, et dat nemo largius.* Ad rem eam valebat, ut amaretur miles a meretrice, et præponendus omnibus esset: sed ingrata sunt mulieribus, maximeque lascivis, hæc omnia quæ subjicit. *Fatuus est. insulsus*] Hoc pro acervo vitiorum, cum quadam vultus improbitate prolatum (*pronunciandum* Ms. B.) est, quo magis res in medio posita esse videatur. *Tardus*] In Ve-

Neque istum metuas, ne amet mulier: facile pellas, ubi velis.

Ph. Quid agimus? G. Præterea hoc etiam, quod ego vel primum puto,

Accipit hominem nemo melius prorsus, neque prolixius.

Ph. Mirum, ni illoc homine quoque pacto opu'st. C. Idem ego arbitror.

nerem scilicet. *Tardus*] Corpore et membris: quamquam et intellectu *tardos* vocamus, qui stulti sunt. Sed melius est sic intelligi, ut ea vitia videatur dicere, quæ inamabilem faciant etiam divitem, largumque amatorem. Nam aut verba commendant: ut, Æn. IV. 79, *pendetque iterum narrantis ab ore.* Hic fatuus. Aut sapientia gratum facit: ut, Æn. IV. 3. *multa viri virtus animo.* Hic insulsus est. Sed mihi videtur *fatuum* dicere, qui tantum glorietur, et blandiri amicæ nesciat. *Insulsum*, qui non sit salax, et cupidus coitus. *Tardum*, qui non facile explicet Venerem: quæ res meretricibus odiosa est. *Stertit*] Plus dixit quam *dormit. Noctesque et dies*] Plus significat quam si diceret, *diebus et noctibus*: ut hoc ipso nomine consiliarii auctoritas inesse videatur. D.

Noctesque et dies] Ms. R. *noctes et dies.* L.

Pro *tardus*, quod minoris est contumeliæ, quam aut *fatuus* aut *insulsus*, repone *bardus*, h. e. secundum Glossas vett. ἀναίσθητος, βραδύς, ἄφρων, ἀφυής, βλάξ. Deinde probati codd. non habent, *que.* B.

Tardus] I. e. bebes ingenio. Bentlei. eleganti sed non necessaria conjectura legit barbus i. e. stultus, stolidus. R. D.

50 *Ubi velis*] Quando, vel quum. D.

51 *Quid agimus?*] Initium consensionis, dubitatio est ejus qui negaverit. *Hoc etiam*] *Deest* vel *abest* (*deest*, ei est, *vel* habet). *Quod ego*] Parasitus scilicet. *Primum puto*] *Primum puto*, quasi parasitus. D.

Præterea hoc etiam] Post ea, quæ supra commoda narraverat, adjungit quod etiam sibi maxime necessarium est, quod nemo melius accipiat, quam miles. *Accipit* autem pascit. Virgil. Æn. III. 353. *illos porticibus rex accipiebat in amplis.* E.

Verba, *quid agimus?* sunt Chæreæ, quippe qui, cum Thaidis amore non teneretur, prior ad consentiendum erat. B.

52 *Accipit hominem*] *Accipit*, pascit, invitat: ut, Æn. III. 353. *illos porticibus rex accipiebat in amplis. Nemo melius prorsus, neque prolixius*] Horum alterum apparatum indicat, alterum copiam. D.

Accipit homonemo] Serv. Æneid. III. 353. *rex accipiebat in amplis.* L.

Lege, *homo nemo*, e fide codd. quorundam. Deinde ut ingratus evitetur sibilus, lege, *prorsum*, B.

Accipit] Accipere et excipere sunt verba convivalia. Horat. Serm. II. 8. 67. *ut ego accipiar laute.* Petron. c. 42. ubi v. interpretes. R. D.

Prolixius] I. e. largius, benignius ut in Ad. V. 8. 20. et sæpe ap. Cicer. R. D.

53 *Mirum, ni illoc homine quoquo pacto opus est*] Facete dixit adolescens rei parcus, et qui putet amorem sine damno esse oportere, quique fefellerit meretricem: non solum ejiciendum non esse militem, sed etiam quovis modo sustinendum ac perferendum. *Mirum, ni illoc homine*] Obtinuit parasitus jam quod negabatur. Primo deliberatum: ut, *quid agimus?* post concessum: ut,

G. Recte facitis. unum etiam hoc vos oro, ut me in vostrum gregem
Recipiatis: satis diu hoc jam saxum volvo. P. Recipimus. 55
C. Ac libenter. G. At ego pro istoc, Phædria, et tu, Chærea,
Hunc comedendum et deridendum vobis propino. C. Placet.

mirum ni illoc homine quoque pacto opus est. Mirum, ni illoc] Hic, inquit, ejusmodi est, ut etiam cum mala conditione patiendus sit. *Idem ego arbitror*] Sane opus fuit consensione, præcipue Phædriæ, cujus res agitur: nam ita et servata persona est tarde consentientis amatoris. D.

Mirum, ni illoc homine] Sive quia *nemo melius accipiat, neque prolixius*, id est, abundantius: sive quoniam multa dona meretrici donare potest. Ad quæcunque hic homo necessarius est. E.

Muta personarum vicem, et prius da Chæreæ, posterius Phædriæ, qui, ut Thaidis amator, tardior ad consensum esse debet. Hæc ipsa videtur esse Donati sententia. B.

54 *Recte facitis*] Gratiarum actio est. *Unum etiam hoc vos oro*] Subtiliter etiam parasitus hic se adjungit, suasque partes circa hos agit. *Ut me in vestrum gregem*] Jam hos laudat: et nimis parasitus est, si recorderis eundem dixisse, *facete, lepide, laute, nihil supra*. D.

Ut me in vestrem gregem] Etiam de se persuadere voluit, ut non excludatur, sed pariter cum his possit vivere, etiam horum auxilio. E.

Me in vostrum gregem] Serv. Æneid. XI. 352. *Unum etiam donis*. L.

Ab omnibus codd. nostris et edd. vett. recte abest, *hoc*. B.

In vostrum gregem] I. e. inter vestros sodales. Grex est multitudo tam bonorum, quam malorum. in Ad. III. 3. 8, Cic. de amicit. c. 19. *qualis erat Scipionis in nostro ut ita dicam grege*. R. D.

55 *Satis diu hoc jam saxum volvo*] Vide quemadmodum serpat paulatim etiam in eorum assentationem ex vituperatione militis. *Hoc saxum volvo*] Proverbium in eos, qui inextricabili labore afflicti sunt. Et bene *saxum* de stulto milite ait: et se ipsum Sisyphum fecit. *Hoc saxum volvo*] Velut Sisyphus apud inferos. D.

Diu hoc jam saxum] Olim cum isto milite laboro: quem silicem ob stultitiam appellavit, ut, Æn. VI. 471. *quasi dura silex, aut stet Marpesia cautes*. Ubicunque enim quædam (forte, *magna* Z.) stupiditas silici comparatur. E.

Concinnior est lectio codd. nostrorum, *satis diu jam hoc*; ut *diu* in Arsi sit et in mora. B.

Jam diu hoc saxum volvo] Proverbium de iis, qui diu gravi et inutili labore fatigantur, ut Sysiphus apud inferos. R. D.

56 *At ego pro istoc, Phædria*] Sabaudiamus *et sum hic (subaudi, assum, elixum)*: aliter non, ut parasitus ait (*sic militem nunc, ut paras. ait* Z.) *Phædria, et tu Chærea*] Ambos nominat, quasi legibus paciscantur. D.

57 *Hunc comedendum*] Cum cæteris rebus, summus poeta etiam fidem ostendit amicitiæ parasiticæ, exemplo Gnathonis de milite loquentis hoc modo. *Propino*] Facete sic dixit, ut parasitus, et ut qui de convivio loqueretur. D.

Deridendum vobis propino] Ms. R. *præbebo*. Sed *propino* in plerisque libb. Sic Spartian. in Antonino Philos. *venenatam partem fratri edendam propinans*. Græci προπίνειν ἀντὶ τοῦ χαρίζεσθαι. Scholiast. Pindari Olymp. Od. VII. Philostr. de vita Apollonii libr. 3. προ-

P. Dignus est. C. Thraso, ubi vis accede. T. Obsecro te, quid agimus?

G. Quid? isti te ignorabant: postquam eis mores ostendi tuos,

Et collaudavi secundum facta et virtutes tuas, 60

Impetravi. T. Bene fecisti: gratiam habeo maximam. Nunquam etiam fui usquam, quin me omnes amarent plurimum.

G. Dixin' ego in hoc esse vobis Atticam eloquentiam?

πίνω σοι, Ἰσχυρός, ἄνδρα Ἕλληνα. Marcellinus in Hermogen. τοῖς πολεμίοις τὰ ποινὰ προπίνειν προαιρούμενος. L.

Propino recte Bemb. et codd. vett. pro *præbeo*. Deinde pro *deridendum* leg. *ebibendum*. Nam qualis propinatio, ubi nulla potus est mentio? et qualis utilitas in stulto homine *deridendo*? Ut taceam, *deridere* a vita parasitica esse alienum. Ad nostram correctionem commendandam facit Nonius v. Propinare: *Terentius Eunucho: hunc vobis comedendum et bibendum et deridendum propino*. B.

Comedendum] Comedere aliquem significat alicujus bona absumere. Plaut. in Pseud. IV. 7. 25. *jamne illum comesurus es* in Heaut. III. 1. 53. *quem assidue exedent*. R. D.

Et deridendum] Non Marcell. p. 33. et Masti quidam habent *et comedendum et bibendum*, unde Bentl. edidit *comedendum et ebibendum vobis propino*. Fatendum est, *deridendum propinare* non nisi per duram catachresin dici, verumtamen hæc a parasito per vernilitatem quandam dicta videntur. R. D.

58 *Dignus est*] Hæc verba ultima longi sermonis, ejusmodi sunt, ut miles hæc audiens, laudatum se esse, et approbatum existimet. *Ubi vis*] Honorifice revocat ablegatum cum injuria, dicendo *ubi vis*: quia *accede* imperativum erat: et *ubi*, nisi *quando* intellexeris, vitium est. D.

59 *Isti te ignorabant*] Figura ἀκυρολογία (Διλογία. Ms. B.) Ad utrumque enim pertinet (forte excidit TE Z.) et ad laudem, et ad mores. Et hoc ambiguum. D.

Te ignorabant] *Ignorare aliquem* significat alicujus indolem et mores non satis tenere in Heaut. I. 1. 53. *erras, si id credis et me ignoras*. Cic. Academ. II. 2. *majore studio philosophiæ deditus fuit, quam qui illum ignorabant, arbitrabantur*. Contrarium est *intelligere aliquem*. R. D.

60 *Secundum facta et virtutes tuas*] Et hoc ἀμφίβολον. Nam *virtutes* εἰρωνικῶς pro vitiis posuit: ut, *nescis qui vir siet*: et, *ornatus esses ex tuis virtutibus*. *Facta et virtutes*] Proprie *facta* militibus adscribuntur. *Facta et virtutes*] Amarior est εἰρωνία in vitiosos homines, quam veritas. D.

61 Repone, *bene fecistis*. Nam non coram Phædria et Chærea potest gratias agere Gnathoni. B.

62 *Nunquam etiam fui usquam*] *Nunquam* et locum, et tempus significat: *usquam*, locum magis. *Nunquam*, pro non. Et *nunquam usquam*, τῷ ἀσχαϊσμῷ, pro *non usquam*, id est, nusquam. *Quin me omnes amarent plurimum*] Contrarium superiori. Quid est enim quod bene non fecerit quicquam, si in illo est, ut ametur? D.

Leg. *amarint*, fide codd. B.

63 *Atticam eloquentiam*] Et hoc εἰρωνικῶς, ut illa quæ supra. *Atticam* dicit veram atque germanam; quia excultior eloquentia, dicitur *Attica*: et summi oratores, *Attici* appellati sunt. D.

Dixin ego in hoc] Quidam intelligunt hoc versu de Terentio dici, qui et co-

P. Nihil præter promissum est; ite hac. Ω. Vos valete, et plaudite.

CALLIOPIUS RECENSUI.

mœdiam scribit, ut is in se habeat *Atticam*, hoc est, Menandri *eloquentiam*, qui fuit Atticus. Quidam de milite, ut per *sicaviav* dictum sit, quasi ad præsentem, ut credat se esse laudatum. Dixin ego quod miles habeat in se eloquentiam Atticorum? siquidem modo dixerat, *nunquam etiam fui usquam, quin me omnes amarent plurimum.* Ita usque ad extremum melius servata est militis gloriosi oratio. E.

Faerni libri vett. *recte, elegantiam*, h. e. leporem sermonis Attici. B.

64 *Præternissum*] Et hoc asceps est, intellectu gemino ad utrumque. *Ite hac*] Quo vocat parasitus? an ad meretricem? an ad cœnam militis, ut promisit? *Hunc ego comedendum et deridendum vobis propino. Ite hac*] Cœmessatum ad militem, vel ad Thaidem. Si cœnæ interfuit meretrix: quomodo post acta sunt omnia, cum mentio noctis non facta sit? Omnia post cœnam gesta sunt: et non completa per rixam cœnæ, superfuit plurimum temporis ad agendum. D.

Nihil præternissum] Omnia quæ dixisti invenimus in milite: an *(aut* Z.) omnia quæ promisimus tibi implebuntur, et nihil est, vel erit, præter id quod diximus. E.

Faernus verborum, *nihil præter p. e.* sensum ait esse hunc, qui expressus sit in glossemate libri Victorii, in margine: *omnia promisso tuo respondent, et nihil extra illud est.* B.

Præter promissum] I. e. contra promissum in Andr. II. 6. 5. *præter spem evenit* V. 3. 8. *præter civium morem.* R. D.

FRIDERICI LINDENBROGII

OBSERVATIONES

IN ÆLII DONATI. V. C.

COMMENT. IN EUNUCHUM.

ACT. I. SC. II.

4 *Ignis effectum frig.*] Vid. Alexandr. προβλήμ.

87 *Hellanicus auctor*] Laudatur non semel Hellanicus hic ab antiquis. Val. Maxim. lib. 8. cap. 13. Val. Harpocrat. in ἀλόπη, et alibi. Existimem vero hunc locum ex ejus historia Persica desumtum esse, in qua et de rebus Babylonicis egit, ut apud Stephanum de urbib. videmus.

ACT. II. SC. II.

25 *Romanius Macellus*] Ita Mss. codd. Al. *Nomanius*. Vid. Varron. de Ling. Lat. lib. 4.

Forum cupedinis] Apul. lib. I. Miles.

26 *Bolonas exercent*] Arnob. libr. II. *quid bigarios, salinatores, bolinas, unguentarios.* Gloss. *Bolonæ*, μεταπῶλαι, ψαλιπάπηλοι. Gloss. Isidori: *Bolonæ ipsi cetarii, qui diversa genera piscium emunt.* Papias: *Bolona, redemptor cetariarum tabernarum, in quibus salsamenta conduntur, quas tabernas vulgo cetarias vocant.*

Qui insitia] *Isicia* ἰσικά. Alexandr. Trallian. lib. 7. Alex. Aphrod. προβλημάτων lib. I. Macrob. Saturn. 7. cap. 8.

ACT. II. SC. III.

22 *Antiqui enim Græci*] Tale quid apud Appollon. Rhodium videre est, lib. IV.

A singulari gracilis] Videtur corrigendum *a singulari gracila.* Sic enim in Terentio legit Val. Probus Institut. libr. 2. idque ut novum hoc loco Donatum annotare voluisse puto. Ausonius tamen vulgatam lectionem imitatur.

39 *Liquet, verbum juris*] Vid. Ascon. Pedian. contra Verrem. III. pag. 74.

85 *Ducimur quo volumus*] Vid. supra notata ad II. 2. 35.

87 *Plaustrum perculit*] Festus in voce *Plancæ.*

ACT. III. SC. I.

11 *Gadirum habent*] Ms. *gandirum.* Sed *gadir* rectum est, atque ita Priscian. libr. V. hunc ipsum Sallustii locum laudat. Festus Avien. in orbis terræ descr. p. 610. *Gadir prima fretum solita supereminet arce, attollitque caput geminis inserta columnis. Hæc Cotinussa prius fuerat sub nomine prisco, Tartessumque dehinc Tyrii dixere coloni. Barbara quin etiam Gades hanc lingua frequentat. Poenus quippe locum Gadir vocat undique septum aggere præducto.* Idem in ora maritima: *hic gadir urbs est, dicta Tartessus prius.*

34 *Crissando, ut Lucret.*] Locus Lucretii extat, lib. 4. 1265.

36 *A physicis dicatur*] Aristot. Animal. l. 7. c. 33. Cl. Ælian. de animal. l. 13. 11. Philostratus Icon. de Amoribus, ἴσθα γάρ που τὸ περὶ τοῦ λαγὼ λεγόμενον, ὡς πολὺ τῆς Ἀφροδίτης μέτεστιν αὐτῷ· λέγεται οὖν περὶ μὲν τοῦ θήλεος, θηλάζειν τε αὐτὸν ἃ ἴτεως, καὶ ἀποτίκτειν πέλας ἐπὶ ταὐτῷ γάλακτι· καὶ ἐπιμένειν δὲ, καὶ οὐδὲ εἷς χρόνος αὐτῷ τοῦ τόκου κενός·

τὸ δὲ ἄῤῥεν, σπείρει τε ὡς φύσις ἀῤῥένων, καὶ ἀποκύησει, παῤ ὃ πίφυκεν.

ACT. III. SC. III.

9 *In duodecim tab.*] L. 1. §. 3. ff. de dolo malo. Vid. Gell. et Fest.

Lucretius poeta] Locus, quem notat, est initio lib. 4. 11. Cui similis alius apud Themist. orat. ζ. et Auson. Epist. 17. ad Symmach. *Absynthium meum resipit; et circumlita melle tuo pocula deprehendo.*

19 *Intendere, es crimen*] Plaut. Mil. II. 4. 47. *Pergin', sceleste, intendere, atque hanc arguere?* Eodem modo *intrahere*, contumeliam intorquere. Fest.

ACT. III. SC. V.

18 *Pecuniæ spectatores*] *Pecuniæ spectatores* non sunt, qui alias III.viri monetales æris, argenti, auri. l. 2. §. 30. de orig. jur. et Inscript. vett. quorum diligentiæ erat inspicere, ne quis pecunias publicas conflaturarum adulterinis artificiis imitaretur: ut ait Jul. Firmio. Astr. l. 6. c. 31. Sed sunt nummularii, ad quos nummi probandi deferebantur. l. 39. ff. de solut. Apul. Miles. l. 10. *Ne forte aliquis istorum, quos offers, aureorum, nequam vel adulter reperiatur; in hoc ipso sacculo conditos eos annulo tuo prænota, donec altera die, mummulario præsente, comprobentur.* Ipsum illud in Græcia fuit observatum. unde Menander: Ἀλλ' ἐπὶ τράπεζαν μὲν φέρειν τὴν πρᾶξ', ἵνα, Εἰτ' ἀργύριον καλόν ἐστι, δοκιμαστὴς ἴδῃ.

ACT. IV. SC. II.

12 *Quinque lineæ*] Lucianus copiose περὶ ἔρωτος. Ovidius: *visus et alloquium, tactus, post oscula factum.* Vetus poeta in Anthologia: Εὐδαίμων ὁ βλέπων στερεόλιβιος ὅστις ἀκούει, Ἡμίθεος δ' ὁ φιλῶν, ἀθάνατος δ' ὁ σινών.

ACT. IV. SC. III.

24 *Impudica fieri vel solo osculo*] Velut Phædromus ait apud Plaut. Curcul. act. I. sc. 1. vers. 51. *tam a me pudica est, quasi soror mea sit; nisi si est osculando quippiam impudicior.* Cui non absimile multum illud Achil. Tatii lib. 4. Ἔτι μένει παρθένος, μέχρι μόνων τῶν φιλημάτων ἐστὶ μοῦ γυνή. Quod bene animadvertens severus ille pudicitiæ custos Pub. Mœnius tristi exemplo, quod in liberto statuit, puellis omnibus præcepit, non solum virginitatem illibatam, sed etiam oscula ad virum sincera perferenda. Val. Max. lib. 6. cap. 1.

ACT. IV. SC. IV.

20 *Lucillius in Satyra Athymnidis**] Ita Ms. in Pith. cod. adnotatum erat; *in Satyra Atti. diligens ex f.* Lucillianorum fragmentorum collectores observarunt, in vett. codd. legi, *Athimudi sacci ex facie f.* Unde tamen nil boni extricarunt.

22 *Adesionem sequor*] Ms. *edesionium.*

Ut ex Gallis] Ammian. Marcelt lib. XV. cap. 22. *celsioris staturæ et candidi pene Galli.* Vid. Petr. Arbit. 102. Adamant. Semphista l. 2. Isidor XIX. 23.

ACT. IV. SC. V.

6 *Tres ματεωμιλας, Cererem*] Quinctil. lib. 8. cap. 6. *Liberum et Cererem pro vino et pane licentius, quam ut fori severitas ferat.* Nævius apud Festum: *coquus inquit, dedit Neptunum, Venerem, Cererem. significans per Cererem panem, per Neptunum pisces, per Venerem holera.*

ACT. IV. SC. VI.

30 *Violento civiliter*] Ulpian. l. 1. §. 2. ff. Quod vi aut clam.

ACT. IV. SC. VII.

2 *Dicitur evocatio*] Duplex *evocationis*, vel *evocatorum* genus. De queis hic agitur, ii proprie erant, qui subita aliqua necessitate urgente evocabantur. ut Donatus docet, et ex eo Servius tribus locis. l. 2. Æn. 157. ad illum versum—*sacrata resolvere jura.* lib. 7. 614. —*ipse vocat pugnæ.* et initio lib. 8. ubi hæc dilucide explicantur. Altera evocatorum notio de iis intelligenda est, qui semel missione impetrata, denuo ad nomen respondere cogebantur. Dio lib. 45. τὸ τῶν Ἡνιπάτων ἢ Οὐνιπάτων σύσ-

τημα (οὓς ἀνακλήτους ἂν τὶς ἐλληνίσας, ὅτι πεπαυμένοι τῆς στρατείας, ἐπ' αὐτὴν αὖθις ἀνακλήθησαν, ὀνομάσειεν) ἐνομίσθη. Sallust. in Cat. 59. prope finem. *Centuriones lectos, evocatos, &c.* Falluntur ergo qui hæc confundunt.

6 *Manipulum furum, coqui*] Coqui pro furibus olim habiti. Plautus Aulular. III. 6. 15. *mihi omnis angulos furum implevisti in ædibus misero mihi: qui mihi intromisisti in ædes quingentos coquos.* Idem in Pseud. III. 2. 1. *forum coquinum qui vocant: nam non coquinum, verum furinum est forum.*

39 *Alienum rem suam dicere*] Puta si nullam causam vel titulum possessionis suæ dixerit. l. 12. l. 13. ff. de heredit. petit.

44 *Memores domorum*] Unde hæc exhortatio apud Nicetam Choniat. p. 170. καὶ ἄνδρες, καὶ συστρατιῶται, οὕτω τέκνα καὶ συλλήπτορες ἴσητε.

ACT. V. SC. II.

7 *Honesta locutio est*] Sic in Hecyræ prolog. 9. *honesta figura.* et in Phorm. act. II. sc. 1. 40. *honesta locutio.* atque ita apud Servium, et Non. Marcel.

ACT. V. SC. V.

9 *Licet semel* * *un non possit dicere*] Ms. *quidem simul uti possit dicere.*

ACT. V. SC. VIII.

27 *Vir fortis optet quod volet*] Sæpe hoc apud Senecam in Controvers. Quinct. et Calpurnium in Declamationibus, et Scholiast. Hermogen.

49 *Fatui sunt*] Vid. Martian. Capell.

C. SULPITII APOLLIN.

PERIOCHA IN TERENT.

HEAUTONTIMORUMENOS.

IN militiam proficisci gnatum Cliniam
Amantem Antiphilam compulit durus pater:
Animique sese angebat, facti pœnitens.
Mox ut reversus est, clam patrem divortitur
Ad Clitiphonem; is amabat scortum Bacchidem.
Cum arcesseret cupitam Antiphilam Clinia,
Ut ejus Bacchis venit amica, ac servolæ
Habitum gerens Antiphila, factum id, quo patrem
Suum celaret Clitipho: hic technis Syri,
Decem minas meretriculæ aufert a sene.
Antiphila Clitiphonis reperitur soror.
Hanc Clinia, aliam Clitipho uxorem accipit.

JO. CALPURNII BRIXIENSIS VIRI CLARISSIMI

IN

P. SEXTI TERENTII

HEAUTONTIMORUMENON PROLEGOMENA.

HÆC fabula, Menandri Græca: quæ facta a Terentio Latina, nomen idem observavit, ne Græci nominis euphoniam perderet: quod Terentius minus laudis existimavit propria scribere, quam Græca transferre. Nomen habet a sene se ipsum excruciante ob filii absentiam: quem amantem, duritia sua in militiam proficisci compulerat: ἑαυτὸν τιμωρούμενος, Latine, se ipsum excrucians interpretatur. Illud animadvertendum, omnes Terentianas fabulas ex utroque genere mistas, præter hanc. Nam comœdiæ aut *motoriæ* sunt, aut *stataria*, aut *mistæ*. Motoriæ, turbulentæ: stataria, quietiores: mistæ, ex utroque actu consistentes. In hac, quæ plurimum delectat et actu et stilo, primæ partes sunt Menedemi et Chremetis: secundæ Cliniæ et Clitiphonis: tertiæ Syri: et sic deinceps. Hæc etiam, ut cæteræ, quinque actus habet, prologum concitatum. Nam et se purgat, et in lædendis adversariis est occupatus. Argumentum quoque non simplicis negotii habet, nec unius adolescentis, ut in Hecyra: sed duorum, ut in cæteris fabulis.

ARGUMENTUM EJUSDEM.

CHREMES gravidæ uxori olim interminatus, si puellam pareret, nolle tolli. At illa clam anui Corinthiæ nutriendam dedit. Hanc adultam Clinia, invito patre, amare cœpit; cujus duritia et assiduis jurgiis in militiam proficisci compulsus est. Postea facti patrem Menedemum adeo pœnituit, ut omnia venderet, et agrum emeret, in eoque se exerceret: ut sic filii injuriam ulcisceretur. Paulo post revertitur Clinia, et clam patre devertitur apud Clitiphonem, qui et ipse amabat scortum Bacchidem. Mittit arcessitum cupitam Antiphilam Clinia: cum qua et Bacchis una venit. Hanc adolescentes Cliniæ amicæ simulant Syri technis. Antiphila ad matrem deducitur: cujus occasione Syrus decem minas meretriculæ aufert a Chremete. Dehinc Antiphila Clitiphonis soror reperitur, et Cliniæ in uxorem datur. Chremes Bacchidem a Clitiphone amari animadvertit: irascitur: minitatur: sed, et Menedemo adhortante, filio ignoscit: et aliam illi dat conjugem. In *primo* actu agitur de conjunctione senum, scilicet Menedemi et Chremetis; simul et de amicitia et familiaritate adolescentium; in qua Clitipho ardentissimus ostenditur. *Secundus* actus continet, quemadmodum adolescentes amicas receperint; simul et Syri callidum consilium. *Tertius* actus exprimit Syri fallaciam in Chremem, ut Bacchidem credat Cliniæ esse amicam, et Antiphilam arrhaboni Bacchidi relictam esse putet pro argento, quod anum Corinthiam meretrici debere finxit. In *quarto* actu agitur de recognitione Antiphilæ, et de extorsione argenti, quod Bacchidi Clitipho promiserat. *Quintus* actus continet omnium rerum conversionem ad jucundos exitus, patefacta cunctis cognitione gestorum: et quemadmodum Antiphilam uxorem Clinia duxerit: Clitipho vero, dimissa Bacchide, aliam acceperit.

FABULÆ INTERLOCUTORES.

ANTIPHILA meretrix.
BACCHIS meretrix.
CHREMES senex.
CLINIA adolescens.
CLITIPHO adolescens.
DROMO servus.
MENEDEMUS senex.
NUTRIX.
PHRYGIA ancilla.
SOSTRATA matrona.
SYRUS servus.

Ex sententia Daceriæ scena est in pago suburbano. Quam si sequeris, multa loca lucem aliquam in hac fabula inde accipiunt. Veluti act. I. sc. 2. 17. Clitipho dicit patri se servulum misisse in urbem: Syrus III. 3. 26. Clitiphoni ait, *vah, quasi desit locus, abi sane isthac, istorsum, quo vis:* et IV. 4. 9. occurrit *villa*, quæ dicitur proxima *fundo huic*, ubi Bacchis erat, &c. Z.

FRIDERICI LINDENBROGII

OBSERVATIONES

IN ÆLII DONATI. V. C.

COMMENT. IN EUNUCHUM.

ACT. I. SC. II.

4 *Ignis effectum frig.*] Vid. Alexandr. προβλήμ.

87 *Hellanicus auctor*] Laudatur non semel Hellanicus hic ab antiquis. Val. Maxim. lib. 8. cap. 13. Val. Harpocrat. in ἀλόπη, et alibi. Existimem vero hunc locum ex ejus historia Persica desumtum esse, in qua et de rebus Babylonicis egit, ut apud Stephanum de urbib. videmus.

ACT. II. SC. II.

25 *Romanius Macellus*] Ita Mss. codd. Al. *Nomanius*. Vid. Varron. de Ling. Lat. lib. 4.

Forum cupedinis] Apul. lib. I. Miles.

26 *Bolonas exercent*] Arnob. libr. II. *quid bigarios, salinatores, bolinas, unguentarios*. Gloss. *Bolonæ*, μεταπράται, παλιμπάπηλοι. Gloss. Isidori: *Bolonæ ipsi cetarii, qui diversa genera piscium emunt*. Papias: *Bolona, redemptor cetariarum tabernarum, in quibus salsamenta conduntur, quas tabernas vulgo cetarias vocant*.

Qui insitia] *Isicia* ἰσικοί. Alexandr. Trallian. lib. 7. Alex. Aphrod. προβλημάτων lib. I. Macrob. Saturn. 7. cap. 8.

ACT. II. SC. III.

22 *Antiqui enim Græci*] Tale quid apud Appollon. Rhodium videre est, lib. IV.

A singulari gracilis] Videtur corrigendum *a singulari gracila*. Sic enim in Terentio legit Val. Probus Institut. libr. 2. idque ut novum hoc loco Donatum annotare voluisse puto. Ausonius tamen vulgatam lectionem imitatur.

39 *Liquet, verbum juris*] Vid. Ascon. Pedian. contra Verrem. III. pag. 74.

85 *Ducimur quo volumus*] Vid. supra notata ad II. 2. 35.

87 *Plaustrum perculit*] Festus in voce *Plancæ*.

ACT. III. SC. I.

11 *Gadirum habent*] Ms. *gandirum*. Sed *gadir* rectum est, atque ita Priscian. libr. V. hunc ipsum Sallustii locum laudat. Festus Avien. in orbis terræ descr. p. 610. *Gadir prima fretum solita supereminet arce, attollitque caput geminis inserta columnis. Hæc Cotinussa prius fuerat sub nomine prisco, Tartessumque dehinc Tyrii dixere coloni. Barbara quin etiam Gades hanc lingua frequentat. Poenus quippe locum Gadir vacat undique septum aggere præducto*. Idem in ora maritima: *hic gadir urbs est, dicta Tartessus prius*.

34 *Crissando, ut Lucret.*] Locus Lucretii extat, lib. 4. 1265.

36 *A physicis dicatur*] Aristot. Animal. l. 7. c. 33. Cl. Ælian. de animal. l. 13. 11. Philostratus Icon. de Amoribus, ἴισθα γάρ που τὸ περὶ τοῦ λαγὼ λεγόμενον, ὡς πολὺ τῆς Ἀφροδίτης μέτεστιν αὐτῷ· λέγεται οὖν περὶ μὲν τοῦ θήλεος, θηλάζειν τε αὐτὸν ἃ ἔτεκε, καὶ ἀποτίκτειν πάλιν ἐπὶ ταὐτῷ γάλακτι· καὶ ἐκκυΐσκειν δὲ, καὶ οὐδὲ εἷς χρόνος αὐτῷ τοῦ τόκου κενός·

τὸ δὲ ἄῤῥεν, σπείρει τε ὡς φύσις ἀῤῥένων, καὶ ἀποκυΐσκει, παῤ ὁ πέφυκεν.

ACT. III. SC. III.

9 *In duodecim tab.*] L. 1. §. 3. ff. de dolo malo. Vid. Gell. et Fest.

Lucretius poeta] Locus, quem notat, est initio lib. 4. 11. Cui similis alius apud Themist. orat. ζ. et Auson. Epist. 17. ad Symmach. *Absynthium meum resipit; et circumlita melle tuo pocula deprehendo.*

19 *Intendere, es crimen*] Plaut. Mil. II. 4. 47. *Pergin', sceleste, intendere, atque hanc arguere?* Eodem modo *intrahere*, contumeliam intorquere. Fest.

ACT. III. SC. V.

18 *Pecuniæ spectatores*] *Pecuniæ spectatores* non sunt, qui alias III. viri monetales æris, argenti, auri. l. 2. §. 30. de orig. jur. et Inscript. vett. quorum diligentiæ erat inspicere, ne quis pecunias publicas conflaturarum adulterinis artificiis imitaretur: ut ait Jul. Firmic. Astr. l. 6. c. 31. Sed sunt nummularii, ad quos nummi probandi deferebantur. l. 39. ff. de solut. Apul. Miles. l. 10. *Ne forte aliquis istorum, quos offers, aureorum, nequam vel adulter reperiatur; in hoc ipso sacculo conditos eos annulo tuo prænota, donec altera die, mummulario præsente, comprobentur.* Ipsum illud in Græcia fuit observatum. unde Menander: Ἀλλ' ἐπὶ τράπεζαν μὲν φέρειν τὴν προῖχ', ἵνα, Εἰτ' ἀργύριον καλόν ἐστι, δοκιμαστὴς ἴδῃ.

ACT. IV. SC. II.

12 *Quinque lineæ*] Lucianus copiose περὶ ἔρωτος. Ovidius: *visus et alloquium, tactus, post oscula factum.* Vetus poeta in Anthologia: Εὐδαίμων ὁ βλέπων σε· τρισόλβιος ὅστις ἀκούει, Ἡμίθεος δ' ὁ φιλῶν, ἀθάνατος δ' ὁ συνών.

ACT. IV. SC. III.

24 *Impudica fieri vel solo osculo*] Velut Phædromus ait apud Plaut. Curcul. act. I. sc. 1. vers. 51. *tam a me pudica est, quasi soror mea sit; nisi si est osculando quippiam impudicior.* Cui non absimile multum illud Achil. Tatii lib. 4. ἔτι μένει παρθένος, μέχρι μόνων τῶν φιλημάτων ἐστι μοῦ γυνή. Quod bene animadvertens severus ille pudicitiæ custos Pub. Mænius tristi exemplo, quod in liberto statuit, puellis omnibus præcepit, non solum virginitatem illibatam, sed etiam oscula ad virum sincera perferenda. Val. Max. lib. 6. cap. 1.

ACT. IV. SC. IV.

20 *Lucillius in Satyra Athymnidis**] Ita Ms. in Pith. cod. adnotatum erat; *in Satyra Atti. diligens ex f.* Lucillianorum fragmentorum collectores observarunt, in vett. codd. legi, *Athimudi sacci ex facie f.* Unde tamen nil boni extricarunt.

22 *Adesionem sequor*] Ms. *edesionium.*

Ut ex Gallis] Ammian. Marcelt lib. XV. cap. 22. *celsioris staturæ et candidi pene Galli.* Vid. Petr. Arbit. 102. Adamant. Semphista l. 2. Isidor XIX. 23.

ACT. IV. SC. V.

6 *Tres μετωνυμίας, Cererem*] Quinctil. lib. 8. cap. 6. *Liberum et Cererem pro vino et pane licentius, quam ut fori severitas ferat.* Nævius apud Festum: *coquus inquit, dedit Neptunum, Venerem, Cererem. significans per Cererem panem, per Neptunum pisces, per Venerem holera.*

ACT. IV. SC. VI.

30 *Violento civiliter*] Ulpian. l. 1. §. 2. ff. Quod vi aut clam.

ACT. IV. SC. VII.

2 *Dicitur evocatio*] Duplex *evocationis*, vel *evocatorum* genus. De queis hic agitur, ii proprie erant, qui subita aliqua necessitate urgente evocabantur. ut Donatus docet, et ex eo Servius tribus locis. l. 2. Æn. 157. ad illum versum—*sacrata resolvere jura.* lib. 7. 614. —*ipse vocat pugnæ.* et initio lib. 8. ubi hæc dilucide explicantur. Altera evocatorum notio de iis intelligenda est, qui semel missione impetrata, denuo ad nomen respondere cogebantur. Dio lib. 45. τὸ τῶν Ἠουκάτων ἢ Οὐοκάτων σύσ-

τημα (οὓς ἀναλήτους ἂν τὶς ἐλληνίσας, ὅτι πεπαυμένοι τῆς στρατείας, ἐπ' αὐτὴν αὖθις ἀναλήθησαν, ὀνομάσειν) ἐνομίσθη. Sallust. in Cat. 59. prope finem. *Centuriones lectos, evocatos, &c.* Falluntur ergo qui hæc confundunt.

6 *Manipulum furum, coqui*] Coqui pro furibus olim habiti. Plautus Aululari. III. 6. 15. *mihi omnis angulos furum implevisti in ædibus misero mihi: qui mihi intromisisti in ædes quingentos coquos.* Idem in Pseud. III. 2. 1. *forum coquinum qui vocant: nam non coquinum, verum furinum est forum.*

39 *Alienum rem suam dicere*] Puta si nullam causam vel titulum possessionis suæ dixerit. l. 12. l. 13. ff. de heredit. petit.

44 *Memores domorum*] Unde hæc exhortatio apud Nicetam Choniat. p. 170. καὶ ἄνδρες, καὶ συστρατιῶται, οὕτω τίκτει καὶ συλλέκτρους ἔθητι.

ACT. V. SC. II.

7 *Honesta locutio est*] Sic in Hecyræ prolog. 9. *honesta figura.* et in Phorm. act. II. sc. 1. 40. *honesta locutio.* atque ita apud Servium, et Non. Marcel.

ACT. V. SC. V.

9 *Licet semel* * *un non possit dicere*] Ms. *quidem simul uti possit dicere.*

ACT. V. SC. VIII.

27 *Vir fortis optet quod volet*] Sæpe hoc apud Senecam in Controvers. Quinct. et Calpurnium in Declamationibus, et Scholiast. Hermogen.

49 *Fatui sunt*] Vid. Martian. Capell.

C. SULPITII APOLLIN.

PERIOCHA IN TERENT.

HEAUTONTIMORUMENOS.

IN militiam proficisci gnatum Cliniam
Amantem Antiphilam compulit durus pater:
Animique sese angebat, facti pœnitens.
Mox ut reversus est, clam patrem divortitur
Ad Clitiphonem; is amabat scortum Bacchidem.
Cum arcesseret cupitam Antiphilam Clinia,
Ut ejus Bacchis venit amica, ac servolæ
Habitum gerens Antiphila, factum id, quo patrem
Suum celaret Clitipho: hic technis Syri,
Decem minas meretriculæ aufert a sene.
Antiphila Clitiphonis reperitur soror.
Hanc Clinia, aliam Clitipho uxorem accipit.

JO. CALPURNII BRIXIENSIS VIRI CLARISSIMI

IN

P. SEXTI TERENTII

HEAUTONTIMORUMENON PROLEGOMENA.

HÆC fabula, Menandri Græca: quæ facta a Terentio Latina, nomen idem observavit, ne Græci nominis euphoniam perderet: quod Terentius minus laudis existimavit propria scribere, quam Græca transferre. Nomen habet a sene se ipsum excruciante ob filii absentiam: quem amantem, duritia sua in militiam proficisci compulerat: ἑαυτὸν τιμωρούμενος, Latine, se ipsum excrucians interpretatur. Illud animadvertendum, omnes Terentianas fabulas ex utroque genere mistas, præter hanc. Nam comœdiæ aut *motoriæ* sunt, aut *stataria*, aut *mistæ*. Motoriæ, turbulentæ: stataria, quietiores: mistæ, ex utroque actu consistentes. In hac, quæ plurimum delectat et actu et stilo, primæ partes sunt Menedemi et Chremetis: secundæ Cliniæ et Clitiphonis: tertiæ Syri: et sic deinceps. Hæc etiam, ut cæteræ, quinque actus habet, prologum concitatum. Nam et se purgat, et in lædendis adversariis est occupatus. Argumentum quoque non simplicis negotii habet, nec unius adolescentis, ut in Hecyra: sed duorum, ut in cæteris fabulis.

ARGUMENTUM EJUSDEM.

CHREMES gravidæ uxori olim interminatus, si puellam pareret, nolle tolli. At illa clam anui Corinthiæ nutriendam dedit. Hanc adultam Clinia, invito patre, amare cœpit; cujus duritia et assiduis jurgiis in militiam proficisci compulsus est. Postea facti patrem Menedemum adeo pœnituit, ut omnia venderet, et agrum emeret, in eoque se exerceret: ut sic filii injuriam ulcisceretur. Paulo post revertitur Clinia, et clam patre devertitur apud Clitiphonem, qui et ipse amabat scortum Bacchidem. Mittit arcessitum cupitam Antiphilam Clinia: cum qua et Bacchis una venit. Hanc adolescentes Cliniæ amicæ simulant Syri technis. Antiphila ad matrem deducitur: cujus occasione Syrus decem minas meretriculæ aufert a Chremete. Dehinc Antiphila Clitiphonis soror reperitur, et Cliniæ in uxorem datur. Chremes Bacchidem a Clitiphone amari animadvertit: irascitur: minitatur: sed, et Menedemo adhortante, filio ignoscit: et aliam illi dat conjugem. In *primo* actu agitur de conjunctione senum, scilicet Menedemi et Chremetis; simul et de amicitia et familiaritate adolescentium; in qua Clitipho ardentissimus ostenditur. *Secundus* actus continet, quemadmodum adolescentes amicas receperint; simul et Syri callidum consilium. *Tertius* actus exprimit Syri fallaciam in Chremem, ut Bacchidem credat Cliniæ esse amicam, et Antiphilam arrhaboni Bacchidi relictam esse putet pro argento, quod anum Corinthiam meretrici debere finxit. In *quarto* actu agitur de recognitione Antiphilæ, et de extorsione argenti, quod Bacchidi Clitipho promiserat. *Quintus* actus continet omnium rerum conversionem ad jucundos exitus, patefacta cunctis cognitione gestorum: et quemadmodum Antiphilam uxorem Clinia duxerit: Clitipho vero, dimissa Bacchide, aliam acceperit.

FABULÆ INTERLOCUTORES.

ANTIPHILA meretrix.
BACCHIS meretrix.
CHREMES senex.
CLINIA adolescens.
CLITIPHO adolescens.
DROMO servus.
MENEDEMUS senex.
NUTRIX.
PHRYGIA ancilla.
SOSTRATA matrona.
SYRUS servus.

Ex sententia Daceriæ scena est in pago suburbano. Quam si sequeris, multa loca lucem aliquam in hac fabula inde accipiunt. Veluti act. I. sc. 2. 17. Clitipho dicit patri se servulum misisse in urbem: Syrus III. 3. 26. Clitiphoni ait, *vah, quasi desit locus, abi sane isthac, istorsum, quo vis:* et IV. 4. 9. occurrit *villa*, quæ dicitur proxima *fundo huic*, ubi Bacchis erat, &c. Z.

P. TERENTII

HEAUTONTIMORUMENOS.

Acta ludis Megalensib. L. Cornelio Lentulo, L. Valerio Flacco Ædilib. Curulib. egere L. Ambivius Turpio, L. Attilius Prænestinus. Modos fecit Flaccus Claudi. Græca est Menandru. acta I. tibiis imparibus, deinde duabus dextris. Acta III. M. Juventio, M. Sempronio Coss.

PROLOGUS.

NE cui sit vostrum mirum, cur partis seni
Poeta dederit, quæ sunt adolescentium,
Id primum dicam: deinde, quod veni, eloquar.

1 *Ne cui sit vestrum mirum*] Prologus concitatus: nam et se purgat, et adversarium acriter terret. Actor quoque, ex commodo suo, cur hanc comœdiæ actionem susceperit, causas affert. *Partes seni*] Bene dixit, *partes*: nam quum comœdia quinque actus habeat, erat, ut inquit Pedianus, persona primarum partium, erat et secundarum, et sic reliquarum. Cic. in Divinat. cap. 15. *ut in actoribus Græcis fieri videmus, sæpe illum, qui est secundarum aut tertiarum partium.* Erant igitur partes senum, erant adolescentum. Hinc tractum est, ut dicatur, meæ partes sunt, tuæ partes sunt. *Seni*] Per *senem* intelligit se ipsum, qui jam senio sit confectus. C.

Omnes hæ comœdiæ de Græco translatæ sunt, a Menandro quidem quatuor, duæ ab Apollodoro. Heautontimorumenos Menandri est; cujus prologus partionem tenet, in qua docet, quid in quæstione sit, id ipsum ne populus miraretur, dissolvere. *Ne cui sit vestrum mirum, cur partes seni Poeta dederit, quæ sunt adolescentium*] Duas partes proponit, unam quod contra consuetudinem senex prologus processit in publicum: solet enim istud officium adolescentibus dari. Ergo quoniam contra consuetudinem in prologum persona processit senex, idcirco hanc primam populo vult solvere quæstionem. E.

Contra morem hic Terentius prologi partes Ambivio ipsi, totius gregis domino et jam seni dedit. Etenim ex Ad. prol. 22. et Plaut. Trin. prol. 16. colligitur, prologos ab aliis esse pronunciatos, non ab actoribus, qui primi in scenam veniant, primasque agant partes. B.

Cur partes seni] Prologi ab adolescentibus pronuntiari solebant, statim e scena discedentibus ut fabulam incepturis locum darent; at Terentius hic præter morem prologi partes dedit seni actori Ambivio, qui prologo peracto de scena non discedebat, statim Chremetis partes acturus. Sic locum egregie explicat Bentl. R. D.

3 *Quod veni*] Deest, propter. C.

Deinde, quod veni, eloquar] Altera hæc pars est. Simile autem mihi videtur huic esse principium Divinationis, cap. 1. Namque et illic, quod subito mutata voluntate ad accusandum descenderat, mirum dixit videri, vel judicibus, vel circumstantibus: ac propte-

Ex integra Græca, integram comœdiam
Hodie sum acturus Heautontimorumenon: 5
Duplex quæ ex argumento facta est simplici.
Novam esse ostendi, et quæ esset: nunc qui scripserit,

rea se primum id velle dissolvere. *si quis vestrum, judices, aut eorum qui adsunt, forte miratur.* Vides hic verbum *noverit* semper *(mirum ab Cicerone. Z.)* apponi: ita enim et hic dixit, *ne cui sit vestrum mirum.* Hanc igitur partitionem solvit, uti dicat, *cur partes seni poeta dederit, quæ sunt adolescentium.* Quod primo proposuerat, primo solvit: *oratorem me esse voluit, non prologum. Vestrum judicium fecit, me actorem dedit.* Quod autem dixit, *quod veni, eloquar*, illud est: *nam quod rumores distulerunt malivoli, multas contaminasse Græcas, dum facit paucas Latinas, id esse factum hic non negat.* Ergo ut propositio collocata est, ita etiam solutionis est ordo servatus. Sed nunc ad interpretationem superiorum revertamur. E.

Errant Palmerius et Guyetus, qui, ut sensui consulatur, ordinem hic inverunt, *id dicam deinde; primum quod veni eloquar.* Nam hic prologus non, ut alias, e scena abit, sed statim Chremetis parte agit. Itaque sensus est: *in primum dicam*] Sc. cur poeta mihi, non juveni actori, partes prologi commiserit. *Deinde quod veni eloquar*] H. e. fabulam ipsam, ad quam agendam huc veni, post prologi recitationem, peragam. B.

Quod veni] propter quod, cujus rei causa. R. D.

4 *Ex integra Græca*] Terentius Hecyram et Phormionem ab Apollodoro transtulit, reliquas quatuor a Menandro. C.

Ex integra Græca integram comœdiam sum hodie acturus] Quoniam Andria ex duabus comœdiis videtur esse confecta, quippe illic et Perinthia, et Andria continentur; quod quidem criminis loco adversarius dederat. Ideo hic *ex integra*, inquit, *comœdia integram comœdiam acturus sum*; ne videatur ab altero tacta, aut ipse alteram tetigisse, sed unam comœdiam et integram ad Latinum sermonem interpretatione mutasse. Denique ideo adjecit: *duplex, quæ ex argumento facta est simplici*: ut simplex argumentum sit, duplex comœdia: dum et Latina eadem et Græca est. E.

Ex integra Græca] Glossar. *Integra, id est, a nullo tractata Latinorum. Heautontimorumenon*] Horat. lib. I. Saty. 2. 18.——*vix credere possis Quam sibi non sit amicus: ita ut pater ille Terentii, Fabula quem miserum nato vixisse fugato Inducit, non se pejus cruciaverit, atque hic.* L.

In libri Bembini margine cum per alias comœdias glossemata e Donato adscripta sunt, tum passim in Heautont. multa visuntur, quæ speciem scholiorum Donatiqræ se ferunt: quorum aliqua ponere non gravabimur; ut ad h. l. EX INTEGRA GRÆCA, *a nullo tacta.* FABERUS.

Integra] I. e. quam nemo Latine vertit, nemo tractavit. R. D.

6 In libro Bemb. a manu prima fuit *duplici*, quod postea mutatum est in *simplici*. Quæ lectio quamquam est ceterorum codd. legendum est tamen *simplex quæ ex argumento facta est duplici*, h. e. una fabula, sed argumentum duplex: senes duo, adolescentes duo, amicæ duæ: varii prorsus affectus et eventus, qui tamen arte poetæ sic copulantur, ut una et simplex existat fabula. B.

Duplæ] Tunaq. Faber et Rich. Bentl. verissime legunt *simplex*, quæ ex argumento facta est duplici i. e. una fabula est, sed argumentum duplex, duo senes, duo adolescentes, duæ amicæ. R. D.

7 *Et quæ esset*] Id est, quo nomine vocaretur. C.

Novam esse ostendi] Propterea, cum a Græco tantum dicta est, et Latine nunc acta est. Nunc primum in scenam procedit, ideireo dicitur *nova*, et, quæ es-

Et cuja Græca sit, ni partem maximam
Existimarem scire vostrum, id dicerem.
Nunc, quamobrem has partis didicerim, paucis dabo:
Oratorem esse voluit me, non prologum: 11
Vostrum judicium fecit: me actorem dedit.
Sed hic actor tantum poterit a facundia,

set, supra dixit, *Heautontimorumenon*. E.

Qui scripserit] Sc. latine, Terentius. *Cuja Græca*] Sc. Menandri. Nam etiam Latini scriptores nomen in prologo interdum dicebant: quem alioqui pars magna spectatorum ignoraverit. B.

Qui scripserit] *Qui* sæpe pro *quis* ponitur, tam in interrogatione, quam extra interrogationem. Cicero ad Div. XII. 18. *quo iste nescio qui erumperet.* Philipp. II. 15. *qui locus est, aut tam,* &c. Sic *aliqui* sæpe occurrit pro *aliquis* vid. Duker. ad Flor. I. 18. p. 198. R. D.

8 *Cuja Græca sit*] Antique dictum. C.

Et cuja Græca sit, ni partem maximam existimarem scire vostrum, id dicerem] Duplex hic pronunciatio (*propositio* Z.) est, *qui scripserit, et cuja græca sit, ni partem maximam existimarem scire, id:* ut post inferatur, *nunc quamobrem has partes didicerim paucis dabo.* Illud quod supra positum est, videtur adjectum. Nunc redit ad partitionem supra collatam, cur *partes adolescentium senex sumserit.* E.

10 *Has partes didicerim*] Docet poeta, discit actor, edunt magistri. C.

Didicerim] Ut poetæ, qui fabulas scribunt, eas dicuntur docere, sic actores discere fabulas, quod quisque eorum suas partes ediscit. v. in Hec. prol. 2. v. 6. R. D.

Paucis dabo] Paucis dicam, narrabo. Virgil. ecl. I. 19. *iste Deus qui sit da Tityre nobis.* in Phorm. V. 6. 37. R. D.

11 *Oratorem voluit esse me, non prologum*] Officium *prologi* ante narrationem rei semper est: verum tamen et post principium fabulæ inducitur, ut apud Plautum in milite glorioso, et apud cæteros magnæ auctoritatis veteres poetas. *Oratorem*] Sic in prologo Heautontimorumenon: *orator ad vos venis cum ornatu prologi.* *Oratorem*] *Oratorem* audire oportere jus gentium est. *Oratorem* non licet injuriam pati. Ne igitur patiatur injuriam, non se *prologum*, sed *oratorem* nominat. Et *orator* est qui rogat: *exorator*, qui impetrat. Alibi Terent. *orator ad vos venio, sinite exorator siem.* Et *orator* est, cui causa defendenda mandatur. C.

Oratorem me esse voluit, non prologum] Ut apud vos agerem causam potius, non officio fungerer prologorum. Prologi enim, sicuti jam dictum, aut argumentum narrant, aut poetæ personam commendant, aut audientiam postulant: nunc autem ego apud vos acturus sum causam, et defendam, si quod fuerit forte in Terentium ab adversario, loco criminis intentatum. Ideo enim dixit, *vostrum judicium fecit: me actorem dedit. Sed hic actor tantum poterit a facundia, quantum ille potuit cogitare commode, qui orationem hanc scripsit, quam dicturus sum.* Poeta, inquit, *me actorem* esse voluit, qui tantum in facundia excellit, et prævalet ingenio, quantum et ego qui eandem comœdiam acturus sum, in agendo prævaleo: ita *hic actor*, hoc est, ego, *tantum potero a facundia*, hoc est, non degenerabo ab eo qui cogitavit. E.

Oratorem] Orator est cui causa defendenda mandatur. vid. Don. ad Hec. prol. 2. 1. R. D.

12 *Vestrum judicium fecit*] Vos judices constituit. Liv. XLIII. 116. R. D.

13 *Tantum*] Quasi dicat: actor facundia tantum valebit seu poterit, quan-

Quantum ille potuit cogitare commode,
Qui orationem hanc scripsit, quam dicturus sum.
Nam quod rumores distulerunt malevoli,
Multas contaminasse Græcas, dum fecit
Paucas Latinas: factum hic esse id non negat,
Neque se pigere: et deinde facturum autumat.
Habet bonorum exemplum: quo exemplo sibi

tum Poeta inventione commoda. *A facundia*] Bene *facundia*, non, *eloquentia*. *Facundus* dicitur, qui bene fari potest. *Eloquens*, qui et invenit, et dicit. C.

Ut vanitas tollatur, quæ ab officio prologi abhorret, pro *sed* reponendum censeo *si*, ut sit sensus; dummodo mea facundia, h. e. vox, pronunciatio, gestus poetæ virtutem et industriam possit æquare, quæ expressa est in oratione Chremetis, quam ego postea sum recitaturus. B.

Hic actor] Ego ut infra II. 3. 115. *huic homini* est mihi. talia gestu adjuvantur. R. D.

Poterit a facundia] Tantum valebit eloquentia infra v. 27. *ne plus iniquum possit, quam æquum* oratio. Nepos in Dione c. 3. *Plato apud Dionysia auctoritate potuit*, &c. Præpositio *a* eleganter ponitur pro *quod attinet*. Plaut. in Aulul. II. 2. 9. *haud a pecunia valeo*. Cic. in Bruto c. 66. *mediocriter a doctrina instructus*. vid. Cort. ad Sallust. Jugurt. c. 48. R. D.

14 *Commode*] Bene, pulchre ut in Hec. I. 2. 33. R. D.

16 *Nam quod rumores distulerunt*] Id quod malevoli vitio dant sibi, sibi laudi ascribit: seque exemplo præstantissimorum poetarum defendit, qui idem factitaverunt. *Distulerunt*, divulgaverunt. C.

Nam quod rumores malivoli] Hic jam incipit causam dicere cur venerit, sicut supra diximus, ut purget quæstiones ipsas, et objecta ab adversariis solvat. *Malivoli* autem, quod dixit, vel numero plurali, ut malivoli rumores ipsi: vel singulari, ut sit hujus malivoli, hoc est, Lucii Lanvini. *Distulerunt*, id est, in diversum disseminarunt. E.

Nam quod] Formula transeundi et connectendi. Cic. ad Attic. III. 10. in Adelph. prol. 15. *nam quod isti dicunt malevoli*. R. D.

Rumores distulerunt] Vulgarunt. Suet. in Cæs. c. 33. in Aug. c. 14. vid. Boosius in ind. Nepot. voce *differre*. R. D.

17 *Multas contaminasse*] Hoc est illud quod diximus, quando hic prælocutus est, ut diceret, *ex integra Græca integram comœdiam sum acturus hodie*: ita et hic, hoc sibi crimen dicit objectum, quod Terentius multas Græcas contaminaverit comœdias, dum paucas Latinas facit. Hoc autem crimen Terentius *non negat factum*, sed *sibi licere* demonstrat, et licere scilicet per aliorum exempla. Quemadmodum Tullius dixit: Divin. cap. 2. *adductus sum, judices, fide, misericordia, multorum exemplo bonorum*. Et hic, *habet bonorum exemplum*. E.

Sensus videtur commendare lectionem Faerni, quam Bentleius quoque secutus est, *facit*, pro *fecit*. Z.

18 *Factum hic esse id*] Ms. R. *id esse factum hic*. L.

Lege cum omnibus nostris, et edd. vett. *id esse factum hic non negat*. B.

19 *Autumat*] Opinatur, dicit, censet, C.

Facturum autumat] Facturum dicit et profitetur. E.

Pro *facturum*, corrige *factum iri*, B.

Autumat] Dicit, profitetur. Plaut. in Menæchm. V. 2. 8. *quas si autumem omnes nimis longus sermo fit*. Vellei. Paterc. c. I. 6. R. D.

20 *Habet bonorum exemplum*] Videlicet Plauti, Nævii, Ennii, quos auc-

Licere id facere, quod illi fecerunt, putat.
Tum quod malevolus vetus poeta dictitat;
Repente ad studium hunc se applicasse musicum,
Amicum ingenio fretum, haut natura sua:
Arbitrium vestrum, vestra existumatio
Valebit. quamobrem omnes vos oratos volo,

tores Terentius habebat, ut in prologo Andriæ fatetur: *qui cum hunc accusant, Nævium, Plautum, Ennium accusant: quos hic noster auctores habet.* C.

22 *Tum quod malevolus vetus poeta*] A natura, *malevolus:* a tempore vel invidia, *vetus:* a signo æmulationis, *poeta. Vetus*, plerumque ad laudem refertur, interdum ad vituperationem. *Vetus*, id est, cariosus, et quasi rancidus. *Malevolus*, non criminibus, sed maledictis. C.

Nam quod malivolus vetus dicit] Aliud crimen est, quod objectum nunc proponit. quoniam Lucius Lanvinus dicit, Terentium non peritum artis musicæ, ad comœdias scribendas accessisse, præsumente potius ingenio amicorum, non suo. E.

23 *Hunc musicum*] Videlicet poetam elegantem. *Musicus*, Latine dicitur elegans; ἄμουσος vero Græce, inelegans. *Musicum*] Quinctilianus, Instit. Orat. 1, 10. *nam quis ignorat, musicen, ut de hac primum loquar, tantum illis jam antiquis temporibus non studii modo, verum etiam venerationis habuisse, ut iidem musici et vates et sapientes judicarentur.* Et ille apud Aristophanem (Ἰππ. 188.) dicit. se *musicam* nescire, præter literas. *Musicam* appellat orbem doctrinæ, literas, prima elementa. C.

Studium musicum] Poeticum in Phorm. prol. v. 18. R. D.

24 *Amicum ingenio fretum*] Hoc idem refellit in prologo Adelphorum: *nam quod isti dicunt malevoli, homines nobiles eum adjuvare, assidueque una scribere; quod illi maledictum vehemens esse existimant, eam laudem hic ducit maximam, quum illis placet, qui vobis universis et populo placent. Amicum*] Pro amicorum, videlicet Lælii et Scipionis, quorum amicitia Terentius familiarissime usus est. C.

Lege cum omnibus fere nostris, et edd. vett. *Repente ad studium se applicasse hunc músicum.* B.

Natura] Ingenio Nep. in Alcib. 1. *in uno homine inesse tam diversam naturam.* R. D.

25 *Arbitrium vestrum*] Bene *arbitrum.* Nam *arbiter* dicitur judex, qui totius rei habet arbitrium et facultatem. horum enim arbitrio et judicio comœdia commendari poterat. C.

Arbitrium vestrum, vestra existimatio valebit] Hoc locutionis genus satis mirum est, cum dicit, de hac re vos judicare poteritis, an id quod objicitur nobis, verum sit, Terentius non natura sua fretus, neque ingenio, sed amicorum potius, ad scribendas comœdias accesserit. Est namque rumor, quod (excidit, *quia* Z.) Terentius cum Scipione Africano familiarissimus fuit, semper istas comœdias cogitarit (*compilarit* Z.): hoc igitur prologus nititur solvere. Et quoniam non est erubescendum, tali viro fuisse conjunctum, idcirco minus curat hoc crimen dissolvere: dicit tantummodo, *vestrum judicium est, et vestra existimatio.* E.

Existimatio] Judicium Cic. pro Roscio Amer. c. 16. Sic *existimare* pro *judicare* Cic. ad Div. I. 5. et *existimator* pro *judice.* Cic. in Bruto c. 93. *existimator doctus et intelligens.* v. Gronov. d Liv. IV. 41. R. D.

26 *Quare vos omnes oratos volo*] Hic jam sequitur officium prologi, ut benivolentiam petat: quæ benivolentia et in adversarios odium concitat. quod adjecit: *ne plus iniquum possit quam æquum*

Ne plus iniquum possit, quam æquum oratio.
Facite æqui sitis: date crescendi copiam,
Novarum qui spectandi faciunt copiam,
Sine vitiis: ne ille pro se dictum existumet, 30
Qui nuper fecit servo currenti in via
Decesse populum: cur insano serviat?

oratio. date crescendi copiam novarum rerum, qui spectandi faciunt copiam sine vitiis] Quoniam petitio generaliter fuerat collocata, uti novis poetis faverent auditores: adjecit *novis*. sed qui sine vitiis comœdias dant, illis Lucius Lanvinus novas comœdias profert, sed cum vitio *(convicio)* adjecit, *Ne ille pro se dictum existimet*] Et ne Luscius Lanvinus etiam pro se petitum arbitretur. E.

Valebit] Prisc. lib. VII. L.

Pro *quamobrem*, Bemb. et nostri libri vetustiores recte habent *quare*. B.

27 *Ne plus iniquum possit*] Justam rem petit: quæ quidem, nisi ab injustis, conceditur. C.

28 *Crescendi*] Crescere elegantissime dicitur de hominibus qui famam nominis consequuntur. Cic. pro Rosc. Amar. c. 30. pro Cluent. c. 28. *ut ex invidia senatoria posset crescere*. Virgil. Ecl. VII. 25. vid. interpretes ad Ov. epist. XV. 117. R. D.

29 *Novarum qui spectandi*] Aliquando gerundium in *di* construitur cum genit. alterius generis vel numeri de qua structura v. Perizon. ad Sanctii Minerv. III. 8. p. 443. R. D.

31 *Qui nuper fecit servo currenti*] In hoc notatur adversarius, qui decorum personæ non servaverit. Quid enim magis præter servi decorum, quam ut illi *populus in via decedat, et insano serviat?* C.

Qui nuper fecit servo currenti in via decesse populum] Proponit vitium quod admiserit poeta Luscius Lanvinus: quippe cum omnis comœdia aut errorem teneat ex amatoribus, aut injuriam meretricum, aut suppositionem filiorum, aut aliquid tale, quod ad moralitatem videtur esse conjunctum. Quod tale hic est, cum servus currit, cum populus decedit, quod domino insano obediat servus: ne potius aliena a comœdiis sint, aperte ait ac breviter ea, quæ sunt comœdiarum, explicemus. Omnis comœdia aut amoris habet agnitionem, aut suppositionem amoris *(liberorum* Z.) habet, ut ex Andria, quam quidem in *(ut Andria, in qua quidem* Z.) agnitionem esse cognoscimus: nam cognoscitur Glycerium quia *(cuja)* civis sit. Suppositionem habet, ut apud Plautum qui est Truculentus: militi enim supponitur filius, ut exinde in meretricis affectum arctius et strictius colligetur. Ergo cum videamus hæc esse necessaria in comœdiis teneri, vehementer erravit Lanvinus, qui extra hæc comœdiam instituit: et servum currere, populum per viam discedere, quod insano serviat domino. Unde apertissimum vitium in comœdia reprehendit Terentius. E.

Servo currenti in via] Velut Plautus Amphit. III. 4. Idem Curculion. II. 3. Proprie autem servilis ingenii character, per vias currere. Plautus Poenul. III. 1. 19. *liberos homines per urbem modico magis par est gradu ire: servile esse duco, festinantem currere*. Alexis apud Athenæum. Dipnos. l. 1. Ἐν γὰρ νομίζω τοῦτο τῶν ἀνελευθέρων Εἶναι, τὸ βαδίζειν ἀῤῥύθμως ἐν ταῖς ὁδοῖς. Dio Chrysost. ad Alexandr. pag. 377. Ῥᾴδιους ἐγγὺς οὕτως ὑμᾶν ζῶντας ἐν ἀκολουθείᾳ, καὶ μετὰ πάσης ἀδείας, ἀλλὰ παρ' ἐκείνοις οὐδὲ τὸ δραμεῖν ἐν τῇ πόλει δοκεῖ μέτριον, ἀλλὰ καὶ τῶν ξένων ἐπιτλήττουσι τοῖς ἐκεῖ βαδίζουσι. Inde Severi Imp. dictum: *ingenuum currere, nisi in sacro certamine, non debere*. Ælius Lamprid. in Severo. L.

32 Forte pro *decesse* leg. *dixisse*, ut hoc Lavinio vitio vertatur, quod popu-

De illius peccatis plura dicet, quum dabit
Alias novas, nisi finem maledictis facit.
Adeste æquo animo: date potestatem mihi
Statariam agere ut liceat per silentium;
Ne semper servos currens, iratus senex,
Edax parasitus, sycophanta autem impudens,
Avarus leno, assidue agendi sint mihi,
Clamore summo, cum labore maxumo.
Mea causa causam hanc justam esse animum inducite:

lum in scenam induxerit, cum servo loquentem. Etsi enim in fabulis servus populum alloquatur, seu actor spectatores: nihil tamen ab illis responsi ferunt. B.

Decesse populum] Interpretes frustra se torquent in hanc lectionem explicando. Verissima est Perizonii emendatio *divisse populum*. Nam Terentius Luscio Lavinio vitio vertit quod populum in scena induxerit cum servo loquentem. (Adprobat Bentl.) R. D.

35 *Adeste*] *Adeste*, id est, intenti estote, et auxilium ferte, more advocati, qui clienti adest. *Date potestatem, mihi statariam agere*] Ut liceat ad exitum usque fabulæ perpetuo stare, ne videlicet aliqua turba fiat: ut fieri solet, aut ludis funambuli, aut gladiatorum. tunc enim necesse est relinquere comœdiæ actionem. Et bene dixit *stataria*m. *Agi* enim dicitur fabula, cum recitatur. *Stare* cum placet. Est etiam Comœdiæ quæ dicitur *stataria* aut *motoria*, a statariis actibus vel motoriis. C.

36 *Statariam agere, ut liceat per silentium*] Quidam *stataria*m genus esse putant comœdiæ: alii, in quibus stantes, unde hanc *stataria*m nominant. Mihi enim (*autem* Z.) videtur, *stataria*m *agere ut liceat per silentium*, ideo dixisse, ut perpetuo et stabiliter agatur hæc comœdia, neque populi adversis suffragiis foras pellatur. Ideo adjecit, *ut liceat per silentium*, et subjungit: ne *semper servus currens, iratus senex*, &c. *assidue agendi sint mihi, clamore summo, cum labore maximo*. Hæc autem, quæ nunc nominantur, propria videntur esse personarum. Nam servi officium est *currere*, senis *irasci*: parasitus autem *edax* est, *impudens* sycophanta, leno *avarus* est. ergo sunt hæc propria sermonis, quæ necesse habeo ex necessitate personarum complere. Debetis mihi potius favere, quam adverso suffragio conatus facere. E.

Statariam agere] Sc. fabulam, in qua non sunt magni labores, vehementiores commotiones. Nam ratione commotionum, seu τῶν παθῶν, comœdia, auctore Donato, dicitur vel *stataria*, ubi sedati et leniores dominantur affectus, vel *motoria*, quæ vehementioribus assurgit motibus, vel *mixta*, in qua utrumque illud temperatum est genus. Z.

Statariam] Scilicet fabulam. *Stataria* fabula dicitur, in qua non multi discursus sunt; quæ maxima parte sedatior est et stando agitur, cui opponitur *motoria* quæ multos habet motus et cursus. R. D.

37 *Ne semper servus currens*] Exprimit varias personas, quæ in comœdiis introducuntur, quibus ars comica valde nobilitatur. Inducitur autem *leno perjurus, amator fervidus, servus callidus, et amica illudens, et uxor inhibens, et mater indulgens, et patruus objurgator, et sodalis opitulator, et miles præliator, parasiti edaces, parentes tenaces, et meretrices procaces*. C.

41 *Mea causa causam hanc justam*] Παρομοιασία. C.

Mea causa causam hanc justam in animum inducite, ut aliqua pars laboris

Ut aliqua pars laboris minuatur mihi.
Nam nunc novas qui scribunt, nihil parcunt seni:
Si quæ laboriosa est, ad me curritur:
Sin lenis est, ad alium defertur gregem. 45
In hac est pura oratio. experimini,
In utramque partem ingenium quid possit meum.
Si nunquam avare pretium statui arti meæ,
Et eum esse quæstum in animum induxi maxumum,
Quam maxume servire vestris commodis: 50
Exemplum statuite in me, ut adolescentuli

minuatur mihi] Quantum ad eum, qui comœdiam scribit, pertinet: potuit enim secundum morem ingenio universa complere. Ergo quia hæc pronunciaturus sum, necesse habeo silentium. Ideo, inquit, propter me hanc mihi operam exhibete, ut cum silentio attendatis. E.

Mea causa] Mea causa et elegantius ex usu veterum dicitur quam mei causa. infra V. 5. v. ult. v. Burm. ad Phædr. L. I. 22. 4. R. D.

44 *Si qua laboriosa'st*] Justum etenim est seni in re laboriosa favorem præstare. C.

Si quæ, quod est in Bembino, exigitur a versu. Vulgo habent *si qua*. B.

Si qua] Bentleius metri causa edidit *si quæ*. Promiscue dicitur *si qui* et *si quis*, *si quæ* et *si qua*. v. interpret. ad Cic. ad Attic. IV. 2. *si quæ vis esset facta* et Bentl. ad Hor. epist. II. 6. 10. R. D.

45 *Ad alium gregem*] *Gregem* cum contemtu dixit, alios actores parvi faciens. *Gregem* appellat scenicorum turbam. Plautus in prologo Asinariæ versu 2. *quæ quidem mihi atque vobis res vertat bene, atque huic gregi*. C.

Si lenis, habent Bembinus et alii. B.

Gregem] Grex proprie dicitur de histrionibus in Phorm. prol. v. 33. Petron. c. 80. *grex agit in scena* ubi v. interpr. R. D.

46 *Est pura oratio*] Hoc est, nitida, quæ facile assensum auditorum ineat. C.

In hac pura est oratio] Quoniam sicut (*supra* Z.) dixerat, laboriosas potius comœdias ad se deferri, leves ad alium: ne præjudicium huic comœdiæ fecisse videretur, quod ipse dicit illa aut exinde jam a superiori populo judicare posset (*dicit laboriosam, et ut exinde jam a superioribus populus dijudicare p.* Z.) adjecit, *in hac pura est oratio: experimini in utramque partem ingenium quid possit meum*. Non omnia æqualitas, modo utrumque possunt (*non omnia æquabiliter; modo utrumque possum* Z.) et levia perferre, et gravia complere. Ita ait *in utramque partem*: quoniam semper in asperioribus comprobastis; nunc quoque levioribus nosse (*favere* Z.) debetis. E.

48 *Si nunquam avare pretium statui*] Per hæc verba Terentius demonstrat, quam gravis auctor sit, qui suas comœdias probet. Sic *Horat.* L. II. epistol. I. 81. *et cum respondere coneris, quæ gravis Æsopus, quæ doctus Roscius egit*. C.

49 *Et eum esse quæstum*] Nonnunquam subauditur, *si*, ut sit, *et si eum quæstum*. C.

50 *Servire vestris commodis*] Plus dixit *commodis*, quam si diceret *voluptatibus*. C.

Servire vestris commodis] Facere, quod commoda vestra postulant in Hec. III. 5. 45. R. D.

51 *Ut adolescentuli vobis placere studeant potius quam sibi*] Si mihi nunc honorem per silentium dederitis, facile

Vobis placere studeant potius, quam sibi.

eos *(eo* Z.) adolescentes compelletis, ut vobis placere potius velint, quam sibi: quoniam officium prologorum adolescentes sumunt, multa in comœdiis ipsi acturi sunt, ita *(ut, ita* Z.) factum cum mihi ex hac actione esse cognoverint, facile ipsi laborem hunc capere possint, ut vobis placeant. E.

Adolescentuli] Scilicet histriones, actores sibi placere dicuntur arrogantes et superbi jactatores. Petron. c. 5. ubi vid. Burmann. R. D.

52 *Vobis placere studeant potius, quam sibi*] *Sibi placens αὐθάδης, αὐταλέστατος.* Ut Petron. cap. 126. *nolo tibi tam valde placeas.* Martial. V. 57. *noli tibi, Cinna, placere.* Sic apud Querol. *sibi sufficiens, αὐτάρκης.* L.

ACT. I. SCENA I.

CHREMES. MENEDEMUS.

QUAMQUAM hæc inter nos nuper notitia admodum'st,
Inde adeo quod agrum in proximo hic mercatus es;
Nec rei fere sane amplius quicquam fuit:
Tamen vel virtus tua me, vel vicinitas,

1 *Quamquam hæc inter nos*] Bene ex arte comica senex opitulator inducitur, qui et miseria et tristitia alterius valde commoveatur. Simul amborum senum conjunctio et familiaritas, ad id quod secuturum est, non parum accommoda futura est. Simul exprimitur a poeta mutua miseratio, quæ inter senes esse solet, et oratio senilis prolixa. *Quamquam hæc inter nos*] Exordium est, et oratori congruum. Quod enim exigua notitia, aut nuper incepta, vel nulla consuetudo anteactæ vitæ facere prohibet, id vel virtus, vel propinquitas cogit. C.

Quanquam hæc inter nos] Hæc scena continet injustam accusationem, quod gravis senex de se exigat poenas, defensionemque continet justam: memorat quippe ita se meritum, ut ipse de se exigat poenas. Quare qualitatis esse intelligimus status; et non tam esse accusationem, quam objurgationem. Hujusmodi etenim in auctoribus, qui non apud judicem controversiam dicunt, vim debemus potius intelligere, quam controversiam: non enim judices præsunt. Sed quoniam talis est actio, ut videatur vim controversiæ continere, idcirco status hic est, et secundum istum cuncta dicuntur. Ergo in hac scena status qualitatis est absolutæ, utrum juste fecerit, vel faciat, quod de se senex exigat poenas. Quam rem docet juste fieri, ex eo quod se meritum dicit, propterea quia ipse filium suum, amantem adolescentum more, miserit in militiam duram, sæpius accusando; inde sibi juste imponi has ipsas, quas implet, gravissimas poenas. *Quamquam hæc*] Chremes vicinus, cum conspiceret senem, eundemque olim divitem, graviter laborare, ac tota die in opere consistere vehementer, accedit interrogans: et, ut oportet apud ignotum, longa utitur oratione, simulque sibi etiam quæstionem facit, et quasi ipse sibi respondet. Quo pacto vim ostendit ejus qui interrogat, cum sit ignotus. Aliter enim senem in dolore positum, et calamitatibus pressum, ad loc* *(utionem edet fabulas.* Sic ex Ms. lacunam Lindenbrogii supplevit West. qui recte pro *edet* corrigit, *et ad* Z.) provocare non posset, nisi secum in se interrogans illud ita loqueretur, uti adjiceret quæ ipse respondere potuisset. Ab primo purgat personam: quamvis antea familiaritas nulla fuerit, audeat tamen hodie accedere, et eum alloqui; dicit ergo, quod nimius labor, quem ipse de se exigat ille qui senex et dives est, in se taciturnitatem esse non permiserit, sed potius compulerit ad interrogandum; etiamsi parva amicitia fuisset atque notitia, ex hoc quod vicinum agrum non longe ante mercatus est. E.

3 *Nec rei sane amplius*] Nec aliquid inter nos fuit rei, ex quo facilius jungeremur. E.

4 *Vicinitas*] *Vicinia* non tam homi-

Quod ego in propinquâ parte amicitiæ puto,
Facit, ut te audacter moneam et familiariter;
Quod mihi videre præter ætatem tuam
Facere, et præter quam res te adhortatur tua.
Nam pro deûm atque hominum fidem, quid vis tibi?
Quid quæris? annos sexaginta natus es,
Aut plus eo, ut conjicio. agrum in his regionibus

nes, qui eundem incolunt vicum, significat, quam qui prope domum tuam habitant. *Vicinitas* autem non homines, sed propinquitatem proprie vicinorum. C.

Vel virtus tua me] Quam honesto verbo usus: laborem et calamitatem virtutem potius nominavit* (adde, *quam miseriam et sordes.* Z.) E.

Vel vicinitas] Serv. Eclog. III. 53. L.

Virtus me facit ut moneam] Pro *virtus facit ut ego moneam* cujus constructionis exempla supra dedimus. R. D.

5 *In propinqua parte*] Vicinitas agrorum et domorum, quasi quædam pars amicitiæ est. E.

Sive *amicitiæ* in genitivo accipias, sive dativo, commodum sensum non efficies. Igitur corrigendum puto locum ita: *quod ego esse in aliqua parte a. p.* Certe Eugraphius videtur *aliqua* legisse. B.

Non putaverim emendatione opus, cum commodus efficiatur sensus, si *quod* ad utrumque et virtutem et vicinitatem retuleris, adeo ut hic contineatur causa, cur ob virtutem Menedemi et vicinitatem sustineat facere id, quod alias munus amicitiæ ac familiaritatis soleat esse. Itaque *propinqua pars amicitiæ* videtur esse res, seu munus, quod proxime accedit ad vim, naturam, et officium amicitiæ; res, quæ vicem seu locum tenet amicitiæ. Sic certe Græci dicunt ἐν μέρει τιθέναι. Z.

Leg. *propinqui*. vulgo. *propinqua*, obscure quidem; quod sentiens Be. reponebat: *quod ego esse in aliqua parte*. vide, an nos melius. S. Demosthenes, monente eruditissimo Schneidero in lexico Græco: ἐν μέρει εὐεργεσίας τοῦτ' ἀριθμήσει, in parte beneficii hoc numerabit, i. e. beneficium hoc existimabit. bene autem amicitiæ propinquum dicitur vicinitas. literæ A et I passim permutantur inter se in Mss. Bo.

6 *Audacter moneam et familiariter*] *Audacter*, quod quædam dicturus est, veluti accusans: *familiariter*, quod ita accedit, quasi ex notitia præterita. E.

7 *Quod mihi videre, &c.*] Ipse partitionem suam persequitur: nam propter ætatem hic subjungit: *annos sexaginta natus es, aut plus eo, ut conjicio; agrum in his regionibus meliorem, neque pretii majoris, nemo habet. Meliorem* ad usum refert: *pretii majoris*, ad opinionem populi de ipso agro. E.

9 *Nam pro deum atque hominum fidem!*] Exclamatio vehemens est in eum, qui et senex et dives continuo se labore defatiget, et eo magis Chremes admiratur hujus laborem, nondum intellecta causa. C.

Conjunctio *aut*, post *fidem*, abest a melioribus libris. B.

11 *Ut conjicio*] Id est, conjecturam capio. Hinc conjectura dicta est a *conjectu*, id est, a directione quadam rationis ad veritatem. Unde etiam sommiorum atque ominum interpretes, *conjectores* vocamus. C.

Agrum in his regionibus] Servius Æneid. 2. L.

Deleo, *eo*, et lege, *aut plus, ut conjicio*. B.

Plus eo] Supplendum *tempore*. Liv. XXVII. 50. *per omnes dies ex quo*. XXXIV. 26. *per aliquot ætates, ex quo* II. in Hec. III. 4. 7. R. D.

Meliorem, neque preti majoris nemo habet;
Servos complureis: proinde quasi nemo siet,
Ita tute attente illorum officia fungere.
Nunquam tam mane egredior, neque tam vesperi
Domum revertor, quin te in fundo conspicer
Fodere, aut arare, aut aliquid ferre: denique

12 *Nemo*] Pro quisquam. C.

Agrum pretii majoris] Sic Cic. ad Div. XIII. 77. dixit *bibliothecam multorum nummorum.* Salust. in Jugurtha c. 85. *hominem multarum imaginum* ubi v. Cortium. R. D.

13 Lege vel cum Guyeto, *servi complures*, vel *servos non plures*, ut adeo particula *non* eodem dicatur modo, quo ante *neque*. Certe vulgaris lectio locum non habet, quia *complures* vim gradus comparativi non habet, qui a sensu exigitur. B.

Proinde quasi] *Proinde* ponitur pro *perinde* v. not. ad Rutil. Lup. I. 31. ea particula hic jungitur cum *quasi* ut in Phorm. II. 3. 35. jungitur. esque ut *et*, *ac* Nep. in Lysandro c. 2. v. Manut. ad Cic. ad Div. XI. 28. et Græv. ad X. 24. R. D.

14 *Tute illorum officia fungere*] Nunc dicimus *officiis fungeris*. *Fungor* idem est quod officium munusque ago: ut, *fungor magistratu*, *fungor legatione*. C.

Omnes nostri male, *ita attente tute*. B.

Fungere] Fungi more antiquo scribitur cum accus. in Adelph. III. 4. 18. R. D.

15 *Nunquam*] Deest nam. *Tam mane*] Modo adverbium: alibi nomen videtur: ut Virg. Georg. III. 325. *jam mane novum.* Pers. Sat. III. 1. *jam clarum mane fenestras intrat*. C.

Nunquam tam mane, &c.] Hic est labor ille qui fit plurimus, quo cotidie . . . (*in alio*, addit Ms.) labore constitutus, quod *aut fodere* invenitur, *aut aliquid facere*. E.

Vesperi] Pro *vespere* a nom. *vesper*, v. Vossium de analog. I. 31. R. D.

16 *Quin te in fundo conspicer*] *Quin*, pro quod non, hoc in loco: alias pro cur non, pro etiam, pro quare, ponitur. *In fundo*] Superius dixit, *agrum in proximo hic mercatus es*. *Fundus* enim ab agro continetur. De quo Cicero in quodam joculari libello, *fundum vero* (leg. *Varro*) *vocat, quem possit mittere funda, Ni lapis exciderit, qua cava funda patet*. C.

17 *Denique nullum remittis*] *Nullum remittis*, ad illud pertinet quod dicit, *nunquam tam mane egredior, neque tam vesperi domum revertor*. E.

Fodere aut arare] Sic Varro de re Rustica lib. I. cap. 31. *vineas novellas fodere aut arare*. Tangit autem hunc locum Terentii Cicero de Finib. initio. lib. I. *etenim si delectamur, cum scribimus; quis est tam invidus, qui ab eo nos abducat? sin laboramus: quis est, qui alienæ modum statuat industriæ? nam, ut Terentianus Chremes non inhumanus, qui novum vicinum non vult fodere, aut arare, aut aliquid facere denique. Non enim illum ab industria, sed ab illiberali labore deterret: sic isti curiosi, quos offendit noster minime nobis injucundus labor*. Vid. Priscian. lib. IIX. L.

Etsi Bentleius lectionem *aut aliquid facere denique*, quam reperit in uno cod. et vett. edd. et quæ a Donato ad Phorm. I. 2. 71. est expressa, sensus gratia præferendam putat: vulgaris tamen lectio, cum et Ciceronis auctoritate de Fin. I. 1. et sensus præstantia comprobetur, haud dubie retineri debet. Nam ferre aliquid, seu gestare laboribus rusticis probe convenit. Cæterum post *denique* interpungendum est. Nam Terentius hanc particulam solet in fine

Nullum remittis tempus; neque te respicis.
Hæc non voluptati tibi esse, satis certo scio:
At enim dices, quantum hic operis fiat, pœnitet.
Quod in opere faciundo operæ consumis tuæ,
Si sumas in illis exercendis, plus agas.
M. Chreme, tantumne est ab re tua otii tibi,

sententiæ ponere ut Phorm. I. I. et Eun. I. 2. 78. Z.

Aliquid ferre] Aliquid ponitur pro *aliud quod* Ovid. epist. XII. 82. *et si forte aliquos gens habet ista Deos.* v. Oudendorp. ad Suet. Tiber. c. 47. Pro *ferre* recte Bentl. ex libris antiquis revocavit *facere*. R. D.

18 *Remittis, neque te respicis*] Nihil significantius de eo qui nihil sibi parcit, nec sui miseretur. Nam qui aliis *remittit* aliquid, id est condonat, is est facilis et mitis naturæ. C.

Neque te respicis] Ad illud, vel quod senex est, vel quod dives. E.

Neque te respicis] I. e. nullam tui rationem habes. in Phorm. II. 3. 87. Cic. ad Div. X. 24. ubi v. Græv. Quintil. declamat. IX. c. 5. dixit *facere aliquid sine suo respectu*. R. D.

20 *At enim dices*] Anthypophoræ respondet. *Pœnitet*] Id est, parum videtur. *Pœnitet* enim eum qui parum putat. Alibi Terent. *Nostri nosmet pœnitet*. Virgil. in Bucol. II. 34. *nec te pœniteat calamo trivisse labellum*. Cicero ad filium Off. I. 1. *quoad te, quantum proficias, non pœnitebit*. C.

At enim dices] Optima, ut diximus, ratione, ipsi sibi quæstionem facit, et utitur respondentis ratione, ut eum provocare possit ad loquendum, qui frequenter pressus dolore conticescit. *Sed dices mihi*, inquit, *pœnitet me, quantum hic operis fiat*: cui respondet, tanquam hoc sibi propositum sit: *sed in opere faciendo quod consumis, si id consumas in exercendis servis, plus agas*. E.

Lege cum Mureto *at enim me, quantum hic operis fiat, pœnitet*. Nam præterquam quod *dices* sensum turbat, et in codd. incertam habet sedem, nec Servius ad Eclog. II. 34. et Æn. I. 552. ubi *pœnitet* explicatur per *parum videtur*, illud verbum legit. B.

At enim me, &c.] Hoc dolet mihi, tam parum operis rustici fieri. Nam dum tu aras, fodis, servi cessant. v. Bentlei. ad h. l. et notata ad Eunuch. V. 7. 12. R. D.

21 *Quod in opere faciundo*] *Opera* est actio, et persona ipsa quæ opus peragit. *Opus*, finis est et fructus operæ. Nonnunquam *opus* pro *opera* videtur accipi. Virgil. Æn. VIII. 415. *mollibus e stratis opera ad fabrilia surgit*. C.

22 *In illis exercendis*] Qui aliis præest, ut paterfamilias, aut imperator, plus efficit sua adhortatione quam opera. C.

Exercendis] *Exercere* est nullum quiescendi tempus dare. Virg. Georg. I. 210. in Ad. IV. 2. 48. v. Schulting, ad Sen. controvers. II. p. 129. R. D.

23 *Tantumne est ab re tua otii tibi*] *Difficilis*, ut inquit Cicero Officiis 1. 9. *est cura rerum alienarum. Nam ea magis percipimus atque sentimus, quæ nobis ipsis, aut prospera, aut adversa eveniunt, quam illa, quæ cæteris: quæ quasi longo intervallo interjecto videmus: aliter de illis, ac de nobis, judicamus. Ab re tua*] Id est, a negotiis tuis familiaribus. Dicitur etiam *ab re tua*, contra utilitatem tuam. sicut *e re tua*, et *e republica*: id est pro re tua, et pro republica. C.

Tantumne est ab re] Bene tanquam alienum alloquitur Menedemus, ut illi et otium esse dicat, et tantum otium, a rebus suis, *ut aliena curet, et ea quæ ad se nihil attinent*. E.

Tantumne est ab re tua] Augustin. Epist. 51. *hinc et ille comicus, (sicut luculentis ingeniis non defit resplendentia veritatis) cum ab uno sene alteri seni dictum componeret: Tantumne ab re tua*

Aliena ut cures; eaque, nihil quæ ad te attinent?
C. Homo sum: humani nihil a me alienum puto. 25
Vel me monere hoc, vel percontari puta,
Rectum'st, ego ut faciam: non est, te ut deterream.

est otii tibi, aliena ut cures, eaque quæ nihil ad te attinent? Responsum ab altero reddidit: homo sum, humani nihil a me alienum puto. Cui sententiæ ferunt etiam theatra tota, plena stultis indoctisque, applaudisse. L.

Colloca, *ab re tua'st.* Nam sic est non modo apud Cic. lib. XII. ad Atticum, sed et in Bemb. et aliis codd. B.

24 *Eaque nihil quæ*] V. C. *ea quæ nihil ad te.* Menander: Ἃ μὴ προσῆκεν, μήτ' ἄκουε, μήτ' ὅρα. L.

Omnes nostri cum codd. vett. habent, *ea quæ nihil ad te adtinent.* B.

25 *Homo sum: humani a me nihil alienum puto*] Hoc ex Platonis sententia, qui inquit: *orbis nostri partem patriam vendicare, partem amicos.* Et ut Stoïcis placet, *quæ in terris gignuntur, ad usum hominum omnia creantur.* Homines autem hominum causa generantur, ut ipsi inter se alii aliis prodesse possint. C.

Homo sum; humani] Cicero lib. I. de Legib. *quod si quomodo est natura, sic judicio homines humani, ut ait poeta, nihil a se alienum putarent.* Idem lib. de Officiis I. 9. *difficilis cura rerum alienarum: quamquam Terentianus ille Chremes humani nihil a se alienum putat.* Seneca Epist. 95. *iste versus et in pectore et in ore sit,* homo sum, humani nihil a me alienum puto. Ambrosius de officiis lib. 3. cap. 6. *homo nihil alienum a se debet credere, quidquid humanum est.* Fortius Paulin. ep. 31. *non enim sibi habentes habebant, sed nemo quicquam dicebat suum, et humani nihil a se alienum putabant.* Johan. Sarisber. Epist. 197. *amentis est, non amantis, se et sua curare dimittere, quæ alienum sunt ducere aliena. Humanum, teste comico, nihil caritas a se reputat alienum.* Idem Epist. 229. L.

Humanum hic non ad errores et peccata esse detorquendum, qui est error vulgaris, sed de sensu, qui vel ex malo vel bono quod alteri evenit, percipiatur, et omnino de cura alienarum rerum, intelligendum, quæ est vera Ciceronis interpretatio, eudem ostendit Lindenbrogius. Cæterum Dacerius ex loco quodam Augustini commemorat, hunc versum, cum recitaretur, spectatoribus tantopere placuisse, ut universum theatrum plauderet. Z.

Homo sum, &c.] Significat Chremes, se hominem esse, et quia natura cognationem quandam inter homines constituit, aliorum etiam hominum malis affici. Hunc verum loci sensum esse non modo contextus docet, sed etiam Cicero de Offic. I. 9. ubi v. Græv. At qui hodie Latine scribunt hoc loco ineptissime utuntur velut proverbio ad errorem vel suum vel aliorum excusandum. v. quæ diximus ad Rutilium Lupum II. 114. R. D.

26 *Percontari*] Id est interrogare. *Percontari* suapte natura ad finem spectat cognoscendi. Interrogamus, noscendi gratia: *percontamur* vero, arguendi: quamvis tamen utroque indifferenter utamur. C.

Vel me monere hoc, vel percontari] *Monere*, si sciam quod faciat (*faciam* Z.): *percontari* si nescit (*nesciam* Z.) E.

27 *Rectum'st, ego ut faciam*] Ad superiora pertinet sensus, ut intelligi possit: *vel percontari puta, si rectum est;* ideo quæro ut faciam; si non est rectum, ut te deterream. E.

Per interrogationem pronuntiata; *rectum'st? ego ut faciam. non est? te,* &c. Hoc enim est, quod *percontari* dixit. E.

Rectum est, &c.] Hunc locum ita legit et interpungit Bentl. *rectum est? ego ut faciam non est? te ut deterream.* R. D.

Deterream] In verbo *deterrere* non

M. Mihi sic est usus: tibi ut opus facto'st, face.
C. An cuiquam est usus homini, se ut cruciet? M. Mihi.
C. Si quid laboris est, nollem: sed quid istuc mali est,
Quæso? quid de te tantum meruisti? M. Eheu.
C. Ne lacruma; atque istuc, quicquid est, fac me ut sciam:
Ne retice: ne verere: crede, inquam, mihi,
Aut consolando, aut consilio, aut re juvero.
M. Scire hoc vis? C. Hac quidem causa, qua dixi tibi.

semper est significatio terroris aut minarum, sed sæpe notat *dehortari, dissuadere* in Ad. I. 2. 64. Cic. ad Div. I. 7. *ego te a dimicatione deterreo.* v. Broukhus. ad Tibull. I. 3. 13. R. D.

28 *Usus*] Modo opus significat: alias utile: ut, opus est facto, pro facere. Sic Sallust. Bello Catil. I. *nam et priusquam incipias, consulto, et ubi consulueris, mature facto opus est.* Ponitur igitur hic ablativus participii præteriti temporis pro infinitivo; sicut ibi *consulto*; i. e. consulere, et *facto*, i. e. facere. C.

Mihi est usus] Mihi sic expedit. E.

Mihi sic est usus] I. e. mihi sic utile est, mihi sic opus est. Plaut. in Amphitr. I. 3. 7. Ter. in Hec. III. 1. 47. v. Lambin. ad Lucret. I. 185. et Perizon. ad Sanctii Minerv. IV. 15. p. 796. R. D.

29 *Mihi*] Non repugnat sententiæ Chremetis, sed se solum meruisse dicit ut crucietur. C.

30 Etsi versus, uti in omnibus codd. reperitur, laborat metro: is tamen cum Guyeto non tanquam spurius et Terentio indignus est expungendus. Sed emenda vel, *si quid laboris est*: vel, quod magis placet, *si quid laboris, nollem*, &c. Nam sequitur, *quid mali*. B.

Quid laboris] *Labor* sæpe est grave incommodum, miseria. Virgil. Æn. I. 242. Justin. XII. 8. in Andr. IV. 3. 5. v. Bentl. ad h. l. R. D.

31 *De te meruisti*] Dicimus autem *mereo* et *mereor*. *Mereor de te*, est aliquid in te confero vel bonum, vel malum. C.

Ut hianti versui succurras, pro *eheu* corrige *oiei*. Vide ad Enn. IV. 4. 47. B.

Quid de te tantum meruisti] I. e. quid admisisti ut tantas a te poenas sumas. v. infra v. 40. et 95. R. D.

33 *Ne retice*] Bene *retice*: nam *reticemus* dolores: *obticemus* pudenda: *tacemus* secreta. ut, Æn. II. 94. *nec taci demens*. In Eunucho, *virgo conscissa veste lacrumans obticet*. C.

Post *crede mihi*, h. e, comitte mihi id secretum, quod retices, interpunctione majori est opus. B.

34 *Aut consolando, aut consilio, aut re juvero*] His tribus adhibitis, quid amplius in vera amicitia exoptandum? C.

Aut consolando, aut consilio, &c.] Apponit causas, cur aliena incommoda queri (*quærere* Z.) videatur. Hoc enim quod interrogo, proderit tibi * (supple e Ms. *aut enim grande malum, et consolatione te adjuvero, si subveniri potest.* RE ADJUVERO) ita boni amici ordinem custodivit, ut crederet se aliquo modo prodesse. * (Quæ hinc sequuntur usque ad vers. 47. hausta sunt e cod. quo Westerh. est usus. Z.) E.

35 *Hac quidem causa, qua dixi tibi*] Quum Menedemus tantum illud posu-

M. Dicetur. C. Istos rastros interea tamen
Adpone: ne labora. M. Minime. C. Quam rem agis?
M. Sine, vacivom tempus ne quod dem mihi
Laboris. C. Non sinam, inquam. M. Ah, non æquom facis.
C. Hui, tam gravis hos, quæso? M. Sic meritum'st meum.
C. Nunc loquere. M. Filium unicum adolescentulum
Habeo. ah, quid dixi, habere me? imo habui, Chreme:
Nunc habeam, necne, incertum'st. C. Quid ita istuc? M. Scies.

erat, uti diceret, *scire hoc vis?* ille continuo repudiaret ad (*repudiavit hanc* Z.) causam, uti diceret, non rem scire cupio, sed hac causa scire cupio, qua dixi, ut aut consolari te possim, aut consilio, aut re adjuvare possim. E.

Qua dixi] Pro *quam dixi* qui elegantissimus Græcismus est. Horat. Serm. I. 6. 15. ubi plura Bentl. R. D.

36 *At istos rastros*] Dicimus *rastrum* in singulari et *rastri* in plurali. Dicti autem sunt a *radendo*, quod terram radant. C.

Istos] V. C. et Ms. R. *at istos*. L.

Omnium Faerni et nostrorum codd. consensu leg. *at istros rastros*. Deinde in versu sequenti meliores codd. habent *adpone*, h. e. *depone*, quod in quibusdam reperitur. B.

37 *Depone*] In tempore. *Ne labora*] Id est, noli te vexare, aut te ita labore conficere. Interdum *ne labora* significat, ne cura, noli curare. C.

Vulgo, inprimis ob verbum *labora*, opinantur, Menedemum rastris opus fecisse in præsentia. Sed valde placet Dacerise sententia, quæ ait, illum ex agro redeuntem vesperi hic rastros humeris gestare. Nam præter picturam, quæ in cod. reg. Menedemum gestantem exhibet, sequentia quoque illam sententiam comprobant. Nam Menedemus quamquam negat, se laborem fugere et sibi parcere posse, tamen non pergit *opus facere*, sed *ire*, ut Chremes solus relinquatur. *Laborare*, ut Gr. πονεῖν, sign. sibi non parcere, se non respicere, dolere animo, aut duriter se habere. Certe *labor* in versu 30. non de opere faciendo intelligi debet, sed de ægritudine, seu de causa summæ ægritudinis. Denique Chremes in versu 17. dicens *ferre*, videtur hos ipsos rastros significare. Z.

Adpone] I. e. ad pedes pone. Plaut. in Pœnulo IV. 2. 35. alii editi habent *depone* quod idem est. R. D.

Quam rem agis] I. e. quid tibi vis, ut alibi loquitur. infra IV. 4. 18. De formula v. Bentl. ad Hor. Serm. II. 6. 29. R. D.

38 *Sine, vacivom*] Ms. R. *sine me, vac.* L.

Leg. *Sine me, vacivom*, &c. Certe *vacuum*, quod vulgo legunt. repugnat versui. B.

39 *Non sinam, inquam*] Hæc magis gestu exprimuntur. C.

40 *Hui, tam graves*] Aposiopesis: et admiratio ponderis rastrorum, quibus senex utitur. *Hui*] Miserantis exclamatio est. C.

Tam graves] Nempe in opere rustico faciendo valida et ponderosa instrumenta adhibebantur. Tibull. II. 3. 6. ubi v. Broukhus. R. D.

41 *Filium ego adolescentulum habeo*] Hic narratio incipit, cur se senex puniat. E.

Est e Corintho hic advena anus paupercula:
Ejus filiam ille amare cœpit perdite,
Prope jam ut pro uxore haberet: hæc olim meo omnia.
Ubi rem rescivi, cœpi non humanitus,
Neque ut animum decuit ægrotum adolescentuli,
Tractare: sed vi, et via pervolgata patrum.
Quotidie accusabam; hem, tibine hæc diutius
Licere speras facere me vivo patre,
Amicam ut habeas prope jam in uxoris loco?
Erras, si id credis, et me ignoras, Chinia.
Ego te meum esse dici tantisper volo,

44 *Est e Corintho hic advena anus paupercula*] Et hæc narratio est ad personam declarandam ejus mulieris, quæ puellam tulit illam, quæ Chremetis filia est. Quæ nunc posita narratio ad illam superiorem conjungitur et adnectitur? E.

45 *Perdite*] Bene *perdite*. Nam *perditus* est, qui in omne scelus est traditus. *Perdite*] Adverbium, i. e. misere et nimis vehementer, et in perditionem morum suorum. C.

Cœpit perdite] Ms. R. *virginem*. L. Pro *perdite*, probanda est lectio codd. quorundam, *virginem*. Certe est nomen honestius, et tollit suspicionem vitæ meretriciæ. B.

Perdite] I. e. vehementer. in Phorm. I. 2. 32. R. D.

47 *Cœpi non humanitus*] Hic jam se arguit, quod juste de se exigat pœnas: siquidem, cum animadvertisset filium amare mulierem, non humano modo, neque uti decuit, adolescentuli animum sic tractavit, sed aperte vi et more patrum cotidie accusavit. Subjungit deinde allocutionem, qua usus est cum accusaret filium: *ego te meum tantisper dici volo, dum quod te dignum est facies.* Dici te filium meum tam diu volo, quam diu facis quod te dignum est. Sin autem non feceris, ego inveniam quod in te dignum sit facere. E.

Ubi rem] Ms. R. *ubi id*. *Humanitus*] φιλανθρώπως. Diomed. libr. I. L. Plerique nostri *ubi id rescivi*. B.

Non humanitus] I. e. non more humano, non clementer Rutil. Lup. II. 85. ubi v. quæ annotavimus. R. D.

48 *Animum ægrotum*] Pro *ægro* dixit. Nam animus, *æger*: corpus vero, *ægrotum* dicitur. Non tamen inconvenienter id quod corpori appropriatur, attribuit animo. provenit enim menti vel animo ægritudo ex carnis lascivia. C.

49 *Et via pervolgata patrum*] Patres bonis institutis, aliorum exemplis, nonnunquam minis, filios ad virtutem adhortantur. C.

Via hic est monosyllabon, ut Hec, I. 1. 16. B.

Via pervulgata] I. e. usitata ratione agendi Propert. I. 1. 18. R. D.

50 *Hem tibine hæc*] Interjectio indignantis. C.

53 *Erras si id credis*] Eadem formula apud Petron. c. 94. *erras si putas*. R. D.

54 *Tantisper volo*] *Tantisper* postulat post se *dum*, pro donec sive quamdiu. Cicero de Invent. II. 50. *in carcere custus, ut ibi esset tantisper, dum culeus, in quem dejectus deferretur, compararetur*. Sunt qui accipiant *tantisper*, pro tantummodo: sunt qui pro interea. Livius lib. I. 3. ab urb. cond. *tamen id imperium ei ad puberem ætá-*

Dum, quod te dignum'st, facies: sed si id non facis,
Ego, quod me in te sit facere dignum, invenero.
Nulla adeo ex re istuc fit, nisi ex nimio otio.
Ego istuc ætatis, non amori operam dabam,
Sed in Asiam hinc abii propter pauperiem; atque ibi
Simul rem, et gloriam armis belli repperi. 60
Postremo adeo res rediit: adolescentulus
Sæpe eadem, et graviter audiendo, victus est.
Putavit me et ætate, et benevolentia
Plus scire et providere, quam se ipsum sibi:

tem incolume mansit, tantisper tutela muliebri. Et *tantisper* sine *dum* usus est. C.

Ego te meum esse] Multa hic efficta ad Plaut. Mercatorem I. 1. 49. ut illud, —*interdum mihi se colloqui, abnuere, negitare adeo me natum suum.* Et mox post vers. 62. *Non, ut ego, amori neque desidiæ in otio operam dedisse.* Quod geminum cum illo Terentii, *ego istuc ætatis*, &c. L.

57 *Otio*] Id est, cessatione et requie ab operibus. *Diuturna quies vitiis alimenta ministrat.* C.

Ne *nimio*, quod præcipuam emphasin habere oportet, in Thesi occultetur, repone, *nisi nimio ex otio.* B.

58 *Ego istuc ætatis*] Id est, cum essem ea ætate, qua tu es. Dicit eodem modo Cicero in epistolis, *id ætatis*, pro, ea ætate. *Non amori operam dabam*] Bene senex juxta Horatii præceptum, Art. Poet. 173. *laudator temporis acti* inducitur. C.

Istuc ætatis] Pro *cum ea essem ætate.* Sic sæpe veteres eleganter loquuntur. Liv. X. 24. *id ætatis* ubiv. Drakenb. R. D.

59 *In Asiam*] Quæ est tertia pars orbis, et provincia in ea parte ejusdem nominis. *Propter pauperiem*] Quia unusquisque cupit pauperiem fugere, tanquam magnum malum, ut inquit Horatius. *Propter pauperiem*] *Paupertas* est mediocrium, *pauperies* mendicorum. C.

60 *Rem et gloriam*] Hæc duo potissimum a militibus strenuis comparantur. *Res* tria notat, imperium sive divitas, litem, et Venerem. *Armis repperi*] Alii codices non habent cum armis belli, et tunc armis belli intelligatur, i. e. per præclara gesta, quæ gessi in bello. C.

Simul et rem, et gloriam] Ut uno tempore militiæ labore proprio, et fortunas reperirem et dignitates. E.

Belli] Pro *in bello* construitur ut *militiæ* pro *in militia* in Ad. III. 4. 49. v. Drakenb. ad Liv. I. 34. R. D.

61 *Adeo res rediit*] Pro *eo res rediit.* Sic et in Phorm. I. 2. 5. R. D.

62 *Audiendo*] Scilicet sæpe eadem convicia et probra. *Victus est*] A proposito malo amoris deflexus. Et ita laudat filium, qui in malo non fuerit pertinax, ut multi sunt. *Victus est*] Non cessit aut paruit, sed, quod est oppressi, victus est. C.

Sæpe eadem, et graviter] His onerat causam suam, quod frequenter dixerit, et graviter. Tandem adolescens victus discesserit in militiam. E.

63 *Putavit me*] Clementissimus pater filium laudat, quod non pertinax in malis, ut multi, fuerit. C.

Etsi Bembinus videtur habere *sapientia:* tamen et codd. fide, et sensu probatur *benevolentia.* Nam ut *plus scire* refertur ad *ætatem*, ita *providere* ad *benevolentiam.* B.

In Asiam ad regem militatum abiit, Chreme.
C. Quid ais? M. Clam me est profectus; mensis tris abest.
C. Ambo accusandi: et si illud inceptum, tamen
Animi est pudentis signum, et non instrenui.
M. Ubi comperi ex iis, qui ei fuere conscii,
Domum revertor mœstus, atque animo fere
Perturbato, atque incerto præ ægritudine:
Assido; accurrunt servi; soccos detrahunt:

65 *In Asiam ad regem militatum*] Singula in pronunciatione sunt collocanda. (elevanda Z.) Nam *in Asiam*, quod dixit, intelligere debemus in longinquum locum. *Ad regem* vero hoc est, quasi ad servitutem. *In militiam*, ubi scilicet durus labor et periculum est. E.

In Asiam ad regem] Etiamsi Daceriæ concedamus, Menandrum vixisse temporibus Seleuci regis: non tamen reprehendi possunt, qui ob usum loquendi, regem Persarum intelligunt. Nam sæpe argumentum fabularum petitur ex historia antiquiori. Z.

66 *Clam me est profectus*] Hic curavit quod facile illi poterat opponi: cur ergo non, cum eum videres proficisci, *(adde, *retinuisti?*) *Menses tres abest*] Hic dolorem suum exprimit, temporis longinquitate. E.

Magis animus paternus et affectus exprimitur, si legeris, *et profectus*: quam si cum Faerno deleveris *est*. B.

67 *Ambo accusandi*] Nec dum tota exposita est (deest, *causa* Z.) idcirco æqualem partem accusationis suæ posuit Chremes, quod dixit, *ambo accusandi*. Quamquam inclinavit ut adolescentem defendere videatur, cum inquit, *etsi illud inceptum* videtur esse *prudentis animi signum*, et non minus obsequentis. Hoc est enim quod dixit, *non instrenui*. E.

69 *Ubi comperi*] Hæc oratio tota pathetica est. Et bene *comperi*, compertum est mihi, et exploratum; idem est quod scio per investigationem. C.

Nostri omnes, *qui fuere ei conscii*. Recte. Quippe trochæus in illa sede ne Græcis quidem ipsis placet. B.

71 *Atque incerto*] Fracto, ut dicimus. Certo animo, id est, forti et firmo. C.

Omnes nostri, præter unum, habent *contŭrbato*, quod plus est quam *perturbato*, deinde cum *incertus præ ægritudine*, h. e. dubius, quid faciat, utrum ægritudini se dedat, an iræ potius indulgeat ac vindictæ, non satis commodum efficiat sensum: forte leg. *inerti*, h. e. omnis consilii experti, stupenti. Præsertim cum in cod. C. C. C. a manu prima ita legatur, et in vet. cod. acad. *incerti* inveniatur. B.

72 *Assideo*] Id est, juxta aliquid sedeo. Nam componitur ex *ad*, quod est, juxta, et *sedeo*. Vel compositum pro simplici. *Assideo*] *Sedemus* desidia. ut, Virg. Æn. XII. 15. *sedeant spectentque Latini*. *Residemus* otio. ut, Virg. Æn. I. 722. *jam pridem resides animos*. *Præsidemus* rei commissæ, ut provinciæ. *Assidemus* in re, quam frequenter agitamus. *Accurrunt servi*] Tale illud in Andria, *accurrit: mediam mulierem amplectitur*. *Soccos detrahunt*] *Soccus* calcei genus est, dictus, ut aliqui volunt, quasi *saccus*, quia calcationi sit facilis, quas pedithecas vocant. Eo autem calceamento comœdiarum actores utebantur, quemadmodum *cothurno* tragœdi. Usque adeo, ut pro stilo comico poni possit, quemadmodum cothurnus pro stilo tragico. C.

Soccos detrahunt] Dixi jam comœ-

Video alios festinare, lectos sternere,
Cœnam apparare: pro se quisque sedulo
Faciebat, quo illam mihi lenirent miseriam.
Ubi video hæc, cœpi cogitare: Hem, tot meæ
Solius solliciti sunt causa, ut me unum expleant?
Ancillæ tot me vestiant? sumtus domi
Tantos ego solus faciam? sed gnatum unicum,
Quem pariter uti his decuit, aut etiam amplius,
Quod illa ætas magis ad hæc utenda idonea'st,
Eum ego hinc ejeci miserum injustitia mea.
Malo quidem me dignum quovis deputem,
Si id faciam. nam usque dum ille vitam illam colet

dius istas esse pallistas, hoc est, ibi (*ubi*) personæ sunt Græcæ. Ideo ergo dixit, *soccos detrahunt* (scholia, quæ inde usque ad vers. 89. sequuntur, Westerh. supplevit ex codd. Z.) B.

Soccos detrahunt] Diomed. libr. I. Ll.

73 *Lectos sternere*] Ex consuetudine antiqua: lectulis enim stratis antiqui cœnitabant. Unde trielinium a tribus lectis dictum. Horat. Serm. I. 4. *sepe tribus lectis videas cœnare quaternos.* Terent. in Adelph. *lectulos iligneos dedit faciendos in sole, ubi potetis vos.* C.

Si videt, cur versu abhinc tertio narrat, *ubi video?* Itaque pro *video* reponendum esse censeo *inde.* B.

74 *Cœnam apparare*] Nihil significantius de sene dicere potuit, qui voluptates et commoda, quæ aspernatus gratia filii narrat. Nam *apparare* est ad dignitatem quandam ac verius pompam. *Præparare* vero, est quæ utilia sunt, aut fore creduntur. C.

Pro se quisque] Plautus Amphitr. I. 1. 76. *pro se quisque, id quod quisque potest ac valet, edit, ferit.* Ovid. Metam. III. 642. *pro se quisque timet.* quomodo etiam Livius loqui amat. L.

Pro se quisque] I. e. quisque quantum poterat. Cic. Verr. I. 27. v. Lang. ad Cic. de Offic. III. 14. *Quisque* etiam ut collectivum recte jungitur plurali. v. Fabric. ad h. l. et Drakenb. ad Liv. II. 22. R. D.

75 Cum mox sequatur *lenirent*, legere lingua postulant *faciebant.* B.

76 Distingue, *ubi video, hæc cœpi.* B.

77 Lege *solliciti sint*, propterea quod sequitur, *vestiant, faciam.* B.

Mea solius causa] Eleganter quæ sui *solius causa.* Rutil. Lup. I. 25. *unius opera, mea.* v. Gronov. ad Senec. epist. XIII. et Drak. ad Liv. VII. 40. R. D.

Solliciti] I. e. occupati, ut infra III. 1. 52. *omnes sollicitos habui.* R. D.

Ut me expleant] *Explere aliquem* significat satis facere alicui. Cic. ad Div. II. 1. R. D.

78 *Ancillæ me vestient*] I. e. occupatæ sint in lana tractanda ex. eaque mihi vestes conficiant.

79 *Sed gnatum unicum, quem pariter uti illis decuit, aut etiam amplius, eum ego ejeci hinc injustitia mea*] Quem oportuit his rebus uti, ita uti ego utor, pari modo, aut vero amplius, quod illa ætas magis ad hæc idonea sit. E.

Pro, *sed*, sententia postulat, *qui*, quia præcedit *faciam*, et sequitur *ejeci.* B.

82 *Eum ego ejeci*] *Eum* abundat. C.

83 *Malo quidem me dignum quovis deputem, si id faciam*] Si hoc faciam, uti utar solus bonis meis, quovis malo me arbitror dignum. B.

84 *Nam usquedum ille vitam illam colet inopem*] Quamdiu ille in militia

Inopem, carens patria, ob meas injurias,
Interea usque illi de me supplicium dabo,
Laborans, quærens, parcens, illi serviens.
Ita facio prorsus: nihil relinquo in ædibus,
Nec vas, nec vestimentum: corrasi omnia.
Ancillas, servos, nisi eos, qui opere rustico
Faciundo facile sumtum exercerent suum,
Omnis produxi ac vendidi: inscripsi illico

positus habebit vitam istam sine ope, patria carens, propter injurias meas, tandiu de me illi dabo supplicium, sic laborans et serviens. B.

Vitam colet] I. e. vivet. Plaut. in Trin. III. 2. 74. Cic. ad Attic. XII. 28. *nunc nec victum nec vitam illam colere possum*. R. D.

85. *Ne, patria*, sine ullo accentu transmittatur, forte leg. *inque, carenque patria*. B.

86. *Illi de me supplicium dabo*] *Dare alicui de se supplicium* significat, punire se ipsum illius vice. C.

87 *Parcens*] Id est, coarctans et constringens solitum victum, et tanquam parens fortunis parcendo, et eas reservando. *Illi serviens*] Deserviendo, conquirendo et conduplicando undique illi divitias more boni servi. Hæc sunt illa, quæ senex sibi facienda decrevit. C.

88 *Ita facio*] Nunc ostendit, ad rem verba accessisse, seu esse collata. C.

89. *Corrasi omnia*] Omnia compilavi, vendidi. Huic contrarium est, *abradere*: et est per vim aliquid auferre. Cum autem dicere volumus, aliquem nihil omnino tam parvum reliquisse ex rebus suis, quod non alienaverit, recte dicemus, *omnia corrasit*, quasi etiam raserit parietem, &c. Si ex illis rationibus aliquid commodi potuerit consequi. Interdum *corradere* significat difficulter comparare. Terent. in Adelph. *minas decem corradet*. C.

Corrasi omnia] Hoc est, collegi universa, quæ venderem. E.

Nec vas, nec vestimentum] Probus in Catholicis. L.

Vas] Vasa dicuntur omnis generis supellex et impedimenta ut in notissima locutione *colligere vasa* Sallust. in Catil. 51. R. D.

90 *Opere faciundo facile sumtum*] Servos universos produxit et vendidit, exceptis iis qui suo opere suos sumtus tolerare possent. E.

91. *Sumtum exercent*] Virgil. Æn. VIII. 424. *ferrum exercebant*. L.

Legendum esse, *sumtum exercirent*, h. e. qui laboris sui fructu alimenta sua compensarent, qui opere suo impensas domini pensarent et resarcirent, recte primus vidit Palmerius. Nam *sumtum exercere* intelligi nequit. Deinde in cod. Colon. apud Palmerium est a manu prima, *exercirent*, et in altero, *exercicunt*: in margine cod. Bemb. est: *exercerent, resarcirent*: et Paulus in epitoma Festi: *exercirent, sarcirent*, id quod ex Terentii loco sumtum esse videtur. B.

Sumptum exercerent] Multum laborat in hoc loco explicando Gronov. in Observat. Eccles. I. 8. Verum non dubitandum est, quin felicissime correxerint viri eruditi *sumptum exercirent*; antique pro *exarserent* i. e. compensarent. Festus ad hunc ipsum locum respiciens *exercirent, sarcirent*. Notæ sunt locutiones *damnum sarcire, resarcire*, &c. v. Bentl. ad h. l. R. D.

92 *Produxi ac vendidi*] Bene *produxi*: nam *producere*, foras ducere significat. M. T. in Framentaria, *nemo tuorum amicorum abs te productus, nemo interrogatus*. Hinc *prodactores* dicuntur, qui virgines abducunt, et eas ad quæstum exponunt. C.

Ædis mercede, quasi talenta ad quindecim
Coegi: agrum hunc mercatus sum: hic me exerceo.
Decrevi tantisper me minus injuriæ, 95
Chreme, meo gnato facere, dum fiam miser:
Nec fas esse, ulla me voluptate hic frui,
Nisi ubi ille huc salvos redierit meus particeps.

Inscripsi illico ædes] Hoc est, ædes meas locavi. E.

Inscribere ades] I. e. tabula publice suspensa significare, ædes vel vendendas esse vel locandas. Plaut. in Trin. I. 2. 132. pro quo frequentius dicitur *ædes proscribere*. Cic. ad Att. IV. 2. *Tusculanum proscripsi* ubi v. Manut. ad Div. VII. 29. ubi v. Græv. R. D.

93 *Talenta ad quindecim coegi*] Congessi, coadunavi. Hinc *coactores* argentariorum dicuntur, qui pecunias cogunt. Talentum Atheniense parvum constat ex LX. minis seu libris. Talentum vero magnum constat ex octoginta tribus, et quatuor unciis. C.

Verba *inscripsi illico ædes mercede* Bentleius cum Eugraphio recte accipit de locandis ædibus, non vendendis. Nam Cuperus in Observatt. I. 17. ostendit, *mercedem* non esse pretium rerum venditarum, sed quicquid ex agris locatis, pecunia sub usura credita, et aliis rebus, quarum proprietas ad nos, usus ad alios pertineat, redigamus. Huc accedere, quod pretium rei vendendæ nunquam in tabula propositum fuerit. Cf. locus Digest. XIX. 2. Locati et conducti, quem Bentl. laudat. Z.

Quasi] Numeralibus additum significat *fere, circiter* Liv. XXVII. 12. *cecidere in pugna ad duo millia* ubi v. Gronov. R. D.

94 *Hic me exerceo*] Non hic ad voluptatem positum *exerceo*, sed ad laborem: quemadmodum Virgil. Æn. III. 182. —*nate Iliacis exercite fatis*. E.

Non male Daceria ait, imaginem Menedemi senis se ob absentiam filii cruciantis formatam esse ex Odyss. *ά*, 189. seqq. ubi Laertes rure solus degit, miseram trahens vitam, ob Ulyssem absentem. Z.

Coegi] I. e. collegi. *Cogere* proprium verbum est de rebus venditis, unde pecunia conficitur. Cic. Verr. II. 48. *quod genus pecuniæ cogendæ præteriit*. v. Gronov. ad Liv. XXXII. 2. Hinc *coactiones argentariæ* apud Suetou. in Vespas. c. 1. ubi v. Torrent. Pro *cogere pecuniam* etiam dicitur redigere pecuniam. Liv. XXXVIII. c. ult. *nequaquam tantum redactum est quantæ summæ damnatus fuerat*. v. Bentl. ad Horat. epod. II. 69. R. D.

95 *Decrevi*] Plus est *decernere* quam constituere. Et est proprie *decernere* de rebus magnis certam proferre sententiam. C.

Decrevi tantisper me] Hoc enim judicavi me non tantam injuriam facere meo filio quem expuli, si et ipse miser sim. E.

Decrevi tantisper] Cicero V. 10. de Finib. et Tuscul. III. 27. L.

Decrevi] I. e. judicavi, existimavi. Cic. ad. Div. II. 6. *in quo omnia mea posita esse decrevi* ad Attic. III. 15. *in me ipso satis esse consilii decreveras*. v. Perizon. ad Sanct. Min. IV. 15. p. 175. R. D.

97 *Voluptate frui*] Si parentes pro filiis elaborant, quis clementior hoc sene, qui omnia commoda absente filio aspernatur? *Frui* proprie est delectationem capere ex usu. C.

98 *Meus particeps*] Id est, heres meus, quasi nunc partem capiens bonorum meorum, vel etiam *particeps*, cui debeam credere omnia consilia mea. C.

Particeps] *Filius* dicitur, quia patre vivo habet jus bonorum, sed eo mortuo demum possessionem. Cic. Verr. I. 44. R. D.

C. Ingenio te esse in liberos leni puto,
Et illum obsequentem, si quis recte aut commode
Tractaret: verum nec tu illum satis noveras,
Nec te ille. hocque fit, ubi non vere vivitur.
Tu illum nunquam ostendisti quanti penderes,
Nec tibi ille'st credere ausus, quæ est æquom patri.
Quod si esset factum, hæc nunquam evenissent tibi.
M. Ita res est, fateor: peccatum a me maximum'st.
C. Menedeme, at porro recte spero, et illum tibi

99 *Ingenio te esse leni in liberos puto*] *Liberos* multitudinis numero dixit, cum Menedemus unicum haberet filium. Constat enim antiquos Oratores, historiæque, aut carminum scriptores, etiam unum filium filiamve, *liberos* multitudinis numero appellasse. In Hecyra *liberos* in significatione unius filiæ dixit, *qui illum decreverunt dignum, suos cui liberos committerent.* Sic Cicero, *en cui tuos liberos committas.* C.

100 *Si quis recte aut commode*] Supra accusaverat utrumque, cum diceret, *ambo accusandi*: modo utrumque defendit, quod hunc *ingenio levi* (*leni*) dicit, et illum *obsequentem*, si minus aliquid (*si modo aliquis*) recte et commode tractaret. alterum nam hoc factum esse dicit, quod neuter se noverit (Westerh. e cod. addidit, VERUM NEC. Hoc factum esse dicit, quod neuter alterum satis noverit. Z.) E.

101 Plerique codd. *neque tu illum.* Igitur ut *ille* et *tu* acoentu eleventur, repone, *unum néque illum tú satis* &c. B.

102 *Ubi non vere vivitur*] Ubi non integre vita ostenditur, ubi non nudatur, ut quis qualis sit, agnosci queat. E.

Hocque fit, quod et in Bemb. reperitur, efficit versum claudum. Alii codd. *hoc qui fit*; quidam, *hoc ibi fit.* Repone, *hoc quod fit*, h. e. id quod fieri solet, ubi non *vere*, h. e. recte, et ratione vivitur. Cf. Adel. V. 9. 31. B.

Non vere] I. e. non recta ratione. in Ad. V. 9. 30. R. D.

103 *Quanti penderes*] Quanti illum faceres. Tractum ab antiquis, qui ante signatam pecuniam, æs et argentum *pendebant.* Inde *pendere pœnas* dicimus, id est, dare seu luere pœnas. Nam antiquorum pœnæ erant pecuniariæ. Inde *pendere* dicimus æstimare seu liceri Inde nihili pendere, id est, nihili facere. Inde parvi pendere, flocci pendere, magni pendere. C.

Quanti penderes] Quantum diligeres. E.

104 *Nec tibi credere ausus*] Adolescentibus gloriosum est, si modestia utuntur et pietate in parentes, ut nihil dicant aut faciant nisi consilio parentum. C.

105 *Quod si esset factum, hoc nunquam*] Si autem tu mores tuos, aut ille tibi qualis esset, ostenderet, facile ad hoc calamitatis genus non perveniretis. E.

106 *Ita res est*] Quoniam utrumque quodammodo accusaverat Chremes, quod neuter ibi (*sibi*, aut, *suos*, aut, *alteri* Z.) mores ostendisset, omne crimen potius derivat (addo, *in se* Z.) senex ac dicit, *fateor, peccatum a me maximum est.* E.

Peccatum a me] V. C. *peccatum meum.* L.

Bemb. Vatic. et omnes fere nostri habent *maximum*, præter cod. Victor. ubi, *maxime*, reperitur. B.

Peccatum a me maximum est] Periz. ad S. Min. IV. 4. p. 619. integram constructionem esse putat: negotium quod a me peccatum est maximum est. Sed præstat *a me* accipere pro *a parte mea.* R. D.

107 *Porro recte spero*] *Porro*, ejus-

Salvom adfuturum esse hic, confido, propediem.
M. Utinam ita Di faxint. C. Facient: nunc si commodum'st,
Dionysia hic sunt: hodie apud me sis volo.
M. Non possum. C. Cur non? quæso, tandem aliquantulum
Tibi parce: idem absens facere te hoc volt filius.
M. Non convenit, qui illum ad laborem impulerim,
Nunc me ipsum fugere. C. Sicine est sententia?
M. Sic. C. Bene vale. M. Et tu. C. Lacrumas excussit mihi,

dem significationis, cujus *vero* et *autem*: pro quibus *tamen* ponere non possis. Significat etiam apud *poetas longe, certe, postea, ultro*. *Spero* pro credo, usitatum est: sive de præsenti loquamur, sive de præterito. Similiter *confido* pro credo, tum in præterito, tum in præsenti, tum in futuro. C.

Menedeme] Ad personam. hoc ex illis quæ supra promisit, inveniet quid adferat, scilicet consolationem. siquidem dicit: *filium adfuturum hic confido propediem. Confido*, hoc est, fiduciam gero. F.

Menedeme, at porro] Rectius videtur, si sic distinguatur: *Menedeme, at porro recte spera; illum tibi salvum adfuturum esse hic confido propediem*. L.

Recte spero] I. e. spero omnia tibi ex voto cessura. *Recte* in omni genere dicitur de rebus ita comparatis ut debent et optamus. in Ad. III. 1. 2. *recte edepol spero*. R. D.

109 *Utinam Dii faxint*] *Faxo*, futurum tempus tantum: vel, ut alii, promissivum modum ostendit. C.

Omnes fere nostri, *nunc si est commodum*: magis ex more auctoris. B.

110 *Dionysia hic sunt*] Hoc est Bacchanalia. *Dionysii* autem, qui et Bacchus dicitur, sacra, a plerisque Græciæ urbibus triennio quoque celebrabantur. C.

Dionysia hic sunt] Optume factum, ut post narratam calamitatem, cui quidem præter consolationem subvenire non poterat; tamen in eo quod ex ipso auxilio esse potuisset, vult eum ad cœnam vocare; quia dicit, *hodie Dionysia sunt*, quæ sunt sacra liberi patris apud Athenas *(Atheniens. Z.)* E.

Prava distinctio sic est refingenda, *Dionysia hic sunt hodie: apud*, &c. B.

Dionysia] Athenis celebrabantur in honorem Dionysii vel Bacchi. De hoc festo disputavimus in Auctuario emendation. ad Hesych. voce Dionysia. R. D.

Apud me sis] I. e. mecum cœnes. Juven. Sat. V. 18. *una simus ait*. infra I. 2. 11. *ut nobiscum hodie esset*. R. D.

111 *Quæso*] Primam personam indicativi habet duntaxat. Licet *quæsere* lectum sit apud Sallustium. cf. Priscianus Instit. Gram. X. et Tullium ad Fam. XI. 3. *Tandem*] Id est, uno verbo, quod tantam vim apud te habere velim, quantam, si diu interrogassem, et illud foret ultimum. hoc est, quod postulat Chremes. C.

Ne versus claudicaret, Faernus edidit *impellerim*. At ne tam deformem admittamus medicinam, reponamus, *qui illum ad laborem hinc populerim*. B.

115 *Lacrimas excussit*] Id est, lacrimas in sinubus oculorum meorum oborirí fecit, quæ ex oculis manserunt, ac si forent excussæ. Nam *excutere* significat commovendo aliquid ejicere. Ut, *excute te pulvere*, id est, te movendo vehementer dejice a te pulverem. C.

Dacerius, quæ fere solet novas enor-

Miseretque me ejus. sed ut diei tempus est,
Monere oportet me hunc vicinum Phaniam,
Ad cœnam ut veniat: ibo, visam si domi est.
Nihil opus fuit monitore: jam dudum domi
Præsto apud me esse aiunt: egomet convivas moror.
Ibo adeo hinc intro. sed quid crepuerunt fores
Hinc a me? quisnam egreditur? huc concessero.

ACT. I. SCENA II.

CLITIPHO. CHREMES.

NIHIL adhuc est, quod vereare, Clinia: haudquaquam etiam cessant:

diri scenas, ubi vel nova persona in scenam prodit, vel quæ adhuc fuit, inde abit, a verbis hic, *lacrumas exussit*, secundam vult esse scenam. Z.

116 *Ut diei tempus est*] *Tempus* supra horam significat. *Diei* archaismo abundat. C.

Ut diei tempus est] Ex formula dicitur, ut apud Ciceronem quomodo nunc est. v. Manut. ad Cic. ad Div. III. 8. In hac autem formula *diei* abundat ut apud Sallust. in Jugurtha c. 52. *jam die vesper erat* abi v. Cort. R. D.

117 *Monere oportet*] In omnibus vett. codd. deest *oportet*. L.

Cum illud *oportet*, ab omnibus nostris libris, præter duos recentissimos, et cæteris antiquis, teste Lindenbrogio, abest; excidit haud dubie *tempust*, adeo ut leg. *tempu'st monere me hunc vicinum Phaniam*. Sic *tempus est concedere* occurrit Hec. IV. 2. 21. B.

Monere oportet] Veteres convivas, si morarentur, per servos, qui proprie monitores dicebantur, admonere solebant, ut ad cœnam venirent. v. Apulei. Metam. III. 134. Ad hunc morem respicitur in Lucæ Evangel. XIV. 17. R. D.

118 Daceria opinatur, verbis *ibo, visam*, &c. indicari, Chremetem accedere ad fores Phaniæ vicini, sed statim, ubi a servo quodam obvio certior fuerit factus, Phaniam jam domi adesse, rediisse et dixisse, *nil opus fuit monitore*. Non male. Nam ita scena non deserta relinquitur. Z.

119 *Nihil opus fuit monitore*] Hoc est, vocatore. Nam vocatores proprie dicebantur, qui ad cœnas vocabant. C.

Nil opus fuit monitore] Jam in domo inventus est ille, atque mire: cupiebat illum vocare ad cœnam. *monitore* ergo *opus*, inquit, *non fuit*, nuncia (*nunciant*) illum in domo esse. E.

120 *Præsto sum*] Idem est quod adsum; nec alteri fere verbo cohæret, nisi verbo substantivo et huic simplici. Nam *præsto adsum*, magis poeticum est. *Egomet convivas moror*] Hoc est, in mora detineo. A quibusdam, *morari* pro exspectare exponitur, sed mea sententia, magis poetice quam oratorie. C.

1 *Nihil adhuc est, quod vereare*] Hic Cliniæ, qui ex Asia redierat, ingens de amica sollicitudo exprimitur. Accedit et sodalis opitulator Clitipho, qui adventum amici mira voluptate patri narrat. *Nihil adhuc est, quod vereare*] Clinia miserat arcessitum Antiphilam: discruciabatur quod non rediret. *Haudquaquam etiam cessant*] Id est, nondum differunt adventum. C.

Et illam simul cum nuncio tibi hic ego adfuturam hodie scio.
Proin tu sollicitudinem istam falsam, quæ te excruciat, mittas.
CH. Quicum loquitur filius?
CL. Pater adest, quem volui: adibo. Pater, oportune advenis.
CH. Quid id est? CL. Hunc Menedemum nostin' nostrum vicinum? CH. Probe.
CL. Huic filium scis esse? CH. Audivi esse in Asia. CL. Non est, pater:
Apud nos est. CH. Quid ais? CL. Advenientem, e navi egredientem, ilico
Adduxi ad cœnam: nam mihi magna cum eo jam inde usque a pueritia

Nihil adhuc] Hæc scena habet Clitiæ adolescentis suspicionem, quod amica sua, se absente, corrupta est. Sumit igitur per conjecturam argumenta, quæ suo loco plenius apertiusque narrábimus. Ac primum quasi quoddam argumentum, servum qui missus sit non redire, cui jam multum temporis videatur assumtum. Unde efficitur consolatio a Clitiphone amico, cum dicit: *nihil quod videaris esse solicitus, haudquaquam cessant*, hoc est, non diutissime tardant. Verum cum intus positum Cliniam allocutus esset, Clitipho egreditur, partem prospicit, ei commendat officium suum, ne videatur nescio quem adolescentulum recepisse, ut merito hoc effecisse declaret. Sumit igitur exordium, quod commendat adolescentem sibi olim jam fuisse cognitum, ac se coactum amicitia eum recepisse: ideo adjecit, *nam mihi cum eo magna ex pueritia familiaritas*. E.

Versus est trochaicus tetrameter acatalecticus. B.

2 *Tibi hic ego affuturam*] In V. C. omittuntur ista, *hic ego*. L.

Verba, *hic ego*, cum versum perturbent, et absint a cod. reg. et vetere Lindenbrogii, delenda esse censeo. B.

3 *Sollicitudinem istam*] Bene *sollicitudinem* dixit: nam *sollicitudo* est quæ inhæret mentibus: *sollicitatio*, quæ ab alio fit. C.

Mittas, pro *omittas*, comprobatur consensu codd. et versus hic similis primo efficitur. B.

4 Versus trochaicus dimeter catalecticus. B.

6 Versus et codd. probant *quid id est?* pro *quid est?* B.

7 *Audivi, in Asia esse*] Recta ejuscemodi est oratio per infinitum. Nam non Latine dicitur, *audivi quod in Asia est*. C.

Distingue, *audivi esse: in Asia*. Præsertim cum in libris vett. Faerni *esse*, ponatur post *Asia*. B.

8 *Apud nos est*] Recte, et non *penes nos*. Nam *penes nos est* quicquid a nobis possidetur, et in nostra potestate est, ut, *penes principem salus nostra est*, Id est, in ejus potestate. *Quid ais?*] interrogat id quod audivit admirabundus, neque facile credens. Non est interrogantis, sed admirantis. C.

Quid ais?] V. C. quid vis? *Advenientem e navi*] Priscian. lib. VII. L.

9 Leg. *abduxi*, quod probatur cod.

Fuit semper familiaritas. Ch. Voluptatem magnam nuncias.
Quam vellem Menedemum invitatum, ut nobiscum esset hodie amplius;
Ut hanc lætitiam nec opinanti primus ei objicerem domi!
Atque etiam nunc tempus est. Cl. Cave faxis; non est opus, pater.
Ch. Quapropter? Cl. Quia enim incertum'st etiam, quid se faciat: modo venit.
Timet omnia, patris iram, et animum amicæ se erga ut siet suæ;

Bemb. et aliis. Tum, ut versui consulatur, dele verbum, *magna*, quod abest a codd. nostris vett. nec a sententia postulatur. B.

Abduxi ad cœnam] Male in nonnullis editionibus legitur *adduxi*. Verba cum præpositione *a* vel *ab* composita in regimine eleganter junguntur cum præpositione *ad*, ut *avolare ad equites, avocare ad bellum, abducere in interiorem partem ædium* de quibus v. Drakenb. ad Liv. I. 57. *citatis equis avolant Romam.* R. D.

10 *Voluptatem magnam nuncias*] Ut Cicero in Epistolis ad Div. II. 9. *voluptatem habui nimiam.* C.

Voluptatem magnam] Scit enim Chremes vehementer patrem esse sollicitum. Quod audit ergo reversum adolescentem, dicit sibi natam magnam voluptatem. Denique hujus voluptatis causam in animo habens subjunxit: *quam vellem Menedemum invitatum amplius, ut hanc lætitiam nec opinanti prius objicerem domi.* Uti non suspicanti, amplius etiam quam speret, hanc lætitiam domi objiceret. E.

11 *Hodie* et a melioribus codd. abest, et versum turbat. B.

Amplius] *Amplius* jungendum est cum verbo *invitatum*. Chremes volebat Menedemum amplius quam factum erat invitatum esse. Nam etsi supra dixerat *apud me sis volo*, tamen illo recusante ultra invitare destiterat. v. Periz. ad S. Min. IV. 11. p. 723. R. D.

12 *Nec opinanti*] Insperatum enim gaudium majus esse solet: quemadmodum et dolor acerbior, si non *opinanti* objicitur. C.

Ordo, *primus objicerem ei domi*, consensu codd. comprobatur. B.

Objicerem] Objici dicuntur quæ præter opinionem eveniunt. in Ad. IV. 4. 1. Liv. VI. 14. *quæ ubi objecta spes est.* R. D.

13 *Atque*] Hoc est, ut aliquando prius diximus, extra Donati sententiam. *Cave faxis*] Volebat Chremes nunciare Menedemo rediisse filium: sed Clitipho prohibuit, quod Cliniæ nondum patris voluntas esset perspecta. C.

Cave faxis] Cave facias; nec enim necesse est. Nescit namque a patre filium desiderari, ideo prohibet patrem suum aliquid facere, quo vindicetur adolescens reversus. E.

Leg. *satis tempori est*, h. e. sat tempestive, mature: ut Plaut. Captiv. I. 2. 80. et 88. Nam, *satis tempus est*, significat *satis sero*, ut Hec. IV. 2. 21. Horat. Ep. II. 2. 215. Sensus autem hic poscit *satis scito.* B.

15 *Animum amicæ*] Id est, timet, ne amica eum postergaverit, ac ne ex ejus animo effluxerit. C.

Eam misere amat: propter eam hæc turba atque abitio evenit. Ch. Scio.

Cl. Nunc servolum ad eam in urbem misit, et ego nostrum una Syrum.

Ch. Quid narrat? Cl. Quid ille? se miserum esse, Ch. Miserum? quem minus credere est?

Quid reliqui est, quin habeat quæ quidem in homine dicuntur bona?

Parentis, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, divitias?

Atque hæc perinde sunt, ut illius animus, qui ea possidet: Qui uti scit, ei bona: illi, qui non utitur recte, mala.

16 *Scio*] Scilicet, propter eam discessisse et id patri molestum esse. C.

Atque abitio] Hoc est, discessio. E.

18 *Miserum! quem minus credere'st?*] *Minus*, hoc loco pro *non*, ponitur. Non est, inquit, credendum Cliniam esse miserum. Hoc ad sequentia respicit, scilicet, *quid reliqui est, quin habeat, quæ quidem in homine esse dicuntur bona? Minus credere'st?*] Pro, non credendum est. Virg. Eclog. X. 46. *nec sit mihi credere tantum.* Hujusmodi locutio parum Latinis usui est. C.

Miserum! quem minimum] Quoniam ille dixit, *miserum esse* adolescentem; vel quod ipse se adolescens miserum putet; neget esse hic miserum, si quidem omnia habet, quæ quidem in homine dicuntur bona. Et subjungit: *Atque hæc perinde sunt, ut illius animus est, qui ea possidet*] Atque hæc talia sunt, qualis animus illius est, qui hæc tenet. Nam qui scit uti his omnibus, bona sunt; illi vero qui non utitur recte, utique mala sunt. Simul et disjectionem collocavimus, et intellectum didicimus, *Ne quid in illum plus satis faxit pater*] Hoc amplius vereor, ne aliquid amplius habeat. Quicquid satis est faciat pater (*vereor, ne quid amplius præ ira, quam quod satis est, faciat.* p. Z.) ideo injustum est patri ostendere. Siquidem poeta negat esse contemtum * eacus ad hunc (*contemtum patris, sed metum, quo* Z.) laboret filius. E.

In sermone lex et mos est, ut verbum repetitum eodem, quo ante, accentu proferatur. Recte igitur codd. quos vidi, omnes collocant, *miserum se esse.* B.

Credere est] Est ponitur pro *licet, par est.* in Ad. V. 3. 42. Ovid. Art. Amator. II. 28. ubi exemplorum vim congessit Heinsius. R. D.

19 *Quæ quidem in homine dicuntur bona?*] Scilicet a vulgo. Quum tantum *animi bona*, secundum philosophos, appellanda sint. Et hoc, illud quod supra dixit Chremes, affirmat, scilicet *Cliniam non esse miserum.* C.

In homine dicuntur] Ms. R. *esse in homine dicuntur.* L.

Bentleius edidit *quid reliqüist.* Z.

20 *Parentes, patriam*] Priscian. lib. VII. L.

21 *Perinde sunt, ut illius animus, qui ea possidet*] Ita Phorm. I. 3. 18. Cicero, Off. 33. *habes à patre munus, Marce fili, mea quidem sententia magnum; sed* perinde *erit*, ut *acceperis.* Sallustius, Jug. 4. *proinde quasi prætura et consulatus, atque alia omnia hujusmodi per se ipsa clara et magnifica sint, ac non* perinde *habeantur*, ut *eorum, qui ea sustinet, virtus est.* W.

CL. Immo ille fuit senex importunus semper: et nunc nihil magis
Vereor, quam ne quid in illum iratus plus satis faxit, pater.
CH. Illene? sed reprimam me: nam in metu esse hunc, illi est utile.
CL. Quid tute tecum? CH. Dicam: ut ut erat, mansum tamen oportuit.
Fortasse aliquantum iniquior erat præter ejus lubidinem: Pateretur. nam quem ferret, si parentem non ferret suum? Huncine erat æquom ex illius more, an illum ex hujus vivere?

23 *Senex importunus*] Quod dici solet, male generosus. quasi non opportunus. C.

Contracto *nihil* in unam syllabam, octonarius optime stat. B.

24 *Pater*] Vel hic *pater* est nominativi casus, et sic refertur ad Menedemum, vel est vocativi casus, et refertur ad Chremetem. C.

25 *Ille ne?*] Chremes sermonem, quem cœperat, repressit: ut exemplo Cliniæ filius terreretur. *Illene?*] Hoc clara voce pronunciandum. *Illene?*] Id est, dicis, te timere, ne ille senex faciat aliquid in illum? Deinde Chremes se repressit per ἀποσιώπησιν, ne confirmaret Cliniam, videns bonum esse, ut in timore foveatur. *Sed reprimam me*] Scilicet, non ostendendo ejus patris teneritudinem in eum. *Sed reprimam me*] Hæc submissa voce protulit, ne audiret filius. C.

Illene?] Hoc utique intelligitur propterea dictum, quia scit Chremes animum Menedemi. Hæc ne proderet repressit se, et reliqua verba contexuit, dicens hanc causam, quod, in metu esse filium, patri vehementer est utile. E.

Reprimam] I. e. impetum loquendi continebo. in Hec. V. 1. 38. R. D.

26 *Quid tute*] Quia dixerat Chremes *reprimam me*, submissa voce et apud se, interrogat filius. *Ut ut erat*] Quam bene tuetur patrum partes, qui omnino a filiis tolerandi sunt. *Mansum*] *Mansum* pro infinitivo. Ut, *curabo adductum Pamphilum*, pro adducere, ut prius visum est. C.

Utut erat, mansum] Qualiscunque, inquit, fuit, tamen oportuit patrem sustinere. E.

Ut ut erat] I. e. quomodocunque erat. in Ad. II. 2. 40. rarius dicitur cum subjunctivo *ut ut sit*. v. interpret. ad Cic. ad Attic. X. 4. R. D.

27 *Præter ejus libidinem*] Vult causam Cliniæ videri deteriorem: ut ostendat parentes filiis, ob vitia eorum, asperiores esse. C.

Alii legunt *aliquanto*, alii, *aliquando*. Sed recte Bemb. *aliquantum*; quia in hujusmodi formula comparativus non auget, sed minuit. Cf. Eun. I. 2. 51. ubi est, *aliquantum avidior*. B.

Præter ejus lubidinem] I. e. contra ejus voluntatem. Libido est voluntas ut in Hec. IV. 1. 19. R. D.

28 *Pateretur*] Id est, pati debebat, vel pati debuisset. Ut, faceres sæpe, pro, facere debuisses. Nisi mavis ad patrem referre, q. d. debebat pater ejus pati libidinem? Sed superior sententia melior, propter id, quod sequitur, *nam quem ferret, si. Nam quem ferret, si parentem non ferret suum?*] Tale est illud, *cujus saluti consulet, qui suam negligit?* C.

29 *Hunc*] Scilicet Cliniam. *Erat*

Et quod illum insimulat durum. id non est. nam parentum injuriæ
Uniusmodi sunt ferme: paulo qui est homo tolerabilis,
Scortari crebro nolunt; nolunt crebro convivarier;
Præbent exigue sumtum; atque hæc sunt tamen ad virtutem omnia.
Verum ubi animus semel se cupiditate devinxit mala,
Necesse est, Clitipho, consilia consequi consimilia.

æquum] Ab æquo suscipit paternam defensionem. C.

Quod illum insimulat durum, id non est] Aliud objectum refellit: et a statu definitivo censet patrem non esse appellandum durum, qui filios a vitiis sua severitate deterret. *Insimulat*] *Insimulare* significat incusare, id est, mores malos reprehendere. Ut, *insimulo illum superbiæ*, id est, incuso. C.

Nam parentum injuriæ, &c.] Præter hunc morem qui est innatus parentibus, hic, *ferme paulo est tolerabilis, præbent exigue sumtum et modice.* E.

Bembi codex dicitur habuisse *insimulant*. Recte; nempe non solum Clinia, sod et Clitipho. v. 23. B.

31 *Paulo qui est homo tolerabilis*] In libro Bemb. hæc interpretatio adscripta est, *aut* ei *subauditur*, *aut* eum: *si* ei, *sic intelligimus, uniusmodi sunt ei, qui est homo tolerabilis. aut eum scortari crebro nolunt, ut sit, filium, qui sit tolerabilis. aut singularem numerum pro plurali posuit, id est, qui sunt tolerabiles.* Posteriorem rationem præferendam puto. B.

Paulo qui est homo tolerabilis] I. e. qui est ex illo hominum genere, qui non durissimi sunt et intractabiles. Singularem enim posuit pro plurali. v. Scholion codice Bembini quod Faernus protulit *paulo tolerabilis* pro *paulo tolerabilior*. Sic *paulo* cum positivo est apud. Ciceron. ad Attic. VIII. 12. *ut non solum gloriosis consiliis utamur sed etiam paulo salubribus* ubi v. interpret. R. D.

32 *Scortari*] Est frequenter scorta ductitare. *Scortari*] Id est, ductitare, *Scortari* enim, ut Varro inquit, est *sæpius meretriculam ducere*, quæ meretrix a pelle *scortum* appellatur, quod ut pellicula subigatur. *Scortes* enim pelles sunt arietinæ; *et scortea*, ut Festus inquit, et similiter Varro, appellantur omnia ex pellibus facta seu coriis. *Convivarier*] *Convivor* deponens verbum aut significat celebrare convivium, aut ad convivium invitare, aut etiam frequentare convivia. Nonius etiam dicit inveniri *convivo* pro *convivor*, pro eo, quod est ad convivium invito. Pomponius Munda: *si Calendis convivant, Idibus cœnant foris.* C.

34 *Verum ubi animus*] Demosth. Olynth. III. Ὅποι' ἄττα ἂν τὰ ἐπιτηδεύματα τῶν ἀνθρώπων ᾖ, τοιοῦτον ἀνάγκη καὶ τὸ φρόνημα ἔχειν. L.

Multo venustius est, quod codd. multi, *verum animus ubi*. B.

Animus se cupiditate, &c.] animus captus est et deditus pravæ cupiditati. Cic. in Bruto c. 12. *nec in impeditis ac regum dominationo devinctis nasci cupiditas dicendi solet* ad Div. XV. 4. *in omnibus sæculis pauciores viri reperti sunt qui suas cupiditates quam qui hostium copias vincerent.* R. D.

Scitum est] Pulchra et egregia est sententia. in Phorm. V. 4. 2.

35 *Consequi consimilia*] Nam cujus animus in re mala semel corruptus est, indies fit pejor. C.

Hoc scitum est] Optima occasione senex, dum aliorum mores et facta demonstrat, occasionem filii corrigendi repperit, ut moneret. *Scitum est*, inquit, et perelegans *ex aliis periculum*

Scitum'st, periculum ex aliis facere, tibi quod ex usu siet.

CL. Ita credo. CH. Ego ibo hinc intro, ut videam nobis quid cœnæ siet.

Tu, ut tempus est diei, vide sis ne quo hinc abeas longius.

ACT. II. SCENA I.

CLITIPHO.

QUAM iniqui sunt patres in omnis adolescentis judices!

facere, hoc est, tentamentum, quod tibi vehementer expediat. E.

Bentleius in sine addidit *hoc*. Unde, nescio. Z.

36 *Periculum ex aliis facere*] Aliquando videtur pro consilio capio. Cicero ad Trebatium VII. 6. *Cornelio nihil audeo dicere, cujus periculo tu stultus es.* C.

Versus causa lege, *periclum*; et pro *quod* cum codd. reg. *quid*. Nam *quod* ad ipsum illud periclum modo respicit, *quid* ad alia similia, atque etiam contraria. B.

Periculum ex aliis facere tibi quod, &c.] I. e. ex alieno periculo sapere. Recte Bentlei. *quid* ex Mss. reposuit pro *quod*. Nam *quod* ad ipsum modo periculum respicit, *quid* ad alia similia atque ad alia etiam contraria. R. D.

37 *Nobis quid cœnæ*] Minus dixit, quam si dixisset, *quæ cœna*. Sic illud Eunuch. III. 4. 8. *quid hoc hominis est?* aliter exprimitur quam si diceremus, quis homo est? C.

Si retines *quid cœnæ*, est genitivus; sin cum nostris libris præfers *nobis cœnæ quid siet*, est dativus. Sic Plaut. Truc. III. 1. 2. *ut bubus glandem prandio depromerem.* B.

38 *Tu, ut tempus est diei*] *Tempus* non solum summum est, sed et pars partis est; sicuti hic posuit, *diei tempus*, cum temporis dies esse videatur. E.

Quæritur, cur Chremes non statim secum Clitiphonem ad cœnam abduxerit, cujus tempus sub scenæ superioris finem adesse, jam dixerat? Daceria haud male conjicit, cum ante cœnam hanc fuerint sacra quædam facienda, et forte etiam cum convivis æqualibus confabulandum, patrem noluisse his rebus interesse filium. Z.

1 *Quam iniqui sunt patres*] Solus Clitipho promansit, qui de patre conqueritur, ut mos est adolescentium, qui paterna præcepta moleste ferunt. C.

Quam iniqui] Remansit solus Clitipho, et secum conqueritur de patris hortatione. Ordo est: quam iniqui sunt judices patres in omnes adolescentes! E.

Quam iniqui] Ita in omnibus scriptis codd. hi actus distinguuntur: quod tamen aliis displicuisse video. *Iniqui sunt patres*] Plutarch. in Puer. educatione. L.

Qui æquom esse censent, nos jam a pueris ilico nasci senes:
Neque illarum affines esse rerum, quas fert adolescentia.
Ex sua libidine moderantur, nunc quæ est, non quæ olim fuit.
Mihi si unquam filius erit, næ ille facili me utetur patre:
Nam et cognoscendi et ignoscendi dabitur peccatis locus;
Non ut meus, qui mihi per alium ostendit suam sententiam.

2 *Jam a pueris*] Pro adverbio ponitur, i. e. a pueritia, vel ab ineunte ætate, vel statim ut pueri sumus, aut cum primum pueri evadimus. C.

Nos a pueris ilico] Qui arbitrantur justum esse in pueritia moribus senum nasci. E.

Etsi *jam* a Bemb. et aliis Faerni libris abest: tamen idem et codd. nostrorum consensu, et sententiæ ratione satis comprobatur. B.

3 *Quas fert adolescentia*] Ms. R. *quas adolescentia sinit.* L.

Illarum affines esse rerum.] Affines *in agris vicini, in hominibus consanguinitate conjuncti;* teste Festo. Sed et *affinis* quis dicitur iis rebus ejus, quibus quasi junctus et implicitus est. Plautus, Trin 2. 50. *publicisne* affinis *fuit, an maritumis negotiis?* Pacuvius, Armorum judicio: *qui sese* adfines *esse ad causam volunt, de virtute iis ego cernundi do potestatem omnibus.* Maxime tamen de suspicione, culpa et scelere dicitur. Lucretius, III. 733. *corpus enim magis his vitiis* affine *laborat.* Rarius autem genitivo jungitur. W.

4 *Ex sua libidine*] *Libido* est quæque voluntas temere suscepta. Apud Sallustium in Catil. c. 7. tamen in bonam partem capitur, *magisque in decoris armis, et militaribus equis, quam in scortis et conviviis libidinem habebant. Nunc quæ est*] Huic illud contrarium, *sed nunc ea me exquirere, iniqui patris est. Nam, quod antehac fecit, nihil ad me attinet. Dum tempus ad eam rem tulit, sivi animum ut expleret suum.* C.

Ex sua libidine, &c.] Modum imponunt adolescentibus de moribus suis, quos nunc habent in senectute, non quos in adolescentia habuerunt. E.

Ex sua libidine] Videtur h. l. *libido* simpliciter pro voluntate et arbitrio sumi. Ita Hec. II. 2. 3. Porro autem Chremetis imaginem pinxit Horatius, Arte, 173, *difficilis, querulus, laudator temporis acti Se puero, castigator censorque minorum.* W.

5 *Mihi si unquam filius*] Si aliquando mihi filius contingat. *Facili me utetur patre*] Id est, valde me utetur bono et facili patre. E.

6 *Cognoscendi et ignoscendi*] Ex affectu eorum loquitur, qui cum alicui obnoxii sint, alium habent animum quam haberent, si liberi essent. *Dabitur*] Nam qui alias erraverit, ignoscere errantibus non renuit, et eorum errata excusare. C.

Nam et cognoscendi, &c.] Facile, inquit, filio meo hanc facultatem dabo, ut universa ejus facta cognoscam; tamen si peccarit, ignoscam. E.

Pro *peccatis*, leg. *peccati*. Sic Plaut. Amph. I. 1. 100. *ignoscamus peccatum suum.* B.

7 *Per alium ostendit suam sententiam*] Superius, *sed reprimam me: nam in metu esse hunc, illi est utile.* C.

Perii! is mihi, ubi adbibit plus paulo, sua quæ narrat facinora!
Nunc ait, periculum ex aliis facito, tibi quod ex usu siet.
Astutas: næ ille haud scit, quam mihi nunc surdo narret fabulam.
Magis nunc me amicæ dicta stimulant, Da mihi, atque affer mihi:
Cui quid respondeam, nihil habeo; neque me quisquam est miserior.
Nam hic Clinia, etsi is quoque suarum rerum satagit, attamen
Habet bene ac pudice eductam, ignaram artis meretriciæ.
Mea'st potens, procax, magnifica, sumtuosa, nobilis.

8 *Ubi adbibit*] Id est, bibit. Nihil plus significat, nisi aliquatenus augeat præpositio, uti dicit Donatus. Quam petulans sit filius in parentem, ostenditur: cujus præcepta contemnit. C.

Ubi adbibit plus paullo] Plutarch. de sui laudat. Ambros. de Jejunio cap. 13. *ibi unusquisque pugnas narrat suas, ibi fortia factu prædicat, narrat trophæa. Vino madidi et somnolenti nesciunt mente, quid lingua proferat.* L.

9 Lege, ut scena superiori 36. B.

10 *Næ ille*] *Næ* pro certe ponitur. *Fabulam*] Nam fabulæ loco habeo ejus sermonem. C.

Surdo narret] Hieronym. de vitand. suspecto contuber. Aristen. I. Epist. 28. Παρὰ κωφὸν ἄδειν. L.

Quam mihi nunc surdo narret fabulam] H. e. quam irrita mihi det præcepta. Horatius, epist. II. 1. 199. *scriptores autem* narrare *putaret asello* Fabellam surdo. Propertius, IV. 9. 21. *cantabant surdo.* Virgilius, Ecl. X. 8. *non canimus surdis.* Livius III. 60. *haud surdis auribus dicta.* W.

11 *Da mihi atque affer*] Verba sunt amicæ, quæ magis Clitiphonem stimulant, quam patris præcepta. C.

12 *Cui quod respondeam*] Expressit inopiam; siquidem non sulum dixit, sui quidem nihil habeo, verum ad respondendum verba desunt. E.

Nec me quisquam] Charis. lib. II. L. Pro *quid* leg. cum libris aliquot, *quod.* B.

13 *Satagit*] Genitivo jungitur. *Satagit*, id est, anxius est et curiosus suarum rerum. C.

Suarum rerum satagit] Etsi is quoque de suis rebus plurimum cogitat. E.

Pro *satagit attamen* olim lectum esse *sat agitat tamen*, patet e Charisio p. 193. *satis*, inquit, *pro intente; Cato dierum dictarum de consulatu suo: jam apud vallum nostri satis agebant. Terentius in Heaut. Etsi suarum rerum satis agitat, tamen habet bene et pudice eductam.* Rectissime. Nam sic Plaut. Bacch. IV. 3. 23. *nunc agitas sat tute tuarum rerum.* Deinde post *etsi* nunquam sequitur *attamen*, sed *tamen.* B.

14 *Pudice eductam*] Quod nos *educare* dicimus, antiqui *educere* dixerunt. C.

Vix ferre possum *artis* posteriorem hic acuere, cum prior sit longa. Quare inducor ut credam ab auctore esse *rei meretriciæ*, adeo ut *res* omnes meretricum comprehendat artes. B.

15 *Procax*] Instans in petendo. Virg. Æn. I. 536. *procacibus austris*, i. e. improbis et importune flantibus. *Procare*, ut Pompeius inquit, poscere est. Unde *procaces meretrices*, ab assidue poscen-

Tum quod dem ei, recte'st. nam nihil esse mihi, religio'st dicere.
Hoc ego mali non pridem inveni: neque etiamdum scit pater.

ACT. II. SCENA II.

CLINIA. CLITIPHO.

SI mihi secundæ res de amore meo essent, jam dudum, scio,

do. Et *proci*, uxorem poscentes in matrimonium.. Itaque *procax*, id est, petax, dispoliatrix. *Magnifica*] *Magnifice* instructa supellectili, *magnifice* induta, *magnifice* epulans, et lauta quærens convivia. Quæ omnia magnum auri pondus poscunt. *Sumtuosa*] Multa impendens, et propterea multa petens. *Nobilis*] Id est, insignis, in malam partem, id est, multis nota, quia videlicet frequentes habeat amatores. C.

Mea est potens] Ad hoc positum, ut ex nobilitate plurimum audeat postulare. *Procax* a petendo dictum est; unde et *proci* dicuntur nuptiarum petitores. *Sumtuosa*] Ut et necessitatem sibi petendi propter suos sumtus faciat. *Nobilis*] Ab omnibus nota. E.

Pro *potens* repone *petax*. Nam primum *potens* male a *magnifica* et *nobili* separatur, et procax alienæ significationis intervenit. Deinde idem verbum in Atticam meretriculam, quæ non est ista Lais Corinthia, non cadit. Denique Donatus ad Hec. I. 2. 84. ex nostro loco *petax* sumsit, qui ait, *procax, despoliatrix, et petax*. Fulgentius Mythol. II. 1. *vita ornatus petax, habendi insatiata*, et 3. *omnis vita potentiæ petax*. B.

16 *Religio*] Metus vel sollicitudo. Terent. in Andria, *dignus cum tua istac religione es odio*. Inde *dies religiosi*, infames vel infausti dicti: quos ex contraria causa propter hominis diritatem relinquam. C.

Nam nihil esse mihi religio est] Dicere, me hoc non habere, maxima mihi religio est. Ut Virgil. Æn. II. 715. *religio est patrum multos servata per annos*. E.

Religio est] A. Gellius IV. 9. L.

Recte'st] Hæc forma utuntur studiosi urbanitatis, si palam negare non audent. Z.

1 *Si mihi*] Hic mira amantis sollicitudo exprimitur, cui exspectanti hora, dies, annus videtur. *Si mihi*] Amor res est suspicionis plena. Torquetur igitur Clinia mora et dilatione amicæ Antiphilæ. C.

Si mihi secundæ] Hic illud est, quod supra diximus, quod per conjecturam Clinia credit, amicam se absente corruptam. Ac primum argumentum fecit ex eo, quod missus servus nondum redit. Deinde proponit ipsam suspicionem: *sed vereor ne me absente hic corrupta sit*. Adjungit et opiniones et argumenta a tempore, quod est *occasio*: occasionem autem hic intelligimus, quod absens fuit ipse. Deinde ponit *locum* Athenas, ubi magna hominum multitudo est et civium, variis moribus viventium. Adjungitur *ætas*, hoc est a persona, et a tempore, quod adolescentula; ac propterea varia ingenio. Deinde addidit, *mater*. Hoc nomen parum est; nam adderetur (*nisi addatur* Z.) *mala*. Sed ne rursus suæ voluntа-

Venissent: sed vereor, ne mulier me absente hic corrupta sit.
Concurrunt multæ opiniones, quæ mihi animum exaugeant:
Occasio, locus, ætas, mater, cujus sub imperio'st, mala:
Cui nil jam præter pretium dulce'st. CLIT. **Clinia.**
CLIN. **Ei misero mihi!**
CLIT. **Etiam caves, ne videat forte hinc te a patre aliquis exiens?**

tis et judicii . . (adde, *esset mulier* Z.) ideo adjecit, *cujus sub imperio est: cui nihil jam præter pretium dulce est.* E.

2 *Venissent*] Mulier et servus. *Sed vereor, ne mulier*] Bene amantis exprimit affectum: qui semper omnia in deterius suspicatur. *Vereor*] *Vereri* dicitur, qui rationabiliter terretur; formidare, qui sine ratione. C.

Pro *venissent* repone *venisset:* ut infra V. 9. *adesset.* B.

3 *Mihi animum exaugeant*] *Augeri* dicitur *animus*, quando multa concurrunt, quibus flectitur in eam partem, in quam inclinatur. C.

In margine Bemb. Faernus hoc scholion reperit: *quæ mihi animum exaugeant, quæ me terreant. animum autem dicit, quam illi præsens efficit metus sollicitam cogitationem.* Versum ego ita reponendum esse æstimo: *concúrrunt multa, opínionem hanc quáe mihi animo exaúgeant.* Cum *exaugere animum*, αὐξειν, non ægritudini, sed gaudio conveniat, Palmerius et alii dudum emendarunt *exangeant.* Sed melius est legere *animo.* Nam latine dicitur, augere damno, commodis, honoribus, lætitia, &c. Deinde mutatio τῶν *opiniones* propterea est necessaria, quod quæ sequuntur ad opinionis rationem non possunt recte referri. *Augere suspicionem* occurrit Eun. III. 1. 46. B.

Quæ mihi animum exaugeant] Plautus, capt. IV. 2. 1. *quanto in pectore hanc rem meo magis voluto, Tanto mihi ægritudo auctior est in animo.* Livius II. 7. *hæc dicta vulgo creditaque quum indignitate* augerent *consulis* animum. Cicero mutavit locutionem, scribens ad Q. Fr. I. 4. *multa convenerunt, quæ mentem exturbarent meam.* W.

4 *Locus, occasio, ætas*] Hi loci ex arte Rhetorica etiam ad majoris rei confirmationem valerent. *Locus, occasio, ætas, mater*] Argumenta deducuntur aut a personis. Hæc enim, causa, tempus, locus, occasio, instrumentum, modus, et cætera rerum accidentia, a personis deducuntur hoc modo. Nam similes parentibus aut majoribus suis filii plerumque creduntur: et nonnunquam ad honeste turpiterque vivendum. Similiter a natione quoque, patria, ætate, educatione et disciplina sumuntur. *Locus, occasio, ætas, mater, cujus sub imperio est, mala*] Subdit ea, quæ augent animum, ad id credendum, videlicet, *locus*, quia scilicet est in eo loco, ubi aliæ sunt petulantes, et ideo contagione facilis lapsus est. *Occasio*, ut corrumpatur, quia formosa, et multis forte juvenibus placens ac nota. *Ætas*, quia juvenilis et flore juventutis nitens, quæ plerumque lubrica est. *Mater, cujus sub imperio est, mala.* Juvenal. Sat. VI. 240. *scilicet exspectes, ut tradat mater honestos, aut alios mores, quam quos habet? utile porro filiolam turpi vetulæ producere turpem.* C.

5 *Hei mihi*] *Hei*, dativo jungitur. Ut Virg. Æn. II. 274. *hei mihi, qualis erat. Heu* vero, accusativo: ut alibi Terentius, *heu me miserum.* C.

6 Pro *hinc* omnes codd. et edd. vett.

CLIN. Faciam: sed nescio quid profecto mihi animus præsagit mali.

CLIT. Pergin' istuc prius dijudicare, quam scis, quid veri siet?

CLIN. Si nil mali esset, jam hic adessent. CLIT. Jam aderunt. CLIN. Quando istuc erit?

CLIT. Non cogitas, hinc longule esse? et nosti mores mulierum: 10

Dum moliuntur, dum conantur, annus est. CLIN. O Clitipho,

recte habent *hic*. Nam *a patre* non est a meo, sed tuo, Menedemo. B.

7 *Mihi animus præsagit mali*] Sic fieri consuevit, ut, quoties aliquid exspectamus, ea occurrant potius quæ mentem nostram ad cogitandum aliquid mali trahant. C.

Mihi animus præsagit] Ita Plautus, Aulul. II. 2. 1. præsagiebat mihi animus, *frustra me ire, quum exibam domo*. Teste Festo, *præsagire est acute sentire. Unde sagæ dictæ anus, quæ multa sciunt, et sagaces canes, qui ferarum cubilia præsentiunt*. Quæ verba hausta sunt e Cicerone, Div. I. 31. ubi hæc adduntur: *is igitur, qui ante sagit, quam oblata res est, dicitur* præsagire, *i. e. futura ante sagire*. W.

8 *Pergin' istuc prius*] Perseveras ante hoc quasi certo judicio tenere, quam scias quid in vero sit. E.

Pro *scis* leg. cum nostris et edd. vett. *scias*. Hinc, ut versus poscit, *veri* muta in *rei*. Cf. infra IV. 7. 2. B.

9 *Quando istuc erit?*] Non potest credere ex nimia suspicione venturam amicam. C.

Si nihil mali esset] Ad consequentiam argumentum cepit ex eo, quod non redit missus servus. Certa mihi, inquit, suspicio est, illam esse corruptam: nam hic adessent. *Quando istuc erit?*] Illud enim quod dixit, *jam aderunt*, hoc amanti tardum est: ideo adjecit, *quando istuc erit?* E.

Jam hic adessent] Ms. R. et V. C. *adesset*. CLIT. *Jam aderit*. L.

Lege ex nostris pene omnibus cum edd. vett. *adesset, aderit*. De amica enim sola sollicitus est, non de servulis. Corrige quoque *quando istuc jam erit?* B.

10 *Non cogitas hinc longius abesse?*] Clitipho removet suspicionem ex animo Cliniæ, et locorum intervallo, et ex cultu mulierum, quæ majorem temporis partem in se ornando conterunt. C.

Etsi vulgo habent *longius*: tamen Bembini *longule* est præferendum, h. e. aliquantum longe. B.

11 *Dum moliuntur*] Molles carnes amantur. Quare consuetum mulieribus erat, se ad tactum unguentis præparare. *Annus est*] Scilicet integer, et plus exspectanti ex affectu. Vel numerus determinatus pro indeterminato ponitur. *Clitipho timeo*] Vide nulla re arceri posse suspicionem ex pectore amantis. C.

Dum conantur] Ita potissima scriptorum codd. pars: in regio tamen exemplari *comantur* erat. Sed alterum rectius puto, ad moram mulierum notandum. Alii libri: *dum moliuntur, dum comuntur annus est*. Vid. Servius Æneid. IV. vers. 133. *reginam thalamo cunctantem*. L.

Alii *comuntur*, pauci *comantur*, Servius ad Æn. IV. 133. videtur legisse *cunctantur*. Sed Bemb. Basilic. Victor. e. optimi quique *conantur*. Satis eleganter: dum ituræ sunt, et non eunt: dum movent, sed nil promovent. B.

Comuntur] Citat Donatus ad Hec.

Timeo. CLIT. Respira: eccum Dromonem cum Syro, una adsunt tibi.

ACT. II. SCENA III.

SYRUS. DROMO. CLITIPHO. CLINIA.

AIN' tu? D. Sic est. S. Verum interea dum sermones cædimus,
Illæ sunt relictæ. CLIT. Mulier tibi adest; audin', Clinia?

IV. 3. 5. Plautus, Stich. V. 4. 19. *sed amica mea et tua dum* comit, *dumque se exornat, nos volo tamen ludere inter nos.* W.

Annus est] Hyperbolica expressio longi temporis. Ovidius Pont. III. 4. 59. *dum venit huc rumor, properataque carmina fiunt, Factaque sunt ad vos, annus abisse post.* W.

12 *Eccum Dromonem cum Syro*] Δεικτικῶς: et cum gestu nimiæ lætitiæ pronunciandum est. C.

Distingue ita: *cum Syro una: adsunt tibi.* B.

1 *Ain' tu?*] Hæc scena plena est timoris et suspicionis: sed persona servilis utrique succurrit. Servi autem in fronte scenæ ex abrupto colloquuntur, tanquam pergentes in incepto colloquio, quod ultro citroque in via conferebant. *Ain' tu?*] Hoc sic lege, ut intelligas multa verba præcessisse. Περιγραφὴ dicitur, quando poeta significat, sermonem alterius personæ præcessisse. Quid autem dixerit Dromo, non est curandum: nam iste est abruptus sermo ex communi viæ colloquio. *Sermones cædimus*] *Cædere*, ut vult Nonius, ultra cæteras significationes interdum significat commiscere, allegatque Lucilium dicentem: *tineæ omnia cædunt*, i. e. commiscent, ut ipse interpretatur. Nostro autem hic proposito maxime convenit. C.

Ain' tu?] Hæc scena exsolvit illam suspicionem, quam Clinia habuit. Et hæc conjectura deinde rursus habet aliam causam, quod amicam Clitiphonis adduxerit servus, ita ut in domo patris esse possit. Quæ res an fieri possit, deliberationis vim tenet. Ita prior causa in controversia est, secunda in deliberativa. aut controversia est ex conjectura. Ergo partibus tractabitur, hoc est, uti dicta et affectus, quod πάθος Græce dicunt, suggerant argumenta: sicut suis locis explanabimus. *Dum sermones cædimus*] *Cædere sermones* dicitur, qui frequenter et plurimum loquitur. E.

Dum sermones cædimus] Vel *serimus*. Vid. Servius Æneid. VI. vers. 169. *multa inter se vario sermone serebant.* L.

Bentleius verba *verum—relictæ* ipsi quoque Dromoni tribuit. Sane idem mihi videtur. Nam primum alienum est, Syrum interrogantem, *ain' tu?* repente interrumpere respondentis orationem. Deinde Dromo vel tædio narrandi, vel cura amicæ herilis melius illa proferre putandus est. Ut taceam sequentem responsionem Syri, *minime mirum*, &c. Z.

2 *Mulier*] Non *Antiphila*, aut *amica*:

CLIN. Ego vero audio nunc demum, et video, et valeo, Clitipho.

S. Minime mirum; adeo impeditæ sunt; ancillarum gregem

Ducunt secum. CLIN. Perii! unde illi sunt ancillæ? CLIT. Men' rogas? 5

S. Non oportuit relictas: portant quid rerum? CLIN. Ei mihi!

S. Aurum, vestem: et vesperascit, et non noverunt viam.

Factum a nobis stulte est. abi dum tu, Dromo, illis obviam:

Propera: quid stas? CLIN. Væ misero mihi, quanta de spe decidi!

sed sic dixit, quasi illi qui desperaverat redituram. C.

Mulier tibi adest] Quia ita locutio servi fuerat, ut diceret, *relictæ mulieres*. E.

3 *Ego vero audio*] Verba sunt respirantis, et ad se redeuntis. *Ego vero audio nunc demum*] Cum prius languerem præ timore, et consternatus essem, mei sensus non recte sua exercebant officia. C.

Pro *video* repone *vivo*. Nam non modo nondum Antiphilam, pone relictam, viderat, sed et *vivit* et *valet* sæpenumero apud Plautum conjunguntur. Cf. nostrum infra III. 1. 21. B.

4 *Minime mirum*] Servi non videntes adolescentes pergunt in sermone incepto. Mulieres a natura tardæ in incessu sunt: sed hic additur causa tarditatis, scilicet *ancillarum gregem ducunt secum*, ac si duceretur unus grex ovium. *Minime mirum*] Scilicet si relictæ sunt. C.

Minime mirum: adeo impeditæ] Mirandum non est, quod impeditæ sunt mulieres, quæ et *ancillarum gregem ducunt secum*, et plurima comportant. E.

Ancillarum greges] Sic λαίτρων ἀγέλας dixit Chrysostom. in Paul. ad Ephes. cap. 5. Hom. 20. Indecorum nimiram jam olim visum matronis, sine comite in publicum prodire. Quæ res in tantum luxum excrevit, ut parum esset, nisi (ut loquitur Ammian. Marcell. libr. XIV.) familiarum agmina, tanquam prædatorios globos post terga trahentes, conspicerentur. Videnl. Plautus Mercator. II. 3. l. 1. §. 2. l. 15. ff. de injur et famos. Aristenæt. lib. I. Epist. 9. Sed hac de re alibi fusius. L.

5 *Perii*] Cliniæ suspicio, quod amica corrupta sit, ab ancillarum grege oritur. Has enim ab aliis amatoribus esse putat. C.

Perii! unde illæ sunt?] Crescit error Clinise, ut magis credat esse corruptam, quod *ancillas* habeat et *aurum*. Hæc omnia meretricis, non illius mulieris sunt. Sed adhuc ignorat adolescens. E.

6 *Portant quid rerum?*] Ob hoc non est securus Syrus, quod mulieres relictæ sint. C.

7 *Et vesperascit, et non noverunt viam*] Causa cur non oportuit relictas. Quis enim tutus, si quid portat, et in nocte, et in incerto itinere? C.

Et vesperascit] Hoc est, nox fit: a vespere factum verbum est. E.

8 *Abi dum*] *Dum* παρέλκει. C.

9 *Væ misero mihi*] Magis suspicatur

CLIT. Quid istuc? quæ res te sollicitat autem? CLIN. Rogitas quid siet?
Viden' tu? ancillas, aurum, vestem? quam ego cum una ancillula
Hic reliqui: unde esse censes? CLIT. Vah! nunc demum intellego.
S. Di boni, quid turbæ'st? ædes nostræ vix capient, scio.
Quid comedent? quid ebibent? quid sene nostro erit miserius?
Sed video eccos, quos volebam. CLIN. O Juppiter! Ubinam est fides?
Dum ego propter te errans patria careo demens, tu interea loci
Collocupletasti te, Antiphila, et me in his deseruisti malis:

Clinia quod a Syro aurum et vestem audierit. C.

Nostri plerique omnes, et Victor. et Faerni aliquot recte habent *propere*. B.

Quanta de spe decidi!] Id varie effertur. Cicero, Fam. V. 5. *ex magna spe deturbatos*. Livius XXXVII. 26. *Antiochus posteaquam* a spe *societatis Prusiæ* decidit, *Ephesum ab Sardibus est profectus*. Suetonius, Oth. 5. *sed postquam Pisone prælato* spe decidit, *ad vim conversus est*. W.

10 Lege *qui istuc?* ut Eun. IV. 6. 7. et alibi. B.

12 *Unde ea esse censes?*] Unde essent ista, tanquam notum esset, non explicuit. C.

13 *Quid turbæ est?*] Persona servilis, utpote fidelis heri impensis timet. *Quid turbæ est?*] *Turba* primum perturbationem significat; inde *turbo turbas, perturbo, deturbo*. Dehinc multitudinem, quæ fore turbatione non vacat. *Capient*] Alias deligent significat. Virgil. Æn. I. 396. *aut capere, aut captas jam despectare videntur*. C.

14 Pro *seni*, omnes nostri et Faerni habent *sene*. Colloca *quid séne erit nostro miserius?* B.

15 *Eccos quos volebam*] Ecoum eccam, eccos eccas, ellum ellam, ellos ellas, ab ecce composita sunt: et per adverbia resolvuntur, non per nomina. *Eccum*, ecce hic: subintellige *virum* de quo agebamus. *Eccam*, ecce hic: subintellige feminam. Ita ellum, intellige, ecce illic virum, &c. *O Jupiter!*] Sic exclamat, dum putat ab amica esse se deceptum. C.

O Jupiter! ubinam est fides?] Nec dum soluta sibi suspicione, quærit (*queritur* Z.) adolescens, se esse desertum, ... (excidit, *et Antiphilam*) omisso amore amatoris sui in meretricios mores esse delapsam. E.

Lege ordine inverso, *sed eccos video quos vol.* ob consuetudinem Terentii. B.

16 *Propter te*] Quia tua causa a patre sum exclusus verborum increpationibus. *Errans*] Hinc *errones* dicuntur. C.

Interea loci] In libro Bemb. adscriptum est: *loci παρέλκον nam* loci *omni significationi addi solet*. *Ennius*: flamma loci postquam conclusast turbine sævo. FAERN.

17 *Collocupletasti*] Divitem fecisti. E.

Propter quam in summa infamia sum, et meo patri minus sum obsequens:
Cujus nunc pudet me et miseret, qui harum mores cantabat mihi,
Monuisse frustra: neque potuisse eum unquam ab hac me expellere:
Quod tamen nunc faciam: tum, quum gratum mihi esse potuit, nolui.
Nemo est miserior me. S. Hic de nostris verbis errat videlicet,
Quæ hic sumus locuti. Clinia, aliter tuum amorem, atque est, accipis:
Nam et vita'st eadem, et animus te erga idem ac fuit;

Male in prima syllaba acuitur *Antiphila*. Ergo ex omnibus fere nostris leg. *Collocupletasti, Antiphila, te et me*. B.

18 *In summa*] In querela amatoria consueverunt amatores ab amica decepti commemorare, quæ adversa causa illius acciderint. C.

Omnes nostri, deleto *sum*, habent *minus obsequens*. Male. B.

19 *Pudet me, et miseret*] Recte: quia post pudorem solet consequi misericordia. *Pudet*, verecundiæ est. *Piget*, pœnitentiæ. Terent. in Adelphis, *fratris me quidem pudet, pigetque*. Et bene *pudet*, de filio in patrem. In Andria, *tum patris pudor*. *Cantabat*] Hoc est, frequenter dicebat. Et significantius dixit *cantabat*. Et antiqui *canere* pro *eloqui* dixerunt. C.

Cujus nunc me pudet] Patris me pudet et miseret, qui frequenter harum mores dixit mihi, et frustra monuit. E.

Mores cantabat mihi] Plautus Trin. II. 2. 10. *hoc tibi quotidie canto ut caveas*. L.

Qui harum mores cantabat mihi] Invidiose dixit *harum*, intelligens unam Antiphilam. Ita Eun. I. 1. 3. Dixit porro, *cantabat*, uti Plautus, Trin. II. 2. 10. *hæc dies noctesque tibi* canto, *ut caveas*. Locutio ab oraculis desumta, quæ prædicebant, et canebant simul. Justinus XI. 7. *antiqua oracula* cecinisse. Vel a cantilenis sæpius repetitis; unde qui eandem rem sæpius dicerent, *eandem cantilenam canere* dicebantur. Phorm. III. 2. 10. W.

20 *Ab hac*] Sic dixit, quia nondum appulerat: etsi superius, *me deseruisti*, dixerit. C.

Monuisse frustra] Ms. R. et V. C. *monuisse frustra, dolet*. L.

Recte, ob versum, omnes collocant, *neque eum potuisse unquam*. Tum *expellere* e loco, domo, urbe, finibus, quidem recte dicitur; at nunquam, ab amica. Ergo corrige *aspellere*, h. e. abigere, arcere, ut Plaut. Trin. III. 2. 46. Merc. I. 2. 5. et alibi. Glossarium vetus, *aspellit*, ἀπωθεῖ. B.

21 *Tum, cum gratum mihi esse potuit*] Quia tunc fuissem patri obsecutus, et ejus morem gessissem voluntati. C.

22 *Hic de nostris verbis*] Superius, *portant quid rerum, et aurum et vestem* dixit. *Videlicet*] *Scilicet* et *videlicet* idem significare videntur quod *certe*: sed habent usum suum per amaritudinem cum derisu permixtam. Virg. Æn. IV. 379. *scilicet hic superis labor est*. Quintil. *hoc videlicet exspectasti*. C.

24 *Nam et vita'st*] Prima proposi-

Quantum ex ipsa re conjecturam cepimus.
CLIN. Quid est obsecro? nam mihi nunc nihil rerum omnium'st,
Quod malim, quam me hoc falso suspicarier.
S. Hoc primum, ut ne quid hujus rerum ignores; anus
Quæ est dicta mater esse ei antehac, non fuit:
Ea obiit mortem: hoc ipsa in itinere alteræ
Dum narrat, forte audivi. CLIT. Quænam'st altera?
S. Mane: hoc quod cœpi, primum enarrem, Clitipho:
Post, istuc veniam. CLIT. Propera. S. Jam primum omnium,
Ubi ventum ad ædis est, Dromo pultat fores:

tione volens servus solvere errorem suspicionis Cliniæ dicit, *et vita est eadem amicæ, et animus ille qui circa te fuit.* Verum meminisse debemus duas res esse propositas, ut et *vita eadem* probetur, et *idem animus.* Potuit enim in eadem muliere castitas perseverare, ut esset eadem vita, non tamen idem animus: potuit namque oblivisci amatoris sui, et non eum desiderare. Ideo adjecit: *et animus te erga idem, ac fuit.* E.

25 *Ex ipsa re*] Ex signis quæ dicturus est. C.

Solus Bembinus pro *cepimus* recte legit *fecimus.* Nam *conjecturam facere* sæpe apud nostrum et Plautum occurrit. B.

28 *Anus quæ dicta est mater*] Hoc contra illud est quod supra dictum a Clinia, *mater, sub imperio cujus est, mala.* C.

Ne quid hujus rerum] Quod nunciet servus anum periisse, quæ ei mater esse dicebatur, ad causam minime pertinebat. Ideo adjecit: *hoc primum tibi dico, ne aliquid harum rerum ignores.* E.

30 *Ea obiit mortem*] Hoc dictum ne ab illa corruptam amicam suspicetur. *Alteræ dum narrat*] Antiquum est. nos *alteri* dicimus. C.

Alteræ dum narrat] Hic jam præmissio alterius narrationis effecta est. Nata est suspicio ut quæreretur, quæ sit altera: cujus narrationem differt. Prior enim est de amica Cliniæ narratio. E.

Hoc ipsa in itinere] Priscian. lib. VI. *hæc ipsa in itinere.* L.

Lege, *ex ipsa in itere hoc, alteræ.* Nam vulgare *itínere* ad metrum habet in secunda accentum: quod est contra morem veterum, apud quos quadrisyllaba eaque brevia fere primam acuunt. Igitur hic et Phorm. III. 3.63. Terentius posuit *itere*, ab *iter.* Alii veteres a nom. *itiner* dixerunt in gen. *itineris.* B.

31 *Quænam est altera?*] Interrogat: quia nondum intellexerat amicam adventare. G.

32 *Mane: hoc quod*] V. C. sine. L.

33 *Propera*] *Properat* qui festinanter aliquid ait vel dicit. Virg. Georg. I. 260. *multa, forent quæ mox cœlo properanda sereno, Maturare datur. Jam primum omnium*] Sic incipit, ut multa pudicitiæ signa narraturus. Livius in primo ab urbe cond. c. I. *jam primum omnium satis constat.* Hic jam *primum omnium* est in primis vel in principio. Nam principium est primum omnium. Vel sic intelligas, *jam primum omnium*, i. e. ecce primum omnium, quod sequitur. C.

34 *Ubi ventum ad ædis*] Hic ergo breviter omnia argumenta, quæ a sum-

Anus quædam prodit: hæc ubi aperuit ostium,
Continuo hic se conjecit intro: ego consequor.
Anus foribus obdit pessulum: ad lanam redit.
Hinc sciri potuit, aut nusquam alibi, Clinia,
Quo studio vitam suam te absente exegerit,
Ubi de improviso est interventum mulieri:
Nam ea res dedit tum existumandi copiam

mo ad imum sunt, colligamus. Ac primum collocetur: casta est mulier, et eadem quæ fuit ante, perseverat: quod *anus processit*: quod *ostium aperuit*: quod *continuo ingressus est servus*: quod, postquam ingressus, statim *anus pessulum* rursus *foribus obdit*: quod *ad lanam redit*: quod *texentem telam studiose ipsam invenerit*: quod *mediocriter vestitam*; quod *sine auro*: quod *ita ornatam, quemadmodum sibi ornatur*; quod *nulla mala re expolitam muliebri*: quod *capillus ab ea rejectus circum caput fuerat negligenter*: quod *cum ancilla ea texebat, pannis ipsa contexta*. Hæc sunt quæ vitam probant. Rursus subjungitur, an idem animus circa Cliniam perseveret. Ideo interrogavit: *quid ait, ubi me nominas?* Subjungit ille: *ubi dicimus redisse te, &c.* Ergo et hic conjectura est, an idem animus perseveret. Probamus autem quod perseveret ex eo, quod ibi te nominavimus, *mulier telam deserit continuo, et lacrumis opplet os totum sibi, ut facile scires, desiderio id fieri tuo*. Completa igitur omni re, ad alteram narrationem necessario cito devolvitur, ut ostendat quæ illa altera sit mulier, de qua ante dixerat. E.

35 *Anus quædam prodit*] In Eunucho de vilissima persona, *prodi foras, male conciliate*. C.

Anus quædam prodit] Solitæ inter reliquum famulitium ancillæ quædam in ætate graviores esse: quarum officium erat, de capillamento dominæ in consilium ire, ut recte disponeretur, ac de forma ejus judicare. Lucian. in Amoribus, γεᾶες δὲ καὶ θεραπαινίδων ὁ σύμμορφος ὄχλος ἐν κύκλῳ παρεστᾶσι, πωλίοις φαρμάκοις καταφαρμακεύουσαι τὰ δυστυχῆ πρόσωπα. Juvenal. Satyr. VI. 497. *est in consilio matrona, admotaque lanis, Emerita quæ cessat acu: sententia prima Hujus erit: post hanc ætate atque arte minores*. Ergo in Bacchidis quoque familia anus est, qua illa sive pro cosmeta utebatur, sive pro scortationum sequestra et interruncia; vel ut illa est, de qua Apuleius Miles. IX. L.

36 Versus gratia leg. *hic se intro conjicit*, et priori versu leg. *aperit*. B.

Se conjecit intro] Nimirum ut Antiphilam necopinantem opprimeret. Est vero *conjicere se intro* magno cum impetu introrumpere. Lucilius, Lib. XXVIII. Conjice te intrò, *ac bono animo es*. Nepos, Themist. 8. *se in sacrarium, quod summa colebatur religione*, conjecit. W.

37 *Ad lanam redit*] Hæc signa sunt pudice vitam agentis. Sic in Andria, *primum hæc pudice vitam, parce, ac duriter agebat, lana et tela victum quæritans*. C.

38 Pro *hinc* Bemb. et alii recte *hic*. Nam sequitur *alibi*. Pro *aut nusquam*, quod unus tantum e nostris habet, duo *haud nusquam*: cæteri sat multi *haud usquam*. B.

39 *Vitam exegerit*] Aliter dicitur *exigere vitam, exigere fabulam, et exigere opus*. significat enim traducere, expellere, et finire. Exemplum primi est hic; secundi ut in Andria, *an exigendæ sint vobis prius*; tertium est operis, i. e. finire opus inceptum. C.

41 *Existimandi copiam*] Judicandi. *Æstimare* enim est considerare, *existimare* vero, judicare. Nam prius

Cotidianæ vitæ consuetudinem;
Quæ, cujusque ingenium ut sit, declarat maxume.
Texentem telam studiose ipsam offendimus;
Mediocriter vestitam veste lugubri,
Ejus anuis causa, opinor, quæ erat mortua:
Sine auro tum ornatam, ita uti quæ ornantur sibi:
Nulla mala re esse expolitam muliebri:

consideramus ea quæ judicanda sunt. C.

Meliores numeri efficiuntur, si cum cod. reg. leg. *nam ea túm res dédit existumandi.* B.

43 *Quæ cujusque ingenium*] In Andria, *nam qui cum ingeniis conflictatur ejusmodi, &c.* C.

44 *Telam*] *Tela* dicitur omnis pannus tam laneus, quam lineus. *Offendimus*] Reperimus. *Offendere* fere idem est quod reperire. C.

Victorius Var. Lect. IX. 15. ex Politiano laudat versum Menandri: Ἐξ ἱσταρίου ἐκρέματο φιλοπόνως πάνυ. W.

46 *Ejus anuis causa*] M. Varronem, et P. Nigidium viros Romanis generis doctissimos constat non aliter locutos esse et scripsisse, quam *senatuis* et *domuis*, qui est primus casus ab eo, quod est senatus et domus. C.

Ejus anuis] A. Gellius Noct. Attic. IV. 16. Probus in Catholicis. Charis. lib. I. Priscian. libb. VI. et VII. *Quæ erat*] V. C. *quæ tum erat.* L.

47 *Ornantur sibi*] Non ut placeant amatoribus. Honestæ enim mulieres rejiciunt vestium sordes, honesteque sibi vestiri cupiunt. C.

Ornantur sibi] V. C. *formantur.* Hieronym. ad Gaudent. *φιλόκοσμον genus feminarum est, multasque etiam insignis pudicitiæ quamvis nulli virorum, tamen sibi scimus libenter ornari.* Ideo nimius mundus et cultus meretrici potius, quam castæ convenit. Marcellinus in Hermogen. τὸ μὲν γὰρ ἁπλῶς καλλωπίζεσθαι, οὔπω σημεῖον πορνείας· ἡ δὲ συνέχεια ποιεῖ τὴν ὑποψίαν. L.

48 *Nulla mala re expolitam*] Hoc est, non fucatam. *Mala* enim a similitudine mali, hoc est, pomi, nomen assumsit. Nam id est, quod præeminet inter nasum, oculos et buccam, quod rotundum est, et in speciem mali. *Muliebri*] *Res muliebris* est fucus, quo mulieres molles utuntur ad expurgandam cutem, ne rugescat, seu solvatur in rugas, quod senescentibus contingit. C.

Nulla mala re] Plerique omnes, quos vidi, scripti codd. *Nulla malam re*, &c. atque explicatur *mala*, id est, *maxilla.* Plaut. Mostel. I. 3. 101. *quid cerussa opus est?* P. *Nam qui malas oblinam.* Ergo genuina erat Antiphilæ, non fucata aut purpurisso lita facies. *Res muliebres* vocat pigmenta et reliquas offucias, quibus mulieres sese ungere consueverunt, ut pulchriores videantur. Nam ut ait Pomponius IC. l. 21. §. 1. *etiam quo elegantiores sint et mundiores, unguntur feminæ:* Zeno Veron. Sermone de Continentia, *colorem de pyxide mutuantur*, &c. Ideoque inter mundum muliebrem referuntur unguenta, vasa unguentaria, et si quæ similia. Ulpian. l. 25. §. 10. ff. de auro, argento. Lucianus in Amoribus, Καθάπερ ἐκ φαρμακοπώλου πιξίδων ὄχλον, ἀγγεῖα μεστὰ πολλῆς κακοδαιμονίας. ἐν οἷς ὀδόντων σμηκτικαὶ δυνάμεις, ἢ βλέφαρα μελαίνουσα τέχνη θησαυρίζεται. Videndus totus locus: nam unus omnium rectissime hanc muliebris formæ interpolationem describit: et Zeno Veronens. Serm. de pudicitia, de Spiritu et corpore. Hieronym. Epist. ad Paulin. pag. 118. L.

Sex ex vetustioribus *malam*: duo cum edd. vett. omittunt *esse.* Guyetus delendum ut spurium, versum putabat;

Capillus passus, prolixus, circum caput
Rejectus negligenter. CLIN. Syre mi obsecro.
Ne me in lætitiam frustra conjicias. S. Anus
Subtemen nebat. præterea una ancillula.
Erat; ea texebat una, pannis obsita,
Neglecta, immunda illuvie. CLIT. Si hæc sunt, Clinia,
Vera, ita uti credo, quis te est fortunatior?
Scin' hanc, quam dicit sordidatam et sordidam?
Magnum hoc quoque signum'st, dominam esse extra noxiam;

nos, corrigendum ita: *nulla mala re interpolatam muliebri.* Per *malam rem muliebrem* intelliguntur pigmenta, ut cerussa, stibium, purpurissum, &c. vid. Ovid. Rem. A. 351. Lucret. IV. 1168. Plaut. Trin. II. 4. 153. *interpolare* autem, auctore Nonio, est novam formam e vetere fingere. Hoc verbum apud Plautum de pigmentis adhibetur. Most. I. 3. 105. et 116. Cf. Plaut. Amph. I. 1. 161. Ubi est: *illic homo me interpolabit, meumque os finget denuo.* B.

49 *Capillus*] *Capillum* dicit more suo crinem incultum. *Capillus passus*] Id est, sparsus. Virg. Æn. I. 484. *crinibus Illiades passis.* Sunt quædam verba, quæ a diverso veniunt præsenti: sed in præterito confunduntur: sicuti a patior, ita a pando passus descendit. Ideo legendum est in Passione Christi: *qui expassis manibus,* non *expansis.* C.

Pro *passus* leg. *sparsus,* quod non modo aliquot codd. habent, sed et auctoritate Ausonii Idyll. XII. firmatur: *totum opus,* ait, *hoc sparsum, crinis velut Antiphilæ: pax.* Et Propert. II. 1. *seu vidi ad frontem sparsos errare capillos.* Tum pro *prolixus* rep. *promissus.* Vid. Festus in *promissus capillus,* et Nonius v. Promittere. B.

50 *Pax?*] Adverbium Græcum, ut ait Priscianus. C.

Rejectus negligenter] Priscianus *rejectus negligenter; pax!* quæ vera est lectio: ut hinc scire possimus, cur Ausonius in technopægnio dixerit: *totum opus hoc sparsum, crinis velut Antiphilæ; pax!* ad hunc enim Terentii locum omnino respexit. L.

Leg. *rejectus negligenter, pax.* Dictioni *pax* in Bemb. margine hoc scholion adscriptum est: *tranquillantis, admirantis et sollicitudinem admittentis.* Male. Nam pax est silentium imponentis. B.

52 *Subtegmen*] I. e. filum, quod in tela texenda stamen intercurrit. C.

Pro *subtegmen* libri antiqui recte habent *subtemen;* quod in scholio Bemb. explicatur, *subtemen dictum ab eo quod subeat stamen.* B.

Terentius fere ad verbum expressit hic illud Menandri, quod laudat Victorius V. L. IX. 15. καὶ θεραπαινὶς ἦν μία· Ἄυτη συνύφαινεν, ῥυπαρῶς διακειμένη. W.

53 *Pannis obsita*] Sic in Eunucho, *pannis annisque obsitum.* Ita *pannis obsita* dicitur, ut ager obsitus spinis. C.

54 *Immunda illuvie*] *Proluvies et illuvies* significantiam habent parem, et immunditia est. Virg. Æn. III. 216. *fœdissima ventris illuvies.* C.

55 *Ita uti credo*] V. C. *ita ut hic dicit.* L.

56 *Sordidatam et sordidam*] *Sordidus* a natura dicitur. *Sordidatus* vero fit urgente necessitate. Vel habitu *sordidatam* et veste, corpore *sordidam* et illuvie *sordidatam,* refertur ad illud, *pannis obsita. Sordidam,* ad illud, *neglecta, immunda illuvie.* C.

Scin' hanc] Ms. R. *scin' tu hanc.* L.

57 *Extra noxam*] Hoc est culpam.

Quum ejus tam negleguntur internuncii:
Nam disciplina est eisdem, munerarier
Ancillas primum, ad dominas qui affectant viam.
CLIN. Perge, obsecro te, et cave ne falsam gratiam
Studeas inire. quid ait, ubi me nominas?
S. Ubi dicimus redisse te, et rogare uti
Veniret ad te: mulier telam deserit
Continuo, et lacrumis opplet os totum sibi:
Ut facile scires desiderio id fieri tuo.
CLIN. Præ gaudio, ita me Di ament, ubi sim nescio.
Ita timui. CLIT. At ego nihil esse sciebam, Clinia.
Agedum vicissim, Syre, dic quæ illa'st altera.

Noxa etiam significat damnum. Sueton. in Cæsare, cap. 81. *spurinamque irridens, et ut falsum arguens, quod sine ulla sua noxa idus Martiæ essent.* C.

58 *Internuncii*] *Internuncii*, qui nuncia serunt ad amatores, et referunt ad amatas. Quos aliqui gynægogos dicunt a ducendis mulieribus. Utrum bene, nec ne, ipsi viderint. C.

Scholiastes Bembini, *internuncios pro servis posuit, sed sententia hæc ita est, qui non negligerentur, si essent internuncii.* Cæterum omnes nostri, præter unum, ita verba collocant: *cum tam negliguntur ejus internuncii.* Corrige, *negligitur ejus internuncia.* Nam servos nullos habuit domina. B.

59 *Nam disciplina est*] Præceptum in arte amandi, I. 351. ut amatores prius ancillas corrumpant. C.

Dubitant interpretes de *iisdem*. Forte leg. *nam disciplina est secta.* Gellius XX. 1. *scies enim me pro disciplina sectæ quam colo, inquirere potius, quam decernere.* B.

60 *Affectant*] *Affectare* est pronum animum ad faciendum habere. Ut dicit Festus. Laurentius dicit, *affectare* esse affectu et conatu alterius virtutem æmulari, quam assequi nequeas, refragante natura. Servius autem hic interpretatur *affectant*, viam præparant; quemadmodum et illud Virgilianum, Georg. IV. 562. *viamque affectat Olympo*, interpretatur, ille præparat sibi divinos honores, seu disponit. C.

Ancillas primum] Hieronym. ad Gaudent. *solent lascivi comtuli juvenes blandimentis, affabilitate, munusculis aditum sibi per nutrices ad alumnas quærere.* Vid. Ovid. de arte amandi. Lysias in Apol. *Qui affectant*] Servius Æneid. III. 670. Junius Philarg. Georg. IV. 562. L.

61 *Falsam gratiam*] Scilicet mentiendo. Nam ipso rescito gratia inita frustaberis. C.

64 Placet cum Bemb. legere *desinit* pro vulgari *deserit*. Nam *deserere telam* est abire, aufugere a tela; sed *desinere* est intermittere. B.

65 *Opplet os*] Nam ex nimio gaudio interdum lacrymæ provenire solent. Apuleius, Metam. I.: *tunc ego sensi naturaliter quosquam affectus in contrarium provenire. Nam ut lacrymæ sæpicule de gaudio prodeunt; ita et in illo nimio pavore risum nequivi continere.* C.

66 Ne syllaba huic versui supersit, corrige *scias*, et pronuncia, et monosyllabon. B.

68 Verbum *sciebam* scholiastes Bemb. interpretatur, *quod timebas.* FAERN.

69 *Agedum*] *Age* singularem nume-

S. Adducimus tuam Bacchidem. CLIT. Hem! quid Bacchidem? 70
Eho sceleste, quo illam ducis? S. Quo ego illam? ad nos scilicet.
CLIT. Ad patremne? S. Ad eum ipsum. CLIT. O hominis impudentem audaciam! S. Heus,
Non fit sine periclo facinus magnum et memorabile.
CLIT. Hoc vide; in mea vita tu tibi laudem is quæsitum, scelus: 74
Ubi si paululum modo quid tete fugerit, ego perierim.
Quid illo facias? S. At enim. CLIT. Quid enim? S. Si sinas dicam. CLIN. Sine.

rum desiderat: *agite* pluralem: *agedum* vero utrumque. *Quæ est illa altera?*] Interrogat non immemor verborum Syri, *O Clitipho: post isthuc veniam*, C.

70 *Hem! quid?*] *Hem* interjectio est novas res nec opine audientis. C.

Adducimus tuam] Quo facilius blandiri adolescenti possit, adjicit *tuam*. E.

Etsi Donatus ad Adel. IV. 4. hic legit *abduximus:* tamen ob consensum codd. retinendum putamus *adducimus*. B.

71 *Eho*] Interjectio admonentis attentionem, et ut sistatur gradus, poscentis. *Quo illam ducis?*] Hoc cum timore pronunciandum. Timet ne pater illius amicam cognoscat. C.

Quo illam ducis?] V. C. *abducis*. L.

72 *O impudentem audaciam!*] Bene *audaciam:* quæ proprie est temeritas. C.

Ut versus quadratus et plenus sit, leg. cum codd. omnibus nostris et edd. vett. sub finem, *heus tu!* B.

73 *Heus tu! non fit sine periculo facinus*] Sententia generalis, quæ et servis convenit. C.

Heu! non fit sine periculo] Quoniam interrogatus servus, quo duceret Bacchidem, respondit, *ad patrem*. Quod ægre ferens adolescens, cum indignatione audacem servum pronunciavit: continuo ille respondit, *facinus magnum et memorabile fieri nunquam posse, sine aliquo periculo*. Ita in hoc quoque periculum est, cum, patre præsente, in domo futura sit meretrix. Tamen studet, ut nihilominus celari possit. E.

Non fit sine periculo] Contra Juvenal. Satyr. XIV. 224. *nullus enim magni sceleris labor*. Ubi scholiastes hunc Terentii locum laudat. L.

Pro *memorabile* leg. *commemorabile;* quia in codd. quibusdam legitur *nec memorabile*. Nam olim *com* et *con* una literula, C nempe inversa scribebatur. Igitur facile potuit excidere. Cæterum huc pertinet illud Menandri apud Gellium II. 23. *μέγα καὶ παράβυστον ἔργον*. B.

74 *Hoc vide!*] Sic dicere solemus his, qui res maximas aggrediuntur. C.

Hoc vide; in mea vita] Scelus, quam astutus ad gloriam. Siquidem meo periculo tu tibi comparare vis laudem! E.

Post *scelus* signum interrogandi figendum est. B.

75 *Ubi si paululum*] Verba proprie alicujus committentis alteri cum periculo vel res suas vel salutem. C.

Parum modo fugerit] In quo negotio si te fefellerit aliqua consilii pars, ego continuo perierim. E.

Pro *tete* Bentleius edidit *te*. Z.

76 *At enim*] Aliquid supplendum.

CLIT. Sino. S. Ita res est hæc nunc, quasi cum.
CLIT. Quas, malum, ambages mihi
Narrare occipit? CLIN. Syre, verum hic dicit; mitte:
ad rem redi.
S. Enimvero reticere nequeo: multimodis injurius,
Clitipho, neque ferri potis est. CLIN. Audiendum hercle
est: tace.
S. Vis amare: vis potiri: vis, quod des illi, effici:

Syrus dicere volebat, aut in ea re non esse periculum: aut se effecturum quod intendit. Sed illius sermonem Clitipho interrupit. C.

Quid illo facias?] Quid deinde facturus es? *At enim*] Pendens oratio hac intercessione efficitur adolescentis: qui non patitur eum ambagibus circuire. Ideo enim dicit, *quid enim?* E.

Lege *quid illa facias?* h. e. Bacchide. Quid cum meretrice agas in domo patris? Tum leg. *si sinis, dico.* Duo codd. enim habent *dico.* B.

77 *Ita res est hæc nunc, quasi cum*] Hæc oratio imperfecta est: utpote a Clitiphone, qui impatiens audiendi est, interrupta. Recusat enim Clitipho pericula: et vult amica sine his potiri, quod Syrus fieri posse negat: quia necesse est, si amare vult, ut admittat pericula. Ergo subintelligendum est, quod hic velit compos esse voti sui sine periculo: quemadmodum si aliquis sine belli periculo velit consequi victoriam, aut aliquid tale: ut sit proverbium usitatum in ignavos, qui sine labore consequi volunt quod optant. *Ita res hæc*] Aut comparationem quandam voluit inducere, et non patitur Clitipho, qui negotium audire et rem solum vult; aut, quia simile quærebat, et extra rem est, ideo ille ambages dicit; aut quia hoc secus ac contemnens dicit. *Hæc*] An Bacchis, an Antiphila, incertum. Est enim hic oratio imperfecta a Clitiphone interrupta. Nunc *quasi* quid velit dicere, nescitur, interruptione impediente Et ideo liberum est unicuique subintelligere, quod placeat. *Malum*] Adverbium est interpositæ indignationis. C.

Ita res est] Hic nunc voluit servus quasi quandam similitudinem dare, ut sic ostenderet, quale sit illud consilium quod ipse disposuit. Sed quoniam similitudo cum datur, quidam est in oratione circuitus, idcirco adjecit (adde, *Clitipho*, aut, *adolescens* Z.) *quas, malum, mihi ambages narrare occipit?* Denique et alter adolescens hoc intellexit, unde adjecit: *Syre, verum hic dicit, mitte ista quæso.* Scilicet externa et per similitudinem translata. Unde admonuit eum, quod dixit, *atque ad rem redi.* E.

78 *Mitte; ad rem*] V. C. *mitte ista: atque ad.* L.

79 *Enimvero reticere nequeo: multimodis injuriosus, Clitipho, es*] Unde jam tacere non possum. Bene indignationem suam servus extulit, quo facilius sibi adolescentem per suam iracundiam præpararet. E.

Scribe *injuriu's.* B.

80 *Neque ferri potis est*] Pro, non potest. C.

Audiendum hercle est: tace] Ms. R. *audiendum hercle'st, tace.* CLIT. *Quid est, vis.* fors fuat an legendum: *quid est, vis amare*, &c. L.

Post *tace* nostri omnes addunt. CLIT. *Quid est?* nisi quod unus id habeat loco τοῦ *tace.* Sed vulgaris lectio est retinenda. Nam Clinia, qui ex vultu videt Clitiphonem esse interpellaturum, silentium præberi jubet. B.

81 *Vis potiri*] *Potior* a potis descendit: ideo illi in significatione est simillimum. Dicitur enim, *sum compos ani-*

Tuum esse in potiundo periculum non vis: haud stulte sapis:
Siquidem id sapere'st, velle te id, quod non potest, contingere.
Aut hæc cum illis sunt habenda, aut illa cum his amittenda sunt. 84
Harum duarum conditionum nunc utram malis, vide:
Etsi consilium, quod cepi, rectum esse et tutum scio.
Nam apud patrem tua amica tecum sine metu ut sit, copia'st.

mi, aut rationis, quod hæc habeo. *Vis, quod des illi, effici*] Pro invenire positum. C.

Potiri] H. e. amoribus frui. Ovid. Art. Amator. I. 711. *ut potiare roga, tantum cupit illa rogari.* R. D.

Effici] I. e. inveniri, comparari paulo post. v. 89. Cic. Verr. II. 53. *jam Timarchides quantam pecuniam fecerit*, &c. Sic *efficere milites, naves*, &c. pro *parare*. v. interpret. ad Liv. XXIII. 25. R. D.

82 *Haud stulte sapis*] Εὐφυῶς. Id enim velle sine periculo, quod fieri non potest, est insipientis. C.

Haud stulte sapis] Non stulte, inquit, sapis, et cum ames, et potiri desideres, et pecuniam dari, interea tu nullum periculum velis sustinere. Hoc autem stultitia est protinus *velle id, quod non potest, contingere*. E.

Haud stulte] I. e. prudenter. Ovid. Art. Amator. III. 253. *quam non stulte Menelaæ reposcis.* Hanc elegantem formulam explicat. Bentl. ad Horat. Serm. II. 3. 158. R. D.

84 *Aut hæc*] Scilicet pericula. *Cum illis*] Invidiose *illis*, cum in una sit. Sic in Eunucho, *non perpeti meretricum contumelias.* C.

Aut hæc cum illis sunt] Aut enim debent fructum et potiundi utilitatem cum periculo sustinere: aut pariter et commoditas omittenda est, si periculum devitatur. E.

Versus probat lectionem Bembini, *mittenda* pro vulgari *amittenda*. B.

85 *Harum duarum conditionem*] Hoc sic infert Syrus, ut tandem velit consilium suum anteferri. *Harum duarum conditionum*] Aut velle pericula cum amica, aut amittere eam una cum periculis. *Condictio*, est actio in aliquem, vel denunciatio. *condicere* enim prisca lingua, est denunciare. *Conditio* vero sine *c*, ut hic est legendum, est conventio certam legem in se continens. Alibi Terent. *accepit conditionem, dehinc quæstum occipit.* Dicitur etiam *bonæ conditionis*: ita ut referas ad fortunas, non ad mores, id est, dives est. Est enim *conditio* inter plura eligenda, sortis oblata electio. *Conditionum*, id est, optionum, electionum. C.

Harum duarum nunc] De duabus illis propositis conditionibus aut periculum, aut fructum capiat, aut si periculum fugiat, utilitatem etiam pariter contemnat. Ex his, inquit, quamlibet conditionem eligat. E.

86 *Scio hoc consilium*] Incitare adolescentem cupit, ne frustra operam perdiderit, quod meretricem adduxit, itaque ostendit tutum consilium esse, quod suscepit: *ut apud patrem amica sit sine metu*, et argentum, quod promissum est, inveniri possit. E.

Nostri, *etsi hoc consilium*. Sed ut *consilium* syllaba ultima cum *hoc* coalescat, repone *etsi consilium hoc, quod*, &c. B.

Tum, quod illi argentum es pollicitus, eadem hac inveniam via:
Quod ut efficerem, orando surdas jam auris reddideras mihi.
Quid aliud tibi vis? CLIT. Siquidem hoc fit. S. Siquidem, experiundo scies.
CLIT. Age age, cedo istuc tuum consilium: quid id est? S. Adsimulabimus,
Tuam amicam hujus esse. CLIT. Pulchre: cedo quid hic faciet sua?
An ea quoque dicetur hujus, si una hæc dedecori est parum?
S. Imo ad tuam matrem abducetur. CLIT. Quod eo? S. Longum'st, Clitipho,
Si tibi narrem, quamobrem id faciam: vera causa est. CLIT. Fabulæ:
Nihil satis firmi video, quamobrem accipere hunc mihi expediat metum.

89 *Quod ut efficèrem*] Superius, *vis, quod des illi, effici.* Id *efficimus*, quod cum magno conatu et molimine facimus: vixque per nos finem accipit. C.

90 *Siquidem*] Syrus repetit verbum Clitiphonis quod per id eum dubitare videat. C.

Siquidem hoc fit] Quam cito est motus adolescens, quando utrumque est *(esse servus)* dixit præparatum, et ut amica in domo patris sine metu sit, et argentum ei quod debitum est reddi possit. *Experiundo scies*] Ipsa actione expertus agnosces. E.

Ne *siquidem* in repetitione diverso accentu proferatur, repone, *quid alid tibi vis? Siquidem hoc fiet. Siquidem experiundó scies.* Nam *alis* pro *alius* vetuste dictum vett. grammatici docent omnes: *alis* in Catullo occurrit: *alid* pro *aliud* sæpe in Lucretio. Tum *fiet* sensu ipso comprobatur. B.

91 *Adsimulabimus tuam amicam*] Callide Clitiphonis amica, Cliniæ esse simulatur, ut Antiphila ad Sostratam deducatur, quæ postea agnoscetur filia Chremetis: qua cognita, et altero consilio invento a Syro, extorquebitur argentum a Chremete, quod Clitipho Bacchidi promiserat. C.

93 *Dedecori est parum?*] Turpe est habere unam amicam, nedum duas. C.

94 *Quid eo?*] Cum interrogatione: quasi dicat, quid tum, si ad matrem deducetur? C.

Lege cum codd. *deducetur.* B.

95 *Fabulæ!*] Recte *fabulæ:* quia neque veræ sunt, neque verisimiles. C.

Vera causa] I. e. justa in Eun. V. 4. 3. *quantum et quam veram laudem capiet.* R. D.

96 *Nihil satis firmi*] Nullam rationem video firmitatis in consilio, ut debeam talem metum suscipere, ut apud patrem amica sit. E.

Firmi] *Firmum* est certum, verum. Sallust. in Jugurtha c. 64. ubi v. Cort. R. D.

S. Mane, habeo aliud, si istud metuis: quod ambo confiteamini
Sine periclo esse. CLIT. Hujusmodi, obsecro, aliquid repperi. S. Maxume.
Ibo obviam hinc: dicam, ut revortantur domum. CLIT. Hem!
Quid dixti? S. Ademtum tibi jam faxo omnem metum;
In aurem utramvis otiose ut dormias. 101
CLIT. Quid ago nunc? CLIN. Tune? quid boni est. CLIT. Syre, dic modo
Verum. S. Age modo: hodie sero, ac nequicquam voles.

97 *Mane, habeo aliud*] Hoc irridens dicit; vult enim obvius ire meretrici, et dicere ut domum revertatur (*revertantur*. Ed. Leidensis). Aliter enim incitari adolescentis animus non potest, qui fastidiosus cœpit esse per copiam, nisi id quod cupit denegetur. E.

Versus et sententiæ gratia repone: *máne, habeo aliud, si íste est métus, quod a.* B.

98 *Hujusmodi, obsecro, aliquid*] Quam stulte amans inducitur credere Syrum, qui jocatur, jam habere aliquid, quo potiatur amica sine periculo. C.

Hujusmodi obsecro] V. C. *istiusmodi*. L.

99 Pro *hinc*, quod est ineptum, rescribe, *huic*, h. e. Bacchidi. Sic quoque extat in cod. Meadino. Tum lege *revortatur*. Nam Antiphila non potest una intelligi; alioqui Clinia non tacuisset. B.

Ibo obviam hinc] Rectissime Bentl. e Mss. legit *ibo obviam huic* i. e. Bacchidi. R. D.

101 *In aurem utramvis*] Loco proverbii, in eos, qui securi et otiosi vitam ducunt. Talis sententia et apud Menandrum, quæ Latine sic exprimitur: *in aurem utramque, quum quidem dotata est, cubet*. Per aurem dextram dextrum latus designat, per sinistram vero latus sinistrum. C.

In aurem utramvis] Basilius Magnus πρὸς τοὺς νέους· ἐπ' ἄμφω καθεύδωσι. Plaut. Pseudol. I. 1. 121. *de isthac re in oculum utrumvis conquiescito*. C. *Oculum utrum, anne aurem?* P. *At hoc pervulgatum est minus*. L.

Menander apud Gellium II. 23. Ἐπ' ἀμφοτέραν ἴν' ἐπίλυπος ᾖ, μᾶλλον καθεύδήσειν. Ita nos locum corruptum emendandum censemus. Z.

In aurem utramvis dormire] Proverbium est de iis qui nihil metuunt, in summa securitate sunt. Plin. epist. IV. 29. Plaut. in Asin. II. 1. 5. pro eo dixit *dormitare in otio*. v. Burmann. ad Petron. c. 51. R. D.

102 *Quid ago nunc?*] Dubius et circa pericula, et circa amicam, quærit consilium. *Quod boni est*] Nam *boni* est velle abscedere lascivas mulieres. Et hoc totum dicit ridendo eum. C.

Tune? quid boni] Præcisa hæc oratio ordine tali: *Tune? quod boni est, fruare, dum licet*. Rursus alia præcisa: *nam nescias*] Cujus ordo est; *ejus sit potestas, posthac nunquam*. E.

Quod boni est] Quod boni jungendum cum *age modo*. Nam Clitipho Syri orationem interrumpit. Minus bene h. l. tentat Schwarzius ad Plin. panegyr. c. 34. R. D.

103 *Age modo*] Sic pronunciandum est, ut Syrus discedat, et dicat amicæ Clitiphonis, ut domum revertatur. *Ac nequicquam*] Id est, frustra voles, quo-

CLIN. Datur: fruare dum licet: nam nescias
Ejus sit potestas posthac, an nunquam, tibi.
CLIT. Syre, inquam. S. Perge porro, tamen istuc ago.
CLIT. Verum hercle istuc est: Syre, Syre, inquam, heus heus Syre.
S. Concaluit. quid vis? CLIT. Redi, redi. S. Adsum, dic quid est?
Jam hoc quoque negabis tibi placere. CLIT. Imo, Syre,
Et me, et meum amorem, et famam permitto tibi.
Tu es judex: ne quid accusandus sis, vide.
S. Ridiculum est, te istuc me admonere, Clitipho;

niam statim revocabis voluntatem, et impedies, quo minus dicam verum, ut prius fecisti. Vel si *ne* et *quicquam* sint duo verba, tunc sic construe, *ac ne*, i. e. non voles, non permittes, *quicquam* scilicet dici a me. Nam impedies, ut prius. C.

106 *Syre, inquam*] Interea Syrus ad mulieres se conferebat, quem abeuntem Clitipho primo paululum revocat; deinde ipso calescente magis ac magis amore, et Syro pergente, vehementissime revocat. *Syre inquam*] Trepide Syrum revocat jam decedentem. *Tamen istuc ago*] Quod cœpi, scilicet ut dicam amicæ, ut domum redeat. C.

Tamen istuc ago] Sensus est: etsi abeo, tamen ad tua verba attendo. Nam particula *tamen* sæpe eleganter ponitur, quasi aliud membrum *etsi*, cui respondere solet, præcessisset. R. D.

107 *Verum hercle istuc est*] Verba credituli et trepidi amantis et concedere nolentis Syro, ut quod constituerit peragat. C.

Totus locus sic est constituendus inde a versu 102. *Clit.* Quid ago nunc? *Clin.* Tune? quod boni —— *Clit.* Syre, dic modo verum. *S.* Age modo: hodie sero ac nequicquam voles. *Clin.* Di dant, fruare, dum licet: nam nescias —— *Clit.* Syre, inquam. *S.* Perge porro, tamen istuc ago. *Clin.* Ejus sit potestas posthac, an nunquam tibi. *Clit.* Verum hercle istuc est. Syre, Syre, inquam, heus heus Syre. Addidi notam—ut verba Cliniæ interrumpi indicarem, totamque ejus orationem sic oportere continuari: *quod boni Di dant, fruare dum licet: nam nescias, ejus sit potestas posthac an nunquam tibi.* B.

108 *Concaluit*] Bene de amore *concaluit*. In Eunucho, *accede ad ignem hunc, jam calesces plus satis. Concaluit*] Id est, amoris igne ardescit, quapropter me sic revocavit. *Adsum*] Hoc dicit, postquam paululum redîit, ac prope Clitiphonem fuit. C.

Concaluit] Calore subito concitatus est. E

111 *Ne quid accusandus*] *Ne quid*, deest *ob* vel *propter*. Et est admonitio aliquid alicui trepide committentis. C.

Cum intelligi nequeat, quomodo Syrus sit *judex*, aut cur *videat, ne accusandus sit*; quis enim accusare solet judicem suum? pro *judex* reponendum esse existimo *inlex*, h. e. tu me in hoc periculum illicis; cave ne accusandus sis, neve quid præter opinionem accidat. Sic Plaut. Asin. I. 3. 68. *esca est meretrix, lectus inlex est, amatores aves.* B.

Tu es judex] Cum judicem suum nemo accusare soleat, Bentleio legendum videtur *tu es illex* i. e. tu me in hoc periculum illicis. Plaut. in Pœnulo III. 4. 35. *qui illi malæ rei antefuimus illices.* R. D.

Quasi istic minor mea res agatur, quam tua.
Hic si quid nobis forte adversi evenerit,
Tibi erunt parata verba: huic homini verbera.
Quapropter hæc res neutiquam neglectu'st mihi:
Sed istunc exora, ut suam esse assimulet. CLIN. scilicet
Facturum me esse: in eum jam res rediit locum,
Ut sit necesse. CLIT. Merito te amo, Clinia.
CLIN. Verum illa ne quid titubet. S. Perdocta'st probe.

113 *Quasi istic minor mea res agatur*] Securius committimus his ad quos non minus pertinet quod agendum, quam ad nos. *Quasi*] Quasi dicat, videris ita admonendo me putare, quod minus mihi ex ea re impendeat periculum quam tibi. Vel quod minus ad me spectet, quam ad te, id caute fieri. Nam cum Horatius ep. I. 18. 84. inquit, *nam tua res agitur, paries cum proximus ardet*, intelligitur sic, tibi imminet periculum proxime ardente te vicino pariete; vel negotium de incendio parietis vicini ad te pertinet. Nam *res* in eo dicendi genere capitur pro negotio. Præterea hæc particula *quasi* hic capitur ironice, ut sæpe, præcipue cum jungitur cum *vero*, etiam sine *vero*. Exemplum plena sunt omnia. C.

Quasi ista minor] In hoc consilio magis mihi periculum propositum est, quam tibi. *nam si aliquid adversi contigerit, tibi verba sunt præparata, mihi vero verbera*. Unde hanc rem negligere omnino non possum. E.

Repone, *quasi istic méa res minor agatur*. B.

Quasi istic] I. e. quasi in minore periculo verser: quæ tamen locutio fluxit e indiciis, ubi, quam diu *res agitur* vel ejus lis pendet, periculum est ne quis causa cadat. Hor. epist. I. 18. 84. Sen. de clement. I. 20. R. D.

115 *Huic homini verbera*] Amabant veteres de proximo similia dicere. Cic. in Verrem IV. 12. *minus carum putavit fore quod de armario, quam quod de sacrario fuisset ablatum. Homini huic*] Δεικτικῶς hæc dixit, se ipsum ostendens. *Homini huic*] Id est, mihi. Nam *hic* dicitur de persona loquentis; *iste* de persona audientis, *ille* de persona remota ab utroque. C.

Huic homini] I. e. mihi. v. in Ad. V. 7. 8. et Muretum ad h. l. R. D.

116 *Hæc res*] Immo est maxime mihi curæ; nam res mea agitur, et in ea periculum mihi commune tecum impendet. C.

Neglectu'st mihi] Ms. R. *neglectui*. L.

117 *Scilicet facturum me esse*] Antiqua construendi ratio. Nam veteres *scilicet, videlicet, fortassis* quod contracta sunt ex *scire licet, videre licet, forte an sit* cum infinitivo jungunt. Plaut. in Pseud. IV. 7. 83. Lucret. II. 468. ubi v. Lambin. infra IV. 8. 16. *scilicet datum iri* ubi v. Bentlei. Plura Gronov. observ. III. 9. et Schulting. ad Senecæ suasor. V. p. 40. R. D.

118 *In eum jam res rediit*] Intelligit Clinia, cum apud illum sit hospes, necessitatem sibi impositam, uti hoc quod ab eo petitur, negare (excidit *non* Z.) possit, ut assimulet amicam suam esse meretricem. E.

In ordine verborum variant codd. Sed unus recte habet, *in eum res rediit jam locum*. B.

Menander: Τρία γὰρ ἐστι δέσποτα, δι' ὧν ἅπαντα γίγνεται, Ἢ κατὰ νόμους, ἢ ταῖς ἀνάγκαις, ἢ γε τρίτον ἔθει τινί. W.

119 Pro vulgari *necesse*, Bembinus habet *necessus*. Igitur, quia in illa sede spondæus trochæo est potior, repono *necessum*. B.

120 *Ne illa quid titubet*] Subaudi

CLIT. At hoc demiror, qui tam facile potueris
Persuadere illi, quæ solet quos spernere!
S. In tempore ad eam veni, quod rerum omnium'st
Primum: nam quendam misere offendi militem
Ejus noctem orantem: hæc arte tractabat virum,
Ut illius animum cupidum inopia incenderet:
Eademque ut esset apud te hoc quam gratissima.

timeo. *Titubare* proprie est pedibus non valentis insistere, quales sunt ebrii. Ad animum quoque transfertur quoties ab animo verba dissentiunt. Veretur igitur Clitipho, ne quid temere effundat quo se indicet. *Perdocta'st probe*] Aut *per* poetice abundat, aut *probe*. C.

Titubet] *Titubare* proprie dicitur de pedibus vacillantibus, unde transfertur ad linguam errantem. Plaut. in Pseud. IV. 1. 32. ubi v. Gronov. R. D.

122 *Quæ solet quos spernere!*] *Quos*, id est, quales amatores. Virg. Æn. IV. 536. *quos ego sum toties jam dedignata maritos*. C.

Quos spernere] I. e. quantos, summo loco et summis opibus adolescentes. Exempla hujus significationis supra dedimus. R. D.

123 *In tempore ad eam*] In occasione. Ut, Æn. IV. 423. *sola viri molles aditus et tempora noras*. E.

In tempore ad eum] Auson. in Pittaco: *Romana sic est vox, venito in tempore: vester quoque ille comicus Terentius rerum omnium primum esse tempus autumat, ad Antiphilam quo venerat servus Dromo. Nullo impeditam, temporis servans vicem.* Dromoni attribuit partes Ausonius, quæ Syri sunt, memoriæ, ut puto, lapsu. L.

124 *Miserum quendam offendi*] Recte *miserum* dixit, ut ostenderet non admissum, arte, scilicet meretricis. C.

Quendam offendi militem] Hæc fuit occasio, quod voluit miserum militem de negatione sua in amorem amplius suscitare. E.

Misere offendi] Ms. R. *miserum offendi ibi militem*. L.

Scholiastes Bemb. *misere*, explicat, *nimis: quia omne nimium non bonum. Alibi: eam misere amat.* FAERN. Equidem legendum puto; *nam miserum quendam offendi ibi militem.* Nam omnes nostri sic legunt, sed sine *ibi*, quod tamen reperitur in aliis, ubi *misere* est. Certe *miserum*, h. e. parcum, tenacem, ut infra III. 2. 15. sensus postulat. Nisi enim parcus esset, cur *arte* tractaret? Si prodigus, meretrix statim noctem dedisset. B.

125 *Noctem*] I. e. concubitum. Cic. ad Attic. I. 16. *etiam noctes certarum mulierum atque adolescentulorum nobilium introductiones nonnullis judicibus pro mercedis cumulo fuerunt.* Ovid. Remed. Amor. V. 728. v. Heins. ad Ovid. Art. Amator. II. 308. R. D.

Arte tractabat virum] I. e. astutia meretricia. Virg. Æn. I. 657. ubi v. Servium. *Tractare aliquem* significat aliquem suo arbitratu ludere. infra III. 2. 45. v. Pricæum ad Apul. Metam. VIII. p. 461. et Burmann. ad Petron. c. 44. p. 277. R. D.

126 *Inopia*] Scilicet sui. Ovidius, Amor. III. 4. 17. *nitimur in vetitum semper, cupimusque negata*. C.

Cupidum] Hæc vox proprie dicitur de amantibus vel libidine incensis. Tibull. I. 9. 58. ubi plura Broukhus. in Phorm. I. 3. 6. R. D.

Inopia] Est negatio petitæ noctis et opponitur copiæ quam sui facit meretrix. Eo sensu inopia vix alibi reperitur. R. D.

127 Recte Faernus probat Bembini *gratissimum* pro vulgari *gratissima*. Cui *eadem* adverbialiter sumendum videtur, uti quoque a scholiaste Bemb. explicetur, *eademque, antique posuit pro una.*

Quasi istic minor mea res agatur, quam tua.
Hic si quid nobis forte adversi evenerit,
Tibi erunt parata verba: huic homini verbera.
Quapropter hæc res neutiquam neglectu'st mihi:
Sed istunc exora, ut suam esse assimulet. CLIN. scilicet
Facturum me esse: in eum jam res rediit locum,
Ut sit necesse. CLIT. Merito te amo, Clinia.
CLIN. Verum illa ne quid titubet. S. Perdocta'st probe.

113 *Quasi istic minor mea res agatur*] Securius committimus his ad quos non minus pertinet quod agendum, quam ad nos. *Quasi*] Quasi dicat, videris ita admonendo me putare, quod minus mihi ex ea re impendeat periculum quam tibi. Vel quod minus ad me spectet, quam ad te, id caute fieri. Nam cum Horatius ep. I. 18. 84. inquit, *nam tua res agitur, paries cum proximus ardet*, intelligitur sic, tibi imminet periculum proxime ardente te vicino pariete; vel negotium de incendio parietis vicini ad te pertinet. Nam *res* in eo dicendi genere capitur pro negotio. Præterea hæc particula *quasi* hic capitur ironice, ut sæpe, præcipue cum jungitur cum *vero*, etiam sine *vero*. Exemplum plena sunt omnia. C.

Quasi ista minor] In hoc consilio magis mihi periculum propositum est, quam tibi. *nam si aliquid adversi contigerit, tibi verba sunt præparata, mihi vero verbera.* Unde hanc rem negligere omnino non possum. E.

Repone, *quasi istic méa res minor agatur*. B.

Quasi istic] I. e. quasi in minore periculo verser: quæ tamen locutio fluxit e indiciis, ubi, quam diu *res agitur* vel ejus lis pendet, periculum est ne quis causa cadat. Hor. epist. I. 18. 84. Sen. de clement. I. 20. R. D.

115 *Huic homini verbera*] Amabant veteres de proximo similia dicere. Cic. in Verrem IV. 12. *minus carum putavit fore quod de armario, quam quod de sacrario fuisset ablatum. Homini huic*] Δειικτικῶς hæc dixit, se ipsum ostendens. *Homini huic*] Id est, mihi. Nam *hic* dicitur de persona loquentis; *iste* de persona audientis, *ille* de persona remota ab utroque. C.

Huic homini] I. e. mihi. v. in Ad. V. 7. 8. et Muretum ad h. l. R. D.

116 *Hæc res*] Immo est maxime mihi curæ; nam res mea agitur, et in ea periculum mihi commune tecum impendet. C.

Neglectu'st mihi] Ms. R. *neglectui*. L.

117 *Scilicet facturum me esse*] Antiqua construendi ratio. Nam veteres *scilicet, videlicet, fortassis* quod contracta sunt ex *scire licet, videre licet, forte an sit* cum infinitivo jungunt. Plaut. in Pseud. IV. 7. 83. Lucret. II. 468. ubi v. Lambin. infra IV. 8. 16. *scilicet datum iri* ubi v. Bentlei. Plura Gronov. observ. III. 9. et Schulting. ad Senecæ suasor. V. p. 40. R. D.

118 *In eum jam res rediit*] Intelligit Clinia, cum apud illum sit hospes, necessitatem sibi impositam, uti hoc quod ab eo petitur, negare (excidit *non* Z.) possit, ut assimulet amicam suam esse meretricem. E.

In ordine verborum variant codd. Sed unus recte habet, *in eum res rediit jam locum*. B.

Menander: Τρία γάρ ἐστι δίσκοτα, δι' ἃν ἅπαντα γίγνεται, Ἢ κατὰ νόμους, ἢ ταῖς ἀνάγκαις, ἢ γε τρίτον ἔδει τινί. W.

119 Pro vulgari *necesse*, Bembinus habet *necessus*. Igitur, quia in illa sede spondæus trochæo est potior, repono *necessum*. B.

120 *Ne illa quid titubet*] Subaudi

CLIT. At hoc demiror, qui tam facile potueris
Persuadere illi, quæ solet quos spernere!
S. In tempore ad eam veni, quod rerum omnium'st
Primum: nam quendam misere offendi militem
Ejus noctem orantem: hæc arte tractabat virum,
Ut illius animum cupidum inopia incenderet:
Eademque ut esset apud te hoc quam gratissima.

timeo. *Titubare* proprie est pedibus non valentis insistere, quales sunt ebrii. Ad animum quoque transfertur quoties ab animo verba dissentiunt. Veretur igitur Clitipho, ne quid temere effundat quo se indicet. *Perdocta'st probe*] Aut *per* poetice abundat, aut *probe*. C.

Titubet] *Titubare* proprie dicitur de pedibus vacillantibus, unde transfertur ad linguam errantem. Plaut. in Pseud. IV. 1. 32. ubi v. Gronov. R. D.

122 *Quæ solet quos spernere!*] *Quos*, id est, quales amatores. Virg. Æn. IV. 536. *quos ego sum toties jam dedignata maritos*. C.

Quos spernere] I. e. quantos, summo loco et summis opibus adolescentes. Exempla hujus significationis supra dedimus. R. D.

123 *In tempore ad eam*] In occasione. Ut, Æn. IV. 423. *sola viri molles aditus et tempora noras*. E.

In tempore ad eam] Auson. in Pittaco: *Romana sic est vox, venito in tempore: vester quoque ille comicus Terentius rerum omnium primum esse tempus autumat, ad Antiphilam quo venerat servus Dromo. Nullo impeditam, temporis servans vicem.* Dromoni attribuit partes Ausonius, quæ Syri sunt, memoriæ, ut puto, lapsu. L.

124 *Miserum quendam offendi*] Recte *miserum* dixit, ut ostenderet non admissum, arte, scilicet meretricis. C.

Quendam offendi militem] Hæc fuit occasio, quod voluit miserum militem de negatione sua in amorem amplius suscitare. E.

Misere offendi] Ms. R. *miserum offendi ibi militem*. L.

Scholiastes Bemb. *misere*, explicat, *nimis: quia omne nimium non bonum. Alibi: eam misere amat.* FAERN. Equidem legendum puto; *nam miserum quéndam offendi ibi mílitem*. Nam omnes nostri sic legunt, sed sine *ibi*, quod tamen reperitur in aliis, ubi *misere* est. Certe *miserum*, h. e. parcum, tenacem, ut infra III. 2. 15. sensus postulat. Nisi enim parcus esset, cur *arte* tractaret? Si prodigus, meretrix statim noctem dedisset. B.

125 *Noctem*] I. e. concubitum. Cic. ad Attic. I. 16. *etiam noctes certarum mulierum atque adolescentulorum nobilium inproductiones nonnullis judicibus pro mercedis cumulo fuerunt.* Ovid. Remed. Amor. V. 728. v. Heins. ad Ovid. Art. Amator. II. 308. R. D.

Arte tractabat virum] I. e. astutia meretricia. Virg. Æn. I. 657. ubi v. Servium. *Tractare aliquem* significat aliquem suo arbitratu ludere. infra III. 2. 45. v. Pricæum ad Apul. Metam. VIII. p. 461. et Burmann. ad Petron. c. 44. p. 277. R. D.

126 *Inopia*] Scilicet sui. Ovidius, Amor. III. 4. 17. *nitimur in vetitum semper, cupimusque negata*. C.

Cupidum] Hæc vox proprie dicitur de amantibus vel libidine incensis. Tibull. I. 9. 58. ubi plura Broukhus. in Phorm. I. 3. 6. R. D.

Inopia] Est negatio petitæ noctis et opponitur copiæ quam sui facit meretrix. Eo sensu inopia vix alibi reperitur. R. D.

127 Recte Faernus probat Bembini *gratissimum* pro vulgari *gratissima*. Cui *eadem* adverbialiter sumendum videtur, uti quoque a scholiaste Bemb. explicetur, *eademque, antique posuit pro una*.

Sed heus tu, vide sis, ne quid imprudens ruas:
Patrem novisti, ad has res quam sit perspicax:
Ego te autem novi, quam esse soleas impotens: 130
Inversa verba, eversas cervices tuas,
Gemitus, screatus, tussis, risus abstine.

Sic Scaurus apud Charisium tradit, *eadem* apud veteres sine adjectione *τοῦ via* esse adhibitum. B.

Eadem] Simul subintelligitur *opera* Plaut. in Bacch. I. 2. 15. *eadem biberis, eadem dedero tibi ubi biberis savium*, ubi v. Gronov. Aliis locis in *eadem* subintelligitur *via* et pro *obiter* dicitur. Vox *obiter* argentea demum ætate usurpari cœpit. v. Faern. ad. h. l. R. D.

128 *Heus!*] Hic *heus* admonentis. C.

Ne quid imprudens ruas] I. e. ne per imprudentiam temere quid agas. Cic. de offic. III. 13. *emtorem pati ruere*. v. Ernest. in Clave Ciceron. v. ruo. R. D.

130 *Impotens*] *Impotens* est suorum appetitnum minime moderator. Nam is *impotens* dicitur, qui suis affectibus ac animi passionibus non potest modum adhibere, ac eas cohibere, sed ab illis victus trahitur quocunque ferant et rapiant eum. C.

131 *Inversa verba*] Omnia ponit quæ ab amante vecorde fieri solent. *Inversa verba*] Id est verba præpostere et in contrarium pronunciata. Est enim *invertere*, quasi in contrarium vertere et præpostere verba pronunciare: ut pro lavo vola. *Eversas cervices*] *Cervix* seu *cervices* posterior pars colli, ubi origo est omnibus nervis. unde homo *duræ cervicis* dicitur, quasi indomabilis, et quasi duri capitis, et duræ mentis. *Eversas cervices*] Contrarium est, *erectas cervices*. Et significat illum flecti et domari ab amica. *Cervices* numero multitudinis dixit. Quinctilianus, Instit. Or. VIII. 3, *cervicem videtur Hortensius primus dixisse. Nam veteres pluraliter appellant. Eversas*] Cervix enim est posterior pars colli. Ponitur pro superbia seu contumacia quadam hac rigore mentis, ut, vir, *duræ cervicis*, i. e. indomabilis, et mentis rigorem præ se ferens, tanquam nomini caput inclinare velit. *Evertere* interdum significat destruere, ut, evertere urbem, i. e. destruere et eam demoliri ac dissipare, ac etiam subvertere. Interdum evertere significat prosternere, et facere, ut, quod stabat, nunc prostratum jaceat. Et ab hac significatione manavit præcedens; nam evertitur urbs, cum mœnia, quæ prius stabant, diruuntur. Item mulier quærens drachmam evertit totam domum, i e. inquirendo illam omnia quæ in domo sunt, jacit huc et illuc, et a suo ordine dimovet. Item in jure sæpe dicitur. C.

Eversas cervices] Quod jactantis et superbi est penitus. E.

Inversa scholiastes Bemb. explicat, *antiqua, figurata*. Et *eversas, dejectas*. Faern.

Inversa verba] Sunt quæ in alium sensum verti possunt. Lucret. I. 643. ubi v. Lambin. R. D.

Eversas cervices] pertinent ad amatorias ineptias et tribuuntur hominibus effeminatis, qui cervices modo huc modo illuc flectunt. v. Gesner. ad Claudian. in Rufin. II. 345. R. D.

132 *Screatus*] A screo, as, are, quod significat screatus pectoris et præcordiorum ejicere ex ore. *Tussis*] Id est, tusses, hoc est, contusiones. C.

Gemitus, screatus] Hæc omnia adolescentuli faciunt, quotiescunque videre, aut videri volunt ab his, quas desiderant; ita sub quodam metu, ut quasi, dum aliud necessitate conficiunt, sic impleant voluntatem. (Faernus sic edidit: *hæc adolescentuli faciunt, quotiescunque amicam suam videre et ab ea videri volunt; ut per hæc signa, quæ res necessitatis sunt, impleant voluntatem.* Z.) R.

Risus abstine] Abstinere aliquando

CLIT. Laudabis. S. Videsis. CLIT. Tutemet mirabere.
S. Sed quam cito sunt consecutæ mulieres!
CLIT. Ubi sunt? cur retines? S. Jam nunc hæc non est tua.
CLIT. Scio, apud patrem: at nunc interim. S. Nihilo magis.
CLIT. Sine. S. Non sinam, inquam. CLIT. Quæso paulisper. S. Veto.
CLIT. Saltem salutare. S. Abeas, si sapis. CLIT. Eo. Quid istic? S. Manebit. CLIT. O hominem felicem! S. Ambula.

ACT. II. SCENA IV.

BACCHIS. ANTIPHILA. CLINIA. SYRUS.

ÆDEPOL te, mea Antiphila, laudo et fortunatam judico:

etiam cum accusativo struitur Liv. II. 16. *ne ab obsidibus quidem iram belli hostis abstinuit.* ubi v. interpretes. R. D.

133 *Vide sis!*] Vultuose pronunciandum est. C.

135 *Cur retines?*] Impatientia amantis ostenditur. Nam visa amica, Clitipho verba Syri oblivioni tradiderat. C.

136 *Apud patrem*] Observabo id quod me admonuisti. *At nunc interim*] Ἀποσιώπησις amantis: ut sit, sine interim paulisper cum amica ludere. *Nihilo magis*] Vult Syrus eum perpetuo modestum, ne si inceperit, non possit se abstinere, etiam patre videnti. C.

138 In duobus antiquissimis libris Faerni, Bembino et Vaticano est *sapias*, quod versui bene convenit. Nostri omnes mendose *sapis*. B.

139 *Quid istic?*] *Istic* pro iste. C.

1 *Ædepol te mea Antiphila*] Non potuit melius conditionem meretriciam exprimere, quam per eam quæ meretrix esset: quæ tamen nomini meretricio favet, cum alibi reprehendantur meretrices, nihil aliud ex amore adolescentium quærere, quam pecuniæ extorsionem, hic quoque jocunda amantium congressio signantissime exprimitur. *Ædepol*] Per Castorem, et Pollucem, ornativa sunt jurandi, apta feminis. C.

Ædepol te, mea] Hæc scena comparationem continet earum mulierum quæ amicæ sunt, ita ut uni serviant, et earum quæ plurimis sui corporis exhibent potestatem. Et ne videantur meretrices injustæ, defensio est, et quasi forma quædam hic controversiæ continetur. Res (*reæ* Z.) enim fiunt meretricis (*meretrices* Z.) quum injustæ sunt amatoribus suis et adversæ, dum plurimum petant. Quam rem purgans meretrix, dicit se hoc, quod faciunt, facere necessitate, ne cum ætas abierit, et senectute extincta pulchritudo discesserit, inopia maneat, nisi antea quæsiverint lucrum, quo possint sustentare decrepitam ac miseram senectutem. *Laudo, et fortunatam judico.*] Vehementer te beatam felicemque judico, cum id egesti, ut mores tuæ formæ convenirent. Ut opor-

Id quum studuisti, isti formæ ut mores consimiles forent:
Minimeque, ita me Di ament, miror si te sibi quisque expetit.
Nam mihi quale ingenium haberes, fuit indicio oratio.
Et quum egomet nunc mecum in animo vitam tuam considero,
Omniumque adeo vostrarum, volgus quæ ab se segregant:
Et vos esse istiusmodi, et nos non esse, haud mirabile est.
Nam expedit bonas esse vobis: nos, quibuscum est res, non sinunt:

tuit, jam defensionem suam videtur meretrix exorsa; siquidem scit quod oporteat fieri, et laudat eam, quæ cum pulchritudine tenet integram castitatem. E.

2 *Formæ ut mores consimiles forent*] *Mores* enim pudici, gratiores esse solent in pulchro corpore. Virgil. Æn. V. 344. *gratior et pulchro veniens e corpore virtus.* C.

3 *Sibi quisque expetit*] Recte *expetit*; cum eam a pudicitia commendet. *Expetimus* enim tantum ea, quæ honesta sunt, et plane bona. Unde de rebus *expetendis* a philosophis scriptum: quæ scilicet peti debent. C.

Minimeque, ita me Di] Etenim non valde miror, si, cum his moribus et hac sis pulchritudine, ne (dele, *ne* Z.) non sit aliquis qui te diligat, et te sibi petat. E.

4 *Oratio*] Quod dixeris, cum uno velle ætatem traducere. Antiqui etiam pauca verba orationem dixerunt. C.

Nam mihi, quale] Namque mores tuos mihi sermonibus indicasti. E.

5 *Et cum egomet*] Hic jam reparat accusationis defensionem, quæ in se esse possit; dicitque merito, hujusmodi mulieres, quæ uni serviunt, hoc est, quæ se separant a vulgo, recte scilicet et bene facere: nec minus mirabile esse, quod meretrices malæ sunt. Hoc enim dixit: *et vos esse istiusmodi, et nos non esse, haud mirabile est.* Vobis enim cum sit voluntas cum uno viro semper esse, debetis servare bonitatem: nos autem bonas esse non sinunt hi, cum quibus rem habemus. Nam propter pulchritudinem nostram amatores esse volunt, qui continuo mutant voluntatem, si fuerit forma mutata. Ergo, nisi prospectum ante fuerit, *desertæ* et cum inopia in senectute *vivimus.* Unde sic purgatum, quod male audire potuisset, non juste malas esse meretrices. E.

In animo considero] Pro eo dixit in Ad III. 4. 55. *cum animo cogitas.* Sallust. in Jugurtha c. 13. *in otio facinus suum cum animo reputans* ubi v. Cort. R. D.

6 *Volgus quæ abs se segregant*] Hoc est, neque promiscue quosque recipiunt. C.

Omnium vestrarum] Sic dicitur pro *omnium vestrum*, possessivum pro primitivo, quod notandum ut rarissimum. R. D.

Vulgus quæ ab se segregant] H. e, quæ se vulgo non prostituunt. Contra apud Cicer. pro Cœlio c. 16. *quæ se omnibus pervulgaret.* Sic vulgares mulieres dicuntur quæ omnibus sui copiam faciunt. Ovid. Fastor. IV. 865. *numina vulgares Veneris celebrate puellæ.* R. D.

8 *Nam expedit bonas esse vobis*] Quia cum solo vivitis. Nec potest esse verus amor, nisi inter duos qui sibi invicem fidem servent: juxta illud Seneca in Agam. V. 259. *nec regna nec tædæ socium pati valent.* Ubi notanda est hæc structura: *mihi expedit esse bonum, et, mihi expedit esse bono.* C.

Quippe forma impulsi nostra nos amatores colunt. 9
Hæc vbi imminuta est, illi suum animum alio conferunt.
Nisi si prospectum interea aliquid est, desertæ vivimus:
Vobis cum uno semel ubi ætatem agere decretum'st viro,
Cujus mos maxume'st consimilis vostrum, hi se ad vos
applicant:

Quamquam omnes libri habent *bonas*: consuetudo tamen linguæ requirit *bonis*, ut Phorm. V. 2. 1. B.

Expedit bonas esse vobis] Sic in Phorm. V. 2. 1. *ut malos expediat esse*. At Bentl. hic legit *bonis* et in Phorm. *malis* quæ certe constructio elegantior est et optimis scriptoribus magis usitata. v. Heins. ad Ovid. epist. XIV. 64. Nihil tamen mutandum. Nam quoties *licet, lubet, placet, expedit* et similia verba accusativis et infinitivis junguntur, toties supprimitur dativus nominis, cujus accusativus plerumque expressus est, isque, ut integra sit oratio et structura verborum constet, supplendus. Ita ex. gr. h. l. integra oratio est: *vobis expedit vos esse bonas*. Da hac constructione accuratissime disputavit Duker. ad Liv. XLII. 36. R. D.

Bonas] *Bonas* vocat, quæ nullam pro concubitu mercedem exigunt. Tib. El. II. 45. Supra II. 2. 4. *mater mala* pro avara. R. D.

9 *Quippe forma impulsi*] Et hic amor est gratia voluptatis tantum. Et bene *impulsi*: nam hæc omnia nox, vinum, amor, adolescentia, ab *impulsionis* parte dicuntur, non a ratiocinationis. *Amateres colunt*] Bene *amatores*. *Amator* fingere potest: *amans* vere amat. *Colunt*] *Colere* est inferioris personæ ad superiorem: nonnunquam superioris ad inferiorem. Virg. Æn. I. 16. *posthabita coluisse Samo*. C.

Colunt] I. e. observant, omni officiorum genere prosequuntur. Minus est *colere* quam *amare* Virgil. Æn. IV. 422. *solam nam perfidus ille te colere*. Ovid. Art. Amator. I. 722. *qui fuerat cultor factus amator erat*. v. Burmann. ad Petron. c, 127. p. 781. R. D.

10 *Imminuta* habet Bemb. Sed omnes nostri *immutata*. Recte; quia in tali sede spondeus trochæo est melior. B.

11 *Nisi si prospectum*] *Prospicimus* futura: *dijudicamus* præsentia. *Desertæ vivimus*] Ab his, qui ob amorem frequentes erant. C.

Lege, *nisi prospectum interea a nobis est, des. v.* Nam *si* abest a plurimis: et pro *aliquid*, quod hic plane ineptum est, repone *a nobis*, quod reperitur in quibusdam libris. B.

Nisi prospectum aliquid est] H. e. nisi commodis nostris consulverimus, nisi ex quæstu corporis pecuniam collegerimus. Liv. IV. 49. *qui sedem senectuti vestræ prospiciunt* R. D.

Desertæ vivimus] I. e deserimur. Cic. ad Div. XIV. 1. *quodsi, &c. beatissimi viveremus*. Catull. carm. X. 33. *insulsa et molesta vivis*. In talibus adjectiva pro adverbiis ponuntur. v. Gronov. ad Liv. III. 50. R. D.

12 Pro vulgari *simul* rescribe *semel*. Tum post *viro* interpunge. Nam hic est sensus; ubi decrevistis in matrimonio vos victuras, non in quæstu meretricio, hi se ad vos applicant, cujus (sive quorum) mos est consimilis. Mutatio est numeri; ut Eun. Prol. *si quisquam est ——in his:* notante et ibi hoc laudante Donato. B.

13 *Consimilis vostrum*] Moribus vestrum, pro, moribus vestris. Sic enim antiquis loqui placuit, mores vestrum, pro, mores vestri, ut recentioribus placet. C.

Cujus mos maxime'st] Verum his moribus se sociant vobis, qui habent hunc morem et similem voluntatem. E.

Cujus] Notanda est numeri mutatio

Hoc beneficio utrique ab utrisque vero devincimini,
Ut nunquam ulla amori vestro incidere possit calamitas.
A. Nescio alias: me quidem semper scio fecisse sedulo,
Ut ex illius commodo meum compararem commodum.
C. Ah!
Ergo, mea Antiphila, tu nunc sola reducem me in patriam facis.
Nam dum abs te absum, omnes mihi labores fuere, quos cœpi, leves:
Præterquam, tui carendum quod erat. S. Credo. C. Syre, vix suffero.

cujus pro *quorum* ut in Eun. II. 1. 20. Conjungit homines et eundem sensum loci pulchre vidit Bentlei. *ubi decrevistis in matrimonio vos victuras, non in quæstu meretricio, hi se ad vos applicant, quorum mos consimilis.* R. D.

14 *Hoc beneficio utrique ab utrisque vero devincimini*] Quasi diceret, sic ambo obligatis vos mutuo beneficio intemeratæ fidei servandæ. Et hoc dictum est illi simile: *uterque utrique sunt cordi.* Ubi Laurentius affirmat ab oratoribus potius esse dicendum, *uterque alteri est cordi.* C.

15 *Incidere possit calamitas*] In Eunuchio, *nostri fundi calamitas.* Proprie *calamitatem* rustici grandinem dicunt, quod comminuat calamum, hoc est calmum ac segetem. C.

Ut nunquam ulla amori vestro incidere possit calamitas] Ut semper inter vos amor valeat, neque senectute aut ullo morbo discidium possit existere. E.

Incidere] *Incidere* pro *accidere* proprie dicitur de rebus malis et infelicibus Cic. de Nat. Deor. I. 7. Propert. Eleg. I. 15. v. 28. *si quid forte tibi durius inciderit.* Liv. I. 58. *rem atrocem incidisse.* R. D.

16 *Nescio alias*] Verba mulieris commendantis sua fide in virum. C.

Nescio alias: me quidem] Quid agam vehementer ignoro: illud certum est, nunquam meum me commodum sine illius commodo comparasse. E.

17 *Compararem*] Constituerem. Ut alibi: *quam inique comparatum est. Ah!*] Clamosa interjectio hoc in loco ad gaudium spectat. Neo potuit vox accommodatior dari, amatori præ nimio amore fere insanienti ad primam cum amica congressum. C.

18 *Reducem*] Id est, incolumem, post varia pericula, quæ subii eundo in Asiam et redeundo. Nam ut Servius inquit, *reduces* dicuntur proprie, qui pericula evadunt. Facis itaque me *reducem*, i. e. defunctum periculis revertentem in patriam. C.

Ergo, mea Antiphila] Adolescens venientem amicam intuetur, et secum loquitur, quod ejus amore factum sit, ut in patriam reverteretur. E.

19 *Nam dum abs te absum, omnes mihi*] Cum enim abs te discessi, universos labores leves arbitratus sum, excepto hoc, quod te carebam. E.

20 *Credo*] Syrus non se loco moverat, respondet verbis Clitiphonis, quicum loquebatur, ut eum aliquo ambulatum abire cogeret. *Vix suffero*] *Vix*, difficultatem significat. Et aliquando pro *non* ponitur. Ovid. Heroid. I. 4. *vix Priamus tanti, totaque Troia, fuit.* Lucilius, *carcer vix carcere dignus.* *Suffero*] Sustineo, alias suppono. C.

Hoccine me miserum non licere meo modo ingenium frui?

S. Immo, ut patrem tuum vidi esse habitum, diu etiam duras dabit.

B. Quisnam hic adolescens est, qui intuitur nos? A. Ah, retine me, obsecro.

B. Amabo, quid tibi est? A. Disperii, perii misera. B. Quid stupes,

Tan. Faber verba *Syre—frui?* Clitiphoni, qui in postscenio scilicet auscultans, introrumpat in scenam, osculaturus Bacchidem, tribuenda censet. Sed satis absurde. Nam *hoc ingenium*, h. e. puellam tali ingenio præditam, Clitipho non potest vocare meretricem, cujus forma quidem, sed non ingenio erat percussus. Deinde quod Syrus respondet, *ut vidi patrem tuum esse habitum*, de Menedemo, non Chremete dicitur. B.

Tui carendum] Constructio verbi *carere* cum genitivo notanda ut rarior. R. D.

21 *Hoccine me miserum non licere meo modo ingenio frui*] Sibi bonum ingenium inquit puellæ haberet mihi et (*autem* Z.) non sinit pater. Ita hoc ingenio bono amicæ meo modo frui non licere, vehementer ingemisco. E.

Ingenium pro *ingenio* antique dicitur. Nec adeo est, quod plurium codd. lectionem *ingenio* sequamur. Cæterum *ingenium* hic eodem sensu dicitur, quo supra And. I. 5. 40. B.

Ingenium] Ingenium dictum pro muliere tali ingenio prædita. v. Andr. I. 1. 26. et Bentl. ad h. l. R. D.

22 *Immo, ut patrem tuum vidi esse habitum*] Cum non possit per se Syrus Clitiphonem abigere, ad minas patris confugit, quem fingit iratum. *Vidi esse habitum*] Vario modo homines *habiti* atque affecti esse possunt: quibus secundum academicos aliud atque aliud videtur. *Etiam duras dabit*] Subintelligendum est vel *lites* vel *partes*. In Eunucho, *duras partes fratris prædicas*. Et *partes duras* μεταφορικῶς ab actoribus scenicis. Vel *duras dabit*, hoc est, durum se præbebit. Vel absolute *duras*, ut dicimus *bonas* ei dedit, vel dabit poenas. Cic. *quamprimum advenienz dedit*. C.

Diu etiam duras dabit] Diu etiam duras . . . . . (*adhuc*) existet. E.

In margine Bemb. teste Faerno, ad verba *duras dabit*, hæc ascripta est interpretatio: *hoc est, durum se præbebit, vel absolute, duras, ut dicitur bonas ei dedit, vel dabit pœnas. Cicero: quam primum adveniens dedisti. et in Verrinis: verum illa est præ**. *Habitum*, si locus est sanus, intellige *valentem, corpulentum, diu victurum*. Verum talis habitus Menedemo labore et mœrore tamdiu macerato non convenit. Præterea quid sit *duras dabit?* aqua omnibus interpretibus hæret. Nos versum non, uti Guyeto visum est, ut spurium delendum putamus, sed corrigendum ita: *immo, ut patrem tuum vidi, partes diu etiam duras dabit*. B.

Ut patrem tuum] Versus conclamatus nec sine meliorum Maiorum ope restituendus. R. D.

23 *Intuitur nos*] Ab eo, quod est intueor, intuetur, et intuor intuitur. *Ah! retine me*] Antiphilæ præ nimia lætitia, viso Clinia, animo male esse cœpit. Nam et animus una cum corpore nonnunquam deficit nimio mœrore: sic et interdum nimio gaudio. C.

Intuitur] Antique pro *intuetur*. R. D.

Retine] I. e. sustine me, ne cadam. Plaut. in Curcul. II. 3. 31. *retine, retine, me obsecro*. R. D.

24 *Quid stupes*] I. e. quare animi deliquium tentares. R. D.

Antiphila? A. Videon' Cliniam, an non? B. Quem vides?
C. Salve, anime mi. A. O me exspectate, salve. C. Ut vales?
A. Salvum advenisse gaudeo. C. Teneone te,
Antiphila, maxume animo exoptata meo?
S. Ite intro: nam vos jam dudum exspectat senex.

ACT. III. SCENA I.

CHREMES. MENEDEMUS.

LUCISCIT hoc jam, cesso pultare ostium

25 *Videon' Cliniam, an non?*] Tanta lætitia erat Antiphilæ, ut etsi amatorem agnosceret, de eo tamen dubitaret. C.

26 *Anime mi*] Mollis oratio, et feminea, multis implicata blandimentis. *Mi*, vim blandimenti habet, nam significat meus. *Clinia, salve*] Illa ad majorem gratiam, amantem proprio nomine appellavit. *Salve*, modo admirantis interjectio est. C.

Verba *salve anime mi* priori versui sunt apponenda. Tum cum omnibus nostris codd. leg. *o mi exspectate Clinia, salve*. B.

27 *Teneone te?*] Præ nimio amicæ desiderio, cum dubitatione loquitur. Sunt qui legant, *teneone te;* ut referatur ad fidem, ita ut dubitet, an a se alienata sit, an in fide persistat. C.

Salvum advenisse] Ms. R. *venisse*. L.

Teneo] Hac formula utuntur, qui amicos peregre reversos amplectuntur. Petron. c. 139. ubi v. interpret. Sen. in Hercule furente v. 623. *teneone in auras editum in vana fruor deceptus umbra*. v. Græv. ad Sueton. Cæs. c. 59. R. D.

28 *Animo exoptato*] Ms. R. *exspectata*. L.

Pro *exoptata*, recte *exoptatam* legendum putat Faernus, qui ait, sæpe a librariis literam, syllabam, et verbum prius esse omissum, si idem statim esset secutum. B.

1 *Lucescit*] Veri amici officium pulcherrime a Terentio in hac scena exprimitur: in qua amicus amico simul, et gaudii insperati, maximo cum affectu, nunciam, et consilium affert. *Cesso*] Aliquis *cessare* dicitur, id est, tardare ad aliquid coleriter peragendum. Virgil. Æn. VI. 51. *cessas in vota precesque*. *Cessat* desidiosus: requiescit defessus. C.

Luciscit hoc jam] Notandum ex hac comœdia, quod in nulla alia licet reperiri, ut biduum tempus in comœdia sit. Omnes enim uno die actus suos explicant, ex eo ipso quo cuncta effici possunt, ut aut nuptiæ celebrentur, aut cognitio fiat expo . . . . (supple, *siti, aut horum* Z.) aliquid. at hic bidui rationem versari intelligimus. Ergo dixit *luciscit hoc*. Habet hæc scena allocutionem, in qua ostendit se properare,

Vicini? primum e me ut sciat sibi filium
Rediisse; etsi adolescentem hoc nolle intellego.
Verum, quum videam miserum hunc tam cruciarier
Ejus abitu, celem tam insperatum gaudium;
Cum illi nihil pericli ex indicio siet?
Haud faciam. nam, quod potero, adjutabo senem.
Ita ut filium meum amico atque æquali suo
Video inservire, et socium esse in negotiis:
Vos quoque senes est æquom senibus obsequi.
M. Aut ego profecto ingenio egregie ad miserias

uti Menedemo nunciet filium redisse: quamquam hoc nolit adolescens, cum patris sui nesciat voluntatem. E.

Hoc, inquit Faernus, absolute ponitur pro cœlo. *Luciscit* habet cod. perantiquus; cæteri *lucescit*. B.

Daceria quod contendit hinc reliquam comœdiam actam esse postridie mane, nec exemplis idoneis, nec rei natura potest comprobari. Z.

Luciscit hoc jam] Veteres cœlum vel mundum appellabant *hoc*, quia non satis commodum inveniebant vocabulum, quo universam machinam exprimerent. Cic. in fragm. de universo c. 2. *omne igitur cœlum, sive mundus, sive quovis alio vocabulo gaudet, hoc a nobis nuncupatus sit.* Videntur etiam *hoc* dicentes cœlum vel digitis ostendisse vel aspexisse. v. Plaut. in Amphitr. I. 3. 45. *eamus Amphitruo. luciscit hoc jam.* v. interpret. ad h. l. et ad Pompon. Mel. I. 1. R. D.

2 *E me* Bemb. sed omnes nostri *ex me*. Recte. B.

4 *Miserum hunc*] Cum affectu. Nam proprium veri est amici lætari rebus prosperis amici, et dolere adversis. C.

Pro *cruciarier* Bentleius edidit cum Faerno *excruciarier*. Z.

6 *Cum illi*] Deest, præsertim. *Ex indicio*] *Indicium* proprie est oris et linguæ. C.

Cum illi nihil periculi] Ut celem tam insperatum gaudium, cum ipsi adolescenti nihil periculi sit ex eo, quod indicatur. E.

Nostri omnes *cum illi pericli nihil ex*, &c. B.

7 *Nam quod potero*] *Quod* pro quantum. *Senem*] Plus habet affectus, quum si diceret Menedemum. C.

Quod potero] V. C. *qua potero, adjuvabo senem.* L.

Quod, h. e. quantum, habent optimi libri, pro *quam*, quod in quibusdam reperitur. B.

8 In duobus antiquissimis libris Faernus reperit *item ut*. Sed nostri omnes *ita ut*. B.

Ita ut] I. e. eodem modo ut Cic. Verr. IV. 9. R. D.

10 *Nos quoque senes est æquom senibus obsequi*] Juxta illud proverbium usitatissimum, *pares cum paribus facillime congregantur*. Naturaliter enim adolescentes adolescentibus, senes vero senibus potius inserviunt et obsequuntur. C.

11 *Aut ego profecto*] Id est, ex his duobus necesse est alterum tantum (*tamen*) esse verum. Sed senex ex nimio filii desiderio dubitat de eo quod omnibus approbatissimum est. *Ingenio*] Hoc est, natura. *Ingenium* naturalis est sapientia. Sallust. in Cat. c. 8. *ingenium nemo sine corpore exercebat. Ingenium* quoque veteres dixerunt ex sua sponte vel natura. Virg. Ge. II. 77. *nunc locus arvorum ingeniis: quæ robora cuique. Egregie ad miseriam*] *Egregium* dicitur, quod ex grege eligitur. Sed hic *egregie*, valde, nimis. Non est ergo ad laudem positum. C.

Natus sum ; aut illud falsum'st, quod volgo audio
Dici, diem adimere ægritudinem hominibus.
Nam mihi quidem cotidie augescit magis
De filio ægritudo : et quanto diutius
Abest, magis cupio tanto, et magis desidero.
C. Sed ipsum foras egressum video : ibo, alloquar.
Menedeme, salve : nuncium apporto tibi,

Aut ego profecto] Hæc scena persuasionem habet, quemadmodum pater filium suspiciat, et falli se per servos sinat ; neque tanta facilitate utatur, ne corruptis filius moribus vivat, si semel facilitatem erga se patris agnoscat. Tenebit ergo divisiones, ut omnis deliberativa ab utili et honesto similiter fieri possit. quæ omnia suo loco plenius explicabimus, ne tantum ea quæ obscura sunt dicamus. E.

In Bemb. est *egregio ad miserias*. Nostri omnes, excepto uno, *miseriam*. Hoc præferendum puto, ut intelligatur mœror, ægritudo ; sin *miserias* legeris, una egestas, morbi et aliæ calamitates comprehendutur. B.

Ingenio egregie ad miserias natus sum] Ego præter omnes homines ita natus sum, ut miserias feram, in Ad. IV. 2. 6. R. D.

13 *Diem adimere ægritudinem hominibus*] Servius Sulpicius ad Ciceronem, ad div. IV. 5. *nullus dolor est, quem non longinquitas temporis minuat atque molliat.* C.

Diem adimere] Diphilus : λύπης δὲ πάσης γίνεται ἰατρὸς χρόνος. Sulpicius ad Ciceron. lib. IV. Epist. 5. *nullus dolor est, quem non longinquitas temporis minuat atque molliat.* Sed in primis scitum Epicteti dictum apud Stobæum Serm. 240. τοὺς ἄφρονας ὁ χρόνος, τοὺς δὲ φρονίμους ὁ λόγος τῆς λύπης ἀπαλλάττει, Hinc Tullius Epistol. ad Titium lib. V. 16. Familiar. *quod allatura est ipsa diuturnitas, quæ maximos luctus vetustate tollit : id nos præcipere consilio prudentiaque debemus.* Et Seneca ad Lucill. Epist. 67. *finem dolendi qui consilio suo non fecerit, tempore inveniet.* Symmach. lib. 2. Epist. 6. *solet quidem ægritudines animi ratio mitigare. Sed fortunæ nostræ tantum vulnus est, ut ei ne tua quidem delinifica et suada facundia cicatricem possit obducere. Fors fuat an dies longa quandoque hebetet laxatum dolorem. Siquidem malis omnibus finis de tempore venit.* Ovidius ad Gallion. lib. IV. 11. 13. de Ponto ; *finitumque tuum, si non ratione, dolorem Ipsa jam pridem suspicor esse mora.* L.

Vix credibile est, *diem*, quod in emphasi esse debet, sine accentu quasi mutum transmissum esse a poeta. Fortasse locus constituendus est ita : *aut ego profecto ingenio egregio ad miseriam sum, aut illud falsum'st, vulgo quod dici audio, diem tandem adimere ægritudinem omnibus.* Certe *ingenio sum* occurrit Phorm. I. 3. 20. B.

Diem] I. e. temporis longinquitatem Cic. ad Div. VI. 13. *et res eum (Cæsarem) et dies et opinio hominum—mitiorem facit.* R. D.

17 *Adibo* alii ; minus recte ; præsertim cum *ad* mox sequatur, ut infra, *Syrus est prendendus, atque adhortandus mihi.* Ad quem locum Bemb. glossema : *prehendendus, deest* ad : *sed ideo prætermisit, quia dicturus erat*, adhortandus. FAERN.

18 *Nuncium apporto tibi*] *Nuncius* et res ipsa et *nuncius* dicitur. C.

Nuncium apporto] Bene generaliter in nuncio votum futurum esse promisit, ut animus cupidus probari possit, cum non aliud suspicatur, quam quod in desiderio fuerat collocatum. Deinde subjungit : *num quidnam de guato meo audisti, Chreme ?* E.

Cujus maxume te fieri participem cupis.
M. Num quidnam de gnato meo audisti, Chreme?
C. Valet atque vivit. M. Ubinam'st, quæso? C. Apud me domi.
M. Meus gnatus? C. Sic est. M. Venit? C. Certe. M. Clinia
Meus venit? C. Dixi. M. Eamus, duc me ad eum, obsecro.
C. Non volt te scire se redisse etiam; et tuum
Conspectum fugitat propter peccatum: hoc timet,
Ne tua duritia illa antiqua etiam adaucta sit.

19 *Cujus maxume*] Bene *maxume*. Quis enim nuncius illi gratior esse poterat, quam filii? C.

Cujus te fieri participem cupis] I. e. cujus fieri particeps cupis. v. notata ad prolog. Eun. I. R. D.

20 *Num quidnam de gnato meo*] Quia omnis illius sollicitudo circa filium erat, idcirco statim de eo suspicatus est, nondum facta mentione. C.

21 *Valet atque vivit*] Prothysteron in sensu est. Si enim *valet*, necessario *vivit*: non, si vivit, valet. Ergo *vivit et valet* dicendum erat. Et bene utrumque junxit. Nam multi vivunt, sed non bene valent. C.

Valet] Temperavit primo nuncium, ut cresceret gaudium. Nam primo *valet atque vivit*, inquit, quod utique diversum esse manifestum est. Nam *valemus* cum integra salute sumus: *vivimus* cum spiritum ducimus. *Ubinam est*] Parum credit gaudii, quod sibi salus filii nunciatur. Nunc de loco quæritur. Ipse quippe qui ejus absentiam dolere videatur * *nunc de loco quærit ipse: quippe qui ob ejus absentiam dolore cruciatur maxime.* Z.) E.

Apud me domi] V. C. *apud me domi est.* L.

Omnes nostri. *hic apud me domi.* Repone: *apud me hic domi.* B.

22 *Meus gnatus!*] Magis cum admiratione quam cum interrogatione legendum. *Clinia meus venit!*] Addidit et nomen: quod fieri consuevit in his quos diu optavimus, et nondum venisse credimus. C.

Meus gnatus?] Cum iterum quod cupiebat senex audisset, tanquam parum credat, interrogationem repetit. Denique percussis omnibus cum confirmationem nuncii audisset, perseverat gaudium: ideoque adjecit, *duc me ad eum, obsecro.* E.

23 *Dixi*] Denunciatio est confirmandæ sententiæ, nec mutandæ, translata de foro et causidicis. Cicero, in Verrem II. 30. *præco* DIXISSE *pronunciat. Dixi*] Hoc verbum in fine additum, superiora confirmat. Et est proprium his qui peroraverunt causam. Quinctilianus, Instit. I. 5. DIXERE *quoque, quamquam id Antonius Rufus ex diverso ponit exemplum, de pluribus patronis præco pronunciet. Dixi*] Sic dixit, quasi jam obtunderetur a Menedemo. C.

24 *Et tuum conspectum fugitat*] Plus est quam *fugit*. Et *fugitat* dixit, ut ostenderet filium vehementer timere. C.

25 Corrige pravam distinctionem ita: *conspectum fugitat: propter peccatum hoc timet.* B.

Conspectum tuum fugitat] Pro eo Plin. in panegyr. c. 22. dicit *ad conspectum tui* ubi v. Schwartz. R. D.

26 *Adaucta sit*] V. C. *siet.* L.

Bemb. et Victor. *antiqua illa.* Quæ

M. Non tu ei dixisti, ut essem? C. Non. M. Quamobrem. Chreme?
C. Quia pessume istuc in te, atque in illum consulis,
Si te tam leni et victo animo esse ostenderis.
M. Non possum: satis jam, satis pater durus fui. C. Ah!
Vehemens in utramque partem, Menedeme, es nimis,
Aut largitate nimia, aut parsimonia.
In eandem fraudem ex hac re, atque ex illa incides.
Primum, olim potius, quam paterere filium
Commeare ad mulierculam, quæ paululo

Faerno elegantior videtur collocatio. Nostri omnes, *illa antiqua*. Nescias utrum malis. B.

27 *Non tu ei dixti, ut essem?*] *Ut*, aliquando certam qualitatem significat, et nonnunquam incertam. Alibi, *ut erat gesta*. C.

Num tu ei dixti, ut essem?] Num tu ei dixisti, quemadmodum nunc essem? E.

Ut essem] I. e. qualis essem. Plaut. in prol. Amphitr. v. 104. *vos noviss credo ut sit pater meus*. R. D.

28 *Quia pessume istoc*] Consilium et parentibus omnibus et filiis salubre: patres enim nimia largitate et clementia liberos corrumpunt. Illi vero, nimia licentia deteriores facti, patribus mœrori, sibi vero detrimento sunt. C.

Quam pessime in te] Hic jam incipit suasoria illa, quæ animum patris componit, ut circa filium temperet lenitatem, aut largitatem nimiam, aut parcitatem. Utroque genere peccas, dum aut (*nunc* Z.) nimium largus es, ut ante nimium parcus. Ex hoc (excidit *fit* Z.) ut in unum malum ex diversis moribus venias. E.

Ex *illum* eliditur unum l, ut sit dactylus in quarta sede senarii. B.

29 *Si te tam*] V. C. *qui te tam*. L.

Recte Faernus collocat, *et victo esse ánimo*, ne *animo* in Thesi delitescat. B.

Victo animo] Victus animus dicitur qui facile labascit, facile de proposito recedit. Supra I. 1. 62. *graviter audiendo victus est*. Virg. Æn. II. 699. ubi v. Serv. R. D.

30 *Non possum*] Hoc est animi victi, et clementis. Interdum ad nimiam indignationem spectat: ut illud Satyrici, Juvenal. Sat. III. 60. *non possum ferre Quirites, Græcam urbem. Satis jam satis*] Hæc reduplicatio magnam habet vehementiam. *Ah! vehemens*] Bene dixit, *vehemens*, de eo qui non servaret modum. *Ut* enim particula, sicuti quædam aliæ, tum intensionem, tum minutionem significat. Ergo *vehemens*, a *mentis vi* atque impetu dicitur. C.

31 Lege, quo meliores fiant numeri, vehemẽns utramque in pártem. B.

33 *In eandem fraudem*] *Fraus* pro dolo et poena ab antiquis accipiebatur. C.

Fraudem] I. e. damnum in Andr. V. 4. 8. *in fraudem illicis*. v. Schulting. ad Sen. controv. I. p. 102. R. D.

34 *Primum olim potius*] Hoc tibi initium mali fuit, quod non filium permisisti ad mulierculum commeare. (Hoc crimen;) quod tunc paulo videbatur esse contenta, cum omnia grata esse potuerunt, quæ filius faceret. At tu injustitia cum adolescentem tuis sermonibus terruisti, exinde illa coacta necessitate, ingratiis cœpit victum sibi quærere. E.

35 *Mulierculam*] Minus est, quam

Tum erat contenta, cuique erant grata omnia,
Proterruisti hinc. ea coacta ingratiis
Postilla cœpit victum volgo quærere.
Nunc cum sine magno intertrimento non potest
Haberi, quidvis dare cupis. nam, ut tu scias,
Quam ea nunc instructa pulchre ad perniciem siet:

si diceret, aut *mulierem*, aut *meretricem*, utpote quæ erat contenta parvo. Et *muliercula* dicitur cum contemtu, quasi paupercula. C.

Pro *commeare* pone frequentativum *commetare* versus gratia. Hoc obsoletum verbum occurrit Plaut. Capt. I. 2. 82. et apud Nonium. B.

Commeare ad mulierculam] I. e. sæpe ire domo et redire ad illam. in Hec. I. 2. 100. *hic raro in urbem commeat.* Lactant. III. 15. *quo animo philosophus ad meretricem famosissimam commearet.* Bentl. ad h. l. et ad Horat. Serm. II. 5. 79. ex metri rationibus reponit frequentativum *commetare*. Vulgatum tenet Burmann. ad Sueton. Claud. c. 18. R. D.

37 *Coacta ingratiis*] Hoc est, invita. Et bene *coacta* et *ingratiis*. Nam aliquis *ingratiis* dicitur aliquid facere, qui invitus et coactus præter voluntatem facit. C.

Proterruisti] *Proterrere* est terrore injecto abigere, fugare. Plaut. in Trin. III. 2. 77. *mea opera hinc proterritum te autumant.* Virg. Æn. XII. 291. *adverso proterret equo* ubi v. Burman. Deterrere eodem sensu est apud Claudian. de bello Getico v. 104. R. D.

38 *Postilla cœpit victum volgo quærere*] Sic in Andria, *lana ac tela victum quæritans*. Et recte *victum*, et non *cibum* protulit. *Cibus* est enim, qui delicatis præbetur: *victus*, in parvis aridisque alimoniis est constitutus. Virg. Æn. III. 649. *victum infelicem, baccas lapidosaque corna. Postilla*] Antiquum est: nos autem dicimus *postea*. *Quærere*] Melius dixisset *quæritare*. *Quærit* enim, qui ad plenum et perpetuum reponit: *quæritat*, qui vix quotidie inquirendo victum invenit. C.

39 *Sine magno intertrimento*] Id est damno. *Detrimentum*, secundum Varronem, a detritu dicitur: quod ea quæ trita sunt, minoris pretii sint. *Intertrimentum* ab eo quod duo quæ inter se trita et diminuta. A quo etiam *intertrigo* dicta. C.

Nunc cum sine magno intertrimento] Unde modo sine magno damno haberi non potest. *Intertrimenta* autem sunt, quæ intus terendo damna perficiunt. E.

Sine magno intertrimento] Glossar. *intertrimentum ἀπωνία*. Scævola *intertrituram* dixit. l. 43. §. 1. ff. de pign. act. L.

Intertrimento] Scholiastes Bemb. *inter et de tantundem significant ad augmentum ostendendum. Hinc dicitur, interfectus.* FAERN.

Intertrimentum] Proprie est illud damnum quod ex attritu rerum inter se oritur, sed deinde ponitur pro omni damno et jactura. v. Brisson. de verbor. significat. R. D.

40 *Quidvis dare cupis*] Et hoc est nimiæ largitatis. C.

Quidvis dare cupis] Scio enim quodcunque desideras dare. E.

41 *Nunc*] Pro *multo*, alias pro *minimo* est, et sic dixit quod supra *vehemens in utramque partem*. Ergo accipi potest pro qualitate sententiæ. C.

Quam ea nunc instructa] Verum ut possis intelligere, quemadmodum nunc illa meretrix instructa sit adversus filium tuum, et ad quam perniciem adjecta. E.

Instructa pulchre] I. e. bene edocta. Cic. de Senect. c. 9. *ut adolescentulos ad omne officii munus instruat*. R. D.

Primum, jam ancillas secum adduxit plus decem,
Oneratas veste atque auro: satrapes si siet
Amator, nunquam sufferre ejus sumtus queat, 44
Nedum tu possis. M. Estne ea intus? C. Sit rogas?
Sensi: namque ei unam cœnam atque ejus comitibus
Dedi: quod si iterum mihi sit danda, actum siet.
Nam, ut alia omittam, pytissando modo mihi

42 *Primum, jam ancillas*] Et hoc est signum illam probe instructam ad expilandum amatores. *Plus decem*] Dixit quemadmodum dicimus, *magis decem*, in quibus *magis* et *plus* sunt adverbia. Solemus tamen sæpius apponere *quam*, ut, *adduxit secum plus quam decem*. Verum auctorum usus semper est sequendus. C.

43 *Satrapes*] *Satrapes* a Græcis provinciæ præfectus dicitur. C.

Oneratas veste atque auro] Parum dixerat, *ancillas decem*, quæ res tantam in numero collocata videbatur: adjecit *oneratas veste atque auro*, ut pudori sit ancillas tales ita vestitas levi cibo pascere, aut certe servili. *Satrapes siet*] Apud Babylonios satrapæ appellantur ditissimi, et satellites regum. E.

Scribe *satrapa*. Nam primum cod. 900. annorum habet *satrapas si siet*, ut Eun. IV. 7. 19. idem, *armas sapientem decet*. Deinde ob analogiam linguæ, v. c. a ποιητὴς fit lat. *poeta*. Hinc Glossarium vetus Cyrilii: σατράπης, *satrapa*. B.

Oneratas veste] Ita Liv. IX. 17. *oneratum fortunæ suæ apparatibus* ubi v. Gronov. R. D.

Satrapes] Sic a Persis dicebatur provinciæ præfectus. R. D.

45 *Nedum tu possis*] *Nedum*, hoc loco negative ponitur: ut *non crederem tibi obolum, nedum pro te effunderem sanguinem*. Jam Chremes Bacchidem credit Cliniæ esse amicam. Et observa Terentianam consuetudinem, qui inducit nihil sapere eos qui falluntur. Est argumentum a majori ad minus, nam si non possit major, idem nec minor. C.

46 *Sensi*] Hoc cum dolore dicere solemus in his, in quibus detrimentum ingens passi sumus. C.

Sensi] *Cum gemitu pronuncia*. Schol. Bemb. Cæterum ob consensum codd. et versus rationem leg. *sensi: nam unam eïi cœnam*. B.

Sensi] I. e. cum malo ac damno meo expertus sum, quam verbi vim supra explicuimus. R. D.

47 *Actum siet*] *Actum* est dicitur de ea re, de qua jam lata sit sententia, et est verbum desperantis. C.

48 *Pytissando modo*] Bene *pytissando*. Nam *pytissare* proprie est parce vinum gustare, quasi tentandi gratia. Tale est verbum quo Plautus, Mænech. II. 2. 29. utitur, *cyatisso*; tale est et *græcisso*. *Pytissando*, id est, expressis labris expuendo, dum saporem vini probat. C.

Pytissando modo mihi] Quantum vini absumserit vide, dum pytissat. Proprie autem *pytissare* dicitur, quod gustare, (excidit *et*) quasi cum quadam probatione exspuere. Denique adjecit: *sic hoc dicens, asperum pater, hoc est, aliud lenius, sodes, vide*. E.

Pytissando] Diomed. lib. II. L.

Pytisando] Scholiastes Bemb. *expressis labris spuendo, dum saporem vini probat*. Cæterum alii per duplex s scribunt: nos vero sequendam putamus scripturam Bembini et cod. 900. annorum, per unum s; quoniam versus certe ita ad Græcorum numeros accedit. B.

Pitissando] A Græco verbo πτύζω vel Dorice πτύσσω Latini formarunt *pitisso*, quod proprie significat vinum leviter gusto et gustatum exspuo. Hinc

Quid, quid vini absumsit! sic hoc, dicens; Asperum,
Pater, hoc est; aliud lenius sodes vide. 50
Relivi dolia omnia, omnes serias.
Omnes sollicitos habui: atque hæc una nox.

pytisma est vinum quod ex ore rejicitur. Vitruvius. VII. 4. v. Burmann. ad Petron. c. 28. R. D.

49 *Sic hoc dicens, asperum*] Id est austerum. Secundum Plinium tria vini sunt genera, *austerum*, *dulce* et *tenue*. C.

Pater] Scholiast. Bemb. *et hoc ei displicet, quod eum meretrix patrem appellet.* Cæterum recte Faernus ordinem verborum hunc esse ait, *dicens*, sc. Bacchis, *sic hoc*, sc. est; quia *sic hoc est* dicere soleamus, cum quid vel improbemus vel mediocre esse ostendamus. B.

Pro *quid*, *quid*, Bentleius cum Faerno recte non nisi unum *quid* edidit. Z.

50 Male pro *aliud* quidam malunt *illud*. Omnia enim dolia relinuntur, dum *aliud* quæritur: at si *illud*, jam habet, quod placet; nec plura dolia sollicitantur. Cæterum pro *vide* Nonius v. Asperum, *para* habet. Male. Nam *vide*, ex tua cella; *para*, ex taberna pete. B.

Pater] Sic seniores honoris causa appellabantur, v. Torrent. ad Horat. epist. I. 6. 54. *frater pater adde ut cuique est ætas, ita quemque facetus adopta.* R. D.

Lenius] I. e. sauvius, cui asperum vinum opponit Plinius Histor. natur. XIV. 19. R. D.

Vide] I. e. cura vel gusta, explora.

51 *Relevi dolia*] Ut inquit Plinius H. N. XIV. 20. *in Italia resina vino condendo maxime probatur Brutia: circa Alpes ligneis vasis condunt, circulisque cingunt. Picantur autem protinus a canis ortu: dehinc perfunduntur marina aqua aut salsa, ac levi cinere sarmenti asperguntur. Dum igitur vina aperiuntur, dolia relinuntur. Relevi*] Id est perforavi. quæ perforatio fieri non poterat, nisi prius auferretur aut lutum, aut limus, aut argilla, aut pix, aut resina, aut gypsus, quibus linebantur dolia, aut picabantur seu incrustabantur. *Linere* est picare, id est, pice aliquid linere seu ungere, seu mavis incrustare, et alicui rei suppositum aliquid superducere, ut parietem linimus calce aut gypso, id est, incrustamus; dolium linimus pice, &c. Et quemadmodum retegere significat tegmen auferre, sic *relinere* significat bitumen amovere, quo aliquid prius linitum erat. Et ita *relevi dolia omnia* significat, abstersi lutum vel terram tenacem ab omnibus doliis, ut in ea cœna vinum varium apponeretur. Præter autem prædictam significationem *linere* significat etiam deturpare. Inde *litura*, æ, id est, deturpatio facta atramento ducendo lineam per falsa scripta, ut fieri solet. *Omnes serias*] *Seria*, dolium: et proprie vas fictile de limo oblongum. Persius, Sat. II. 10. *et o si sub rastro crepet argenti mihi seria dextro Hercule!* Inde *seriola*. Persius, Sat. IV. 29. *seriolæ veteris metuens deradere limum.* C.

Relivi dolia omnia] *Linire* est contegere et operire: contrarium est *relivi*, id est, aperui. E.

Relivi dolia] Ita Diomedes hunc locum legit lib. II. L.

Bentleius cum Faerno *relevit* edidit. Rectius. Nam nisi certe legas *relini*, forma *relivi* videtur abhorrere ab analogia linguæ. Z.

Relivi dolia] Veteres dolia vinea picato cortice claudere solebant, quod dicebant *oblinere dolia* v. Caton. de re rust. c. 20. contra cum dolia aperire vellent picem oblitam tollebant quod dicebant *dolia delinere* Horat. Carm. III. 8. 10. R. D.

Serias] Seria est vas fictile et oblongum. R. D.

52 *Sollicitos habui*] Variis officiis et ministeriis distractos: nihil significantius dicere potuit. Quid enim aliud est *sollicitare*, quam suo loco movere? Solum autem quin significet locum, quis dubitat? quum exules quoque dicantur

Quid te futurum censes, quem assidue exedent?
Sic me di amabunt, ut me tuarum miseritum'st,
Menedeme, fortunarum. M. Faciat quod lubet: 55
Sumat, consumat, perdat. decretum'st pati:
Dum illum modo habeam mecum. C. Si certum'st tibi

ex solo patriæ suæ pulsi. *Sollicitos* igitur *habuit* omnes domesticos, qui hinc et inde administrandum distinabantur. C.

Omnis sollicitos habui] Hoc est, ebrios. Significat enim *sollicitos*, id est, solo citatos, quod ebriis contingit, quibus non sunt firma vestigia, sed motu corporis citi sunt. E.

Pro *habui*, et sententiæ et versus causa repono *habuit*, sc. Bacchis, et me et totam familiam fastidio suo et elegantia sollicitos et exercitos habuit. B.

Omnes sollicitos habui] Legendum de Bentleii conjectura *omnes habuit sollicitos*, nempe Bacchis fastidio et elegantia sua omnes exercitos habuit. R. D.

53 *Quem exedent?*] Plus dixit, quam si, *cujus res*, dixisset. C.

Quem assidue exedent] Quem quotidie comedent, vel certe frequenter. E.

Quid te futurum censes] Sic in Phorm. I. 2. 87. Eodem modo veteres dicebant *quid hoc homine facias* pro *de hoc homine*. v. Drak. ad Liv. XXXIII. 28. R. D.

54 *Sic me Di amabunt*] Pro ament. *Ut me tuarum miseritum est*] Bene *miseritum*. Nam secundum nonnullos, *miserari* est flere et lamentari: *misereri* vero, miserationes alienis casibus exhibere. C.

Ut me tuarum fortunarum] In meo damno magis misericordiam pro te passus sum, et pro fortunis tuis. E.

Pro *ita* in omnibus codd. est *sic*. Verbum *amabunt* a Schol. Bemb. explicatur per *ament*. B.

Sic me di amabunt] formula jurantium et optantium in Ad. IV. 5. 47. in Hec. II. 1. 9. cæterum *amabunt* ponitur pro *ament*. Nam futura indicat. habent vim optativi vel imperativi. v. Perizon. ad S. Min. I. 13. not. 2. p. 95. R. D.

Fortunarum tuarum] I. e. rerum in Phorm. I. 4. 24. R. D.

55 *Faciat quod lubet*] Indulgentissimus pater, et qui vehementissime filium desiderabat; licet damna audisset, tamen omnia se dicit filio permittere velle, dummodo ipsum habeat in potestate. E.

56 *Sumat, consumat, perdat*] Quis hoc patre indulgentior? Sed hoc contingere solet dum unicus est gnatus. *Sumat*] Accipiat. Alias *sumere* est eligere. Sallustius in Jugurth. cap. 85. *sumat aliquem ex populo monitorem officii sui*. *Perdat*] Quod majus est, et quod finem consumendi habet, tertio loco posuit. C.

Perdat] I. e. inutiles sumtus faciat in Ad. I. 2. 54. Cic. ad Div. V. 7. *quæ si non profundere ea perdere videbor*. v. Broukhus. ad Propert. II. 6. 8. *quam possem nuptæ perdere amore faces*. Cæterum similis est locus Rutilii Lupi I. 19. R. D.

57 *Si certum'st tibi*] Hic jam persuadet, ut illud quod supra diximus, velit adolescentis animo veluti nesciens dare, cum artibus servi inductam pecuniam dat, et ad luxuriam ministrat. Denique ipsum consilium suum quod sit, proponit: *falli te sinas technis per servum*. An fieri possit, adjungit: *subsensi illos hoc quoque agere*. Ex eo enim quod jam agunt et præparant, fieri potest. Deinde ab utili adjunxit: *et tibi perdere talentum hoc pacto satius est, quam illo minam*. Melius est velut insciens (*melius est, ut insciens vel* Z.) plurimum perdas, quam sciens minimum; cum ex hoc filius quod licentiam agnoverit, jam ei lubebit majora committere. Dein adjungit ab honesto, *Nunc de pecunia agitur*] Ostendit honestum, et utile declaravit. Denique perseverat circa id ipsum, ut dicat: cum enim intellexerit animum tuum, te prius vitam tuam pro-

Sic facere, illud permagni referre arbitror,
Ut nescientem sentiat te id sibi dare.
M. Quid faciam? C. Quidvis potius, quam quod cogitas;
Per alium quemvis ut des: falli te sinas
Technis per servolum: etsi subsensi id quoque,
Illos ibi esse, et id agere inter se clanculum.
Syrus cum illo vestro consusurrat: conferunt
Consilia adolescentes: et tibi perdere
Talentum hoc pacto satius est, quam illo minam.
Non nunc de pecunia agitur: sed illud, quomodo
Minimo periculo id demus adolescentulo.

diturum, et omnem pecuniam, quam abs te filium dimittas: vide *quam fenestram* ad turpitudinem, ad luxuriam, nequitiamque patefeceris, hoc est, quantam januam dederis, peccatorem perire (*quantam januam dederis peccatorum, tu rem perire, et.*) *Ipsum non poteris pati*] Statim tu interire bona, et filium vivere luxuriose et malis operibus non patieris. E.

58 Pro *id* versus poscit *illud*, quod in probatis reperitur codd. B.

59 Vel leg. cum Palmerio et Guyeto *ut ne scientem sentiat*; vel: *ut nescientem censeat*. B.

Ut nescientem] Legendum ut ne scientem sentiat te id sibi dare constructio est, ut ne sentiat te scientem, id sibi dari. v. Bentl. ad h. l. R. D.

61 *Per alium quemvis ut des*] Quod salubrius præceptum parentibus dari potest? Nulla enim re adolescentes magis corrumpuntur, quam nimia parentum indulgentia. C.

62 *Technis*] Id est fallaciis. *Subsensi*] Bene *subsensi*. Nam *sub*, est temperamentum plenæ pronunciationis, ut, *subtristis*, *subridet*: non ad plenum tristis, aut ridet. Et quum quinque sint sensus: duo sunt, visus et auditus, quod nos magis sensibiles habemus, quam pecora. Cicero, *non solum videam, sed etiam audiam*. Duabus ergo rebus scimus, aut ratione, aut sensu: quibus maxime præstamus cæteris animalibus. Ergo senex dicit se sensu sensisse servulos fraudem parare. C.

63 Conjunctionem *et* codd. optimi et versus et sententia repudiant. B.

Illos ibi esse] I. e. illos id agere, id moliri. infra V. 2. 30. Plaut. in Mil. I. 1. 28. *at indiligenter hic eram*. R. D.

64 *Conferunt consilia*] Συγχέουσι τὰ βουλεύματα. Plaut. Rudent. II. 3. 8. *Omnes sapientes conferre decet*. L.

Omnes libri antiqui recte habent *consusurrant*, i. e. Syrus et ille vester. B.

Syrus cum illo, &c.] Hic versus in vetustis libris rectius sic legitur. *Syrus cum illo vestro consusurrant, conferunt consilia ad adolescentes*. Syrus cum illo vestro ponitur pro *Syrus et ille vester* atque adeo recte jungitur plurali *consusurrant* cujus syntaxis exempla sæpe reperiuntur. Sallust. in Catil. c. 43. *Lentulus cum cæteris constituerant*. Nepos in Phoc. c. 2. *Demosthenes cum ceteris erant expulsi*. Virgil. Æn. I. 292. *conferunt ad adolescentes* dicitur pro una ferunt, referunt ad adolescentes. v. Bentl. ad h. l. R. D.

65 Versus et sensus commendant lectionem cod. Bemb. *consilia ad adolescentes*, h. e. una ferunt, referunt ad adolescentes. B.

Id quum studuisti, isti formæ ut mores consimiles forent:
Minimeque, ita me Di ament, miror si te sibi quisque expetit.
Nam mihi quale ingenium haberes, fuit indicio oratio.
Et quum egomet nunc mecum in animo vitam tuam considero,
Omniumque adeo vostrarum, volgus quæ ab se segregant:
Et vos esse istiusmodi, et nos non esse, haud mirabile est.
Nam expedit bonas esse vobis: nos, quibuscum est res, non sinunt:

tuit, jam defensionem suam videtur meretrix exorsa; siquidem scit quod oporteat fieri, et laudat eam, quæ cum pulchritudine tenet integram castitatem. E.

2 *Formæ ut mores consimiles forent*] *Mores* enim pudici, gratiores esse solent in pulchro corpore. Virgil. Æn. V. 344. *gratior et pulchro veniens e corpore virtus.* C.

3 *Sibi quisque expetit*] Recte *expetit*; cum eam a pudicitia commendet. *Expetimus* enim tantum ea, quæ honesta sunt, et plane bona. Unde de rebus *expetendis* a philosophis scriptum: quæ scilicet peti debent. C.

Minimeque, ita me Di] Etenim non valde miror, si, cum his moribus et hac sis pulchritudine, ne (dele, *ne* Z.) non sit aliquis qui te diligat, et te sibi petat. E.

4 *Oratio*] Quod dixeris, cum uno velle ætatem traducere. Antiqui etiam pauca verba orationem dixerunt. C.

Nam mihi, quale] Namque mores tuos mihi sermonibus indicasti. E.

5 *Et cum egomet*] Hic jam reparat accusationis defensionem, quæ in se esse possit; dicitque merito, hujusmodi mulieres, quæ uni serviunt, hoc est, quæ se separant a vulgo, recte scilicet et bene facere: nec minus mirabile esse, quod meretrices malæ sunt. Hoc enim dixit: *et vos esse istiusmodi, et nos non esse, haud mirabile est.* Vobis enim cum sit voluntas cum uno viro semper esse, debetis servare bonitatem: nos autem bonas esse non sinunt hi, cum quibus rem habemus. Nam propter pulchritudinem nostram amatores esse volunt, qui continuo mutant voluntatem, si fuerit forma mutata. Ergo, nisi prospectum ante fuerit, *desertæ* et cum inopia in senectute *vivimus.* Unde sic purgatum, quod male audire potuisset, non juste malas esse meretrices. E.

In animo considero] Pro eo dixit in Ad III. 4. 55. *cum animo cogitas.* Sallust. in Jugurtha c. 13. *in otio facinus suum cum animo reputans* ubi v. Cort. R. D.

6 *Volgus quæ abs se segregant*] Hoc est, neque promiscue quosque recipiunt. C.

Omnium vestrarum] Sic dicitur pro *omnium vestrum*, possessivum pro primitivo, quod notandum ut rarissimum. R. D.

Vulgus quæ ab se segregant] H. e, quæ se vulgo non prostituunt. Contra apud Cicer. pro Cœlio c. 16. *quæ se omnibus pervulgaret.* Sic vulgares mulieres dicuntur quæ omnibus sui copiam faciunt. Ovid. Fastor. IV. 865. *numina vulgares Veneris celebrate puellæ.* R. D.

8 *Nam expedit bonas esse vobis*] Quia cum solo vivitis. Nec potest esse verus amor, nisi inter duos qui sibi invicem fidem servent: juxta illud Seneca in Agam. V. 259. *nec regna nec tædæ socium pati valent.* Ubi notanda est hæc structura: *mihi expedit esse bonum, et, mihi expedit esse bono.* C.

Quippe forma impulsi nostra nos amatores colunt. 9
Hæc vbi imminuta est, illi suum animum alio conferunt.
Nisi si prospectum interea aliquid est, desertæ vivimus:
Vobis cum uno semel ubi ætatem agere decretum'st viro,
Cujus mos maxume'st consimilis vostrum, hi se ad vos applicant:

Quamquam omnes libri habent *bonas:* consuetudo tamen linguæ requirit *bonis*, ut Phorm. V. 2. 1. B.

Expedit bonas esse vobis] Sic in Phorm. V. 2. 1. *ut malos expediat esse.* At Bentl. hic legit *bonis* et in Phorm. *malis* quæ certe constructio elegantior est et optimis scriptoribus magis usitata. v. Heins. ad Ovid. epist. XIV. 64. Nihil tamen mutandum. Nam quoties *licet, lubet, placet, expedit* et similia verba accusativis et infinitivis junguntur, toties supprimitur dativus nominis, cujus accusativus plerumque expressus est, isque, ut integra sit oratio et structura verborum constet, supplendus. Ita ex. gr. h. l. integra oratio est: *vobis expedit vos esse bonas.* Da hac constructione accuratissime disputavit Duker. ad Liv. XLII. 36. R. D.

Bonas] *Bonas* vocat, quæ nullam pro concubitu mercedem exigunt. Tib. El. II. 45. Supra II. 2. 4. *mater mala* pro avara. R. D.

9 *Quippe forma impulsi*] Et hic amor est gratia voluptatis tantum. Et bene *impulsi:* nam hæc omnia nox, vinum, amor, adolescentia, ab *impulsionis* parte dicuntur, non a ratiocinationis. *Amatores colunt*] Bene *amatores. Amator* fingere potest: *amans* vere amat. *Colunt*] *Colere* est inferioris personæ ad superiorem: nonnunquam superioris ad inferiorem. Virg. Æn. I. 16. *posthabita coluisse Samo.* C.

Colunt] I. e. observant, omni officiorum genere prosequuntur. Minus est *colere* quam *amare* Virgil. Æn. IV. 422. *solam nam perfidus ille te colere.* Ovid. Art. Amator. I. 722. *qui fuerat cultor factus amator erat.* v. Burmann. ad Petron. c, 127. p. 781. R. D.

10 *Imminuta* habet Bemb. Sed omnes nostri *immutata.* Recte; quia in tali sede spondeus trochæo est melior. B.

11 *Nisi si prospectum*] *Prospicimus* futura: *dijudicamus* præsentia. *Desertæ vivimus*] Ab his, qui ob amorem frequentes erant. C.

Lege, *nisi prospectum interea a nobis est, des. v.* Nam *si* abest a plurimis: et pro *aliquid*, quod hic plane ineptum est, repone *a nobis*, quod reperitur in quibusdam libris. B.

Nisi prospectum aliquid est] H. e. nisi commodis nostris consulverimus, nisi ex quæstu corporis pecuniam collegerimus. Liv. IV. 49. *qui sedem senectuti vestræ prospiciunt* R. D.

Desertæ vivimus] I. e deserimur. Cic. ad Div. XIV. 1. *quodsi, &c. beatissimi viveremus.* Catull. carm. X. 33. *insulsa et molesta vivis.* In talibus adjectiva pro adverbiis ponuntur. v. Gronov. ad Liv. III. 50. R. D.

12 Pro vulgari *simul* rescribe *semel.* Tum post *viro* interpunge. Nam hic est sensus; ubi decrevistis in matrimonio vos victuras, non in quæstu meretricio, hi se ad vos applicant, cujus (sive quorum) mos est consimilis. Mutatio est numeri; ut Eun. Prol. *si quisquam est ——in his:* notante et ibi hoc laudante Donato. B.

13 *Consimilis vostrum*] Moribus vestrum, pro, moribus vestris. Sic enim antiquis loqui placuit, mores vestrum, pro, mores vestri, ut recentioribus placet. C.

Cujus mos maxime'st] Verum his moribus se sociant vobis, qui habent hunc morem et similem voluntatem. E.

Cujus] Notanda est numeri mutatio

Hoc beneficio utrique ab utrisque vero devincimini,
Ut nunquam ulla amori vestro incidere possit calamitas.
A. Nescio alias: me quidem semper scio fecisse sedulo,
Ut ex illius commodo meum compararem commodum.
C. Ah!
Ergo, mea Antiphila, tu nunc sola reducem me in patriam facis.
Nam dum abs te absum, omnes mihi labores fuere, quos cœpi, leves:
Præterquam, tui carendum quod erat. S. Credo. C. Syre, vix suffero.

cujus pro *quorum* ut in Eun. II. 1. 20. Conjungit homines et eundem sensum loci pulchre vidit Bentlei. *ubi decrevistis in matrimonio vos victuras, non in quæstu meretricio, hi se ad vos applicant, quorum mos consimilis.* R. D.

14 *Hoc beneficio utrique ab utrisque vero devincimini*] Quasi diceret, sic ambo obligatis vos mutuo beneficio intemeratæ fidei servandæ. Et hoc dictum est illi simile: *uterque utrique sunt cordi.* Ubi Laurentius affirmat ab oratoribus potius esse dicendum, *uterque alteri est cordi.* C.

15 *Incidere possit calamitas*] In Eunucho, *nostri fundi calamitas.* Proprie *calamitatem* rustici grandinem dicunt, quod comminuat calamum, hoc est calmum ac segetem. C.

Ut nunquam ulla amori vestro incidere possit calamitas] Ut semper inter vos amor valeat, neque senectute aut ullo morbo discidium possit existere. E.

Incidere] *Incidere* pro *accidere* proprie dicitur de rebus malis et infelicibus Cic. de Nat. Deor. I. 7. Propert. Eleg. I. 15. v. 28. *si quid forte tibi durius inciderit.* Liv. I. 58. *rem utrocem incidisse.* R. D.

16 *Nescio alias*] Verba mulieris commendantis se a fide in virum. C.

Nescio alias: me quidem] Quid agam vehementer ignoro: illud certum est, nunquam meum me commodum sine illius commodo comparasse. E.

17 *Compararem*] Constituerem. Ut alibi: *quam inique comparatum est. Ah!*] Clamosa interjectio hoc in loco ad gaudium spectat. Nec potuit vox accommodatior dari, amatori præ nimio amore fere insanienti ad primum cum amica congressum. C.

18 *Reducem*] Id est, incolumem, post varia pericula, quæ subii eundo in Asiam et redeundo. Nam ut Servius inquit, *redeuntes* dicuntur proprie, qui pericula evadunt. Facis itaque me *reducem*, i. e. defunctum periculis revertentem in patriam. C.

Ergo, mea Antiphila] Adolescens venientem amicam intuetur, et secum loquitur, quod ejus amore factum sit, ut in patriam reverteretur. E.

19 *Nam dum abs te absum, omnes mihi*] Cum enim abs te discessi, universos labores leves arbitratus sum, excepto hoc, quod te carebam. E.

20 *Credo*] Syrus non se loco moverat, respondet verbis Clitiphonis, quicum loquebatur, ut eum aliquo ambulatum abire cogeret. *Vix suffero*] *Vix*, difficultatem significat. Et aliquando pro *non* ponitur. Ovid. Heriod. I. 4. *vix Priamus tanti, totaque Troia, fuit.* Lucilius, *carcer vix carcere dignus.* *Suffero*] Sustineo, alias suppono. C.

Hoccine me miserum non licere meo modo ingenium frui?

S. Immo, ut patrem tuum vidi esse habitum, diu etiam duras dabit.

B. Quisnam hic adolescens est, qui intuitur nos? A. Ah, retine me, obsecro.

B. Amabo, quid tibi est? A. Disperii, perii misera. B. Quid stupes,

Tan. Faber verba *Syre—frui?* Clitiphoni, qui in postscenio scilicet auscultans, introrumpat in scenam, osculaturus Bacchidem, tribuenda censet. Sed satis absurde. Nam *hoc ingenium*, h. e. puellam tali ingenio præditam, Clitipho non potest vocare meretricem, cujus forma quidem, sed non ingenio erat peroussus. Deinde quod Syrus respondet, *ut vidi patrem tuum esse habitum*, de Menedemo, non Chremete dicitur. B.

Tui carendum] Constructio verbi *carere* cum genitivo notanda ut rarior. R. D.

21 *Hoccine me miserum non licere meo modo ingenio frui*] Sibi bonum ingenium inquit puellæ haberet: mihi et (*autem* Z.) non sinit pater. Ita hoc ingenio bono amicæ meo modo frui non licere, vehementer ingemisco. E.

Ingenium pro *ingenio* antique dicitur. Nec adeo est, quod plurium codd. lectionem *ingenio* sequamur. Cæterum *ingenium* hic eodem sensu dicitur, quo supra And. I. 5. 40. B.

Ingenium] Ingenium dictum pro muliere tali ingenio prædita. v. Andr. I. 1. 26. et Bentl. ad h. l. R. D.

22 *Immo, ut patrem tuum vidi esse habitum*] Cum non possit per se Syrus Clitiphonem abigere, ad minas patris confugit, quem fingit iratum. *Vidi esse habitum*] Vario modo homines *habiti* atque affecti esse possunt: quibus secundum academicos aliud atque aliud videtur. *Etiam duras dabit*] Subintelligendum est vel *lites* vel *partes*. In Eunucho, *duras partes fratris prædicas*. Et *partes duras* μεταφορικῶς ab actoribus scenicis. Vel *duras dabit*, hoc est, durum se præbebit. Vel absolute *duras*, ut dicimus *bonas* ei dedit, vel dabit poenas. Cic. *quamprimum adveniens dedit*. C.

Diu etiam duras dabit] Diu etiam duras . . . . . (*adhuc*) existet. E.

In margine Bemb. teste Faerno, ad verba *duras dabit*, hæc ascripta est interpretatio: *hoc est, durum se præbebit, vel absolute, duras, ut dicitur bonas ei dedit, vel dabit pœnas. Cicero: quam primum adveniens dedisti. et in Verrinis: verum illa est præ* *. *Habitum*, si locus est sanus, intellige *valentem, corpulentum, diu victurum*. Verum talis habitus Menedemo labore et mœrore tamdiu macerato non convenit. Præterea quid sit *duras dabit?* aqua omnibus interpretibus hæret. Nos versum non, uti Guyeto visum est, ut spurium delendum putamus, sed corrigendum ita: *immo, ut patrem tuum vidi, partes diu etiam duras dabit*. B.

Ut patrem tuum] Versus conclamatus nec sine meliorum Mstorum ope restituendus. R. D.

23 *Intuitur nos*] Ab ea, quod est intueor, intuetur, et intuor intuitur. *Ah! retine me*] Antiphilæ præ nimia lætitia, viso Clinia, animo male esse cœpit. Nam et animus una cum corpore nonnunquam deficit nimio mœrore: sic et interdum nimio gaudio. C.

Intuitur] Antique pro *intuetur*. R. D.

Retine] I. e. sustine me, ne cadam. Plaut. in Curcul. II. 3. 31. *retine, retine, me obsecro*. R. D.

24 *Quid stupes*] I. e. quare animi deliquium tentares. R. D.

Antiphila? A. Videon' Cliniam, an non? B. Quem vides?
C. Salve, anime mi. A. O me exspectate, salve. C. Ut vales?
A. Salvum advenisse gaudeo. C. Teneone te, Antiphila, maxume animo exoptata meo?
S. Ite intro: nam vos jam dudum exspectat senex.

ACT. III. SCENA I.

CHREMES. MENEDEMUS.

LUCISCIT hoc jam, cesso pultare ostium

25 *Videon' Cliniam, an non?*] Tanta lætitia erat Antiphilæ, ut etsi amatorem agnosceret, de eo tamen dubitaret. C.

26 *Anime mi*] Mollis oratio, et feminea, multis implicata blandimentis. *Mi*, vim blandimenti habet, nam significat meus. *Clinia, salve*] Illa ad majorem gratiam, amantem proprio nomine appellavit. *Salve*, modo admirantis interjectio est. C.

Verba *salve anime mi* priori versui sunt apponenda. Tum cum omnibus nostris codd. leg. *o mi exspectate Clinia, salve*. B.

27 *Teneone te?*] Præ nimio amicæ desiderio, cum dubitatione loquitur. Sunt qui legant, *teneone te;* ut referatur ad fidem, ita ut dubitet, an a se alienata sit, an in fide persistat. C.

Salvum advenisse] Ms. R. *venisse*. L.

Teneo] Hac formula utantur, qui amicos peregre reversos amplectuntur. Petron. c. 139. ubi v. interpret. Sen. in Hercule furente v. 623. *teneone in auras editum in vana fruor deceptus umbra*. v. Græv. ad Sueton. Cæs. c. 59. R. D.

28 *Animo exoptato*] Ms. R. *exspectata*. L.

Pro *exoptata*, recte *exoptatam* legendum putat Faernus, qui ait, sæpe a librariis literam, syllabam, et verbum prius esse omissum, si idem statim esset secutum. B.

1 *Lucescit*] Veri amici officium pulcherrime a Terentio in hac scena exprimitur: in qua amicus amico simul, et gaudii insperati, maximo cum affectu, nunciam, et consilium affert. *Cesso*] Aliquis *cessare* dicitur, id est, tardare ad aliquid coleriter peragendum. Virgil. Æn. VI. 51. *cessas in vota precesque. Cessat* desidiosus: requiescit defessus. C.

Luciscit hoc jam] Notandum ex hac comœdia, quod in nulla alia licet reperiri, ut biduum tempus in comœdia sit. Omnes enim uno die actus suos explicant, ex eo ipso quo cuncta effici possunt, ut aut nuptiæ celebrentur, aut cognitio fiat expo . . . . (supple, *siti, aut horum* Z.) aliquid. at hic bidui rationem versari intelligimus. Ergo dixit *luciscit hoc*. Habet hæc scena allocutionem, in qua ostendit se properare,

Vicini? primum e me ut sciat sibi filium
Rediisse; etsi adolescentem hoc nolle intellego.
Verum, quum videam miserum hunc tam cruciarier
Ejus abitu, celem tam insperatum gaudium;
Cum illi nihil pericli ex indicio siet?
Haud faciam. nam, quod potero, adjutabo senem.
Ita ut filium meum amico atque æquali suo
Video inservire, et socium esse in negotiis:
Vos quoque senes est æquom senibus obsequi.
M. Aut ego profecto ingenio egregie ad miserias

uti Menedemo nunciet filium redisse: quamquam hoc nolit adolescens, cum patris sui nesciat voluntatem. E.

Hoc, inquit Faernus, absolute ponitur pro cœlo. *Luciscit* habet cod. perantiquus; cæteri *lucescit*. B.

Daceria quod contendit hinc reliquam comœdiam actam esse postridie mane, nec exemplis idoneis, nec rei natura potest comprobari. Z.

Luciscit hoc jam] Veteres cœlum vel mundum appellabant *hoc*, quia non satis commodum inveniebant vocabulum, quo universam machinam exprimerent. Cic. in fragm. de universo c. 2. *omne igitur cœlum, sive mundus, sive quovis alio vocabulo gaudet, hoc a nobis nuncupatus sit.* Videntur etiam *hoc* dicentes cœlum vel digitis ostendisse vel aspexisse. v. Plaut. in Amphitr. I. 3. 45. *eamus Amphitruo. luciscit hoc jam.* v. interpret. ad h. l. et ad Pompon. Mel. I. 1. R. D.

2 *E me* Bemb. sed omnes nostri *ex me*. Recte. B.

4 *Miserum hunc*] Cum affectu. Nam proprium veri est amici lætari rebus prosperis amici, et dolere adversis. C.

Pro *cruciarier* Bentleius edidit cum Faerno *excruciarier*. Z.

6 *Cum illi*] Deest, præsertim. *Ex indicio*] *Indicium* proprie est oris et linguæ. C.

Cum illi nihil periculi] Ut celem tam insperatum gaudium, cum ipsi adolescenti nihil periculi sit ex eo, quod indicatur. E.

Nostri omnes *cum illi pericli nihil ex*, &c. B.

7 *Nam quod potero*] *Quod* pro quantum. *Senem*] Plus habet affectus, quum si diceret Menedemum. C.

Quod potero] V. C. *qua potero, adjuvabo senem.* L.

Quod, h. e. quantum, habent optimi libri, pro *quam*, quod in quibusdam reperitur. B.

8 In duobus antiquissimis libris Faernus reperit *item ut*. Sed nostri omnes *ita ut*. B.

Ita ut] I. e. eodem modo ut Cic. Verr. IV. 9. R. D.

10 *Nos quoque senes est æquom senibus obsequi*] Juxta illud proverbium usitatissimum, *pares cum paribus facillime congregantur*. Naturaliter enim adolescentes adolescentibus, senes vero senibus potius inserviunt et obsequuntur. C.

11 *Aut ego profecto*] Id est, ex his duobus necesse est alterum tantum *(tamen)* esse verum. Sed senex ex nimio filii desiderio dubitat de eo quod omnibus approbatissimum est. *Ingenio*] Hoc est, natura. *Ingenium* naturalis est sapientia. Sallust. in Cat. c. 8. *ingenium nemo sine corpore exercebat. Ingenium* quoque veteres dixerunt ex sua sponte vel natura. Virg. Ge. II. 77. *nunc locus arvorum ingeniis: quæ robora cuique. Egregie ad miseriam*] *Egregium* dicitur, quod ex grege eligitur. Sed hic *egregie*, valde, nimis. Non est ergo ad laudem positum. C.

Natus sum ; aut illud falsum'st, quod volgo audio
Dici, diem adimere ægritudinem hominibus.
Nam mihi quidem cotidie augescit magis
De filio ægritudo : et quanto diutius
Abest, magis cupio tanto, et magis desidero.
C. Sed ipsum foras egressum video : ibo, alloquar.
Menedeme, salve : nuncium apporto tibi,

Aut ego profecto] Hæc scena persuasionem habet, quemadmodum pater filium suspiciat, et falli se per servos sinat ; neque tanta facilitate utatur, ne corruptis filius moribus vivat, si semel facilitatem erga se patris agnoscat. Tenebit ergo divisiones, ut omnis deliberativa ab utili et honesto similiter fieri possit. quæ omnia suo loco plenius explicabimus, ne tantum ea quæ obscura sunt dicamus. E.

In Bemb. est *egregio ad miserias*. Nostri omnes, excepto uno, *miseriam*. Hoc præferendum puto, ut intelligatur mœror, ægritudo ; sin *miserias* legeris, una egestas, morbi et aliæ calamitates comprehendutur. B.

Ingenio egregie ad miserias natus sum] Ego præter omnes homines ita natus sum, ut miserias feram, in Ad. IV. 2. 6. R. D.

13 *Diem adimere ægritudinem hominibus*] Servius Sulpicius ad Ciceronem, ad div. IV. 5. *nullus dolor est, quem non longinquitas temporis minuat atque molliat.* C.

Diem adimere] Diphilus : λύπης δὲ πάσης γίνεται ἰατρὸς χρόνος. Sulpicius ad Ciceron. lib. IV. Epist. 5. *nullus dolor est, quem non longinquitas temporis minuat atque molliat.* Sed in primis scitum Epicteti dictum apud Stobæum Serm. 240. τοὺς ἄφρονας ὁ χρόνος, τοὺς δὲ φρονίμους ὁ λόγος τῆς λύπης ἀπαλλάττει. Hinc Tullius Epistol. ad Titium lib. V. 16. Familiar. *quod allatura est ipsa diuturnitas, quæ maximos luctus vetustate tollit : id nos præcipere consilio prudentiaque debemus.* Et Seneca ad Lucill. Epist. 67. *finem dolendi qui consilio suo non fecerit, tempore invenist.* Symmach. lib. 2. Epist. 6. *solet quidem ægritudines animi ratio mitigare. Sed fortunæ nostræ tantum vulnus est, ut ei ne tua quidem delinifica et suada facundia cicatricem possit obducere. Fors fuat an dies longa quandoque hebetet laxatum dolorem. Siquidem malis omnibus finis de tempore venit.* Ovidius ad Gallion. lib. IV. 11. 13. de Ponto ; *finitumque tuum, si non ratione, dolorem Ipsa jam pridem suspicor esse mora.* L.

Vix credibile est, *diem*, quod in emphasi esse debet, sine accentu quasi mutum transmissum esse a poeta. Fortasse locus constituendus est ita : *aut ego profecto ingenio egregio ad miseriam sum, aut illud falsum'st, vulgo quod dici audio, diem tandem adimere ægritudinem omnibus.* Certe *ingenio sum* occurrit Phorm. I. 3. 20. B.

Diem] I. e. temporis longinquitatem Cic. ad Div. VI. 13. *et res eum (Cæsarem) et dies et opinio hominum—mitiorem facit.* R. D.

17 *Adibo* alii ; minus recte ; præsertim cum *ad* mox sequatur, ut infra, *Syrus est prendendus, atque adhortandus mihi.* Ad quem locum Bemb. glossema : *prehendendus, deest* ad : *sed ideo prætermisit, quia dicturus erat,* adhortandus. FAERN.

18 *Nuncium apporto tibi*] *Nuncius* et res ipsa et *nuncius* dicitur. C.

Nuncium apporto] Bene generaliter in nuncio votum futurum esse promisit, ut animus cupidus probari possit, cum non aliud suspicatur, quam quod in desiderio fuerat collocatum. Deinde subjungit : *num quidnam de gnato meo audisti, Chreme ?* E.

Cujus maxume te fieri participem cupis.
M. Num quidnam de gnato meo audisti, Chreme?
C. Valet atque vivit. M. Ubinam'st, quæso? C. Apud me domi.
M. Meus gnatus? C. Sic est. M. Venit? C. Certe. M. Clinia
Meus venit? C. Dixi. M. Eamus, duc me ad eum, obsecro.
C. Non volt te scire se redisse etiam; et tuum
Conspectum fugitat propter peccatum: hoc timet,
Ne tua duritia illa antiqua etiam adaucta sit.

19 *Cujus maxume*] Bene *maxume*. Quis enim nuncius illi gratior esse poterat, quam filii? C.

Cujus te fieri participem cupis] I. e. cujus fieri particeps cupis. v. notata ad prolog. Eun. I. R. D.

20 *Num quidnam de gnato meo*] Quia omnis illius sollicitudo circa filium erat, idcirco satim de eo suspicatus est, nondum facta mentione. C.

21 *Valet atque vivit*] Prothysteron in sensu est. Si enim *valet*, necessario *vivit*: non, si vivit, valet. Ergo *vivit et valet* dicendum erat. Et bene utrumque junxit. Nam multi vivunt, sed non bene valent. C.

Valet] Temperavit primo nuncium, ut cresceret gaudium. Nam primo *valet atque vivit*, inquit, quod utique diversum esse manifestum est. Nam *valemus* cum integra salute sumus: *vivimus* cum spiritum ducimus. *Ubinam est*] Parum credit gaudii, quod sibi salus filii nunciatur. Nunc de loco quæritur. Ipse quippe qui ejus absentiam dolere videatur * *nunc de loco quærit ipso: quippe qui ob ejus absentiam dolore cruciatur maxime.* Z.) E.

Apud me domi] V. C. *apud me domi est.* L.

Omnes nostri. *hic apud me domi.* Repone: *apud me hic domi.* B.

22 *Meus gnatus!*] Magis cum admiratione quam cum interrogatione legendum. *Clinia meus venit!*] Addidit et nomen: quod fieri consuevit in his quos diu optavimus, et nondum venisse credimus. C.

Meus gnatus?] Cum iterum quod cupiebat senex audisset, tanquam parum credat, interrogationem repetit. Denique percussis omnibus cum confirmationem nuncii audisset, perseverat gaudium: ideoque adjecit, *duc me ad eum, obsecro.* E.

23 *Dixi*] Denunciatio est confirmandæ sententiæ, nec mutandæ, translata de foro et causidicis. Cicero, in Verrem II. 30. *præco* DIXISSE *pronunciat. Dixi*] Hoc verbum in fine additum, superiora confirmat. Et est proprium his qui peroraverunt causam. Quinctilianus, Instit. I. 5. DIXERE *quoque, quamquam id Antonius Rufus ex diverso ponit exemplum, de pluribus patronis præco pronunciet. Dixi*] Sic dixit, quasi jam obtunderetur a Menedemo. C.

24 *Et tuum conspectum fugitat*] Plus est quam *fugit*. Et *fugitat* dixit, ut ostenderet filium vehementer timere. C.

25 Corrige pravam distinctionem ita: *conspectum fugitat: propter peccatum hoc timet.* B.

Conspectum tuum fugitat] Pro eo Plin. in panegyr. c. 22. dicit *ad conspectum tui* ubi v. Schwartz. R. D.

26 *Adaucta sit*] V. C. *siet.* L.

Bemb. et Victor. *antiqua illa.* Quæ

M. Non tu ei dixisti, ut essem? C. Non. M. Quamobrem. Chreme?
C. Quia pessume istuc in te, atque in illum consulis,
Si te tam leni et victo animo esse ostenderis.
M. Non possum: satis jam, satis pater durus fui. C. Ah!
Vehemens in utramque partem, Menedeme, es nimis,
Aut largitate nimia, aut parsimonia.
In eandem fraudem ex hac re, atque ex illa incides.
Primum, olim potius, quam paterere filium
Commeare ad mulierculam, quæ paululo

Faerno elegantior videtur collocatio. Nostri omnes, *illa antiqua*. Nescias utrum malis. B.

27 *Non tu ei dixti, ut essem?*] *Ut*, aliquando certam qualitatem significat, et nonnunquam incertam. Alibi, *ut erat gesta*. C.

Num tu ei dixti, ut essem?] Num tu ei dixisti, quemadmodum nunc essem? E.

Ut essem] I. e. qualis essem. Plaut. in prol. Amphitr. v. 104. *vos novisse credo ut sit pater meus*. R. D.

28 *Quia pessume istoc*] Consilium et parentibus omnibus et filiis salubre: patres enim nimia largitate et clementia liberos corrumpunt. Illi vero, nimia licentia deteriores facti, patribus mœrori, sibi vero detrimento sunt. C.

Quam pessime in te] Hic jam incipit suasoria illa, quæ animum patris componit, ut circa filium temperet lenitatem, aut largitatem nimiam, aut parcitatem. Utroque genere peccas, dum aut (*nunc* Z.) nimium largus es, ut ante nimium parcus. Ex hoc (excidit *fit* Z.) ut in unum malum ex diversis moribus venias. E.

Ex *illum* eliditur unum l, ut sit dactylus in quarta sede senarii. B.

29 *Si te tam*] V. C. *qui te tam*. L.

Recte Faernus collocat, *et victo esse ánimo*, ne *animo* in Thesi delitescat. B.

Victo animo] Victus animus dicitur qui facile labascit, facile de proposito recedit. Supra I. 1. 62. *graviter audiendo victus est*. Virg. Æn. II. 699. ubi v. Serv. R. D.

30 *Non possum*] Hoc est animi victi, et clementis. Interdum ad nimiam indignationem spectat: ut illud Satyrici, Juvenal. Sat. III. 60. *non possum ferre Quirites, Græcam urbem. Satis jam satis*] Hæc reduplicatio magnam habet vehementiam. *Ah! vehemens*] Bene dixit, *vehemens*, de eo qui non servaret modum. *Ut* enim particula, sicuti quædam aliæ, tum intensionem, tum minutionem significat. Ergo *vehemens*, a *mentis vi* atque impetu dicitur. C.

31 Lege, quo meliores fiant numeri, veheméns utramque in pártem. B.

33 *In eandem fraudem*] *Fraus* pro dolo et poena ab antiquis accipiebatur. C.

Fraudem] I. e. damnum in Andr. V. 4. 8. *in fraudem illicis*. v. Schulting. ad Sen. controv. I. p. 102. R. D.

34 *Primum olim potius*] Hoc tibi initium mali fuit, quod non filium permisisti ad mulierculum commeare. (Hoc crimen;) quod tunc paulo videbatur esse contenta, cum omnia grata esse potuerunt, quæ filius faceret. At tu injustitia cum adolescentem tuis sermonibus terruisti, exinde illa coacta necessitate, ingratiis cœpit victum sibi quærere. E.

35 *Mulierculam*] Minus est, quam

Tum erat contenta, cuique erant grata omnia,
Proterruisti hinc. ea coacta ingratiis
Postilla cœpit victum volgo quærere.
Nunc cum sine magno intertrimento non potest
Haberi, quidvis dare cupis. nam, ut tu scias,
Quam ea nunc instructa pulchre ad perniciem siet:

si diceret, aut *mulierem*, aut *meretricem*, utpote quæ erat contenta parvo. Et *muliercula* dicitur cum contemtu, quasi paupercula. C.

Pro *commeare* pone frequentativum *commetare* versus gratia. Hoc obsoletum verbum occurrit Plaut. Capt. I. 2. 82. et apud Nonium. B.

Commeare ad mulierculam] I. e. sæpe ire domo et redire ad illam. in Hec. I. 2. 100. *hic raro in urbem commeat.* Lactant. III. 15. *quo animo philosophus ad meretricem famosissimam commearet.* Bentl. ad h. l. et ad Horat. Serm. II. 5. 79. ex metri rationibus reponit frequentativum *commetare.* Vulgatum tenet Burmann. ad Sueton. Claud. c. 18. R. D.

37 *Coacta ingratiis*] Hoc est, invita. Et bene *coacta* et *ingratiis.* Nam aliquis *ingratiis* dicitur aliquid facere, qui invitus et coactus præter voluntatem facit. C.

Proterruisti] *Proterrere* est terrore injecto abigere, fugare. Plaut. in Trin. III. 2. 77. *mea opera hinc proterritum te autumant.* Virg. Æn. XII. 291. *adverso proterret equo* ubi v. Burman. Deterrere eodem sensu est apud Claudian. de bello Getico v. 104. R. D.

38 *Postilla cœpit victum volgo quærere*] Sic in Andria, *lana ac tela victum quæritans.* Et recte *victum*, et non *cibum* protulit. *Cibus* est enim, qui delicatis præbetur: *victus*, in parvis aridisque alimoniis est constitutus. Virg. Æn. III. 649. *victum infelicem, baccas lapidosaque corna. Postilla*] Antiquum est: nos autem dicimus *postea. Quærere*] Melius dixisset *quæritare. Quærit* enim, qui ad plenum et perpetuum reponit: *quæritat*, qui vix quotidie inquirendo victum invenit. C.

39 *Sine magno intertrimento*] Id est damno. *Detrimentum*, secundum Varronem, a detritu dicitur: quod ea quæ trita sunt, minoris pretii sint. *Intertrimentum* ab eo quod duo quæ inter se trita et diminuta. A quo etiam *intertrigo* dicta. C.

Nunc cum sine magno intertrimento] Unde modo sine magno damno haberi non potest. *Intertrimenta* autem sunt, quæ intus terendo damna perficiunt. E.

Sine magno intertrimento] Glossar. *intertrimentum ἀκακοία.* Scævola *intertrituram* dixit. l. 43. §. 1. ff. de pign. act. L.

Intertrimento] Scholiastes Bemb. *inter et de tantundem significant ad augmentum ostendendum. Hinc dicitur, interfectus.* FABRN.

Intertrimentum] Proprie est illud damnum quod ex attritu rerum inter se oritur, sed deinde ponitur pro omni damno et jactura. v. Brisson. de verbor. significat. R. D.

40 *Quidvis dare cupis*] Et hoc est nimiæ largitatis. C.

Quidvis dare cupis] Scio enim quodcunque desideras dare. E.

41 *Nunc*] Pro *multo*, alias pro *minimo* est, et sic dixit quod supra *vehemens in utramque partem.* Ergo accipi potest pro qualitate sententiæ. C.

Quam ea nunc instructa] Verum ut possis intelligere, quemadmodum nunc illa meretrix instructa sit adversus filium tuum, et ad quam perniciem adjecta. E.

Instructa pulchre] I. e. bene edocta. Cic. de Senect. c. 9. *ut adolescentulos ad omne officii munus instruat.* R. D.

Primum, jam ancillas secum adduxit plus decem,
Oneratas veste atque auro: satrapes si siet
Amator, nunquam sufferre ejus sumtus queat, 44
Nedum tu possis. M. Estne ea intus? C. Sit rogas?
Sensi: namque ei unam cœnam atque ejus comitibus
Dedi: quod si iterum mihi sit danda, actum siet.
Nam, ut alia omittam, pytissando modo mihi

42 *Primum, jam ancillas*] Et hoc est signum illam probe instructam ad expilandum amatores. *Plus decem*] Dixit quemadmodum dicimus, *magis decem*, in quibus *magis* et *plus* sunt adverbia. Solemus tamen sæpius apponere *quam*, ut, *adduxit secum plus quam decem*. Verum auctorum usus semper est sequendus. C.

43 *Satrapes*] *Satrapes* a Græcis provinciæ præfectus dicitur. C.

Oneratas veste atque auro] Parum dixerat, *ancillas decem*, quæ res tantum in numero collocata videbatur: adjecit *oneratas veste atque auro*, ut pudori sit ancillas tales ita vestitas levi cibo pascere, aut certe servili. *Satrapes siet*] Apud Babylonios satrapæ appellantur ditissimi, et satellites regum. E.

Scribe *satrapa*. Nam primum cod. 900. annorum habet *satrapas si siet*, ut Eun. IV. 7. 19. idem, *armas sapientem decet*. Deinde ob analogiam linguæ, v. c. a ποιητὴς fit lat. *poeta*. Hinc Glossarium vetus Cyrilii: σατράπης, *satrapa*. B.

Oneratas veste] Ita Liv. IX. 17. *oneratum fortunæ suæ apparatibus* ubi v. Gronov. R. D.

Satrapes] Sic a Persis dicebatur provinciæ præfectus. R. D.

45 *Nedum tu possis*] *Nedum*, hoc loco negative ponitur: ut *non crederem tibi obolum, nedum pro te effunderem sanguinem*. Jam Chremes Bacchidem credit Cliniæ esse amicam. Et observa Terentianam consuetudinem, qui inducit nihil sapere eos qui falluntur. Est argumentum a majori ad minus, nam si non possit major, idem nec minor. C.

46 *Sensi*] Hoc cum dolore dicere solemus in his, in quibus detrimentum ingens passi sumus. C.

Sensi] *Cum gemitu pronuncia.* Schol. Bemb. Cæterum ob consensum codd. et versus rationem leg. *sensi: nam unam eii cœnam*. B.

Sensi] I. e. cum malo ac damno meo expertus sum, quam verbi vim supra explicuimus. R. D.

47 *Actum siet*] *Actum* est dicitur de ea re, de qua jam lata sit sententia, et est verbum desperantis. C.

48 *Pytissando modo*] Bene *pytissando*. Nam *pytissare* proprie est parce vinum gustare, quasi tentandi gratia. Tale est verbum quo Plautus, Mænech. II. 2. 29. utitur, *cyatisso*; tale est et *græcisso*. *Pytissando*, id est, expressis labris expuendo, dum saporem vini probat. C.

Pytissando modo mihi] Quantum vini absumserit vide, dum pytisset. Proprie autem *pytissare* dicitur, quod gustare, (excidit *et*) quasi cum quadam probatione exspuere. Denique adjecit: *sic hoc dicens, asperum pater, hoc est, aliud lenius, sodes, vide*. E.

Pytissando] Diomed. lib. II. L.

Pytissando] Scholiastes Bemb. *expressis labris spuendo, dum saporem vini probat.* Cæterum alii per duplex s scribunt: nos vero sequendam putamus scripturam Bembini et cod. 900. annorum, per unum s; quoniam versus certe ita ad Græcorum numeros accedit. B.

Pitissando] A Græco verbo πυτίζω vel Dorice πυτίσσω Latini formarunt *pitisso*, quod proprie significat vinum leviter gusto et gustatum exspuo. Hinc

Quid, quid vini absumsit! sic hoc, dicens; Asperum,
Pater, hoc est; aliud lenius sodes vide.
Relivi dolia omnia, omnes serias.
Omnes sollicitos habui: atque hæc una nox.

pytisma est vinum quod ex ore rejicitur. Vitruvius. VII. 4. v. Burmann. ad Petron. c. 28. R. D.

49 *Sic hoc dicens, asperum*] Id est austerum. Secundum Plinium tria vini sunt genera, *austerum*, *dulce* et *tenue*. C.

Pater] Scholiast. Bemb. *et hoc ei displicet, quod eum meretrix patrem appellet.* Cæterum recte Faernus ordinem verborum hunc esse ait, *dicens*, sc. Bacchis, *sic hoc*, sc. est; quia *sic hoc est* dicere soleamus, cum quid vel improbemus vel mediocre esse ostendamus. B.

Pro *quid, quid*, Bentleius cum Faerno recte non nisi unum *quid* edidit. Z.

50 Male pro *aliud* quidam malunt *illud*. Omnia enim dolia relinuntur, dum *aliud* quæritur: at si *illud*, jam habet, quod placet; nec plura dolia sollicitantur. Cæterum pro *vide* Nonius v. Asperum, *para* habet. Male. Nam *vide*, ex tua cella; *para*, ex taberna pete. B.

Pater] Sic seniores honoris causa appellabantur, v. Torrent. ad Horat. epist. I. 6. 54. *frater pater adde ut cuique est ætas, ita quemque facetus adopta.* R. D.

Lenius] I. e. sauvius, cui asperum vinum opponit Plinius Histor. natur. XIV. 19. R. D.

Vide] I. e. cura vel gusta, explora.

51 *Relevi dolia*] Ut inquit Plinius H. N. XIV. 20. *in Italia resina vino condendo maxime probatur Brutia: circa Alpes ligneis vasis condunt, circulisque cingunt. Picantur autem protinus a canis ortu: dehinc perfunduntur marina aqua aut salsa, ac levi cinere sarmenti asperguntur. Dum igitur vina aperiuntur, dolia relinuntur. Relevi*] Id est perforavi. quæ perforatio fieri non poterat, nisi prius auferretur aut lutum, aut limus, aut argilla, aut pix, aut resina, aut gypsus, quibus linebantur dolia, aut picabantur seu incrustabantur. *Linere* est picare, id est, pice aliquid linere seu ungere, seu mavis incrustare, et alicui rei suppositum aliquid superducere, ut parietem linimus calce aut gypso, id est, incrustamus; dolium linimus pice, &c. Et quemadmodum retegere significat tegmen auferre, sic *relinere* significat bitumen amovere, quo aliquid prius linitum erat. Et ita *relevi dolia omnia* significat, abstersi lutum vel terram tenacem ab omnibus doliis, ut in ea cœna vinum varium apponeretur. Præter autem prædictam significationem *linere* significat etiam deturpare. Inde *litura*, æ, id est, deturpatio facta atramento ducendo lineam per falsa scripta, ut fieri solet. *Omnes serias*] *Seria*, dolium: et proprie vas fictile de limo oblongum. Persius, Sat. II. 10. *et o si sub vastro crepet argenti mihi seria dextro Hercule!* Inde *seriola*. Persius, Sat. IV. 29. *seriolæ veteris metuens deradere limum.* C.

Relivi dolia omnia] *Linire* est contegere et operire: contrarium est *relivi*, id est, aperui. E.

Relivi dolia] Ita Diomedes hunc locum legit lib. II. L.

Bentleius cum Faerno *relevit* edidit. Rectius. Nam nisi certe legas *relini*, forma *relivi* videtur abhorrere ab analogia linguæ. Z.

Relivi dolia] Veteres dolia vinea picato cortice claudere solebant, quod dicebant *oblinere dolia* v. Caton. de re rust. c. 20. contra cum dolia aperire vellent picem oblitam tollebant quod dicebant *dolia delinere* Horat. Carm. III. 8. 10. R. D.

Serias] Seria est vas fictile et oblongum. R. D.

52 *Sollicitos habui*] Variis officiis et ministeriis distractos: nihil significantius dicere potuit. Quid enim aliud est *sollicitare*, quam suo loco movere? Solum autem quin significet locum, quis dubitat? quum exules quoque dicantur

Quid te futurum censes, quem assidue exedent?
Sic me di amabunt, ut me tuarum miseritum'st,
Menedeme, fortunarum. M. Faciat quod lubet: 55
Sumat, consumat, perdat. decretum'st pati:
Dum illum modo habeam mecum. C. Si certum'st tibi

ex solo patriæ suæ pulsi. *Sollicitos* igitur *habuit* omnes domesticos, qui hinc et inde administrandum distinabantur. C.

Omnis sollicitos habui] Hoc est, ebrios. Significat enim *sollicitos*, id est, solo citatos, quod ebriis contingit, quibus non sunt firma vestigia, sed motu corporis citi sunt. E.

Pro *habui*, et sententiæ et versus causa repono *habuit*, sc. Bacchis, et me et totam familiam fastidio suo et elegantia sollicitos et exercitos habuit. B.

Omnes sollicitos habui] Legendum de Bentleii conjectura *omnes habuit sollicitos*, nempe Bacchis fastidio et elegantia sua omnes exercitos habuit. R. D.

53 *Quem exedent?*] Plus dixit, quam si, *cujus res*, dixisset. C.

Quem assidue exedent] Quem quotidie comedent, vel certe frequenter. E.

Quid te futurum censes] Sic in Phorm. I. 2. 87. Eodem modo veteres dicebant *quid hoc homine facias* pro *de hoc homine*. v. Drak. ad Liv. XXXIII. 28. R. D.

54 *Sic me Di amabunt*] Pro ament. *Ut me tuarum miseritum est*] Bene *miseritum*. Nam secundum nonnullos, *miserari* est flere et lamentari: *misereri* vero, miserationes alienis casibus exhibere. C.

Ut me tuarum fortunarum] In meo damno magis misericordiam pro te passus sum, et pro fortunis tuis. E.

Pro *ita* in omnibus codd. est *sic*. Verbum *amabunt* a Schol. Bemb. explicatur per *ament*. B.

Sic me di amabunt] formula jurantium et optantium in Ad. IV. 5. 47. in Hec. II. 1. 9. cæterum *amabunt* ponitur pro *ament*. Nam futura indicat. habent vim optativi vel imperativi. v. Perizon. ad S. Min. I. 13. not. 2. p. 95. R. D.

Fortunarum tuarum] I. e. rerum in Phorm. I. 4. 24. R. D.

55 *Faciat quod lubet*] Indulgentissimus pater, et qui vehementissime filium desiderabat; licet damna audisset, tamen omnia se dicit filio permittere velle, dummodo ipsum habeat in potestate. E.

56 *Sumat, consumat, perdat*] Quis hoc patre indulgentior? Sed hoc contingere solet dum unicus est gnatus. *Sumat*] Accipiat. Alias *sumere* est eligere. Sallustius in Jugurth. cap. 85. *sumat aliquem ex populo monitorem officii sui*. *Perdat*] Quod majus est, et quod finem consumendi habet, tertio loco posuit. C.

Perdat] I. e. inutiles sumtus faciat in Ad. I. 2. 54. Cic. ad Div. V. 7. *quæ si non profundere ea perdere videbor*. v. Broukhus. ad Propert. II. 6. 8. *quam possem nuptæ perdere amore faces*. Cæterum similis est locus Ratilii Lupi I. 19. R. D.

57 *Si certum'st tibi*] Hic jam persuadet, ut illud quod supra diximus, velit adolescentis animo veluti nesciens dare, cum artibus servi inductam pecuniam dat, et ad luxuriam ministrat. Denique ipsum consilium suum quod sit, proponit: *falli te sinas technis per servum*. An fieri possit, adjungit: *subsensi illos hoc quoque agere*. Ex eo enim quod jam agunt et præparant, fieri potest. Deinde ab utili adjunxit: *et tibi perdere talentum hoc pacto satius est, quam illo minam*. Melius est velut inscienti (*melius est, ut inscienti vel Z.*) plurimum perdas, quam sciens minimum; cum ex hoc filius quod licentiam agnoverit, jam ei lubebit majora committere. Dein adjungit ab honesto, *Nunc de pecunia agitur*] Ostendit honestum, et utile declaravit. Denique perseverat circa id ipsum, ut dicat: cum enim intellexerit animum tuum, te prius vitam tuam pro-

Sic facere, illud permagni referre arbitror,
Ut nescientem sentiat te id sibi dare.
M. Quid faciam? C. Quidvis potius, quam quod cogitas;
Per alium quemvis ut des: falli te sinas
Technis per servolum: etsi subsensi id quoque,
Illos ibi esse, et id agere inter se clanculum.
Syrus cum illo vestro consusurrat: conferunt
Consilia adolescentes: et tibi perdere
Talentum hoc pacto satius est, quam illo minam.
Non nunc de pecunia agitur: sed illud, quomodo
Minimo periculo id demus adolescentulo.

diturum, et omnem pecuniam, quam abs te filium dimittas: vide *quam fenestram* ad turpitudinem, ad luxuriam, nequitiamque patefeceris, hoc est, quantam jauuam dederis, peccatorem perire (*quantam januam dederis peccatorum, tu rem perire, et.*) *Ipsum non poteris pati*] Statim tu interire bona, et filium vivere luxuriose et malis operibus non patieris. E.

58 Pro *id* versus poscit *illud*, quod in probatis reperitur codd. B.

59 Vel leg. cum Palmerio et Guyeto *ut ne scientem sentiat*; vel: *ut nescientem censeat*. B.

Ut nescientem] Legendum ut ne scientem sentiat te id sibi dare constructio est, ut ne sentiat te scientem, id sibi dari. v. Bentl. ad h. l. R. D.

61 *Per alium quemvis ut des*] Quod salubrius præceptum parentibus dari potest? Nulla enim re adolescentes magis corrumpuntur, quam nimia parentum indulgentia. C.

62 *Technis*] Id est fallaciis. *Subsensi*] Bene *subsensi*. Nam *sub*, est temperamentum plenæ pronunciationis, ut, *subtristis, subridet*: non ad plenum tristis, aut ridet. Et quum quinque sint sensus: duo sunt, visus et auditus, quod nos magis sensibiles habemus, quam pecora. Cicero, *non solum videam, sed etiam audiam*. Duabus ergo rebus scimus, aut ratione, aut sensu: quibus maxime præstamus cæteris animalibus. Ergo senex dicit se sensu sensisse servulos fraudem parare. C.

63 Conjunctionem *et* codd. optimi et versus et sententia repudiant. B.

Illos ibi esse] I. e. illos id agere, id moliri. infra V. 2. 30. Plaut. in Mil. I. 1. 28. *at indiligenter hic eram*. R. D.

64 *Conferunt consilia*] Συγχέουσι τὰ βουλεύματα. Plaut. Rudent. II. 3. 8. *Omnes sapientes conferre decet*. L.

Omnes libri antiqui recte habent *consusurrant*, i. e. Syrus et ille vester. B.

Syrus cum illo, &c.] Hic versus in vetustis libris rectius sic legitur. *Syrus cum illo vestro consusurrant, conferunt consilia ad adolescentes*. Syrus cum illo vestro ponitur pro *Syrus et ille vester* atque adeo recte jungitur plurali *consusurrant* cujus syntaxis exempla sæpe reperiuntur. Sallust. in Catil. c. 43. *Lentulus cum cæteris constituerant*. Nepos in Phoc. c. 2. *Demosthenes cum ceteris erant expulsi*. Virgil. Æn. I. 292. *conferunt ad adolescentes* dicitur pro una ferunt, referunt ad adolescentes. v. Bentl. ad h. l. R. D.

65 Versus et sensus commendant lectionem cod. Bemb. *consilia ad adolescentes*, h. e. una ferunt, referunt ad adolescentes. B.

Nam si semel tuum animum ille intellexerit,
Prius proditurum te tuam vitam, et prius
Pecuniam omnem, quam abs te amittas filium: hui!
Quantam fenestram ad nequitiem patefeceris?
Tibi autem porro ut non sit suave vivere.
Nam deteriores omnes fimus licentia.
Quodcunque inciderit in mentem, volet: neque id
Putabit pravom, an rectum siet, quod petet.
Tu rem perire, et ipsum non poteris pati.
Dare denegaris: ibit ad illud ilico,
Quo maxume apud te se valere sentiet;
Abiturum se abs te esse ilico minabitur.

70 Ad hunc versum Schol. Bemb. egregie ita: *minor est pecunia quam vita; sed in oratione potiora nobis sunt, de quibus agitur.* Faern.

Prodere vitam] I. e. famam, salutem et quidquid carum est projicere, periculo exponere. Cic. pro Flacco c. 41. *ego te, ego te inquam prodidero.* R. D.

71 *Quam abs te amittas filium*] *Amittas* pro *dimittas* dixit. Nam quod nos dicimus *dimittere*, antiqui etiam dicebant *amittere*, ut Virg. Æn. II. 148. *quisquis es, amissos hinc jam obliviscere Graios.* Sallustius (Fragmentum,) *pactione amissa, publico consilio.* C.

72 *Ad nequitiam*] Bene de adolescente, *nequitiam* dixit: *nequitia* enim est luxus vitæ prodigus atque effusus. Ovidius Fast. I. 414. *nequitia est, quæ te non sinit esse senem.* C.

Sensus postulat pronomen. Igitur leg. *quantam eii fenestram.* B.

Fenestram ad nequitiam patefeceris] I. e. occasionem nequiter agendi præbuisti Sueton. Tiber. c. 28. *si hanc fenestram aperueritis nihil aliud agi sinetis* ubi v. Casaub. proprie fenestra est foramen in pariete vel muro. R. D.

74 *Nam deteriores omnes sumus licentia*] Sententia proprie seni conveniens. Et *deteriores*, signantissime protulit. *Deteriores* enim homines licentia a bono ad malum vertuntur. Est enim pejus a malo, quod in usu est, et creberrime frequentatur: *deterius* vero, a bono: ut minoris sit meriti quam quod placet. Virgilius tertio Georg. (e memoria laudavit locum, qui est Æn. VIII. 326.) *deterior donec paulatim ac decolor ætas.* C.

Pro *fimus* Bentl. edidit *sumus*. Minus eleganter. Z.

75 *Quodcunque inciderit*] Ms. R. et V. C. *Quod cuique cunque.* L.

Hunc et sequentem versum tanquam spurios repudiandos esse censeo. Nam non modo magna variarum lectionum seges in illis est, ut fit in nothis; sed et a serie orationis abhorrent. B.

76 *Putabit*] *Putamus* enim instantia: *reputamus* præterita. *Putare* proprie purgare est. Et *arbores* et vites dicimur *putare*: hinc *putare* est cogitare: quia cogitando superflua mente recidimus. Est autem *putare* ejus, qui simplicitate pectoris aberravit. Cicero, orat. pr. Ligar. cap. 10. *lapsus est: non putavit. Rectum sit*] Nam, ut inquit Cicero ad Herenn. libr. III. cap. 2. *rectum est, quod cum virtute et officio fit.* C.

78 *Ibit illico ad illud*] Sibi veluti remedium suscipiet, et (*ut*) abiturum se esse minitetur, maxime cum scit apud te se plurimum valere. E.

Pro *denegabis* optimi libri habent *denegaris*. B.

Quo maxime] Ms. R. *qui maxime.* L.

80 *Minabitur*] *Minatur* etiam filius

M. Videre verum, atque ita uti res est, dicere.
C. Somnum hercle ego hac nocte oculis non vidi meis,
Dum id quæro, tibi qui filium restituerem.
M. Cedo dextram: porro te idem oro ut facias, Chreme.
C. Paratus sum. M. Scin,' quid nunc facere te volo?
C. Dic. M. Quod sensisti illos me incipere fallere,
Id ut maturent facere: cupio illi dare,
Quod volt: cupio jam videre. C. Operam dabo:
Syrus est prehendendus atque adhortandus mihi.
A me nescio quis exit: concede hinc domum,

parenti, dum se earum animadvertit, et discessum simulat. C.

Minabitur] Ms. R. et V. C. *minitabitur*. L.

Convenientius versui nostri omnes *minitabitur*. B.

81 *Videre verum atque ita*] Videre mihi verum dicere, et ita quemadmodum res est. E.

Liber Bemb. habet *vera*; cui adscriptum est, *vera, utilia: Sallustius*. Sed locus Sallustii vetustate detritus est. FAERN.

82 *Somnum oculis non vidi*] Somnum oculis meis non cepi, quærens quemadmodum filium reddam. E.

Somnum non vidi] I. e. non dormivi. Cic. ad Div. VII. 30. *consul fuit mirifica vigiluntia qui suo toto consulatu somnum non viderit*. Ovid. epist. XVIII. 27. *his ego si vidi mulcentem pectora somnum noctibus*. R. D.

83 *Qui*] Quomodo: et est sermo comicus. *Restituerem*] *Redditur* cupientibus, ut domino servus. *Restituitur* cupiens, ut patriæ cujus. Et *redditur* et *restituitur* cupiens cupientibus: ut patri filius. C.

84 *Cedo dextram*] *Cedo* est verbum defectivum duas tantum personas habens secundas in singulari et in plurali, quod significat, *da* vel *date*. Probat Nonius, nitens dicto Enniano, cujus hæc verba sunt: *cedite manus vestras, measque accipite, et junctis manibus confirmetur fœdus*. Quod exemplum clarius possit adduci illo: *cedo* igitur *dextram*. Nos enim aut oraturi aut confirmaturi quicquam alicui ejus dextram poscere solemus. C.

Nostri libri meliore ordine, *porro te oro idem ut*. B.

86 *Incipere fallere*] V. C. *incipere velle fallere*. L.

87 *Maturent facere*] I. e. festinent facere. Cæsar de B. G. I. 7. *Cæsari cum id nuntiatum esset maturat proficisci*. Liv. 12. *quod nisi omni vi perficere maturasset*. v. Gron. ad Liv. XXXIX. 45. R. D.

88 Bentleius edidit *cupio ipsum jam videre*. Certe sensus egregie commendat illud *ipsum*. Z.

89 *Apprehendendus*] In And. *tuus pater me modo apprehendit. Prehendendus*] Deest *ad*. Sed ideo prætermisit, quia dicturus erat, *adhortandus*. C.

Illos tres versus, *Syrus est—sentiant*, ad finem hujus scenæ apponendos puto. Nam primum non apparet ratio, cur Menedemus in scena restiterit, jussus domum abire (verba enim, *operam ut tibi darem* ad Menedemum dicuntur.) Deinde nec intelligitur causa, cur Syrus, qui, secundum ordinem vulgarem, exiit priusquam Chremes abiret, tamdiu in scena otiosus et mutus fuerit. Denique plane contra morem Terentii est, Menedemum statim post verba, *operam ut tibi darem*, injussum a Chremete, a se nihil causæ dicentem, abire domum. B.

Ne nos inter nos congruere sentiant.
Paululum negoti mihi obstat: Simus et Crito
Vicini nostri hic ambigunt de finibus:
Me cepere arbitrum: ibo ac dicam, ut dixeram
Operam daturum me, hodie non posse iis dare. 95
Continuo hic adero. M. Ita quæso. Di vostram fidem!
Ita comparatam esse hominum naturam omnium,
Aliena ut melius videant et dijudicent,

91 Pro *congruere*, h. e. concorditer vivere, quod et versus et sensus condemnat, repone *consentire*. B.

92 Leg. ex nostris omnibus et edd. vett. *paulum hoc negoti*. Nam statim narrat, quid illud *hoc* sit. B.

93 *Vicini nostri hic ambigunt de finibus*] Litem vicini habent de limitibus. E.

Hic ambigunt] V. C. *hinc ambigunt*. L.

Ambigunt de finibus] I. e. litigant de agrorum limitibus. v. Liv. XLII. 29. *Antiochus ambigendo de Cœlesyria causam belli se habiturum existimabat* et ibi interpretes. R. D.

94 *Me cepere arbitrum*] *Arbiter* dabatur his, qui de finibus regendis ambigerent. Dicitur enim *arbiter* judex: quod totius rei habeat arbitrium et facultatem. Boëthius: *regendorum finium arbitri esse dicuntur, qui finalia litigia discernunt. Ut si fuerit orta contentio de finibus, eorum dirimatur arbitrio. Cepere*] Id est, elegerunt. ut Cicero: *aut capiendus auxilio locus*. C.

Me cepere arbitrum] Me judicem esse voluerunt. E.

95 *Operam daturum*] Judices vel arbitri, qui audiunt de controversia disputantes, proprie dicuntur *operam dare* Cic. ad Div. VII. 24. *dixit judicem sibi operam dare constituisse*. R. D.

96 *Ita, quæso*] Dictum abeunte Chremete. C.

Cum illud *adero ita* efficiat versum proseleusmaticum, nostro insolentem, præsertim cum inter duos colloquentes dividatur: pro *adero* lege *adsum*; ut alibi, *post continuo huc exeo*. B.

97 *Itan comparatam esse, &c.*] Sensus hic est: satis miror cur prudentius sapit Chremes. An ita natura hominum comparata est, ut melius videant ea quæ aliena sunt, quam quæ sunt sua? An hoc ideo fit, quia, dum nos in re nostra sumus, aut gaudio impedimur, aut ægritudine animum occupatum ad prehendendas, vel respuendas res adhibere non possumus? E.

Ita comparatam esse hominum] Lactantius Firmian. de falsa sap. cap. 4. *nemo potest de se recte judicare, quod nobilis poeta testatur*: Ita enim comparatam esse hominum naturam omnium, ut aliena melius videant et dijudicent, quam sua? L.

Ita comparatam esse hominum naturam] Latini dicunt: ita comparatum est naturæ, ita comparatum est natura, ita comparata est natura, ut h. l. Barbarismus est scriptorum ætatis nostræ: ita comparatum est cum natura. v. Vorstium de latinit. merito suspecta cap. 3. R. D.

98 *Aliena melius ut videant, et judicent quam sua*] Huic illud Cic. libro primo Officiorum (cap. 9.) contrarium est: *est enim difficilis cura rerum alienarum: quamquam Terentianus ille Chremes, humani nihil a se alienum putat. Sed tamen, quia magis ea percipimus, atque sentimus, quæ nobis ipsis aut prospera, aut adversa eveniunt, quam illa, quæ cæteris: quæ quasi longo intervallo interjecto videmus: aliter de illis, ac de nobis, judicamus*. C.

Menander: Οὐδεὶς ἐφ' ἀυτῷ τὰ καλὰ συνορᾷ, Πάμφιλε, Σαφῶς, ἐτέρου δ' ἀσχημονοῦντος ὄψεται. W.

Aliena melius ut videant] H. e. in

Quam sua? an eo fit, quia in re nostra, aut gaudio
Sumus præpediti nimio, aut ægritudine? 100
Hic mihi quanto nunc plus sapit, quam egomet mihi:
C. Dissolvi me ocius, operam ut tibi darem.

ACT. III. SCENA II.

SYRUS. CHREMES.

HAC illac circumcursa, inveniendum'st tamen
Argentum: intendenda in senem est fallacia.

alienis plus sapiant. plus intelligant. Cic. Philipp. II. 15. ad Div. VI. 4. ubi v. Græv. R. D.

99 Colloca *re in nostra*. B.

101 Melior accentus fit, ubi cum libris collocas, *hic mihi nunc quanto plús*. B.

102 *Dissolvi*] Excusavi. quasi qui foret promissione ligatus sua. C.

Dissolvi me ocius] Cito revertens ab eo quo ierat Chremes, dicit se ex eo negotio solutum, et amico operam traditurum. E.

Pro *ocius* lege cum optimis libris *otiosus*, et distingue post *me*. B.

Faernus, qui versus trajectos esse non vidit, pro *tibi* correxit *huic*. Z.

1 *Hac illac circumcursa*] Jucundus error, in quo herus a servo decipitur, quem credit alteri fallaciam intendere, dum sibi tenditur: et sic eum aggreditur de fallacia in alterum. *Hac illac*] Hoc dicit servus admonens se ipsum. C.

Hac illac circumcursa] Servus argentum desiderans, quod dare meretrici possit, tamen hoc quod loquitur, non videtur domino præsenti esse suspectum. Quoniam enim supra dixerat servus, Syrum quasi in Menedemum dolos tendere, uti argentum meretrici per fallacias quæreretur, ideo in senem generaliter dictum. Denique hoc suspicatus Chremes, quod si (*quasi* Z.) in Menedemum ita fiat, dixit: *num me fefellit hosce id struere?* fortasse *ille Cliniæ servus tardus est*, ideo noster Syrus hanc provinciam sumsit, hoc est, istud officium suscepit, ut ipse quærat argentum. E.

Argentum ipsum compellat Syrus, vernili facetia. Ergo emenda, *hac illac circumcúrsa: inveniendum és tamen*. Cf. infra IV. 2. 1. B.

2 *Intendenda*] Verbum a venatoribus translatum, qui retia *intendunt* ad feras capiendas. Quia ergo parat senem fallere, *intendenda* dixit. Vel a sagittis atque arcu. *In senem*] Cum stomacho servili *senem* dixit. In Andria, *quantum intellexi modo senis sententiam*. C.

Intendenda in senem] Hoc pluribus verbis Plautus extulit, Bacchid. IV. 4. 42. *compara, fabricare, finge quod lubet, conglutina, ut senem hodie doctum docte fallas, aurumque auferas*. L.

Intendenda est fallacia] Intendere fallaciam in aliquem est alicui dolum struere. Metaphora ducta est vel a retibus, quæ ad feras capiendas intenduntur vel potius a machinis bellicis, quibus muri dejiciuntur. Nam hæ machinæ funibus intenduntur. Plaut. in Bacch. IV. 4. 58. *intendam balistam in senem* infra 34. *ad senem aliquam fabricam fingit*. Fabrica est machina bellica. R. D.

C. Num me fefellit hosce id struere? videlicet
Ille Cliniæ servus tardiusculus est:
Idcirco huic nostro tradita'st provincia.
S. Quis hic loquitur? perii! numnam hæc audivit?
C. Syre. S. Hem.
C. Quid tu istic? S. Recte equidem. sed te miror, Chreme,
Tam mane, qui heri tantum biberis. C. Nihil nimis.
S. Nihil narras? visa vero'st, quod dici solet,
Aquilæ senectus. C. Heja. S. Mulier commoda et

3 *Num me fefellit*] Idem superius. *Etsi subsensi id quoque, illos ibi esse.* Et hic est error, credi senem Menedemum, dum Syrus de Chremete ipso intelligit. C.

Struere] I. e. clam moliri, agitare Liv. XXIV. 23. *id moliri clam eos atque struere.* Frequens est *insidias struere.* R. D.

4 Versus gratia scribe, *ille Cliniæ servos tardiúsculust.* Sic alibi *hospitæi, Phædriæi.* L.

5 *Provincia*] Onus dicitur cujuslibet rei gerendæ. Nam acquisitæ bello longe ab Italia regiones *provinciæ* dictæ sunt, a *porro*, vel a *procul vincendo:* ad quas prætores quia cum officio mittebantur, officia quoque *provinciæ* nominantur. C.

Provincia] Sæpe metaphorice ponitur pro negotio vel munere in Phorm. I. 2. 22. Cic. pro Cœl. c. 27. *hoc fuit totum consilium mulieris, hæc istorum provincia qui rogati sunt.* R. D.

7 *Recte*] Joco vult Syrus deflectere orationem in aliud, et subterfugere heri reprehensionem. C.

Te miror, Chreme] Te valde miror mane vigilare, qui heri tantum biberis E.

Ex nostris libris leg. *recte. equidem te demiror. Recte* est hic *nihil.* ut Eun. II. 3. 50. Hec. III. 2. 20. B.

8 *Tam mane*] Ἔλλειψις, deest, *vigilare*, aut tale quid. C.

Nihil nimis] Non multum. E.

10 *Aquilæ senectus*] Plinius lib. 10. cap. 3. Natur. Historiæ, de aquilis hæc refert, *oppetunt non senio, nec ægritudine, sed fame, in tantum superiore accrescente rostro, ut aduncitas aperiri non queat.* Igitur aquila, tantum in senectute bibit, vel de præda sanguinem sugit: ex quo proverbium in senes, qui plus bibunt, quam comedunt. Plinius N. H. XIV. 22. de ebrio inquit: *hinc pallor et genæ pendulæ, oculorum ulcera, tremulæ manus.* Divus Hieronymus de aquila inquit: *Aquila cum senuerit, gravantur ipsius pennæ et oculi, quæritque fontem et erigit pennas, et colligit in se calorem, et sic oculi ejus sanantur, et in fontem se ter mergit, et ita ad juventutem redit. Eja!*] *Eja* interdum hortantis est, nunc correctionem significat. *Mulier commoda*] A commendatione meretricis incepit, ut melius persuadeat Cliniam deperire hanc, cum sit amica Clitiphonis. C.

Aquilæ senectus] Aiunt aquilam in senectute, quod ei rostri superior pars vetustate et incremento curvata foramen includat, ad cadavera accedere, et sic sanguinem in potum sumere, et quodammodo bibendo vivere. Hoc igitur ait servus domino, quasi bibendo totum tempus hesterna cœna egerit, *visa vero est quasi aquilæ senectus.* E.

Aquilæ senectus] Ἀετοῦ γῆρας. Zenob. et reliqui adagiographi. L.

Aquilæ senectus] Est proverbium de senectute vegeta et virili. R. D.

Mulier commoda] I. e. comis, facilis,

Faceta hæc meretrix. C. Sane. S. Idem visa est tibi?
Et quidem hercle forma luculenta. C. Sic satis.
S. Ita non ut olim, sed uti nunc, sane bona:
Minimeque miror, Clinia hanc si deperit.
Sed habet patrem quendam avidum, miserum, atque aridum,
Vicinum hunc: nostin'? at quasi is non divitiis
Abundet, gnatus ejus profugit inopia.
Scis esse factum, ut dico? C. Quid ego nesciam?

jucunda in convictu. Cic. pro Murena c. 31. *quenquamne existimas Catone commodiorem comiorem.* v. Horat. Carm. IV. 81. et ibi Lambin. *Commodo* opponitur morosus et difficilis. v. Casaubon. ad Theophr. charact. c. 21. R. D.

11 *Faceta*] Bene de meretrice *faceta* dixit. Nam *facetus* est, qui facit verbis quod vult. Potest etiam referri ad formam corporis, ut significatio vocabuli indicat. C.

Etsi Bemb. legit *tibi*: tamen ob codd. omnes cæteros lege *idem visa est mihi*, et tribue ipsi Chremeti. B.

12 *Forma luculenta*] Non solum *commoda* et *faceta mulier*, et (*sed et* Z.) speciosa forma, *ita non ut olim, sed uti nunc, sane bona.* Hic intelligi datur, quod senex sciat eandem ante fuisse castam, ante pauperem, nunc vero meretricio more viventem. Ideo adjecit servus, non quemadmodum antea bona, sed uti nunc sibi ipsi compararetur, sane bona. E.

Sic satis] I. e. mediocriter. infra IV. 5. 22. *immo sic satis*, ubi v. Bentlei. R. D.

13 *Ita non ut olim*] Præterita semper præsentibus præferuntur, et magis commendantur. C.

Palpatur seni, temporis acti laudatori, quasi illo juvene formosiores fuissent homines, quam nunc sunt. B.

14 *Deperit*] Id est, ardenter amat. Nam amator ejus amore, quam amat, *perire* dicitur. Nam *perditus est*, qui insano est captus amore. Inde dicimus, *deperio illam.* C.

15 *Aridum*] Translatio a terra, quæ nihil profert. C.

Avidum] I. e. parcum, avarum. Plaut. in Persa II. 3. 14. *triparcos homines, vetulos, avidos, aridos* in Aulul. II. 4. 18. *pumex non æque est aridus atque hic senex.* R. D.

16 *At quasi is non divitiis abundet*] Ex more inopiam male meritis adjecit. E.

17 *Profugit*] Superius, *in Asiam ad regem militatum abiit.* Hinc *profugus* dictus proprie, qui procul a sedibus suis vagatur. C.

18 *Quid ego nesciam?*] Ut facilius servum dominus incitare posset, quod cupiebat servo adjutorem eum esse, ad tendendam in Menedemum fallaciam propter argentum, fingit se irasci servo Cliniæ, *hominem*, inquit, *pistrino dignum:* cui jungitur, *qui passus id fieri.* Callide servum, tanquam ignoret quid fieri debuisset, incusat, ut majorem suscipiat voluntatem. Qui fallendi dominum huno ipsum cum* (ex cod. Westerh. et conjectura locum ita restituendum puto, *ab eo fallaciæ argumenta collegerit, cupiditate incensus est* Z.) denique sibi hoc præparans, sic postea dixit, *laudas, qui heros fallunt.* E.

Ut sententia et sermo sit sanus, pro *nesciam* ego cum Palmerio legendum censeo, *ni sciam?* h. e. *quidni ego sciam?* Cf. Adel. IV. 5. 28. B.

Quid ego nesciam] Verissime emendat Palmerius *quid ego ni sciam* pro *quid ni ego sciam* in Ad. IV. 5. 28. R. D.

Hominem pistrino dignum. S. Quem? C. Istunc servolum
Dico adolescentis. S. Syre, tibi timui male.
C. Qui passus est id fieri. S. Quid faceret? C. Rogas?
Aliquid reperiret, fingeret fallacias:
Unde esset adolescenti, amicæ quod daret,
Atque hunc difficilem invitum servaret senem.
S. Garris. C. Hæc facta ab illo oportebat, Syre.
S. Eho quæso, laudas qui heros fallunt? C. In loco
Ego vero laudo. S. Recte sane. C. Quippe quia
Magnarum sæpe id remedium ægritudinum est:
Jam huic mansisset unicus gnatus domi.
S. Jocone an serio illæc dicat, nescio:
Nisi mihi quidem addit animum, quo lubeat magis.
C. Et nunc quid exspectat, Syre? an dum hinc denuo

19 *Hominem pistrino dignum*] Ambigue, an de Dromone, an de Syro, a quo bene annotarentur senum vitia. Et secum hæc dixit. C.

20 *Syre, tibi*] Et sic secum. Id est, ne quid mali accideret tibi. nam jam mihi nescio quid præsagit animus mali. C.

Male] I. e. valde in Hec. III. 2. 2. *male metuo*. R. D.

24 *Difficilem*] Morosum. *Servaret senem*] Bene *servaret* dixit de eo qui penitus se perderet, et continuis excruciaret laboribus. C.

26 *Eho! quæso*] *Eho* modo interjectio est interrogantis; alias admirantis alias ad se vocantis. *In loco*] Opportune. C.

In loco vero laudo] Bene adjecit *in loco*, ne perpetuam malefaciendi licentiam servis daret. E.

In loco] I. e. apto loco et tempore, opportune in Ad. II. 2. 8. Hor. Carm. IV. 12. 28. Sic *tempore* simpliciter dicitur pro opportuno tempore. v. Manut. ad Cic. ad Div. IX. 16. *temperius fiat*. R. D.

27 *Quippe quia magnarum*] Nam quia fallunt tempore, maximum sæpe remedium est, ne gravior ægritudo videatur. E.

In antiquissimis libris est *quippe qui*. Recte. Schol. Bemb. ait, Παρέλκων: *abundat qui*. B.

28 *Quia magnarum sæpe id remedium ægritudinum'st*] Ipsum fallere in tempore, quidam ne officiis scribentes, rectum putaverunt. Nam Medici ægrotos sæpe fallunt. C.

29 *Jam huic*] V. C. *nam huic*. L. Versus causa repone *huic jam mansisset*. B.

30 *Jocone an serio illa*] An consilio isthæc dicat, an joco, intelligere non possum: unum tantummodo intelligo, quod mihi ad hoc, quod disposui, cumulat voluntatem. E.

Lege cum duobus nostris *ille hæc dicat*. B.

31 *Quo lubeat magis*] Id est, magis placeat heros a servis decipi, quod ut viderit, sæviat in me, et me in pistrinum dedat. C.

32 *Et nunc quid exspectat*] Hic jam dum accusat adolescentis servum, hortatur suum dominus, qui ipse hos dolos tendat. Denique adjecit: *at te adjutare oportet adolescentuli causa*. E.

Abeat, cum tolerare hujus sumtus non queat?
Nonne ad senem aliquam fabricam fingit? S. Stolidus est.
C. At te adjutare oportet adolescentuli
Causa. S. Facile equidem facere possum, si jubes:
Etenim quo pacto id fieri soleat, calleo.
C. Tanto hercle melior. S. Non est mentiri meum.
C. Fac ergo. S. At heus tu, facito dum eadem hæc memineris,
Si quid hujus simile forte aliquando evenerit,
Ut sunt humana, tuus ut faciat filius.
C. Non usus veniet, spero. S. Spero hercle ego quoque:
Neque eo nunc dico, quod quicquam illum senserim:

Pro *at nunc* rectius Bemb. et alii vett. habent *et nunc*. B.

33 Pro *abeat* repone *abigat* sc. herus filium, sententia postulante. Et pro *hujus* nostri omnes, *illius*. B.

Tolerare sumtus] Parem esse sumtibus ferendis. Sallust. in Catil. c. 24. *quæ primo ingentes sumtus stupro corporis toleraverunt*. R. D.

34 *Aliquam fabricam*] Translatio ab his, qui expugnaturi oppida, machinamenta belli ad id præparant. *Stolidus est*] Superius, *ille Cliniæ servus tardiusculus est*. Et proprie *stolidus* est, qui proxime accedit ad naturam sensumque pecudum. C.

Ad senem] I. e. adversus senem, Propert. eleg. II. 19. 9. *Lernæas pugnet ad hydras*. v. Burmann. ad Phædr. IV. 3. 5. R. D.

36 *Facile equidem facere possum, si jubes*] Peritiam suam circa hujusmodi rem declaravit servus: sed dixit, metuere domini voluntatem, et posse se facile, si ipse voluerit imperare. E.

37 *Calleo*] Id est, callide scio. C.

Calleo] Peritus et doctus sum. E.

Calleo] I. e. longo usu peritus sum. Justin. XXIV. 4. *augurandi studio Galli præter cæteros callent*. R. D.

38 *Non est mentiri meum*] In promissione dicit, non in fallendo. C.

Tanto melior] Elegans laudandi et adprobandi forma Phædr. III. 5. 3. Sen. ep. 31. *ad honesta nitentes admirabor et clamabo: tanto melior*. v. Gronov. observ. II. 21. et Schwarz. ad Plin. Panegyr. c. 71. Contrarium est *tanto nequior*. in Ad. IV. 1. 12. R. D.

Non est mentiri meum] H. e. mentiri non soleo. Lucilius ap. Lactant. VI. 18. *homini amico ac familiari non est, mentiri meum*. Similiter dicitur *patrium est*. v. Burmann. ad Valer. Flacc. II. 156. R. D.

39 *At heus tu!*] Jam providet fallaciæ, quam mente conceperat: quo facilius mereatur veniam, si quid struxerit in herum. C.

Facito dum eadem hæc] Jam præparat sibi dominum: monetque ut meminerit, si quando hæc omnia evenerint, sicut humana sunt omnia, uti et filius ejus possit ista perficere. E.

42 *Non usus veniet*] Non hoc continget, neque fieri potest. E.

Non usus veniet] H. e. non eveniet, vel, quod idem est, non usu veniet. v. 45 et 46. R. D.

43 *Neque eo nunc dico*] Bene purgat

Sed si quid, ne quid. quæ sit ejus ætas, vides.
Et næ ego te, si usus veniat, magnifice, Chreme,
Tractare possim. C. de istoc, quum usus venerit,
Videbimus quid opus sit: nunc istuc age.
S. Nunquam commodius unquam herum audivi loqui,
Nec quum malefacerem, crederem mihi impunius
Licere. quisnam a nobis egreditur foras?

ACT. III. SCENA III.

CHREMES. CLITIPHO. SYRUS.

QUID istuc, quæso? qui istic mos est, Clitipho? itane fieri, quæso?

id *(purgavit)* quas immiserat suspiciones, ne vero jam credat adolescentem filium pater talia vel facere vel cogitare. Dixitque se servum ex suspicione ista metuere, quod ejus ætas jam talis, utî si necessitas ut Chremetem ita ducat et tractet, quemadmodum nunc senex videtur hortari. E.

Pro *quod* vulgari, recte liber Bembinus, *quo*. B

Illum senserim] Scilicet talia moliri. R. D.

44 *Sed si quid, ne quid*] Ἀποσιώπησις. quasi dicat. *Si quid evenerit. Quæ sit ejus ætas, vides*] Quæ amori est obnoxia. C.

45 *Et næ*] Pro *valde*. *Usu veniat*] *Usu venire* significat *evenire*, ut sæpe licet videre in Epistolis Ciceronis. *Magnifice*] Bene *magnifice* dixit, memor verborum Chremetis, qui supra dixit, *heros falli a servis aliquando esse remedium magnorum ægritudinum*. C.

46 *Tractare*] Superius, *quo pacto id fieri soleat, calleo*. C.

De istoc, cum usus] Si quid tale contigerit, tunc videbimus, quod necessitas coget facere. E.

47 Pro *quid* meliores nostri melius, *quod*. B.

Unquam] Per pleonasmum abundat. R. D.

49 *Ne quum malefacerem*] Nisi cum me senex adhortatur. E.

Pro *malefacerem*, quod reperitur in nostris, probanda est Mureti emendatio *malefucere*, deleto commate. Cæterum post verba *istuc age* domum abit Chremes; et tres sequentes versus per se scenam constituunt. Nam dum Syrus solus secum eos pronunciat, Chremes interim filium cum Bacchide deprehendit, et iratus in scenam redit, filio quoque evocato. B.

Nec cum malefacerem, &c.] Sensus hic est: nec unquam cum malefacere constituissem, tempus fuit, quo mihi impunius id licere crederem. R. D.

50 *Quisnam a nobis egreditur foras?*] Παράστασις alterius scenæ. C.

1 *Quid istuc, quæso?*] In hac scena Syrus hero persuadet, quod multum facit ad extorquendum argentum. *Quid istuc?*] Viderat Chremes filium ludentem cum Bacchide, quam Cliniæ esse credebat. Et bene expressit objurgationem paternam sæpe repetendo. C.

Quid istuc?] Hæc scena locum communem tenet in eum, qui hospitis sui amicam corrumpat. Pater tamen non si-

Cl. Quid ego feci? Ch. Vidine ego te modo manum in sinum huic meretrici
Inserere? S. Acta hæc res est. perii! Cl. Mene? Ch. Hisce oculis, ne nega.
Facis adeo indigne injuriam illi, qui non abstineas manum.
Nam istæc quidem contumelia est, 5

cuti cur tanquam communi* at (*pater tamen non hic utitur tanquam communi loco, et.* Z.) ita respondet filius tanquam negans, ut magis conjecturæ causa sit, quam communis locus. Verum patrem tanquam communem locum dicentem accipiamus, hoc primum generaliter cum invidia: deinde cum interrogatus esset, quidnam fecisset, ille continuo non factum sed vere factum protulit, dicendo, *vidine ego?* ut a probatione exordiretur, et post ostenderet crimen, quod manum adolescens in sinum meretricis inserebat. E.

Bentleius cum Faerno recte edidit *itane fieri oportet?* Nam repetitum *quæso* minus gratum est. Z.

2 *Huic meretrici*] Plus intulit, quam si dixisset *mulieri*. C.

Manum in sinum] Plaut. Asinar. I. 3. 71. *papillam pertractare*. Et in Pseudol. I. 1. 66. *papillarum horridularum oppressiunculæ*. Aristenæt. lib. I. epist. 21. ἅπτεσθαι τῶν μαστῶν. Sic ex eadem disciplina Venereorum nepotulorum sunt molles manuum compressiones, incitamentum puta interioris voluptatis. Achilles Tatius Amor. lib. 2. τότε δὲ πρόσαγε τὴν δευτέραν μηχανὴν, δίγε χειρὸς, δλίψον δάκτυλον, δλίβων στέναγον. Hinc apud Plautum in Asin. IV. 1. 32. in lege, quam invenis amasiæ dederat, ita quoqua cautum fuit: *neque cum descendat, inde det cuique manum*. Ne amator forsan alius τοῖς ἐκείνης δακτύλοις τοὺς ἑαυτοῦ περιπλέξας, vel sic saltem manu salaci libidinaretur. Aristenæt. libr. I. epist. 9. Themist. Orat. 3. Laudat autem hunc Terentii locum Julius Rufinianus Rhet. in Epiplexi. L.

Manum in sinum inserere] Sinus est gremium. v. Duker. ad Flor. II. 6. p. 290. Apposite Petron. c. 24. *vocatumque ad se in osculum adplicuit mox manum etiam misit in sinum*. Imitatus est h. l. Ovid. Amor. II. 15. 11. *dominæ cupiam tetigisse papillas Et lævam tunicis inseruisse manum*. R. D.

3 *Acta hæc res*] Verbum desperantis. Timebat enim Syrus, ne ob hoc fallacia ejus detegeretur. *Mene?*] More filiorum, quod commiserat, patri audacter negat. *Hisce oculis*] Διακριτῶς et cum emphasi. C.

Acta hæc res est] Syrus servus credit senem invenisse filium amare meretricem, quæ res antea per dolum celabatur: ideo vehementer metuit. E.

Pro *inserere* Bemb. habet *ingerere*, quod minus placet. Certe Naso Amor. II. 15. habet, *et lævam tunicis inseruisse manum*. B.

4 *Facis adeo indigne injuriam illi*] Bene pater post objurgationem, ad admonitionem transit. C.

5 *Istæ quidem contumeliæ*] Supra quidem *injuria* dixerat, verum adjecit *contumeliæ sunt*. Est enim *injuria*, quasi cum violentia aliquid in corpus efficitur: *contumelia* vero, cum præter violationem corporis est. Et violatio opinionis, *ejus amicam subagitare*. Hoc est crimen quod supra posuit. *Subagitare* autem, perfectionem ipsam libidinis intelligimus. E.

Istæc quidem contumelia est] Particula *quidem* in hac formula magnam vim habet. Plaut. in Captiv. III. 5. 92. *vis hæc quidem est*. Sueton. in Cæs c. 82. *ista quidem vis est*. v. Schwarz. ad Plin. Panegyr. c. 25. R. D.

Hominem amicum recipere ad te, atque ejus amicam subagitare:
Vel heri in convivio quam immodestus fuisti! S. Factum. CH. Quam molestus!
Ut equidem, ita me Di ament, metui, quid futurum denique esset!
Novi ego amantium animum: advertunt graviter, quæ non censeas.
CL. At mihi fides apud hunc est, nihil me istius facturum, pater.
CH. Esto: at certe concedas hinc aliquo ab ore eorum aliquantisper.

6 *Amicam subagitare*] V. C. *subigitare*. Acro in Horat. lib. I. Sat. 2. L.

Veterrimi quique nostri scribunt, *subigitare*, h. e. lascivius contrectare. B.

Subagitare] I. e. lascivius et protervius contrectare, aliis locis ipsam libidinis perfectionem significat. v. Eugraph. ad h. l. R. D.

7 *Vel heri*] Ingerit aliud malefactum inter admonitionem, ut solent patres. *Factum*] Fatetur servus, eum fuisse immodestum in vino. Nisi etiam capiatur *factum* sicut *actum est*, ut sit desperantis dictum. C.

Vel heri in vino] Hoc ex antecedentibus argumentum colligens dixit: *novi ego amantium animos, advertunt graviter, quæ non censeas*. Ita enim mos est amatoribus (excidit *ut* Z.) ampliora suspicentur, quam tu haud poteris suspicari. E.

In convivio] Ms. R. *in vino*. quod non displicet. L.

Pro *convivio* Bemb. et nostri omnes *vino*. B.

In vino [*ed. Zeun. in convivio*] I. e. inter potandum, Plaut. in Trucul. IV. 4. 1. *lutea est meretrix nisi quæ sapit in vino ad rem suam*. Catull. XII. 2. Cic. ad Div. XII. 2. *quæ in lustris et in vino commentatio potuit esse*. Horat. pro eo dicit *inter vina*. R. D.

8 *Ut equidem metui*] *Ut* pro *quantum*, vel pro *qualiter*. Virg. Ecl. VIII. 41. *ut vidi ut perii*. C.

9 *Advertunt graviter*] Quia in amore omnia suspecta sunt. C.

Leg. cum Palmerio *nóvi ego amantis: ánimum advertunt gráviter, quæ, &c.* Nam *advertere* per se apud Nostrum et Plautum non hoc sensu occurrit; at *animum advertere* passim. B.

Advertunt] Palmerius legit *novi ego amantes, animum advertunt graviter* quæ conjectura placet Bentleio quod *advertere* apud Terent. et Plautum non absolute dicitur; sed sic est apud Livium XLIV. 46. *quam non sine causa delectam esse regiam advertit*. v. Drakenb. ad Liv. VI. 2. R. D.

10 *Mihi fides*] Arcta familiaritas, cum alter de altero in re Venerea nihil suspicatur. C.

Leg. cum uno e regiis, ut Trochaicus sit æque ac cæteri, *at fides mi apud hunc est*. B.

Fides] Fides esse dicitur illi cui creditur in Phorm. V. 3. 27. *itane parvam mihi fidem esse apud te*. R. D.

11 *Esto*] Verbum concedentis. *Concedas aliquo*] Et hoc quærit Syrus, ut abigatur Clitipho ab amica, ne Chremes ejus esse animadvertat. C.

Esto: at certe] Hic mandat pater,

Multa fert libido: ea prohibet facere tua præsentia.
Ego de me facio conjecturam: nemo'st meorum amicorum hodie,
Apud quem expromere omnia mea occulta, Clitipho, audeam:
Apud alium prohibet dignitas; apud alium ipsius facti pudet;
Ne ineptus, ne protervos videar. quod illum facere credito.
Sed nostrum est intelligere, utcunque atque ubicunque opus sit, obsequi.
S. Quid istic narrat? CL. Perii! S. Clitipho, hæc ego præcipio tibi?
Hominis frugi et temperantis functu's officium. CL. Tace sodes.

ut discedat a domo filius: aliter enim negat fieri posse, ut impudentia adolescentis comprimi possit. Dicit enim multa libidinem velle, eamque sub cujusque præsentia se minus audere complere. E.

Cum *cóncedás* secundum vulgarem lectionem duplici sit accentu, non satis venuste. leg. *at certe ut hinc concedas áliquo*: præsertim cum tres vett. habeant *certe ut concedas*. B.

Ab ore] I. e. ex oculis os sæpe de præsentia et conspectu dicitur. Cic. Verr. II. 33. *quæ in ore atque in oculis provinciæ gesta sunt*. Sen. de benef. VII. 19. *in ore parentum filios jugulat*. in Ad. II. 4. 5. v. Græv. ad Cic. de. Offic. III. 1. R. D.

13 *Ego de me facio conjecturam*] Patres conantur monere filios aut proprio exemplo, aut aliorum. C.

Ego de me facio] Hoc est, ita ex me suspicor: nam nemo est amicorum, apud quem universa velim exponere, atque narrare ea, quæ occulta habeo. quippe aut in summa honestate amicus, et id quodcunque cogito, ejus dignitate deterreor, ne indicem: aut ipsa certe res, propter sui turpitudinem, eam narrationem comprimit. Hoc est quod dicit, *ipsius facti pudet; ne ineptus, ne protervus videar*, si cum eo loquar, qui habet maximam dignitatem. E.

Si recepta lectio admittitur, est iambicus tetrameter hypercatalectus statuendus. Sed cum nullus ejusmodi alibi extet, nec musicæ rationes id patiantur; repone, *de me ego facio*. B.

15 Vulgo *piget*, sed Bemb. recte *pudet*. B.

16 *Ne ineptus, ne protervos*] *Ineptus* quoad dignitatem. Cicero in II. de oratore (cap. 4.) *nam qui aut, tempus quid postulet, non videt, aut plura loquitur, aut se ostentat, aut eorum quibuscum est, vel dignitatis, vel commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere aut inconcinnus, aut multus est, is* INEPTUS *esse dicitur*. *Protervus* dicitur importunus, qui alteri est impedimento, vel si per impotentiam mentis obvium cubito feriat, aut contumelia sibi cedere cogat. C.

17 Ne sententia hiet et sit sine cemento, repone, *sed nóstrum est intellégere; atque útcumque, úbicumque opus est, óbsequi*. B.

18 *Quid istic?*] Syrus secum loquitur, timens suæ fallaciæ. C.

19 *Frugi*] Utilis et necessarius: a *frugibus*, quæ quod his fruantur dictæ

S. Recte sane. CH. Syre, pudet me. S. Credo; neque id injuria:
Quin mihi molestum'st. CL. Pergis hercle? S. Verum, dico quod videtur.
CL. Nonne accedam ad illos? CH. Eho, quæso, una accedundi via est?
S. Actum'st: hic prius se indicarit, quam ego argentum effecero.
Chreme, vin' tu homini stulto mihi auscultare? CH. Quid faciam? S. Jube hunc
Abire hinc aliquo. CL. Quo ego hinc abeam? S. Quo lubet: da illis locum:
Abi deambulatum. CL. Deambulatum! Quo? S. Vah! quasi desit locus.
Abi sane istac, istorsum, quovis. CH. Recte dicit: censeo.
CL. Di te eradicent, Syre, qui me hinc extrudis. S. At tu pol tibi istas

sunt. Inde *fructus* et *frumentum*. *Fruí* autem est vesci: a *frunine*, quæ est summa pars gulæ. *Sodes*] Est adverbium blandientis. *Tace sodes*] Ab illo consilio longe alienus Clitipho illum sermonem interrupit, nec audire voluit. C.

21 *Quin mihi molestum'st*] *Quin* pro *etiam*. *Mihi* habet emphasin. *Mihi*, qui non sum pater. *Pergin'*] Irascitur Clitipho servum adversus se loqui. C.

Nostri omnes *pergin'?* Recte; modo *hercle* Syro tribuas, et *quin* apponas præcedenti versui. B.

Cuperus Observatt. I. 19. contendit ita legendum esse, *pergin' hercle*. S. *Verum? dico quod videtur*. Quasi dicat, itane? et tu rogas hoc? Particulam enim *verum?* elegantissime ita concise initio orationis poni, et idem valere, quod *itane?* ut And. IV. 4. 30. Z.

22 *Eho!*] Hoc loco admonentis est. *Una via*] Scilicet honesta: nec impudice agas. C.

23 *Actum'st*] Semper desperantibus hoc verbum datur. *Hic prius*] Hæc secum loquitur. C.

Vulgo *effero*; sed Bemb. recte *effecero*, h. e. confectum reddidero. B.

Se indicarit] I. e. se prodiderit. v. dictata ad Eun. V. 7. 13. R. D.

24 *Vin' tu homini stulto auscultare mihi?*] Quemadmodum in proverbio est: mihi si vis, stulto homini auscultare licet, hoc est, obaudire. E.

26 *Deambulatum! quo*] Bene impotentia amantis exprimitur. nec pater, nec Syrus,, nec deliberatio ante facta removere poterant Clitiphonem ab amica. C.

28 *Eradicent*] Funditus ac radicitus te evellant, et te medio tollant. Dum hæc cum indignatione proferret, percussit Syrum. C.

Istas posthac comprimito] Quoniam pater dixerat, *vidi ego te manus modo meretrici huic in sinum inserere:* ideo servus ait, *istas ergo manus comprimito tibi.* E.

Posthac comprimito manus.
Censen' vero? quid illum porro credis facturum, Chreme,
Nisi eum, quantum tibi opis Di dant, servas, castigas, mones?
CH. Ego istuc curabo. S. Atqui nunc, here, hic tibi asservandus est.
CH. Fiet. S. Si sapias: nam mihi jam minus, minusque obtemperat.
CH. Quid tu? ecquid de illo, quod dudum tecum egi, egisti, Syre? aut
Repperisti tibi quod placeat, an nondum etiam? S. De fallacia
Dicis? st, inveni nuper quandam. CH. Frugi es: cedo quid est?
S. Dicam: verum, ut aliud ex alio incidit. CH. Quidnam, Syre?

Hunc et sequentem versum sic constitue, *Di te éradicent, qui istinc me extrudás, Syre.* | *At tú tibi istas pósthac comprimitó manus.* Ita prior non est hypermeter. Illud *pol* in libris plane non reperi, et universi habent *istinc*. Et *extrudas* in uno vett. reperi, quod etiam est in cod. Palatino Fabricii. B.

29 *At istas comprimito manus*] Subticet percussionem: ne surgat in tragicum cothurnum. C.

Comprimito manus] I. e. contine, cohibe manus a lascivis contrectationibus. Liv. VII. 13. *compressis quod aiunt manibus sedens. Continere manus* est in Ad. IV. 2. 26. eodem sensu dicitur *animos comprimere, animam, vocem comprimere*. R. D.

30 *Quid illum porro*] Vel indignatus servus hæc dicit, vel servili more astute tractat senem. C.

Censen' vero?] Subblanditur domino per obsequium servus, cum de adolescente quasi quendam metum habere se dicit. Vide jam, inquit, qualis sit, qualem futurum putas, *nisi eum, quantum tibi facultatis numina concedunt, servas, mones, atque castigas?* E.

31 *Servas*] I. e. observas v. Schwarz. ad Plin. Panegyr. c. 40. ubi eodem modo conjunguntur *observator* et *castigator*. R. D.

32 *Atque nunc, here*] Bene præsens tempus in metu ponit, ut ille sciat jam filium, nescio quid, moliri. E.

33 *Minus minusque*] Et hoc pulchre videtur adjectum, quo si qua in culpa inventus fuerit filius, continuo jam videatur servus esse purgatus, quod ejus imperium filius contemnat. E.

34 *Quid tu?*] Bene amato filio de fallacia erga Menedemum exquirit. *De illo*] Sic dicere solent, qui de re aliqua peragenda inter se loquuntur. C.

35 Pro *repperisti* repone *aut est*, i. e. habes. Nam seq. est, *dicis? est*, quod reperitur in codd. bonis. Nam *st*, quod Faernus e conjectura posuit, prorsus ineptum videtur; quia, cum soli sint in scena, silentio opus non est. B.

37 *Ut aliud ex alio incidit*] Multa esse fingit, ut verisimilius sit quod finxerit. C.

Verum aliud ex alio] Hoc videtur

S. Pessuma hæc est meretrix. Ch. Ita videtur. S. Immo si scias.

Vah! vide quod inceptet facinus. Fuit quædam anus Corinthia 39

Hic: huic drachmarum argenti hæc mille dederat mutuum. Ch. Quid tum? S. Ea mortua'st: reliquit filiam adolescentulam.

obscurum quidnam sit, sed ex his quæ consequuntur, manifestum fiet. Nam interrogatus a domino quid esset, respondit: *pessima hæc est meretrix.* ita quod hic pessime de meretrice pronunciatum est, supra contrario dictum, *commodo facta hæc est meretrix.* Ergo jure dictum, *aliud ex alio incidit.* E.

Aliud ex alio incidit] I. e. dum tecum ea de re loquor, alia res in mentem venit. Cic. ao Attic. XIV. 14. *sed ut aliud ex alio, mihi nun est dubium,* &c. R. D.

38 *Pessuma hæc est meretrix*] Contrarium illud quod superius dixit, *mulier commoda, et faceta, hæc est meretrix.* Sed hoc loco *pessumam* appellat: utpote quæ teneat virginem, quam Syrus *illi relictam arrhaboni* fingit; et hæc est valens causa ad extorquendum argentum. C.

Immo si scias] Vidit dominum servus quasi consensum commodasse, non quo verum indicium de meretrice * *(videns hic dominum servus quasi consensum commodasse ad Menedemum fallendum, non quo verum indicium de meretrice prodatur* Z.) ideo adjecit: *vide quod inceptet facinus.* E.

Si scias] Scilicet ejus ingenium. R.D.

39 *Inceptet*] *Incipere* et *inceptare* magnorum est facinorum et audaciæ. In Eunucho, *quid inceptas, Thraso?* C.

Fuit quædam anus] Hoc consilium dicit se servus adversus Menedemum sumsisse, quo possit pecuniam ab eo exprimere, quæ meretrici daretur. Verum hoc consilium in hoc provenit, ut prosit vehementer Clitiphoni. Namque fingit nunc Antiphilam, quæ amica fit Cliniæ, apud meretricem ac quandam anum Corinthiam arrabonis nomine collocatam: et nunc velle ad Menedemum pergere, ut ab eo pecuniam accipiat, quæ data sit pro puella: ut si eandem redimeret, maxima inde lucra possit accipere. Sed hoc displicet domino consilium. Verum provenit ad adventum *(eventum* Z.) futurum. Nam cum cognita fuerit, quod filia sit Chremetis, jam fiet necessarium, uti meretrici hoc sine *(ab ipso* Z.) Chremete debeatur argentum. E.

Etsi plerique nostri habent, *hoc vide:* tamen lectio Petrensis, *vah! vide* est præferenda. Cæterum alii, *inceptat,* pro *inceptet.* Utrumvis probe. B.

40 *Drachmarum*] *Drachma* pondus est, constans, ut vult Priscianus, ex tribus scrupulis, seu decem et octo siliquis. Sumitur etiam pro genere quodam monetæ, propterea quod numismata antiquitus ponderabantur. *Mille*] Hic *mille* singularis est numeri et substantivum, de quo multa Gellius. Jungitur autem semper genitivo, propterea quia substantivum est. Sed *mille* adjectivum et numeri pluralis substantivo jungitur in similitudine generis, numeri et casus. C.

Drachmarum mille] Supplendum esse pondus docet Gronov. de pecunia vet. I. 10. R. D.

Dederat mutuum] Melioris ætatis scriptores dicunt pecuniam *mutuam* dare, non pecuniam *mutuo* dare. v. Gronov. l. c. III. 1. sed posterioris ætatis scriptores a veteri norma recesserunt ut Justin. XVII. 2. *Pyrrhus ab Antigone naves ad exercitum in Italiam deportandum mutuo petit.* R. D.

Ea relicta huic arraboni est pro illo argento. C. Intelligo.

S. Hanc secum huc adduxit, ea quæ est nunc apud uxorem tuam.

Ch. Quid tum? S. Cliniam orat, sibi uti id nunc det; illam illi tamen

Post daturam mille nummum poscit. Ch. Et poscit quidem. S. Hui! 45

Dubium id est? Ch. Ego sic putavi: quid nunc facere cogitas?

S. Egone? ad Menedemum ibo: dicam hanc esse captam ex Caria,

42 *Arrhaboni*] Pignori, hoc loco intelligas. *Arrhabon* dicitur merces, corollarium: et est quod prius datur, ut reliquum reddatur. C.

Arraboni] Pignori. E.

Relicta arraboni est] I. e. relicta est pro pignore. Cato ap. Gell. XVII. 2. Eadem constructione Plautus dixit in Mostell. IV. 3. 21. *quas* (40 minas) *ille arraboni tibi dedit.* Arrabo est argumentum emtionis et venditionis contractæ, interdum pro pignore dicitur ut h. l. v. Fabrottum ad Cujacii paratitla in codicem T. 2. p. 215. R. D.

43 *Mille nummum*] Tale et illud, *mille hominum occiditur:* et antiquum est. Cic. in VI. in Antonium, cap. 5. *qui* L. *Antonio* mille nummum *ferret expensum. Hui!*] Et cætera hujusmodi generis sane sunt adversus eos, quibus irascimur. C.

Repone, *eam quæ est.* Alii habent *ad uxorem;* alii, *apud;* quod placet. B.

44 Locus *quod tum?—facere cogitas,* interpretes valde torquet, et torquent ipsum iidem. Faernus quidem *poscit* interpretatur per *pollicetur* aut *offert.* Sed contra usum loquendi. Equidem legendum esse censeo ita: *quid tum? S. Cliniam orat, sibi ut id nunc det: illa illi tamen | Post datum iri mille nummum præs sit.* Ch. *Et præs sit quidem? S. Hui, | Dubium id est? ego sic putavi.* Ch. *Quid nunc facere cogitas?* Fingit enim Syrus, Antiphilam arraboni Bacchidi relictam esse pro mille drachmis: Bacchidem, quæ hic Cliniæ amica fingitur, eam summam a Clinia præsente pecunia petere: se, ut a Menedemo hanc summam auferat, porro ficturum esse, captam esse a Caria Antiphilam, ditem in sua patria et nobilem: si Menedemus pro captiva eam mille drachmis emerit, magnum fore mox lucrum, cum a parentibus vel cognatis redimeretur: eas mille drachmas Bacchidi dandas esse: et Antiphilam in domo Menedemi futuram, ubi filius familias Clinia facile et tuto cum ea consuescere posset. Igitur opus erat, ut Bacchis Antiphilam abalienaret, et Menedemo traderet. Ergo *illa,* i. e. Antiphila: *præs sit,* h. e. arraboni: *illi* sc. Cliniæ. Ex *pssit,* i. e. præs sit, culpa librariorum factum est *poscit.* Verba *ego sic putavi* sunt Syri, ut recte cod. Bemb. B.

45 *Post daturam*] Versus corruptissimus. R. D.

46 *Dubiumne id est?*] Quod meretrix avara poscat. C.

47 *Ibo: dicam*] Se astutum fingit ad decipiendum Menedemum. Superius, *etenim quo pacto id fieri soleat, calleo.* C.

Ditem et nobilem: si redimat, magnum inesse in ea lucrum.

CH. Erras. S. Quid ita? CH. Pro Menedemo nunc tibi ego respondeo;

Non emo. S. Quid ais? optata loquere. CH. Atqui non est opus.

S. Non opus est. CH. Non hercle vero. S. Quid istuc, miror. CH. Jam scies.

Mane, mane, quid est quod tam a nobis graviter crepuerunt fores?

ACT. IV. SCENA I.

SOSTRATA. CHREMES. NUTRIX. SYRUS.

NISI me animus fallit, hic profecto est anulus, quem ego suspicor:

48 Omnes nostri, *magnum in ea esse lucrum*. Repono, *magnum esse in ea re lucrum*, h. e. in redemtione, non in ipsa Antiphila. B.

49 *Erras*] In prædictis verbis Syrus fingit suam esse calliditatem, qua dixerat, se decepturum Menedemum. Quam fallaciam confutat Chremes. C.

Menedemo nunc] In Ms. R. *nunc* deest. L.

50 *Non emo*] Hoc est, eam sermonem facies ei de emenda ea, dicet, *non emo*. *Quid agis?*] Q. d. dicit tibi Menedemus, cur loqueris mihi de hac re? vel Chremes interrogat Syrum, quid ad eam dicat responsionem. *Optata loquere*] Ita loquitur ille, qui cum alio loquitur, et cui is adversatur in consilio de re peragenda. *Optata loquere*] Potest dupliciter intelligi. Vel, *loquere* pro *loqueris* dicitur, et est sensus, dicis quæ tu vis, et quæ sunt cordi, ut dici sæpe solet. Vel *loquere* est imperativum, et tunc est sensus, dic ea, quæ ego opto, et accommoda tuos sermones meis optatis. C.

Quid ais? non est interrogantis, sed, ut passim, exclamantis et re inopinata percussi. B.

Optata loquere] Avertendi ominis formula est ut *melius ominare, melius loquere, bona verba quæso*, &c. v. interpr. ad Petron. c. 45. *oro te melius loquere*. R. D.

51 Lege ex aliquot nostris, *non est opus?* Et pro *quid* repone *qui*. B.

52 Totus versus Syro est tribuendus, qui Chremen dicturum interpellat, Et ideo *a nobis;* non, ut dominus ædium, *a me*, dixit. B.

1 *Nisi me animus fallit*] Hæc scena Antiphilæ recognitionem continet: ex qua inter virum et conjugem altercatio oritur: demum reconciliatio. Simul Syro offertur alia ratio extorquendi argentum. C.

Nisi me animus] Hæc scena tenet maximam controversiam; quippe mari-

Is, quicum exposita est gnata. C. Quid volt sibi, Syre, hæc oratio?

So. Quid est? isne tibi videtur? N. Dixi equidem, ubi mihi ostendisti, ilico,

Eum esse. So. At ut satis contemplata modo sis, mea nutrix. N. Satis.

So. Abi jam nunc intro: atque illa si jam laverit, mihi nuncia. 5

Hic ego virum interea opperibor. Sy. Te volt: videas quid velit:

Nescio quid tristis est: non temere'st: metuo quid siet. C. Quid siet!

Næ ista hercle magno jam conatu magnas nugas dixerit.

So. Ehem mi vir. C. Ehem mea uxor. So. Te ipsum quæro. C. Loquere quid velis.

tus dum gravidam videret uxorem, mandavit ut puellam si peperisset, extingueret. Mater puellam peperit, ex exposuit. quæ cum exponeretur, anulum dedit. Inventus est apud quandam puellam anulus: interrogatur unde sit: illa respondit, ipsum esse cum quo esset exposita. Hoc cum cognovisset senex, agnitam puellam quam extingui jusserat, ream facit uxorem, quod adversus edictum suum fecisset. Hic primo venialis est status. Feci, sed pietate feci. Ergo primo inter se loquuntur, an ipse anulus sit, cum quo exposita sit filia. E.

Nisi me animus fallat] In hac formula animus significat opinionem, cogitationem ut in formulis *fert animus, est animus.* v. Drak. ad Sil. Italic. XVI. 293. R. D.

2 *Exposita*] *Exponere* est morti tradere et objicere. *Quid volt*] Chremes non se loco moverat. *Hæc oratio*] Pauca verba veteres *orationem* quoque dixerunt. C.

3 *Dixi equidem*] Hæc sic respondet, ut quæ nihil in hac re dubitationis habeat. C.

4 *At ut satis*] Sic dicimus in his rebus de quibus addubitamus, et præcipue quas jam diu non vidimus. *Contemplata*] *Contemplari* dictum est a *templo*, id est, loco qui ab omni parte aspici, vel ex quo omnis pars videri potest: quem antiqui *templum* nominabant. *Satis*] *Multum*, infinitum est: *satis* vero finitum. C.

At ut satis contemplata] Sed ut satis integre pleneque perspexeris, nutrix mea. E.

Repone, *at satis ut contemplata.* B.

5 Omnes nostri et Faerni libri, *abi nunc iam.* Sed ne *abi* sit Pyrrichius, *jam* resolve in disyllabon. B.

6 *Te volt*] Signantius dictum, quam *quærit* aut *exspectat.* C.

7 *Nescio, quid*] Deest *ob*, vel *propter. Non temere*] Non sine causa. *Quid siet!*] Cum stomacho pronunciandum. C.

Metuo quid siet] V. C. *timeo.* L.

Lege *metuo quid sit*, ob codd. et versum. B.

Non temere est] H. e. non est sine causa ut in Eun. II. 2. 60. et in Phorm. V. 3. 19. R. D.

8 *Magno cum conatu*] Magno cum impetu unaquæque pronunciat. E.

9 *Ehem! mi vir*] A blandimento incipit. *Mi* et *vir*, plurimum blandi-

So. Primum hoc te oro, ne quid credas me adversum edictum tuum
Facere esse ausam. C. Vin' me istuc tibi, etsi incredibile'st, credere?
Credo. Sy. Nescio quid peccati portet hæc purgatio.
So. Meministin' me esse gravidam, et mihi te maxumopere dicere,
Si puellam parerem, nolle tolli? C. Scio quid feceris.
Sustulisti. Sy. Sic est factum domina. ergo herus damno auctus est.

menti habent. Et *vir* maritum significat. *Virum* quoque de animalibus posse dici, Virg. in Bucolicis, VII. 7. ostendit. *Vir gregis ipse caper. Ehem! mea uxor*] Hæc repetitio a simili, indignantis est. C.

Ehem! mi vir] Hinc exordium sumtum, quod ab obsequio cepit, ut benevolentiam comparare posset. Deinde adjectum, quod purgationis loco ponitur, quæ res ad veniam pertinet, quod tamen adhuc principium sit: *primum hoc te oro, ne quid credas, me adversus edictum tuum.* Denique sic adjunctum ex persona servi: *nescio quid peccati portet hæc purgatio.* Finit principium: narratio supponitur: *meministin me esse gravidam, et mihi te maxumopere dicere, si puellam parerem, nolle tolli?* &c. E.

10 *Primum hoc te oro*] A purgatione incipit, ne mulier contra edictum mariti fecisse videatur. C.

Primum hoc te] Ms. R. *primum hoc oro*, &c. L.

12 *Hæc purgatio*] Serv. Æneid. III. 595. L.

Faerni et nostri libri habent *portat*. B.

13 Ejecto *esse*, lege *maxumo opere edicere*, versus gratia. B.

14 *Nolle tolli?*] *Tollere*, nutrire. Juvenalis, Sat. VI. 58. *tollere dulcem cogitat hæredem.* C.

15 *Sustulisti*] *Educasti.* Hoc in alia significatione nonnunquam ponitur. *Damno auctus*] Propter dotem quæ datur. Et recte *damno* dixit. Nam *damnum*, rei est: *malum* vero, hominis. Dicimus, *ego sum auctus damno*, et, *dammum est auctum mihi.* Ut, *augeo tibi divitias*, et, *augeo te divitiis.* Et per passivum, *tu augeris divitiis*, et, *divitiæ augentur tibi.* C.

Ergo herus damno auctus] Nove positum *auctus damno*, quod ei coheres puella venerit, quam dedit exponendam. Quia supra dixerat senex, *sustulisti*; idcirco ait, *exponendam dedi*, quo minus videatur esse delictum. Hic jam immutatus vehementer senex, quod exposita puella esset, et exposita *adversus edictum.* Ita cum impetum generalis accusationis sumsisset, statim illa ad quæstionem descendit, et statum apertissime collocavit venialem, cum dixit: *si peccavi, mi Chremes, insciens feci.* Deinde supponitur plenior accusatio: *id quidem ego, etsi tu neges, certum scio, te imprudentem dicere aut facere omnia.* Deinde post principium accusationis sunjunguntur omnia crimina, quæ a summo ad imum dicuntur: *tot peccata in hac re ostendis.* Et proponit sibi quasi quandam quæstionem mulier, quæ contra imperium mariti fecisset; et dicit, se hoc pietate et materno egisse animo. E.

Versus sensum esse perturbatum, omnes consentiunt. Acidalius quidem ad Paterculum corrigebat: *sic est factum: domina ego, herus damno auctus est.* Etsi hæc conjectura est ingenio-

So. Minime: sed erat hic Corinthia anus, haud impura: ei dedi
Exponendam. C. O Juppiter! tantamne esse in animo inscitiam?
So. Perii! quid ego feci? C. Rogitas? So. Si peccavi, mi Chremes,
Insciens feci. C. Id equidem ego, si tu neges, certo scio,
Te inscientem, atque imprudentem, dicere ac facere omnia:
Tot peccata in hac re ostendis. nam, jam primum, si meum
Imperium exsequi voluisses, interemtam oportuit:
Non simulare mortem verbis, re ipsa spem vitæ dare.
At id omitto: misericordia, animus maternus: sino.

sa: periclitor tamen novam aleam, et repono: *sustulisti. S. Sic est factum: minor ergo herus damno auctus est.* Herus minor est Clitipho, qui utique sorore inventa mactabatur dotis ejus damno. Sic videtur legisse Engraphius. B.

Damno auctus est] Damno augeri dicitur pro majore damno affici ut apud Plaut. *mactari infortunio.* v. Lambin. ad Lucret. I. 100. R. D.

16 *Haud impura*] Commendatio personæ cui data exponenda: ne Chremes ab ea impudice filiam educatam suspicetur. *Impurus*, est aliquo vitio maculatus: et aliquando dicitur *improbus.* C.

17 *O Juppiter!*] Terribilis exclamatio senis, postquam audivit filiam sui datam exponendam. *Tantam inesse*] Ἔλλειψις est quæ datur iratis, subauditur *decet. Inscitiam*] *Inscitia* est ignorantia quædam rerum. Hic, ut proderet se ipsam alteri in facinore, quod celatissimum esse deberet. C.

Inscitiam] I. e. stultitiam. R. D.

18 C. *Rogitas*] Ms. R. et vett. codd. C. *At rogitas?* L.

Cod. plerique, *at rogitas?* quod est majoris indignationis. B.

19 *Insciens feci*] *Prudens* est qui intelligentia sua aliquid sentit: *sciens*, qui alicujus indicio rem cognoscit. *Prudens*, per sese: *sciens*, per alios. Cujus contrarium *insciens*, et est qui ignorat res. Et *imprudens* qui non delectum habet bonorum et malorum. *Insciens feci*] Venialis status. C.

Lege cum solo Bembino *equidem ego*, versus causa. B.

22 *Imperium exsequi*] Primum ponit peccatum, quod contra edictum suum fecerit. *Interemtam oportuit*] Hic ponitur participium præteriti temporis pro infinitivo *interimi.* Id enim fit in duobus casibus, accusative et ablativo, C.

Imperium exsequi] I. e. perficere, quæ imperantur Liv. IV. 28. *hæc locutum exsequentemque dicta redintegrato clamore secuti* ubi v. Drak. R. D.

23 *Spem vitæ*] Scilicet non oportuit simulare re ipsa, sed verbis. Huic respondetur: *quam bene abs te prospectum est*, &c. Unde epilogorum loco adjunctum est, quantum incommodo consecutum sit. E.

24 *Sino*] Concedo: quia animus maternus plurimum veniæ meretur. C.

Quam bene vero abs te prospectum est! quid voluisti? cogita:
Nempe anui illi prodita abs te filia est planissume,
Per te vel uti quæstum faceret, vel uti veniret palam.
Credo, id cogitasti; quidvis satis est, dum vivat modo.
Quid cum illis agas, qui neque jus, neque bonum atque æquom sciunt?
Melius, pejus: prosit, obsit: nihil vident, nisi quod lubet.
So. Mi Chreme, peccavi, fateor; vincor. nunc hoc te obsecro;

Animus maternus; sino] Ms. R. *animus maternus, sino, te devicit.* L.

Misericordia, animus maternus] Scilicet te impulerunt, ut exponeres. R. D.

25 *Prospectum est!*] Hic est impersonale passivæ vocis, ante se habens ablativum, mediante *ab* vels *abs*, et post casum sui verbi. Eodem modo in Epistolis Cicero loquitur. Ait enim (ad Fam. III. 2. Edit. Ascens. *a te provisum.* Alii omittunt *a te.* vid. Interpp.) *quod si meis rationibus a te prospectum esse intellexero.* C.

26 *Illi prodita*] Signantissime, *prodita.* Socii enim *deficere* dicuntur. Sallust. in Fragmentis, *post defectionem sociorum. Prodere* parentes. Virg. Æn. I. 251. *unius ob iram prodimur. Desevere* vero, patroni. Hinc milites *patriæ desertores* dicuntur, qui patriam deserunt, quam defendere deberent. Virg. Æn. XII. 15. *desertorem Asiæ. Prodere*, Festus dicit, est dare et fallere. Et bene hic capi potest eo modo. Interdum *prodere* significat differre, sive elongare, ut ita dicam. Virgil. Æn. I. 252. *prodimur, atque Italis longe disjungimur oris.* Interdum significat *indicare*, quod deberet tegi, et per hoc fallere, ut *prodit me voce*, i. e. indicavit, et, quod dicitur, inepte incusavit me. Propterea *proditores* dicuntur, qui decipiunt indicando, quod celare deberent. Filia ergo abs te *prodita* est, quasi commissa est illi anui, et per hoc decepta. C.

Lege *nempe illi anui.* Et vers. 29. *quid cum illisce agas?* non *illis.* B.

29 *Quid cum illis agas*] Amatores designat, qui nihil pensi habent expertes juris et omnis æquitatis: ea sola recta putant quæ illis libuerint. C.

Quid cum illis] Sensus hic obscuritatem habet, qui talis est: exposita tibi est filia, suscepta ab ea quæ pudorem filiæ tuæ venderet: sed tu cogitasti satis esse, dummodo viveret. Ego nunc cogor eam suscipere, sed defendere ejus pudorem non possum. *Quid cum illis agam*] Sibi dicit, violata filia, nullam esse posse vindictam. E.

30 *Nihil vident*] I. e. nihil curant. R. D.

31 *Peccavi, fateor*] Victa mariti argumentis, crimen suum fatetur: et quo magis mereatur veniam, simplicitatis opinionem inire tentat: et hoc per deprecationem. C.

Chreme, peccavi] Hic jam deprecantis venia supponitur, cum dicit: *obsecro, quanto tuus animus*, &c. Quod tuus enim animus ætate major est pietate et clementia, stultitiæ meæ debet in tua justitia esse præsidium: id est, aliquid defensionis et auxilii. E.

Vincor] I. e. argumentis convincor. Cic. pro Cluent. c. 44. *vince virum bonum fuisse Oppianicum* Liv. XXVII. 11. ubi v. Gronov. in Phorm. III. 2. 16. *veris vincor.* R. D.

Quanto tuus est animus natu gravior, ignoscentior,
Ut meæ stultitiæ in justitia tua sit aliquid præsidi.
C. Scilicet equidem istuc factum ignoscam: verum, Sostrata,
Male docet te mea facilitas multa. sed istuc, quicquid est,
Qua hoc occeptum'st causa, loquere. So. Ut stultæ et miseræ omnes sumus
Religiosæ; quum exponendam do illi, de digito anulum

32 *Quanto tuus est animus nato gravior*] I. e. peritior propter plures experientias, quas potuisti habere, plus quam ego. Et bene dicit, *gravior natu*, nam majores natu, i. e. seniores debent esse *graviores*, i. e. moderatiores et constantiores, atque prudentiores, ob majorem experientiam. Potest enim hic capi *natu gravior*, q. d. tuus animus potuit plura videre, quam meus, quum me nativitate præcesserit. Nam fere mariti sunt *natu graviores* seu majores uxoribus suis. *Ignoscentior*] In crimine sic confesso ultimum remedium confugere ad judicum misericordiam. C.

Ignoscentior] Ms. R. *ignoscentior tanto sit*. L.

Cum versus hujus sententia quæ sit intelligi nequeat: corrige, *quánto tu me es ánnis gravior, tánto es ignoscéntior*. Posterius *es*, modi imperativi est. B.

Quanto tuus est animus] Hunc versum, quem omnes corruptum esse fatentur, Bentl. ita reficit *quanto tu me es annis gravior, tanto es ignoscentior*. Ignoscentior est pronior ad ignoscendum. Terentium imitatus videtur Ovid. Trist. III. 5. 31. *quo quis enim major magis est placabilis iræ*. R. D.

33 *In* abest ab omnibus nostris. Recte. Nam parit hic ambiguum, ut ab *injustitia* sono distingui non possit. B.

In justitia tua] H. e. in lenitate tua Cic. pro Marcello c. 4. *hæc tua justitia et lenitas animi floresset quotidie magis*. Sic *justa servitus* pro leni in Andr. I. 1. 9. ubi v. notata. R. D.

34 *Scilicet equidem*] Ambæ hæ particulæ capiuntur affirmative ad majorem comprobationem. C.

Istuc factum ignoscam] Hanc quidem veniam tibi dabo. Verum mea clementia multum ad peccata compelleris. E.

Factum ignoscam] Sic etiam locuti sunt Plaut. in Amphitr. I. 1. 100. *ignoscamus peccatum suum* et Virgil. in Culice v. 293. Frequentius est *ignoscere facto*. R. D.

35 *Mea facilitas*] Recte. quia cito uxori veniam dedit. *Facilitas* illius est, qui cito iram deponit. *Clementia*, illius, qui nunquam irascitur. C.

Sed istuc quicquid] Peremta controversia, ad originem res ducitur, facto a generali ad speciale argumento. E.

36 *Qua hoc occeptum*] Quasi de magna re dixit. *Ut stultæ et miseræ omnes sumus*] Vituperatio a sexu: mulieres enim consueverunt esse imperitiores viris, et multis superstitionibus detineri. C.

Lege ex cod. reg. *eloquere*, h. e. perge quod restat loqui. *Misera* tum erat Sostrata, quod a duro marito jussa erat filiam neci dare: et vulgare dictum est, stultos omnes et miseros esse superstitiosos. B.

37 *Religiosæ*] Superstitiosæ. *Religiosus* etiam appellabatur is, qui nimia et superstitiosa sese religione alligaverat: ut hoc loco. C.

Quum exponendam do] Cum dedis-

Detraho; et eum dico ut una cum puella exponeret;
Si moreretur, ne expers partis esset de nostris bonis.
C. Istuc recte: conservasti te atque illam. So. Is, hic est anulus.
C. Unde habes? So. Quam Bacchis secum adduxit adolescentulam: Sy. Hem!
C. Quid ea narrat? So. Ea, lavatum dum it, servandum mihi dedit.
Animum non advorti primum: sed postquam aspexi, ilico
Cognovi: ad te exilui. C. Quid nunc suspicare, aut invenis
De illa? So. Nescio; nisi ex ipsa quæras, unde hunc habuerit,
Si potis est reperiri. Sy. Interii; plus spei video, quam volo:
Nostra est, si ita est. C. Vivitne illa, cui tu dederas? So. Nescio.

sem puellam exponendam, annulum de digito mihi detraho, ut una cum puella exponeretur. Et subjungit causam, si moreretur ne aliena esse a nostris bonis potuisset. Neque enim liberos, etiam mortuos, fas erat fraudari bonis. E.

Religiosæ] I. e. superstitiosæ. Sic religio sæpe dicitur pro superstitione. v. Græv. ad Justin. XXII. 6. R. D.

39 *De nostris bonis*] Et hæc erat superstitio. C.

Ne expers partis] V. C. *ne expertis*. L.

40 *Istuc recte*] Εὐφυῶς dictum. C.

Nostri, *hic is est*, meliore accentu. B.

41 *Hem!*] Syrus timet, ne sibi præripiatur auferendi argenti occasio, agnitione filiæ. Itaque ingemit. C.

42 *Lavatum*] Secundum antiquos: nos dicimus, *lotum*. Ovidius Fastorum secundo, (immo Fast. III. 12. Legendum autem: *sacra lavaturas mane petebat aquas*). *Mane lavaturas sacra petebat aquas*. C.

Servandum mihi dedit] Veteres, dum lavabantur, anulos ponere solebant v. Burman. ad Ovid. Amor. II. 15. 23. R. D.

43 Libri meliores *animum* habent pro *annulum*. B.

44 *Exilui*] Ostendit nimiam lætitiam de inventa filia. Ideo non dixit *accessi*. C.

45 Vulgo *nisi ut ex ipsa*; sed rectius in Bemb. *ut* abest. Nam *nisi* hic signif. *sed*. B.

46 *Plus spei video*] Nolebat tam cito cognosci filiam: ne occasio præriperetur auferendi argentum. *Plus spei*] Melius est ut non ad Syrum referas, sed ad Sostratam. C.

Plus spei video] Hoc servus cum gemitu dicit: siquidem fieri potest, ut cognoscatur hæc Antiphila, quod filia domini fit. Quo facto vehementer metuit, ne incipiat Clinia amicam suam confiteri, et cognoscat pater, quod meretrix amica Clitiphonis sit. Denique ideo dicit, cum nomen dictum esset ejus, cui data esset puella ut exponeretur, *mirum ni illa salva est, at ego perii*. E.

C. Quid renunciavit olim? So. Fecisse id quod jusseram.
C. Nomen mulieris cedo quod sit, ut quæratur. So. Philtere.
Sy. Ipsa est. mirum ni illa salva est, et ego perii. C. Sostrata, 50
Sequere me intro. So. Ut præter spem evenit! quam timui male,
Ne nunc animo ita esses duro, ut olim in tollendo, Chreme.
C. Non licet hominem esse sæpe ita ut volt, si res non sinit:
Nunc ita tempus est mihi, ut cupiam filiam: olim nihil minus.

ACT. IV. SCENA II.

SYRUS.

NISI me animus fallit, haud multum a me aberit infortunium:

49 Lege *mulieri*. B.

50 *Ipsa est*] Fatetur Syrus; et intererat ad quærendas puellas domum ejus (*ad quærendam puellam nomen ejus nosse*). *Mirum, ni illa salva*] Non potest credere, periisse anum, quod maxime vellet ob recognitionem Antiphilæ. *Ego perii*] Quia recognita est antequam auferrem argentum. C.

51 Omnes nostri *intro hac*. Nec aliter stabit versus. B.

53 *Si res non sinit*] Nam prudentis est, servire tempori. C.

Non licet hominem] Non licet nobis perpetuam generé voluntatem, maxime cum res non permittat: ita mutamus cum tempore voluntatem. E.

Non licet hominem] Homer. Odyss. 16. Cicero: *tales sunt hominum mentes, quales pater ipse Jupiter*, &c. L.

54 *Nihil minus*] Pro, *non*, quod auctus divitiis esset. C.

Lege et distingue: *nunc ita tempus fert, mi ut cupiam filiam*. Vid. Adel. V. 3. 5. And. I. 2. 17. Hec. IV. 2. 18. B.

1 *Nisi me animus fallit*] Recognita Antiphila, Syrus anxius, novum quærit consilium de extorquenda pecunia. Et bene deliberantem de re aliqua exprimit. Est enim dialogismus acuti ingenii in multa cogitatione versantis. C.

Nisi me animus] Servus hic vehementer æstuat, quod animadvertit fieri posse ut puella agnoscatur: et ingemit quod sibi multum infortunium affaturum sit. *Non longe*] Hoc est, haud multum. E.

Ita hac re in angustum oppido nunc meæ coguntur copiæ;
Nisi aliquid video, ne esse amicam hanc gnati resciscat senex.
Nam quod de argento sperem, aut posse postulem me fallere,
Nihil est: triumpho, si licet me latere tecto abscedere.
Crucior, bolum tantum mihi ereptum tam desubito e faucibus. 6
Quid agam? aut quid comminiscar? ratio de integro ineunda'st mihi.

Ne versui syllaba deficiat, lege *haud permultum*, aut, *haud perlonge;* quam lectionem Eugraphius habuisse videtur. B.

2 *Ita hercle*] Q. d. Meus exercitus jam pene fusus est, nam coactus est et impulsus in angustias, ubi conteretur facile, h. e. mei conatus adeo repressi sunt hac re, h. e. hac agnitione puellæ, ut facile possint contundi ac conteri. Et est translatio sumta a re militari. *Meæ copiæ*] Translatio sumpta est ab imperatore, qui jam pene fusus ab hostibus, se in aliquem tutissimum locum receperit. *Copiæ* numero multitudinis et ἐνικῶς de exercitu dicitur. Sallustius, Catil. 61. *ex omni* copia *Catilinæ*. Virgil. Æn. II. 564. *et quæ sit me circum* copia *lustro*. Alii codices habent ita: *meæ copiæ coguntur*, i. e. constringuntur, *in angusto oppido*, i. e. in aliqua munitione, in quam me recipere necesse fuit. C.

In angustum oppido] Translatio facta est ab illo cum periclitatur exercitus, in angustum coactus. *Oppido*, valde significat. E.

In angustum coguntur copiæ] H. e. consilia mea sic impediuntur, ut ea expedire non possim. Metaphora sumta est ab exercitu qui loco illico exclusus [iniquo inclusus] se explicare non potest. R. D.

3 Lege *aliqui video*, vel *aliqua*, h. e. aliqua via, ratione. B.

5 *Triumpho, si licet me latere*] Verba proprie servorum, quotiens vident se quod inceperant, perpetrare non posse. Et εἰρωνικῶς legendum. C.

Triumpho, si licet] Summum gaudium est, si tutus sine vulnere discedam: hoc est, *latere tecto* et custodito. Non ergo de argento cogitare debeo, quemadmodum id eripiam: sed quemadmodum tutus ipse discedam. E.

Latere tecto abscedere] Significat e periculo sine damno evadere. Translatio a re militari, ubi *latus tegere* dicuntur qui scutis adversus tela muniti sunt. Contra *latus apertum dare*, cum expositi sunt ictibus telorum. Cæsar de B. G. I. 25. *Boii et ex itinere Tulingi nostros latere aperto adgressi circumvenere*. v. Lambin. ad Horat. Sermon. I. 3. 59. et Broukhus. ad Tibull. I. 4. 46. R. D.

6 *Bolum*] Translatio ab animalibus quibus aufertur *præda*. *Bolus* apud Græcos si per *o* scribitur, significat *jactum retis;* si per *ω*, *glebam terræ*, vel frustum cujusque rei. C.

Bolum] Prædam. E.

Tantum mihi erept.] V. C. *esse erept.* L.

Lege ex duobus nostris, *cruciór bolum mihi tántum*, B.

Bolum mihi ereptum e faucibus] I. e. ademtam mihi esse occasionem parandæ pecuniæ, quam me tenere putabam. Bolus proprie est offa, quæ canibus objicitur. R. D.

7 *Comminiscar*] Fingam. Inde com-

Nihil tam difficile est, quin quærendo investigari possiet.

Quid, si hoc nunc sic incipiam? nihil est. quid, si sic? tantundem egero.

At sic opinor. non potest. immo optume. euge! habeo optumam. 10

Retraham hercle, opinor, ad me idem illud fugitivum argentum tamen.

ACT. IV. SCENA III.

CLINIA. SYRUS.

NULLA mihi res posthac potest jam intervenire tanta,

mentum dicitur. Alibi, *atque illis hoc commentum placet. Ratio*] Nam inuerat unam rationem, h. e. modum habendæ pecuniæ. Quæ vla ubi non processit, aliam inire, h. e. excogitare necesse fuit. C.

Quid comminiscar?] Quid argumenti capiam? Et est *comminiscor*, invenio vel recordor, cujus simplex in usu non est. E.

Ratio de integro ineunda est] I. e. aliud novum consilium capiendum Cic. ad Div. V. 20. Sic frequens est *consilium inire* ut apud Liv. XL. 12. ubi vid. Drakenb. R. D.

8 *Nihil tam difficile*] Sententia generalis sine certo auctore, quæ servis etiam convenit. *Investigare* significat, quærendo invenire, ut probat Laurentius. Nunc enim incipit Syrus deliberare, et identidem proponit, et proposita refellit. Tandem inventa bona ratione erumpit in lætitiam. C.

Nihil tam difficile] Menand. ἀλωτὰ γίγνετ' ἐπιμελείᾳ καὶ πόνῳ ἅπαντα. Philemo: Πάντ' ἐστὶν ἐξευρεῖν, ἐὰν μὴ τὸν πόνον φύγῃ τις, ὃς περίεστι τοῖς ζητουμένοις. L.

Menander apud Stobæum Tit. 29. πάντα τὰ ζητούμενα Δεῖσθαι μερίμνης, φασὶν οἱ σοφώτεροι. W.

9 *Quid, si sic?*] Qui aliquid incepturi sunt, multa proponere solent: et affirmare, et refellere quod sit faciendum vel relinquendum. *Tantundem*] H. e. Tantum proficiam in hoc faciendo, quantum in alio præcedenti jamjam confutato. *Tantundem egero*] Hæc consultatio fit a Syro per ratiocinationem. C.

Quid, si hoc?] Cogitantis animo, quasi dum multa deliberando quærit, invenit quædam, non placita repudiat. Post id quod sit optimum invenisse se dicit, ut ad se illud argumentum revocare possit, quod omiserat. E.

Versus causa pro *egero* lege *ago*. B.

10 *Sic opinor*] Nam quæ *opinamur*, *putamus:* quæ *putamus* incerta sunt. *Immo*] Illa ratione aliquamdiu perspecta, cognovit eam esse bonam, et tunc se corrigit. *Euge!*] Vox lætantis ejus qui optimum invenerit consilium. C.

Optumam] scilicet fallaciam. R. D.

11 *Fugitivum argentum*] Facete et jocularitor servili modo de *argento* tanquam de *homine* dixit. C.

Retraham] Proprie usus est hoc verbo. Nam fugitivi proprie *retrahi* dicuntur. Sueton. in Aug. c. 17. *Cæsarionem retractum e fuga supplicio affecit.* v. Duker. ap Flor. III. 19. R. D.

1 *Nulla mihi res posthac*] Nimia Cliniæ lætitia exprimitur de recognita An-

Quæ mihi ægritudinem afferat: tanta hæc lætitia obor-
ta est.
Dedo patri me nunc jam, ut frugalior sim, quam volt.
S. Nihil me fefellit: cognita est, quantum audio hujus
verba.
Istuc tibi ex sententia tua obtigisse lætor.
C. O mi Syre, audistin' obsecro? S. Quidni? qui usque
una affuerim?
C. Cui æque audisti commodi quicquam evenisse? S.
Nulli.
C. Atque ita me Di ament, ut ego nunc non tam meapte
causa
Lætor, quam illius: quam ego scio esse honore quovis
dignam.
S. Ita credo: sed nunc, Clinia, age, da te mihi vicissim:

tiphila, qua præpeditus vix potest adduci a Syro ut Clitiphoni succurrat. C.

Nulla jam mihi res] Allocutio est Cliniæ exsultantis gaudio, quod sua amica sit cognita. Ita dicit mentem suam oneratam gaudio, ut nulla res possit intercedere, quæ afferat ægritudinem. *Ægritudinem* dixit, pro ægrimonia, id est, tristitia vel infirmitate. R.

2 *Ægritudinem afferat*] Tale et illud, *deorum vitam adepti sumus*. C.

3 *Dedo patri me*] Plus *dedere* hoc loco, quam *obsequi*. *dedere* se vult *patri*, quemadmodum in hostium potestatem hostes se *dedunt*. In Andria, *tibi, pater, me dedo*. Quasi qui vellet contraria. Et *deditio* in hoste fieri solet. *Frugalior*] Temperantior. Si *frugalis* non extat, unde descendat, vide tu. C.

Dedo patri me] Uti frugalitatem, id est, parcitatem, quam in me voluit, compleam. quippe cum velit eam me habere uxorem, quæ sit honestis moribus, scilicet Chremetis filia. Unde non mea causa lætor, sed potius ipsius puellæ, quam diligo. E.

Distingue, *dedo patri me nunc iam, ut*. B.

6 *O mi Syre*] A blandimento incipit, ut faciunt qui quicquam speratum consecuti sunt. *Quidni*?] Quid nisi audierim? C.

Qui usque una] V. C. *qui usque nunc*. L.

Cum Bemb. lege *audiste*, ut sit jambus in quarta. B.

7 Bemb. et Victor. *commode*, quod magis placet. Tum ne versus laboret, lege *cuiquam æque audisti*. B.

8 *Meapte*] Cum ablativo σαφήνειας additum, ut *nostrapte Cato* tamen possit *mihipte*, pro *mihi ipsi*. C.

9 *Honore quovis dignam*] Amica etsi impudica est, dummodo amatori placeat, ab eo commendatur, amore eum impellente. C.

10 *Da te*] Duæ partes orationis. Cicero: *da te homini*. *Dare* est quo repetas. *Dedere* est ad perpetuum. *Damus* est amicis. *Dedimus* tantum hostibus. C.

Da te mihi vicissim] Id est, quemadmodum nunc ego verba tua audivi, ita vicissim te mihi da; uti quod necessarium est facias, ne resciscat pater, amicam filii sui esse meretricem. R.

Da te mihi vicissim] H. e. vicissim inservi. in Ad V. 3. 52. v. Heins. ad Ovid. epist. XVI. 16. R. D.

Nam amici quoque res est videnda, in tuto ut collocetur: Ne quid de amica nunc senex. C. O Jupiter! S. Quiesce.
C. Antiphila mea nubet mihi. S. Sicine mihi interloquere?
C. Quid faciam, Syre mi? gaudeo: fer me. S. Fero hercle vero.
C. Deorum vitam apti sumus. S. Frustra operam, opinor, sumo. 15

11 *Nam amici*] Justa petitio: succurrendum est amico, ne quid illi incommodi accidat. *Amici*] Plus gratiæ habet, quam si dixisset *Clitiphonis*. Et *amicus*, animi est: *amator* vero, corporis. Et *amator* est ad tempus: *amicus* qui perpetuo amat. C.

Lege et distingue, *nam amici quoque res, est videndum, in*. B.

12 *Ne quid de amica*] Ἀποσιώπησις. *O Jupiter!*] Exclamatio terribilis pene ex nimio gaudio desipientis. Tanquam Syrus aliquid dixisset, quod videretur desipienti vergere in nuptiarum impedimentum. C.

O Jupiter!] Pro προσάπτουσιν omissis vocibus servi, secum Clinia gaudet. Parum credit sibi contigisse, quod efficitur in gaudio repentino, nisi aliquid procreatur. E.

13 *Nubet mihi*] Hinc omnis lætitia dependet. *Interloquere?*] Hoc loco *inter* non auget, quemadmodum in verbo *intercipit, interbibit*. Est autem *interloqui*, impedire et interpellare loquentem. *Interloquere?*] Quasi *loqueris inter me*, i. e. inter meum sermonem, illum interrumpendo et in ejus medium te interponendo. C.

Siccine mihi] Al. *siccine me*. L.

Plerique libri. *sicine me*. B.

14 *Fer me*] Id est, *tolera*. Tolerandus est, qui ex amore desipit, quia amor Deus est, et non voluntas: cogit enim hominem ad id quod vult. *Fer me*] Quia *amor* et *odium*, ut testatur A. Gellius Lib. I. c. 3. *duæ sunt ferocissimæ affectiones*. *Hercle vero*] *Vero*, ut plurimum ironiæ convenit. Virg. Æn. IV. 93. *egregiam vero laudem, et spolia ampla refertis*. *Sane* et *vero* pronunciandi adjumento in verbis negationem habent, licet confessionem afferre credantur. C.

15 *Deorum vitam*] Quæ lætitiæ plena est et felicitatis, nulla admixta tristitia. Et hyperbolicus sermo ab affectione procedens. *Frustra operam, opinor, sumo*] Quod vulgo dicitur, *capio pœnam*, cum tamen pœna duntaxat dicatur de punitione. Nam, ut vult Priscianus, a *pœna*, æ diphthongo in *u* mutata, deducitur *punio*; et ideo non est dicendum, *sumsi magnam pœnam pro te*, sed potius *tua causa multos cepi* seu *sumsi labores*, aut *plurimum tua causa laboravi*. *Opera* autem dicitur *operatio, labor, industria*. Ideo sic intellige, *frustra laborabo sermonem apud te facere, cum tu gaudio desipiens aures mihi non præbes*. C.

Deorum vitam apti] Πάρεσον sive παραβολὴ, quæ sunt species ὁμοιώσεως. se quasi Deum esse asserit, ut in Andria: *Deorum vitam propterea esse sempiternam arbitror*. *Apti* significat adepti. E.

Deorum vitam apti] Euripid. apud Stobæum, Serm. 254. Θεοῦ βίον ζῆν ἀξιοῖς ἄνθρωπος ὤν. L.

Nostri perperam *adepti*. Cæterum *apti* est a verbo *apiscor*, h. e. adipiscor. B.

Deorum vitam apti sumus] H. e. summam felicitatem consecuti sumus. *Aptus* est ab antiquo *apiscor*, unde *adipiscor, adeptus*, &c. v. interpr. ad Liv. IV. 3. *si dignus summo honore erit apiscendi summi honoris* et Bentl. ad Phorm. II. 3. 59. R. D.

C. Loquere; audio. S. At jam hoc non ages. C. Agam.
S. Videndum est, inquam,
Amici quoque res, Clinia, tui in tuto ut collocetur.
Nam si nunc a nobis abis, et Bacchidem hic relinquis,
Senex rescisset ilico, esse amicam hanc Clitiphonis:
Si abduxeris, celabitur itidem, ut celata adhuc est.
C. At enim istoc nihil est magis, Syre, meis nuptiis advorsum:
Nam quo ore appellabo patrem? tenes, quid dicam?
S. Quidni?
C. Quid dicam? quam causam afferam? S. Quin nolo mentiare:
Aperte, ita ut res sese habet, narrato. C. Quid ais?
S. Jubeo
Illam te amare, et velle uxorem: hanc esse Clitiphonis.

16 *Hoc non ages*] Id est, *audies*. In Andria *hoccine agis? Inquam*] Verbum hoc vim interdum maximam habet ad adhortationem. Et *videndum est*, et *vide*, magna aggressuris dicuntur. Et *inquam* utimur nonnunquam in repetitione supra dictorum. C.

Videndum est, inquam] Persuadet servus Clitiæ, uti secum ducat meretricem ad domum patris, ne, si remanserit in domo, facile senex filii amicam possit agnoscere. E.

19 *Noster*] Cum stomachc. C.

Omnes libri, præter Bembinum, habent recte *noster*, pro *senex*, quod est illius interpretamentum. B.

20 *Si abduxeris*] Recte *abduxeris*: nam *abducitur* proprie quod alienum. C.

21 *At enim istoc*] Hæc res mihi videtur esse vehementer contraria. Nam quomodo rogabo patrem ut mihi filiam det, si sciat meam amicam esse meretricem? E.

22 *Quo ore*] Sic dicimus, quando aliquid pudendum committimus. *Appellabo?*] Si duxero Bacchidem. C.

Quo ore] I. e. qua fiducia, qua audacia in Phorm. V. 7. 24. *quo redibo ore ad eam*. ibid. V. 8. 53. *quo ore illum objurgabis*. Ovid. epist. VI. 145. *quo vultu natos quo me scelerate videres*. R. D.

23 *Quin*] *Immo*. Cautus servus ea admonet, quæ non erunt adversa nuptiis. C.

Quin nolo mentiare] Hoc ex consilio dicit servus, uti non mentiatur, sed continuo dicat, illam filiam Chremetis se uxorem velle, et esse hanc amicam Clitiphonis. Sic enim persuasurus est postea domino servus, tale repperisse se consilium, uti a Menedemo filius petat pecuniam, quo quasi dicat, se velle filiam Chremetis uxorem ducere, uti ad nuptias habeat necessaria: et hoc credat senex propterea adolescentulum petere, quo per fallaciam dari possit; ita ut, cum utrumque dixerit adolescens, per fallaciam dicere credatur. E.

Concinnius fuerit, *quid dicam? quid causæ afferam?* B.

24 Concinnius est, pro *narrato* reponere *narrare*. Dicturus enim erat Syrus *Jubeo:* sed Clinia admiratione percussus interpellavit, dicendo *quid ais?* B.

25 Ne *uxor* hic primam corripiat,

C. Bonam atque justam rem oppido imperas, et factu facilem.
Et scilicet jam me hoc voles patrem exorare, ut celet
Senem vostrum. S. Immo, ut recta via rem narret ordine omnem. C. Hem!
Satin' sanus es, aut sobrius? tu quidem illum plane prodis.
Nam qui ille poterit esse in tuto? dic mihi.
S. Huic equidem consilio palmam do: hic me magnifice effero,
Qui vim tantam in me, et potestatem habeam tantæ astutiæ,
Vera dicendo ut eos ambos fallam: ut quum narret senex
Voster nostro, istam esse amicam gnati, non credat tamen.

forte legi debet, *illanc amare et velle te uxorem: esse hanc Clitiphonis.* B.

26 *Bonam atque justam*] Εὐφυῶς legendum. C.

27 *Scilicet*] Hæc particula hic indignanter poni potest, ut si quis dicat, *et quis est qui de me male loqui possit? Scilicet* hic ponitur ironice, quasi quod dici solet, *Deus sciat.* Ut alibi: *id populus curat*, scilicet. Et Virg. Æn. IV. 379. Scilicet *is superis labor est. Ut celet senem vostrum*] Dicimus enim, *celo tibi hanc rem*, et *celo te de hac re.* Intelligendum, *celet* senem de Bacchide. C.

Ut celet senem vostrum] Nesciens adolescens (excidit *cur* Z.) hoc consilium adjecit. Et *(adjecit, dicit* Z.) fortasse hoc velis, ut celet patrem Clitiphonis noster senex, quod ipsius amica sit meretrix. E.

28 *Recta via*] *Recta via rem narrare* idem est quod paulo ante, *aperte*, ita ut sese res habet, narrare. v. Broukhus. ad Propert. II. 25. 46. R. D.

29 *Prodis*] *Prodere* proprie ad parentes refertur: sed nonnunquam ad eum cui res alterius demandata est, et cujus consilio alter regitur. Alii legunt *perdis.* C.

Vulgare *prodis* melius est, quam Bembini *perdis.* Cf. supra III. 1. 70. Hec. IV. 4. 50. B.

31 *Huic consilio palmam do*] Translatio a victoribus, quibus dabatur *palma.* Contrarium est huic illud: *do manus. Palmam do*] H. e. *assentio.* More paciscentium, qui assentientes *palmam* porrigunt. C.

Consilio palmam do] Id est, maximam victoriam et gloriam mihi concedo, *ut verum dicendo ambos fallam.* Secundum hoc quod supra diximus, ut non credat senex noster amicam filii sui esse meretricem, etiamsi audierit. Quod fit per figuram διασυρμὸν, quæ est elevatio, quando auditorem vera dicendo in errorem inducit. E.

Me effero] I. e. me jacto, glorior. Flor. I. 26. *Manlium altius se et incivilius efferentem ab arce dejecit.* R. D.

32 Nescio an pro *tantæ* auctor scripserit *tantam.* B.

34 *Non credat tamen*] H. e. revera sciat contrarium, q. d. *in quo decipietur?* vel *erit pulcra*, ut dici solet, *de-*

C. At enim spem istoc pacto rursum nuptiarum omnem eripis:
Nam dum amicam hanc meam esse credet, non committet filiam.
Tu fortasse' quid me fiat parvi pendis, dum illi consulas.
S. Quid, malum, me ætatem censes velle id assimularier?
Unus est dies, dum argentum eripio: pax: nihil amplius.
C. Tantum sat habes? quid tum quæso, si hoc pater resciverit?
S. Quid si redeo ad illos, qui aiunt, quid si nunc cœlum ruat?

ceptio! ubi quis, ut credit, non decipitur. Quod ita erit in tuo patre, quem putas iri falsum. C.

Venustior collocatio est in Bemb. *esse istam amicam*, ut *istam* sit in accentu. B.

35 *At enim spem*] Si enim crediderit senex amicam filii sui esse metetricem, filiam suam mihi non dabit. E.

36 *Meam esse credet*] Necessario si Chremes Bacchidem gnati amicam non crediderit, Cliniæ esse crediderit. *Committet*] Bene de filia *committet* dixit; quia proprie magna *committimus*, et ea, secundum Donatum, quæ salutem in dubio habent. C.

37 *Parvipendis*] In reg. exempl. *parum curas*: atque ita in aliis vett. codd. L.

Ne sit versus hypermeter, emenda, *tú fors quid me fiat*, &c. B.

38 *Quid? malum!*] *Malum*, interjectio est irascentis. *Me ætatem*] *Ætatem* posuit pro *diu*. Alibi: *jam dudum*: *ætutem lites factæ inter eos*. C.

Quid? malum!] Credis hoc me velle simulare (excidit, *semper*, aut *diu* Z.) *malum* autem interjectio nihil significat, sed exclamationis continet locum. Quomodo Cicero pro Scauro: *quæ, malum, est ista ratio?* E.

39 *Unus est dies*] Assignat tempus pro ratione. Non vult Chremetem dicu credere Bacchidem Cliniæ esse amicam. *Pax!*] Adverbium comicum, et significat *tantum*. C.

Argentum eripio. pax!] Plautus Pseud. V. 1. 33. *itaque dum enitor, pax! jam pene inquinavi pallium.* Auson. Idyl. 12. *totum opus hoc sparsum, crinis velut Antiphilæ: pax!* Priscian. *libr.* XIV. *pax παντελῶς, adverbium comicum, quo utitur Terentius, quod similiter Græcum est.* Erit ergo πάξ. Sed antea, ut Hesych. notat, πάξ ὑπόδημα, ἐνπρόσωπον, designabat: Latini *baxeas* dixerunt. Plaut. Menæchm. II. 3. 40. *quis iste est periculus? qui extergentur baxeæ.* Apul. Flor. 2. *baxeas istas de sutrina præstinare.* L.

40 *Pater resciverit?*] V. C. *senex resc.* L.

Tantum sat habes] *Tantum* interdum minuit potius quam auget. Cæs. de B. G. VI. 35. *præsidii tantum est ut ne murus quidem cingi possit.* Cœlius Cic. epist. 8. *bellum tantum erit*, &c. v. Manut. ad Cic. ad I. 7. R. D.

41 *Si nunc cœlum ruat?*] Verbum usitatum in eos qui subtimidi in re peragenda, semper dicere solent, *quid si hoc vel illud accideret?* Et ostendit suo responso, talia dicta esse ridicula, per hoc quod dicit, *quid si rideo.* C.

Quid si nunc cœlum ruat?] Stultus metus est de cœlestibus metuere. Ergo stulte es in metu, et sic ponis, quod fieri omnino non potest. Ut sit argumentum ab impossibili. E.

Quid si] H. l. et cum indicativo cum subjunct. construitur. Scilicet indicativus modus est affirmantis, subjuncti-

C. Metuo, quid agam. S. Metuis? quasi non ea potestas sit tua,
Quo velis in tempore ut te exsolvas, rem facias palam.
C. Age, age, traducatur Bacchis. S. Optume; ipsa exit foras.

ACT. IV. SCENA IV.

BACCHIS. CLINIA. SYRUS. DROMO. PHRYGIA.

SATIS pol proterve me Syri promissa huc induxerunt:
Decem minas, quas mihi dare pollicitus est. quod si is nunc
Me deceperit, sæpe obsecrans me, ut veniam, frustra veniet:

vus optantis vel metuentis. v. Bentl. ad Hor. epist. I. 16. 8.

Quid si nunc cœlum ruat] Proverbium de iis qui omnia timent. v. Erasmi adag. R. D.

42 *Quasi ea potestas non sit*] Pulchre persuadet, ut faciat hoc quod monetur, cum dicit in potestate ejus futurum, quo velit tempore, ut se exsolvat. E.

Quasi non ea potestas] Pro quasi id non sit in potestate tua. Cic. ad Attic. IV. 2. idem in Vatin. c. 17. v. Gronov. ad Sueton. Aug. c. 13. R. D.

43 *Rem facias*] V. C. *et rem facias*. L.

44 *Age, age*] Vox consentientis, et qui victus est rationibus callidi servi. *Optume exit*] Παρασυνὴ est alterius scenæ. C.

1 *Satis, pol, proterve*] Restat ad fallaciam et ad extorquendum argentum, ut Bacchis irata a Syro placetur, et ad Menedemum transeat. *Satis pol*] Meretricis conquestio exprimitur, cujus tota indignatio dependet ex non tradita pecunia. *Promissa*] Cicero (in fragmentis), *promissa tua memoria teneas*. Aliter accipitur, cum dicimus *promissa barba*. Nam *promittere* est polliceri: et ad magnitudinem nutrire. Plautus Rud. II. 3. 46. *capillum promittam*. *Promissa*] Dicitur *promissum* et *promissio*. *Promissio* et *pollicitatio* eandem vim habent. sed *pollicitatio*, majoris asseverationis est. *Huc induxerunt*] *Inducitur* aliquis, cum verbis alterius decipitur. In Andria, *vide quo me inducas*. C.

Satis, pol, proterve] Satis aspere. E. Noli post *induxerunt* pleniorem ponere distinctionem. *Decem minas quas*, h. e. *decem minæ quas*. Sic And. Prol. 3. et supra IV. 1. 41. B.

Proterve] I. e. temere, inconsiderate in Hec. III. 5. 53. ubi v. Donat. infra IV. 6. 10. R. D.

2 *Pollicitus*] *Pollicemur* magis sponte: *promittimus* rogati. C.

Repone ob versum, *dare est pollicitus*. B.

Decem minas quas] Eadem constructione, qua in prologo Andriæ v. 3. *populo ut placerent quas fecisset fabulas* v. not. R. D.

3 *Ut veniam, frustra veniet*] Pulchra

Aut quum venturam dixero et constituero, quum is certe
Renunciarit, Clitipho cum in spe pendebit animi:
Decipiam, ac non veniam: Syrus mihi tergo pœnas pendet.
C. Satis scite promittit tibi. S. Atqui tu hanc jocari credis?
Faciet nisi caveo. B. Dormiunt: ego pol istos commovebo.
Mea Phrygia, audisti, modo iste homo quam villam demonstravit

permutatio ejusdem verbi per tempora, quæ convenit iratis. C.

Ratio versus requirit, ut dictio *me* præcedenti versui adscribatur. Uti codd. Faerni omnes habent. B.

4 *Aut cum venturam*] Immo potius vero me esse venturam * (forte excidit, *constituero* Z.) E.

Lege cum Goveano et Guyeto *certo*, pro *certe*. B.

5 *Spe pendebit animi*] Quod est corporis, ad cruciatum animi transtulit. Supra visum est, quam torqueantur amantes in amicarum exspectatione. C.

Lege *renunciabit*, ut *pendebit*. B.

In spe pendebit animus] H. e. sollicitus erit dum sperat me venturam. *Animi pendere* est anxium et dubium esse. Cic. Tusc. quæst. I. 40. Liv. VII. 30. *quid illis nos sollicitis ac pendentibus animi renuntiare jubeatis* ubi v. Gronov. et *pendere* simpliciter sic dicitur Plin. VI. 6. Sen. de Benef. VI. 16. ubi v. Gronov. R. D.

6 *Ac non veniam*] Mira meretricis calliditas exprimitur. Jam cogitavit, quemadmodum Syrus videatur apud Clitiphonem vanus et mendax, ex quo ab illo verberetur. *Mihi*] In meam ultionem. Virg. Æn. I. 136. *post* mihi *non simili pœna commissa luetis. Pœnas pendet*] Persolvet. Virg. Æn. VI. 20. *tum pendere pœnas Cecropidæ jussi.* C.

Tergo pœnas] *Tergo*, id est, dorso. Siquidem *tergum tergi* dorsum: *tergus* vero *tergoris*, corium dicitur. E.

7 *Satis scite*] Hoc cum risu pronunciandum. *Scite*] *Pulchre.* In Andria, *scitus puer. Promittit*] Scilicet, *venturam. Hanc credis?*] *Hanc*, et ad contemtum et ad odium dixit. Habent enim ista pronomina quandam emphasin. C.

Satis scite promittit] Id est, valde eleganter promissa tibi dabit; per utrique per . . . *(per risum id pronunciari, per se* Z.) intelligitur. E.

Promittet tibi] Ut *minari* interdum pro *promittere* dicitur, sic *promittere* pro *minari*. Virgil. Æn. II. 95. ubi v. Serv. R. D.

8 *Dormiunt*] Otiosi sunt et negligentes. *Pol istos commovebo*] Bene *istos*, quasi odiosos. In Eunucho, *cum milite isto.* Virg. Æn. IX. 94. *aut quid petis istis?* Hæc enim pronomina spernentis sunt, odiumque monstrantis. C.

Dormiunt: ego pol] Vult excitare eos, qui sibi pecuniam promiserunt, nec dederunt: uti fingat se evocatam esse a nescio quo, et velle discedere. Itaque, consentiente ancilla, fingit mendacium. E.

Dormiunt] I. e. securi sunt, nihil curant minas meas. in Phorm. V. 8. 18. R. D.

9 *Mea Phrygia*] Hoc est proprium meretricis, ultro excludere amantem, et alium recipere, vel se ad alium conferre. *Phrygia*] Nomen a regione, sicuti *Lesbia, Andria, Samia. Quam villam*] *Villa*, domus in agris, quo rustici res vehunt, et evehunt. Virg. Ecl. I. 83. *et*

Charini? P. Audivi. B. Proxumam esse huic fundo
ad dextram? P. Memini.
B. Curriculo percurre: apud eum miles Dionysia agitat.
S. Quid inceptat? B. Dic me hic oppido esse invitam,
atque asservari:
Verum aliquo pacto verba me his daturam esse, et ventu-
ram.
S. Perii hercle! Bacchis, mane, mane; quo mittis istanc? quæso,
Jube maneat. B. I. S. Quin est paratum argentum.
B. Quin ego maneo.

jam summa procul villarum culmina fumant. Uterer Varronis testimonio ex primo de Re Rustica (I. 2. *villicus agri colendi causa constitutus atque appellatus a villa, quod ab eo in eam convehuntur fructus, et evehuntur, cum veneunt*) ad Fundaniam, nisi notam esset. C.

Recte Faerniani et nostri libri, *audistin.* B.

10 *Ad dextram*] Inducit memorem meretricem, nec oblitam ubi sit, et quid agat amans. Nam hujuscemodi mulieres nil aliud agunt, nil aliud curant, quam quomodo aliquid ab amantibus extorqueant. C.

11 *Curriculo*] Hoc loco adverbium, alias nomen. *Apud eum miles*] Hic est de quo superius Syrus, *nam miserum quendam offendi ibi militem, ejus noctem orantem; hæc sorte tractabat virum. Dionysia agitat*] Aliter *agitat* accipitur, quum dicimus *agitat convivia et Dionysia*: et aliter quum dicimus, *agitat vitia.* Juvenalis, Sat. I. 52. *hæc ego non agitem?* C.

Curriculo percurre] Propera et festina. E.

Curriculo percurrit] H. e. celeriter non intermisso cursu currit. Plaut. in Epid. I. 1. 12: *curriculo occæpi sequi* in Mil. II. 6. 43. R. D.

Agitat] *Agitare* est celebrare in Hec. I. 2. 18. Ovid Metam. VII. 431. *agitant convivia patres* ubi v. Burmann. Sil. Italic. XV. 4. 20. ubi plura Drak. R. D.

12 *Quid inceptat?*] Tanquam de magno facinore dixit. Nam *inceptare* et *incipere*, magnorum est facinorum. *Servari*] *Custodiri*: vel melius *suspiciose observari*: ut illud Virgilianum, Georg. I. 335. *quod superest, cæli menses et sidera serva.* C.

Quid inceptat] Ms. R. et vett. libb. *quid hæc inceptat.* L.

Omnes nostri, *quid hæc cœptat?* Ita Phorm. IV. 3. 21. B.

Asservari] I. e. invitam teneri. Liv. XXIV. 45. *nocte clausum asservabant*; in Andr. V. 2. 24. R. D.

13 *Verba his me*] Hoc est, me dicturam aliquid, unde decipiam illos. E.

Et venturam] V. C. *atque venturam.* L.

14 *Mane, mane*] Hæc singula verba, si diligenter notes, Syri magnam trepidationem indicant: ideo statim de argento mentionem fecit, in quo lis omnis pendebat inter Syrum et Bacchidem. C.

15 *Quin*] Pro *immo* hoc loco ponitur. *Quin*] Repetit Bacchis Syri verbum, ut mos est iratorum. C.

Quin est paratum] Intellexit servus callidus, quod idcirco se arcessiri diceret, quod argentum quæreret. Et hac ratione ei pollicetur. *Quin ego hic maneo*] Qui (*cui* Z.) argentum dari posset, et nihilominus illud fieri, quod dispositum esset. Itaque et de tempore adjecit, *atqui jam dabitur.* E.

S. Atqui dabitur. B. Ut lubet, num ego insto? S. At scin' quid, sodes?
B. Quid? S. Transeundum nunc tibi ad Menedemum est, et tua pompa
Eo traducenda est. B. Quam rem agis? scelus. S. Egone? argentum cudo,
Quod tibi dem. B. Dignam me putas, quam illudas? S. Non est temere.
B. Etiamne tecum hic res mihi est? S. Minime: tuum tibi reddo.
B. Eatur. S. Sequere hac. heus, Dromo. D. Quis me volt? S. Syrus. D. Quid est rei?

16 *Num ego insto?*] Fingit se non magnopere curare, ut habeat argentum: quemadmodum faciunt hi qui defessi sunt diu petendo aliquid. *Sodes*] Blandientis adverbium. C.

Lego *atqui jam dabitur*. Post verba *scin quid sodes* subaudi *facias*, vel *facere te velim*. B.

17 *Tua pompa*] Id est, nobilis comitatus, scilicet ancillæ decem, et cæteri comites qui venerunt. E.

Pompa] I. e. comitatus ancillarum. Plaut. in Curcul. I. 1. 2. mox v. 22. pompam vocat *ancillas omnes*. R. D.

18 *Eo*] Ridicule additum: ut sit *eo*, loci adverbium. *Quam rem agis? scelus*] In Andria, *ubi est illic scelus*. Et ad intellectum, non ad verba redigitur. Nam et *scelus*, *scelestus* intelligitur. Et plus dixit quam, *sceleste:* ut, *tu nihil nisi sapientia es*. Martial. XI. 92. 2. *non vitiosus homo es, Zoile, sed vitium. Argentum cudo*] Joculariter dixit. *Cuditur* enim *pecunia*, dum imprimitur. C.

Egone? argentum cudo] Quæris cur te ad Cliniam transire volo? argentum cudo: id est produco quod tibi dem. *Cudo* proprie est compono vel tundo, unde *incus*, ubi tunditur ferrum. E.

Bembini *ego* cum deteriorem efficiat accentum *τῶ scelús*; cum nostris lege *egon*. B.

Traducenda] *Ducere* et *traducere* proprie de pompa dicuntur Ov. Metam. XIII. 699. Sueton. in Calig. c. 15. R. D.

19 *Quam illudas?*] In Andria, *adeone vobis videmur esse idonei, in quibus sic illudatis? Illudo in te*, septimo casu: et *illudo te*, accusativo dicimus. Dicitur quoque *illudo tibi*. *Non est temere*] Sic dicitur quando aliquid fit non sine magna ratione. C.

Quam illudas?] Per accusativum casum hic dictum est. Virgilius, Æn. II. 64.——*certantque illudere capto*. per dativum. Item ipse, Æn. IX. 634. *virtutem illude superbis*. E.

Non est tenere] Ms. R. *non hoc temere est*. L.

20 *Hic*] *In hac re*, ut ad Menedemum traducar. Est enim cum interrogatione legendum, ita, ut neget, non venisse ea gratia. C.

Etiamne est adhuc, amplius, diutius. Non igitur ægre fert, quod cum servo sibi res sit; sed quod tam diu et frustra; cum ejus promissæ decem minæ non appareant. Respondet Syrus, *minime*, diutius: reddo tibi *tuum*, h. e. quod tibi pollicitus sum. Cf. Adel. II. 2. 41. B.

21 *Eatur*] Cito flectitur, et quia mulier et meretrix, quæ trahitur minimo lucello. Et *eatur* impersonaliter, q. d. *a me*, vel *a meis ancillis*. C.

Sequere hac] Ms. R. *sequere me hac*. L.

S. Ancillas omnes Bacchidis traduce huc ad vos propere.
D. Quamobrem? S. Ne quæras: efferant, quæ secum hoc attulerunt.
Sperabit sumtum sibi senex levatum esse harunc abitu,
Næ ille haud scit, paulum lucri, quantum ei damni apportet.
Tu nescis id, quod scis, Dromo, si sapies. D. Mutum dices.

ACT. IV. SCENA V.

CHREMES. SYRUS.

ITA me Di amabunt, ut nunc Menedemi vicem

23 *Quamobrem*] Dromo utpote tardiusculus non intelligit Syri consilium. De eo superius, *ille Cliniæ servus tardiusculus est*. C.

Et ferant] quod omnes præter Bembinum habent, a sensu repudiatur, et ortum est ab antiqua scriptura, *ecferant*, i. e. efferant. B.

24 *Sumtum sibi levatum*] Cum discesserit tanta ancillarum multitudo, dominus credet sibi allevatum sumtum, id est, impensam. sed nescit ex ea re damnum ad se esse venturum, dum hac re maxime ab eo extorquebitur argentum. E.

25 *Damnum*] *Damnum* rei est; *malum* vero, hominis. Persolvet Chremes argentum ex fallacia Syri: quod erit majus *damnum*, quam si permansisset meretrix. C.

Bentleius ita edidit, *næ ille haúd scit*. hoc *paulúm lucri quantum eíi*, &c.

26 *Tu nescis id, quod scis, Dromo*] In Eunucho, *tu pol, si sapis, quod scis nescis*. Non possumus *nescire* quod *scimus*: sed ita, ut *concordia discors*. Virg. Æn. XI. 695. *sequiturque sequentem*. *Nescis id, quod scis*] Hoc est quod dicitur, *quod scis, nescis*. Proverbiale est, et multum apud dialecticos tractatum: ut, *facio* et *non facio*, et *amicus sum* et *non sum*, et *audio* et *non audio*, et cætera hujusmodi. C.

Tu nescis] Id age, ut nescisse videaris; et ille per ὑπερβολὴν, *mutum me dices*. E.

1 *Ita me Di amabunt*] Hic est transacta Syri fallacia, et tandem extorquetur argentum: et idem est Chremes, qui fuit in prima comœdiæ parte. Miseretur enim Menedemi, et ejus vicem dolet, credens Bacchidem amicam Cliniæ esse. C.

Ita me Di] Discedentibus ancillis senex ingemiscit, quod tanta ad Menedemum multitudo ventura sit: quam et ipse cum unam diem sustineret, magno se dixit affectum damno. Nam et domina pytissando, id est, leviter gustando et spuendo, multum vini absumit, et reliqua familia. Siquidem per χαρακτηρισμὸν, id est, futuræ rei descriptionem, argumentatur quid sit consequens: videlicet filii discessio. et est ἠθοποιΐα, quæ fit, quando loquentem introducimus quamlibet personam. E.

Menedemi vicem miseret me] De hac constructione v. Perizon. ad Sanctii. Minerv. II. 3. 167. R. D.

Miserèt me, tantum devenisse ad eum mali.
Illancine mulierem alere cum illa familia?
Etsi scio, hosce aliquot dies non sentiet:
Ita magno desiderio fuit ei filius.
Verum ubi videbit tantos sibi sumtus domi
Cotidianos fieri, nec fieri modum,
Optabit rursum ut abeat ab se filius.
Syrum optume eccum. S. Cesso hunc adoriri? C. Syre. S. Hem.
C. Quid est? S. Te mihi ipsum jam dudum exoptabam dari.

2 *Tantum mali*] Proprius dixisset *damni*: nisi ad ægritudinem animi referas. C.

3 *Illancine mulierem*] Hoc est quod supra dixi, ista pronomina afferre contemtum et odium. *Cum illa familia?*] Cum stomacho dixit, id quod superius facete Syrus *pompam* appellavit. C.

Illancine mulierum?] Priscian. lib. 12. I.

Familia] I. e. servis et ancillis Phædr. III. 19. 1. ubi v. interpretes. R. D.

5 *Ita magna desiderio*] Vix inprimis explebile desiderium illius rei est quam diu optavimus: sed ejus postea in dies paulatim nos satietas capit. C.

Magno desiderio fuit] Tantum desiderium filii absentis pater habuit, ut primis diebus damna a meretrice non sentiat. E.

Versum hunc spurium esse, et ex nota marginali hoc irrepsisse puto; quia ab uno cod. abest, et *fuit* ineptum est pro *est*. Nam Cliniæ desiderium, quem nondum senex viderat, in horas jam cresoit. Adde, quod versu abhinc tertio rursus veniat *filius*, et in fine itidem: nimis invenuste. B.

6 *Sumtus domi cotidianos fieri*] Bentl. eleganter legit *sumtus domi cotidiano fieri*. Veteres sæpe pro *quotidie* dicebant *quotidiano* intelligentes *tempore*. v. quæ diximus ad Batil. Lup. I. 11. verumtamen servari potest vulgata lectio. Nam sæpe bina vel tria epitheta sine copula junguntur a Terentio in Andr. IV. 5. 35. v. Burm. ad Sueton. Aug. c. 81. et ad Lucan. X. 229. R. D.

7 *Nec fieri modum*] Quod plus est, et ad prodigalitatem accedit. C.

Pro *cotidianos* sensus requirit adverbium *cotidiano*, h. e. cotidie; quod occurrit Plaut. Capt. III. 5. 66. Cic. Verr. IV. 8. et Charisius in adverbiis p. 177. *cotidiano* numerat ex Afranio et Frontone. B.

9 *Eccum?*] In Andria, *atque eccum, video*. Superius dixi, *eccum, ellum* resolvi per adverbia, non per nomina: sed tamen secundum Donatum (ad And. III. 3. 48.) *eccum*, quasi *ecce eum*, veteres dixerunt. *Eccum, ellum*: quod apertius significat *ecce eum, ecce illum*. *Cesso hunc adoriri*] Quasi de improviso alloqui, aggredi. In Andria: *hiccine me si imparatum in veris nuptiis adortus esset? Adoriri* dicitur, qui ex insidiis repente invadit. Dictum ab eo, quod corpora aggredientium exurgant subito, atque increscant. *Hem!*] Interjectio læti, alias perturbati. C.

10 *Te mihi ipsum jamdudum*] Laurentius Valla, vir omnium nostræ ætatis eruditissimus, dicit, *dudum* et *jamdudum*, de parvo tempore dici, unius horæ, aut semihoræ, aut duarum horarum, vel ad summum quatuor. Sed Donatus illud Terentianum exponens Eun. IV. 5. 8. *jamdudum: ætatem. Lites*

C. Videre egisse jam nescio quid cum sene.
S. De illo quod dudum? dictum ac factum reddidi.
C. Bonane fide? S. Bona hercle. C. Non possum pati
Quin tibi caput demulceam: accede huc, Syre:
Faciam boni tibi aliquid pro ista re, ac lubens.
S. At si scias, quam scite in mentem venerit.
C. Vah! gloriare evenisse ex sententia?
S. Non hercle vero, verum dico. C. Dic, quid est?
S. Tui Clitiphonis esse amicam hanc Bacchidem

inter eos factæ: sic inquit, quia *jamdudum* infinitæ moræ est, addit *ætatem* ut ostendat multum abiisse temporis: ut factum est. *Jamdudum: ætatem*, pro longinquo tempore. Lucilius, *ut multos, mensesque dieseque: non tamen* ætatem. *Ætatem*, diu, longinquoque tempore ac prolixo, ut est ætas, et quæ sequuntur. C.

Optabam, quod in Bemb. reperitur, ab antiquis correctoribus est. Lege *exopto*. Cf. And. I. 4. 1. B.

Daceria verba *quid est?* ipsi quoque Syro tribuenda censet. Male. Melius conveniunt Chremeti cupienti audire, quid cum sene egerit. Z.

11 *Videre egisse*] Colligit hoc ex verbis Syri, a quo exoptaretur: credebat enim senex, se a servo non optari, nisi gratia fallaciæ in Menedemum. C.

Videre egisse] De eo quod tecum locutus sum, videris jam aliquid fecisse. Nam supra ait, *huic nostro tradita est provincia*. E.

12 *Ac factum reddidi*] Secure et cum magna audacia pronunciat: et plus est, quam si diceret, *feci*. C.

Dictum ac factum] Hoc est, cum dixisses, factum continuo reddidi. E.

13 *Bona hercle*] *Hercle* ornativa particula. In Andria: *puer hercle'st*. Hoc loco potest esse affirmativa. C.

Distingue sic; *bonan fide?* S. *Bona.* C. *Hercle non possum pati.* B.

Bona fide] I. e. serio, vere. Flor. II. 1. p. 224. ubi v. Duker. R. D.

Non possum pati] I. e. non possum durare; quod elegans loquendi genus illustravimus ad Eun. I. 1. 7. R. D.

14 *Caput demulceam*] Magni blandimenti signum, quod fit, quoties in re optata domino servus ex sententia obsequitur. C.

Tibi caput demulcsam] Quod solet fieri his qui placent, ut manus per caput tractu ducta, quasi quædam videatur esse laudatio. E.

Caput demulceam] I. e. manum per alicujus caput tractim ducere, quod blandientes facere solent. R. D.

15 *Boni aliquid*] Non dicit quid: ut eum lætiorem reddat, et in spe magni boni detineat. C.

Faciam boni tibi aliquid] Hæc formula utuntur qui quod ab altero factum est, sibi gratum esse ostendunt in Ad. V. 5. 6. R. D.

16 *Scite in mentem*] Ms. R. *scite mihi in mentem*. L.

17 *Gloriare evenisse?*] Hoc tibi pro voluntate contigisse gloriaris? E.

18 *Hercle vero*] Adverbia sunt confirmativa. *Non hercle vero: verum dico*] Negat se gloriari, et se veridicum fatemur: ut hi, qui re magna peracta, fingunt se non gloriari: ut sint majoris fidei et auctoritatis. C.

19 *Tui Clitiphonis*] Hoc est, quod superius Syrus, *qui vim tantam in me, et potestatem habeam tantæ astutiæ, vera dicendo, ut eos ambos fallam.* Inferius Chremes non credet Menedemo Bacchidem Clitiphonis esse amicam. C.

Tui Clitiphonis] Hoc est, illud consilium, quod supra significatum est, ut veritas dicta nihilominus impliçare pos-

Menedemo dixit Clinia; et ea gratia
Secum adduxisse, ne tu id persentisceres.
C. Probe. S. Dic sodes. C. Nimium, inquam. S. Immo si scias.
Sed porro ausculta, quod superest fallaciæ.
Sese ipse dicet tuam vidisse filiam:
Ejus sibi complacitam formam, postquam aspexerit:
Hanc cupere uxorem. C. Modone quæ inventa est? S. Eam.
Et quidem jubebit posci. C. Quamobrem istuc, Syre?
Nam prorsum nihil intelligo. S. Hui, tardus es.
C. Fortasse. S. Argentum dabitur ei ad nuptias,
Aurum, atque vestem, qui, tenesne? C. Comparet?
S. Id ipsum. C. At ego illi neque do, neque despondeo.

sit errorem. quippe cum dicit Clinia patri, *Clitiphonis amicam esse hanc*: ut hoc dum indicat servus, nihilominus dominus filii sui amicam meretricem esse non credat. E.

21 Dpest *se*; cum prius non *se*, sed Bacchidem dixerit. Lege *se eam traduxisse*. et IV. 3. 44. et IV. 4. 22. B.

22 *Immo sic satis*] *Sic* dixit, ut qui suspicaretur a Chremete dictum, nimium inquam, non serio, sed joco. C.

Omnes nostri *immo sic satis*. Recte. Cum enim laudaret fallaciam Chremes *probe*, *nimium*: Syrus ficta modestia respondet, *sic satis*; mediocriter. B.

23 *Superest fallaciæ*] V. C. *super fallaciæ est*. L.

Repone *quid super fallaciæ est*. B.

24 *Tuam vidisse filiam*] Neque hoc Menedemo crediturus est Chremes, dum dicet inferius, *et illum aiunt velle uxorem*. C.

Lege *se deinde dicit tuam*, &c. Nam *dicit* est in regio, et duobus Faerni optimis. *Sese ipse* cum sit insulsum; quis enim alius hoc diceret: repone *deinde*. ut IV. 8. 24. it. Prol. 3. B.

27 *Jubebit posci*] Id est, *peti*. *Petimus* aliquid precario: *poscimus* imperiose: *postulamus* jure. C.

Et quidem jubebit posci] Et volet ut filiam tuam pater suus postulet. quam rem cum non intellexisset, cum simulata videretur, respondit ille, uti argentum filio dari possit ad nuptias necessarium. E.

28 *Prorsus nihil intelligo*] *Prorsus* pro eo quod est *omnino*. Sunt qui conjunctionem velint. Vel *prorsus*, *certe*, *recte*, *vere*. Et dicitur quasi *porro versus*. Nam *prorsum* est *porro versum*, id est, ante versum. Hinc et *prorsa oratio*, quam non inflexit cantilena. *Hui*] Interjectio mirantis. Et hoc cum gesta servili, et leviori personæ congrue dictum. C.

Tardus es] Servius ad Ecl. X. 19. L.

Omnes nostri *prorsus*: quod est medius. Nam *prorsus* abjecto *s* trochæus est, ad Græci metri morem. B.

29 *Argentum dabitur*] Scilicet a Menedemo. Inferius Chremes non immemor verborum Syri, Menedemo dicet, *et illum aiunt velle uxorem*: *ut quum desponderis, des qui aurum, et vestem, atque alia, quæ opus sunt, comparet*. C.

30 *Qui*] Pro *quo*. C.

31 *Nec spondeo*] Proprie dixit. *Spondet* pater puellæ: *despondet* pater ado-

S. Non? quamobrem? C. Quamobrem? me rogas? homini! S. Ut lubet.
Non ego dicebam in perpetuum illam illi ut dares,
Verum ut simulares. C. Non mea est simulatio:
Ita tu istæc tua misceto, ne me admisceas.
Ego, cui daturus non sum, ut ei despondeam?
S. Credebam. C. Minime. S. Scite poterat fieri:
Et ego hoc, quia dudum tu tantopere jusseras,
Eo cœpi. C. Credo. S. Cæterum equidem istuc, Chreme,
Æqui bonique facio. C. Atqui cum maxume
Volo te dare operam ut fiat, verum alia via.
S. Fiat: quæratur aliud. sed illud quod tibi

lescentis. In Andria, *placuit; despondi.* C.

Neque despondeo] Id est, non promitto: unde *sponsa* dicitur. Nam et sponsio et dos a patre puellæ dabatur. E.

32 *Fugitivo dabo?*] A conditione personæ Cliniam vituperat: nam *fugitivi* proprie *servi.* Unde in edicto Ædilium Curulium, titulus est servorum fugitivorum, *si quis fugitivus, errove sit, noxave solutus non sit. Homini fugitivo*] Dicitur *homo fugitivus* et *servus, fugitivus,* non *fugitivus servus,* quia tunc est superfluum, ut testatur Quinctilianus (forte Instit. VII. 4.) ergo dicendum, *servus fugitivus,* vel *fugitivus,* sine additamento. C.

Me rogas? homini] Ita reg. exempl. sed mire variant alii scripti libb. quidam, *me rogas? fugitivo dabo filiam,* &c. al. *homini fugitivo dabo?* L.

Pro *non? quamobrem?* repone *nam quamobrem.* Eun. V. 2. 58. *nam quid ita? Rogitas?* B.

33 *Non ego perpetuo*] Virg. Æn. I. 73. *connubio jungam stabili, propriamque dicabo.* Illa datur *perpetuo;* quæ omnes annos cum marito exigit. C.

Sensus postulat, *non ego dicebam sério, ut illam illi dares.* In nostris est *perpetuo.* Sed in vetere scriptura, *pptuo, serio* satis sunt propinqua. B.

34 *Non mea est simulatio*] Boni et sapientis viri hic sensus est, ut nunquam audeat, quod nunquam sit facturus, polliceri. E.

Lege *non meumst simulatio,* h. e. mei moris, ingenii, officii. ut *non est mentiri meum.* B.

Non mea est simulatio] Legendum est *non meum est simulatio* ut meliores libri habent, in deterioribus legitur *non mea est simulatio.* v. Notata ad III. 2. 38. R. D,

35 *Tua misceto*] Verba probi viri, qui non vult adhærere consilio alterius in re non probabili. C.

Ita tu istæc] Ita igitur hæc efficito, ut sine mea persona hæc compleas. E.

36 *Cui daturus non sum*] Argumentum ab æquo. Non æquum, non leges ipsæ concedunt, ut quis pater filiam alicui spondeat, deinde deneget. C.

39 *Istuc Chreme*] In re non probabili vult inire opinionem optimi servi, qui domino bona fide morem gerat, et pro viribus obsequatur. C.

40 *Æqui bonique facio*] I. e. contentus sum iis quæ facis. De hac formula v. Perizon. ad S. Min. II. 3. p. 166. R. D.

42 *Fiat: quæratur aliud*] Astute et callide, in omnibus assentitur heros; quia jam lenibus verbis extorquebit argentum. C.

Dixi de argento, quod ista debet Bacchidi,
Id nunc reddendum'st illi: neque tu scilicet
Eo nunc confugies, quid mea? num mihi datum'st?
Num jussi? num illa oppignerare filiam
Meam me invito potuit? verum, illud Chreme,
Dicunt, jus summum sæpe summa est malitia.
C. Haud faciam. S. Immo, aliis si licet, tibi non licet:
Omnes te in lauta, et bene acta parte putant.
C. Quin egomet jam ad eam deferam. S. Immo filium

Quod tibi dixi de argento] Quod supra nos diximus, ut eventus impleret consilium, hic nunc conficit: siquidem postea puella cognita est, pro qua jam debitor Chremes factus est, cum constet eam arrabonis nomine apud meretricem collocatam. E.

45 *Eo nunc confugies*] Id est, ad rationes, quas statim callide subjicit. Magna vis est persuasionis: quoniam non prius amovemus ea quæ is responderet, a quo aliquid petimus. C.

Num mihi datum?] Sane dominus hac responsione uti posset, ut non redderet argentum. Sed servus callidus occurrit: non potes dicere, istud non te accepisse, neque jussisse, neque invito (excidit *te* Z.) filiam oppignerare potuisse. E.

47 *Me invito, potuit?*] Hæc pro Chremete essent, et jure non teneretur reddere id argentum. C.

Pro *verum* repone *vere*. ut Adel. I. 3. *profecto hoc vere dicunt*. B.

Verum] Bentl. edidit *vere*, sed verum aliquando pro *vere* ponitur. Liv. XXXV. 19. *id me verum dicere, pater Hamilcar et Dii testes sunt*. R. D.

48 *Summum jus*] Id enim quod datum est, utique reddendum est. Sed jure cautum est, ut filia quicquid acceperit, vel filiæ nomine datum fuerit, quæ in familia est, non recte datum videatur. Itaque æquitas est, ut debitum solvi debeat; jus est ut sic datum reddatur. Sed ille renititur a causa quod non debeat, et fit controversia ex negotio. *Summum jus*] Vulgo dicitur, *qui plus potest, pejus facit*. E.

Jus summum] Columell. prolog. lib. VII. *nec sane est vindicandum nobis quicquid licet: nam summum jus antiqui putabant summam crucem*. Hieronym. ad Innocent. de muliere septies icta: *et O vere jus summum, summa malitia; post tanta miracula adhuc sæviunt leges*. Menand. apud Stobæum, Sermon. 185. *ὁ δ' ἐξὸν τοὺς νόμους Λίαν ἀκριβῶς, συκοφάντης φαίνεται*. L.

50 *In lauta*] Non decet eum, qui lautæ vitæ sit et splendidæ, in omnibus juris rigorem observare. Nam qui ad unguem jus servant, asperi, difficiles, eo tenaces multis videntur. C.

Omnes te in lauta] Hoc a persona persuadet, potius reddere quam negare. E.

Versus causa repone, *omnés te in lauta esse ét bene aucta ré putant*. Certe *es* absorptum est ab *et*, atque ex *re* factum est *pte*. Cæterum *bene aucta re* est, ex paupere aut mediocri divitem te factum esse. *Aucta* reperitur in uno regio. B.

Omnes te in lauta] Palmarius legit *omnes te in lauta et bene uncta putant*, quæ conjectura placet Burmanno ad Petron. c. 43. sed non mutanda vox *aucta*. Nam recta et latina sunt *augeri opibus, auctus re, fortuna*, &c. Flor. IV. 2. 10. *vellet auctiores opes* ubi v. Duker. Verum vox *parte* merito suspecta est viris eruditis. Bentl. reponit *et bene aucta re putant* ut Horat. epist. I. 16. 68. R. D.

51 *Egomet*] Senex gloriæ cupidus,

Jube potius. C. Quamobrem? S. Quia enim in hunc suspicio'st
Translata amoris. C. Quid tum? S. Quia videbitur
Magis verisimile id esse, quum hic illi dabit:
Et simul conficiam facilius ego, quod volo.
Ipse adeo adest: abi, effer argentum. C. Effero.

ACT. IV. SCENA VI.

CLITIPHO. SYRUS.

NULLA est tam facilis res, quin difficilis siet,
Quam invitus facias. vel me hæc deambulatio,
Quam non laboriosa, ad languorem dedit!
Nec quicquam magis nunc metuo, quam ne denuo

adeo flectitur verbis Syri, ut ad meretricem cum argento festinare cupiat. C.

55 *Simul et conficiam*] Hoc loco pro *efficiam* ponitur: quo sæpius in hac significatione *Cicero* utitur. Ab hoc, *confectum*, proprie verbum convenit gladiatoribus his, qui gravissimis vulneribus occubuerunt. Cicero in Catilinam II. 11. *gladiatori illi* confecto et *saucio*. C.

1 *Nulla tam est facilis res*] Hic exprimitur amantis constantia, qui ob nimium amorem Syro in re sua irascitur: dehinc paulo momento illum demulcet. *Quin*] Pro, *quod non*. *Difficilis*] Huic illud contrarium, *nihil difficile homini volenti*. C.

Nulla est tam facilis] Nunc adolescens Clitipho redit, graviter ferens, quod ab amica sit exclusus. E.

Nulla est tam facilis] Ambros. Hexæmet. lib. V. cap. 15. *necessitas enim, quæ invito imponit obsequium, offert plerumque fastidium. Nihil est enim tam facile, quin habeat difficultatem, quod facias invitus*. Salvian. Massil. de gubern. Dei. lib. I. *sicut nihil est tam leve, quod ei non grave sit, qui invitus facit: sic nihil est tam grave, quod non ei, qui id libenter exsequitur, leve esse videatur*. Vid. Hieron. de cereo pasch. L.

2 *Vel me hæc*] *Vel*, modo non est disjunctiva conjunctio, sed pro *etiam* posita. Ut apud Virg. Æn. XI. 259. *vel Priamo miseranda manus. Hæc deambulatio*] Quæ facilis et non laboriosa. Nam *deambulatio* homini potius voluptatem quam laborem affert. C.

Quam invitus facias] Etiamsi facilis sit, ex animo facientis habet maximam difficultatem. E.

Vel hæc deambulatio] Particula *vel* eleganter significat *ut alia omittam, ut de aliis taceam*. in Hec. I. 1. 3. v. Broukhus. ad Tibull. I. 9. 60. R. D.

3 *Ad languorem dedit*] Plaut. Asinar. III, 2. 28. *ubi sæpe ad languorem tua duritia dederis octo validos lictores*. L.

Ad languorem dedit] I. e. languidum facit Plaut. in Asin. III. 2. 28. *ubi sæpe ad languorem tua duritia dederis octo validos lictores*. Similia sunt apud Plautum *dare in timorem*, &c. v. Schulting. ad Sen. controvers. II. 204. R. D.

Miser aliquo extrudar hinc, ne accedam ad Bacchidem.
Ut te quidem omnes Di, Deæque, quantum est, Syre,
Cum istoc invento, cumque incepto perduint:
Hujusmodi mihi res semper comminiscere,
Ubi me excarnifices. S. I tu hinc quo dignus es:
Quam pene tua me perdidit protervitas!
C. Vellem hercle factum; ita meritu's. S. Meritus! Quomodo?
Ne me istuc ex te prius audivisse gaudeo,
Quam argentum haberes, quod daturus jam fui.
C. Quid igitur dicam tibi vis? abisti, mihi

6 *Ut te omnes quidem Di*] Improvidus adolescens non considerat quid a Syro in rem suam peractum sit: sed omnia ad voluptatem suam refert. C.

Illud *que*, cum versum turbet, dele. Vid. ad Eun. II. 3. 10. B.

Quantum est] I. e. quotquot sunt. Catull. carm. 3. *quantum est hominum venustiorum* in Phorm. V. 7. 10. Sic *quicquid* dicitur pro *quicunque* Hor. Epod. V. 1. *O deorum quicquid in cœlo regit.* Liv. III. 25. *quicquid deorum est.* v. Drakenb. ad Liv. XXXII. 37. R. D.

7 *Istoc invento*] Cum contemtu atque odio hæc pronunciantur. *Tuo istoc invento, cumque incepto*] Quasi de magno facinore. Nam *inceptum*, et *inceptare*, et *incipere*, magnorum est facinorum. *Perduint*] Et antiquum est, et Plautinum. C.

Lege ex vetustissimo cod. *cum tuo isto invento*. Certe *tuo* magnam hic elegantiæ partem facit. ut Adel. IV. 6. I. V. 4. 38. B.

8 *Comminiscere*] Pro *comminisceris*, id est, *fingis*. Hinc *commentum*. Alibi. *atque ipsis hoc commentum placet*. C.

9 *Excarnifices*] Terribiliter *excarnifices* dixit, hoc est, *excrucies*. *Excarnificare* deductum est a *carnifice*. *Carnifex* est, qui carnes ex homine facit. Nam *caro* dicta est, eo quod careat anima. Et caro proprie dicitur mortuorum. Virg. Georg. IV. 255. *et corpora luce carentum*. Vel *caro* sit dicta quasi *cado*. Virg. Æn. VI. 481. *belloque caduci Dardanidæ*. Quod jam scilicet sine anima sit, et cadat. *I tu hinc*] Et hic secure exclamat: quod jam extorserit argentum. C.

Ubi me excarnifices] Priscian. lib. 8. L.

Faernus edidit *in hic quo dignus es*. Sed ne ita versus sit una syllaba brevior, repone *ibin hinc quo*, &c. B.

Ubi me] I. e. quibus rebus. R. D.

10 *Protervitas!*] Importunitas vel petulantia. *Protervitas*, levior est quædam contumelia. *Procacitas*, major. *petulantia* maxima. C.

Protervitas] Asperitas vel superbia. E.

11 *Ita meritus*] *Meretur* quis et bonum et malum. Et *mereri* et *promereri* est præstare beneficium. Virg. Æn. VI. 664. *quique sui memores alios fecere merendo*. Et idem, Æn. IV. 334. *nunquam, regina, negabo promeritam*. C.

12 *Ex te prius audivisse gaudeo*] Sic fingimus, quando sumus collaturi beneficium in aliquem, et quicquam audimus, quod non placet, nec tamen nos infensos reddat. C.

Ex te prius audisse] Gaudeo quod istuc ex te prius audivi, unde, (*quod tu* Z.) me læsisti, antequam tibi argentum dedi, quod daturus sui. E.

Ut melior sit constructio, lege cum cod. Petrensi *ne me istuc prius ex te audivisse*. B.

14 *Quid igitur dicam*] Quid enim

Amicam adduxti, quam non liceat tangere.
S. Jam non sum iratus: sed scin' ubi nunc sit tibi
Tua Bacchis? C. Apud nos. S. Non. C. Ubi ergo?
S. Apud Cliniam.
C. Perii. S. Bono animo es: jam argentum ad eam deferes,
Quod ei pollicitus. C. Garris: unde? S. A tuo patre.
C. Ludis fortasse me. S. Ipsa re experibere.
C. Næ ego fortunatus homo sum: deamo te, Syre.
S. Qua causa id fiat, cave quicquam admiratus sies.
Sed pater egreditur, obsecundato in loco:
Quod imperabit, facito: loquitor paucula.

possum tibi dicere, cum mihi amicam adduxeris, quam non liceat tangere. Bene . . . longe factus est adolescens ab injuria (*bene cito remissior longe factus est adolescens ab iracundia* Z.) postquam comperit argentum jam paratum. E.

Nostri recte collocant, *quid igitur tibi vis dicam?* Illud *abisti* cum sit ineptum; Syrus enim nusquam abierat: repone *adisti mihi manum.* Nam *adire manum alicui* est decipere, porrecta manu aliquid, quasi daturus sis, ostentare, et cum alter accepturum se putat, retrahere. Sic occurit Plaut. Cas. V. 2. 45. Aul. II. 8. 8. Poen. II. 1. 11. B.

15 *Non liceat tangere*] Nimius est ardor in adolescente cum videat amicam, nec tamen *tangendi* facultas datur. C.

16 *Jam non sum iratus*] Non potest præ nimia lætitia diutius reticere quod fecerit. *Iratus*] *Iratus* est ex causa: *iracundus* ex moribus. *Scin' ubi nunc sit?*] Hæc interrogatio gaudentis est, et cui omnia ex voto successerint. C.

18 *Perii!*] Hæc vox est amantis, aliquid mali suspicantis. Quia amantibus omnia sunt suspecta. *Jam argentum*] *Jam* nimiam velocitatem significat. *Deferes*] In alia significatione accipitur illud Olympiadis ad Alexandrum, *amabo*, inquit, *mi fili, quiescas, neque deferas me.* Hinc *delator.* C.

19 *Garris*] Tanquam avis. Unde *garrulus.* Et *garrire* is dicitur, qui inaniter loquitur. C

Plerique codd. recte addunt *es: quod ei es pollicitus.* B.

20 *Experibere*] Antiquum est: nos dicimus *experiere.* Juvenalis Sat. I. 170. *experiar, quid concedatur in illos,* &c. C.

Experibere] Antique pro *experiere* ut scilicet sequente v. 5. *opperibere* pro *opperiere.* R. D.

21 *Næ ego*] *Næ*, id est, *valde. Deamo te, Syre*] Id est, *valde amo. De*, hoc loco auget: alias diminuit. C.

Deamo te] Id est, valde amo. E.

22 *Qua causa id fiat*] Ut argentum habeamus quod ad Bacchidem deferas. *Obsecundato in loco*] *Obsecundare* est omnia ad alterius nutum facere. C.

Qua causa id fiat] Qua causa fiat, noli quærere, tantum obtempera et obsequere. E.

Cum Mureto transpone versus sententiæ causa ita: *sed pater egreditur. cave quicquam admiratus sis, qua causa id fiat: obsecundato in loco: quod imperabit,* &c. B.

23 *Cave quicquam admiratus*] Id vide, ne præ nimio gaudio admireris, id tibi patrem præcipere: sed quasi nescius suspicionem ejus a te dolo amove. E.

Obsecundato] *Obsecundare* est dicere et facere omnia ad voluntatem Plaut. in Truc. IV. 2. 3. v. Burmann. ad Ovid. Art. Amator. I. 584. R. D.

24 *Loquitor paucula*] *Paucula* dixit,

ACT. IV. SCENA VII.

CHREMES. CLITIPHO. SYRUS.

UBI Clitipho nunc est? S. Eocum me, inquo. Cl. Eccum hic tibi.
Ch. Quid rei esset, dixti huic? S. Dixi pleraque omnia.
Ch. Cape hoc argentum, ac defer. S. Ii, quid stas, lapis?
Quin accipis? C. Cedo sane. S. Sequere hac me ocius:
Tu hic nos, dum eximus, interea opperibere:
Nam nihil est, illic quod moremur diutius.
Ch. Minas quidem jam decem habet a me filia,
Quas pro alimentis esse nunc duco datas:

non *pauca*: et sic majorem vim admonitio ista habitura est. Nam *paucula* coram patre loquetur Clitipho. C.

Loquitor paucula] Ne ex sermonibus tuis nascatur ulla suspicio. E.

Loquitor paucula] Serv. Georg. I. vers. 187. *contemplator*. L.

1 *Ubi Clitipho nunc est?*] Egreditur Chremes cum argento. *Eccum me! inque*] Syrus subjicit verba Clitiphoni, quæ patri respondeat. *Inque*] Raro alibi præter *inquam* et *inquit* reperies. *Inque*] Id est, *dic*. C.

Deleatur *est*. Nam *Clitipho* non potest ultimam corripere. B.

2 *Pleraque omnia*] Hic adjectio in primo posita est loco. Adjectiones vero, aut in prima parte orationis, aut in ultima adjiciuntur. Hic ergo *pleraque* ex abundantia positum est. *Omnia* necessario additum in ultimo, sicut *interealoci, interibi*. C.

Dixi pleraque omnia] Supra diximus in Andria *omnia* abundare, et *pleraque* significationem suam propriam continere. E.

3 *Quid stas? lapis?*] Hoc dictum in ignavum. Illa vero, *caudex, stipes, asinus*, in stultum. C.

Pro *ii*, quod est in Bemb. alii habent *ei*, alii *hei*. Lege cum Faerno *i*. B.

Lapis] Convicium est in hominem stolidum ut infra V. 1. 4. R. D.

4 *Quin*] Pro, *cur non*. C.

Sequere me] Posteaquam argentum traditum est, continuo hunc adolescentem vocat servus, ne aliquid aut ex admiratione, aut locutione suspicionis pater possit accipere. E.

5 *Opperibere*] Antiquum est, sicut *experibere*. C.

6 *Nam nihil est illic*] Pulchre adjectum, ut omnino suspicio tolleretur, non esse amicam Clitiphonis: siquidem non diu illic moraturus est. E.

7 *Minas quidem*] Inducitur senex circa rem sollicitus, qui conqueritur de damno, quod illi acciderat de inventa filia. C.

Minas quidem decem] Consuetudo patris semper est, ut de damnis cogitet, tametsi filiis det. E.

8 *Pro alimentis*] Nam crediderat anum illam oppignerasse filiam Bacchidi. C.

Quas pro hortamentis] Hoc est, nu-

Hasce ornamentis consequentur alteræ.
Porro hæc talenta dotis apposcunt duo.
Quam multa injusta ac prava fiunt moribus!
Mihi nunc, relictis rebus, inveniundus est
Aliquis, labore inventa mea cui dem bona.

trimentis. *Hortatores* enim dicuntur, qui equos nutriunt. Denique alia *hortamentis*, alia *ornamentis* contulit. E.

Duco] I. e. puto, existimo, v. Drak. ad Liv. IX. 22. R. D.

9 *Alteræ*] Id est, *totidem*. C.

Recte Chremes opinatur, alteras decem minas pro ornamentis sive vestimentis Bacchidi a se esse solvendas. Nam in vendendis mancipiis primum nudi corporis, dein vestimentorum habebatur ratio. Hinc Parasitus Plaut. Stich. II. 1. 18. *nunc si ridiculum quæret hominem quispiam, venalis ego sum cum ornamentis omnibus.* Cf. Plaut. Curc. II. 3. 65. B.

Hasce ornamentis consequentur alteræ] I. e. mox aliæ X. minæ Bacchidi pro ornamentis solvendæ sunt. Sic locum egregie explicuit Bentl. Ornamentorum nomine comprehendi potest omnis suppellex muliebris. v. Brisson. de verbor. signific. R. D.

10 *Porro*] Modo adverbium ordinis: alias temporis. *Hæc adposcunt*] *Hæc* pluraliter pro *hæ*. In Eunucho, *continuo hæc adornant, ut lavet*. In Phormione, *hæc illæc erant itiones*. *Talenta duo*] In sequentibus dicet, *duo talenta pro re nostra ego decrevi esse satis*. C.

Porro hæc talenta] *Talentum* genus est ponderis, quod habet in se LXII. aut LXX. libras. E.

Pro *adposcunt* quod est in Bemb. aut *adposcent*, quod osteri habent libri, repone *adposcet*. Nam *hæc* non est pro *hæ*, sc. minæ, sed, mea filia jam reperta. B.

Porro hæc talenta dotis] Nullus in vulgata lectione sensus est, ut eo facilius admittenda videatur Bentleii emendatio: *porro hæc talenta dotis adposcet duo;* hæc scilicet filia mea jam reperta. Genitivus *dotis* pendet non a *talenta* sed ab omissa voce *causa* vel *nomine* Plaut. in Persa III. 11. 66. *dabuntur dotis tibi inde sexcenti logi*. Nepos in Alcib. c. 9. *ex quo L talenta vectigales capiebat*. Perizon. ad S. Min. II. 3. p. 169. Duker. ad Liv. III. 5. 6. et virum doctum in Observat. miscellan. novis T. II. p. 44. R. D.

11 *Quam multa justa, injusta*] Siquidem nunc, relictis omnibus rebus, quærendus mihi est aliquis, cui meo labore inventa dare possim, ut filiam meam ducat uxorem. E.

Cum Engraphio, et ex conjectura G. Fabricii, probante Guyeto, lege et distingue, *quam multa, justa, injusta, fiunt moribus?* Cf. Adel. V. 9. 33. Sensus est, sive justa sive injusta sint, moribus fiunt, et in communi vita dominantur. B.

Quam multa, &c.] Meliorem hujus loci lectionem conservavit Engraphius et ex eo restituerunt viri doctissimi *quam multa justa injusta fiunt moribus* i. e. quam multa sive justa sive injusta fiunt moribus et in communi vita dominantur. in Ad. V. 9. 33. R. D.

12 *Relictis omnibus*] Positis omnibus aliis negotiis. C.

13 *Labore inventa*] Proprie, *parta*. C.

ACT. IV. SCENA VIII.

MENEDEMUS. CHREMES.

MULTO omnium nunc me fortunatissumum
Factum puto esse, gnate; quum te intelligo
Resipisse. C. Ut errat! M. Te ipsum quærebam, Chremes:
Serva, quod in te est, filium, et me, et familiam.
C. Cedo, quid vis faciam? M. Invenisti hodie filiam.
C. Quid tum? M. Hanc sibi uxorem dari volt Clinia.
C. Quæso, quid tu hominis es? M. Quid est? C. Jamne oblitus es,

1 *Multo omnium nunc me*] Hic est jucunda expositio erroris senis de verbis Syri, qui Menedemum credit decipi, dum ipse decipitur. C.

Multo omnium] Scena hæc actionem tenet: quippe Menedemus gaudet plurimum, quod filium videt et integris moribus, et uxorem eam velle ducere, quæ honestissimi viri filia sit, et quod dixit, *quum te intelligo resipisse*, quasi hoc nesciat, quod eadem puella sit quam amaverat, quæ nunc filia sit Chremetis: aut dissimulat, quod quasi a meretrice animum filii ad nuptias transtulerit: aut errat ex dolis servi. Credit Chremes interpellatum Menedemum esse a filio, non vere ut uxorem duceret, sed ut nuptiarum gratia argentum a patre susciperet. E.

Omnes nostri cum edd. vett. recte, *multo omnium mę nunc*. In Arsi enim debet esse *nunc*, h. e. cum te mutatum video. B.

3 *Ut errat!*] Virg. Ecl. VIII. 41. *ut vidi, ut perii*. C.

Resipisse] Antique pro *resipuisse*. Sic *sapisset* pro *sapuisset* apud Plaut. in Rudente IV. 1. 8. De verbis, quæ duplicem conjungationem habent v. Voss. de Analog. III. 35. Resipiscere est ad meliorem mentem redire. R. D.

4 *Filium*] *Filium* prius nominavit, in quo omnis cura patris erat. C.

Serva quod in te est] Petens nuptias filio suo, posteritatem respicit totam. E.

Me, et familiam] V. C. *me et familiam meam*. L.

Quod in te est] Pro *quantum in te est*. *Qui* pro *quantus* non semel supra vidimus III. 1. 7. R. D.

6 Omnes nostri, *hanc uxorem sibi dari*. B.

7 *Quæso*] Modo objurgatorium est. *Quid hominis es?*] In Eunucho, *quid istuc, inquam, ornati est?* Scire nos convenit, cum recto casu profertur interrogatio, non esse contumeliosum. Ut si dicas, *quis hic homo est?* Si autem in obliquo, contemtum significari. Ut, *quid hoc est hominis? quid mulieris? quid ornatus?* C.

Quæso quid hominis] Redigere vult in memoriam Chremes Menedemo* (haud dubie excidit, *quid inter ipsos dictum sit de fallacia* Z.) Arguit igitur quod veluti stultus non intelligat, quod de dolo nunc agatur. E.

Frustra oneratur versus. Nostri omnes rotundius: *quæso, quid hominis es?* M. *Quid?* C. *Jamne*, &c. B.

Quid tu hominis es] Recte monet

Inter nos quid sit dictum de fallacia,
Ut ea via abs te argentum auferretur? M. Scio.
C. Ea res nunc agitur ipsa. M. Quid dixti, Chreme?
Erravi. res acta. quanta de spe decidi!
C. Immo hæc quidem, quæ apud me est, Clitiphonis est
Amica. M. Ita aiunt. C. Et tu credis? M. Omnia.
C. Et illum aiunt velle uxorem, ut, quum desponderim,
Des, qui aurum, ac vestem, atque alia, quæ opus sunt,
comparet.
M. Id est profecto: id amicæ dabitur. C. Scilicet
Daturum. M. Vah! frustra sum igitur gavisus miser!

Donatus magis injuriose dici *quid hominis es* quam *quis homo es.* in Hec. IV. 4. 21. v. Perizon. ad S. Min. IV. 4. p. 617. R. D.

10 *Ea res nunc agitur ipsa*] Et ex hoc credit eos inter se finxisse, Cliniam amare Antiphilam. C.

Pro *dixti* recte habet Bemb. *narras.* B.

11 *Sic res acta'st?*] Ut decipiaris. Et hæc quidem, cum contemtu interrogat. Nam et hoc fictum esse credit. C.

Hic versus plane est delendus, uti Faerno videtur, qui fictus est ex II. 3. 9. Nam in contextu Vaticani tantum est prima dictio *erravi;* et in Bemb. plane abest. Deinde sensus et orationis series repugnat. Nam Menedemus suum errorem demum versu 16. agnoscit. Igitur quicquid præcedit, pertinet ad dissensionem senum, utrius adolescentis sit amica Bacchis. B.

12 *Nempe hæc, quæ apud te*] Ut facile docere possit senem, non vere ad nuptias peti filiam suam, sed uti nuptiarum gratia adolescenti dari possit argentum, commemorat nempe, *hæc quæ apud te est, Clitiphonis est amica:* uti ex his, quæ apud eam gesta sunt, sciat Menedemus esse fallaciam. E.

Immo hæc] Ms. R. *et quidem.* deinde in vett. lib. *ἀντὶ τοῦ hæc,* legitur *isthæc.* L.

Sensus facile probat, quod Bentleius, præeunte Faerno, personarum rationem sic ordinat:——M. *Quid narras, Chreme? Immo hæc quidem quæ apud me est, Clitiphonis est amica.* C. *Ita aiunt: et tu credis omnia: et illam aiunt velle uxorem, ut cum desponderim, des, qui,* &c. Z.

13 *Ita aiunt*] *Ita aiunt,* de re dicimus, quam volumus esse falsam. C.

14 Pro *illum* repone *illam.* ut supra IV. 3. 25. *illam te amare et velle uxorem.* B.

16 *Id est profecto*] Fingit se credere amico, quem fidum cognoverat. C.

Id amicæ dabitur] Vel confirmantis pronunciatione accipi potest, vel quasi cum affirmatione interrogantis [ut juste conclusum sit.] Nam interrogatio interdum ad negationem, interdum ad affirmationem dirigitur. E.

Pro *vah* lege *ah,* quod et versus poscit, et dolenti magis convenit. Deinde pro *daturum* repone *datum iri,* uti præcedens *dabitur* postulat. *Scilicet* autem cum infinitivo jungi, veteres magistri docent. B.

17 *Gavisus*] Bene de filio *gavisus* dixit, quia *gaudemus* propriis, *gratulamur* alienis. *Miser*] *Miser* est, cui animæ miseria est. C.

Scilicet daturum] Licet damnum intelligat senex, et deceptus de gaudio sit, tamen memor doloris pristini et calamitatis, omnia vult sustinere, quam id quod passus est, rursus pati. E.

Quidvis tamen jam malo, quàm hunc amittere.
Quid nunc renunciem abs te responsum, Chremè?
Ne sentiat me sensisse, atque ægre ferat.
C. Ægre! nimium illi, Menedeme, indulges! M. Sine:
Inceptum'st: perfice hoc mihi perpetuo, Chremè.
C. Dic convenisse; egisse te de nuptiis.
M. Dicam. quid deinde? C. Me facturum esse omnia:
Generum placere: postremo etiam, si voles,
Desponsam quoque esse dicito. M. Em, istuc volueram.
C. Tanto ocius te ut poscat, et tu id quod cupis,
Quam ocissume ut des. M. Cupio. C. Næ tu propediem,

18 *Amittere*] Pro *dimittere*, more antiquo. C.

19 *Quid nunc renunciem?*] Quid ergo vis renuncieni filio abs te esse responsum, ne intelligat me hoc intellexisse, quod non vere nuptias petit? E.

21 *Ægre!*] Sic distingue, ut Chremes hanc vocem Menedemi subrideat: quippe quod filius non sit ulla in re timendus. *Indulges*] Nullum magis proprium verbum invenire potuisset de patre, qui omnia filio permittit. C.

22 *Inceptum*] Nam quod semel *inceptum est*, non potest facile omitti. C.

23 *Convenisse*] *Convenire* interdum significat *paciscì*: *ut convenì tecum pro denario diurno*. Interdum significat *alloqui*. Ut, *te convenire cupio*, i. e. alloqui. Interdum significat, *casu invenire*. Ut Cicero ad Lentulum Fam. I. 9. *quem cum convenisset*, i. e. casu invenisset. Quandoque etiam significat, *placere*, *neque in controversia esse*. Ut, *hoc convenit inter nos*, i. e. de hoc nulla inter nos est controversia. Item dicere solemus, *de hoc negotio tandem convenit*, i. e. placuit deliberantibus, *ut res in crastinum differatur*. C.

26 *Desponsam*] Et hoc est quod Clinia magis placiturum est. *Hem!*] Modo interjectio lætantis: alias irascentis. C.

Desponsam quoque esse] Petitionis uxorum nomina hæc sunt. Nam primum *inventa* dicitur, deinde *pacta*, tertio *desponsata*, quarto *uxor*. Ita ut vicinum nomen jam petitionis ostenderet circa nuptias, dixit, *postremo desponsam quoque esse dicito*, hoc enim vicinum ad uxorem. Nam supra *pacta* dicitur. ut est apud Virgilium X. 722.—*et pacta conjugis ostro*. Denique primo Menedemus, cum audisset Chremetem, *dic convenisse, egisse te de nuptiis*. Quoniam conventæ nomen dixerat, quod longe est positum, quæsivit, *quid deinde?* quasi hoc parum est: et pervenit usque ad appellationem prope uxoris. E.

27 *Tanto ocius*] Quia si acceperit filius desponsatam Antiphilam, quam primum exposcet argentum ad exornamenta coemenda. C.

Te ut poscat] Scilicet argentum. Poscere cum duplici accusat. construitur. Liv. I. 24. *sagmina te, rex, posco*, ubi v. Drakenb. R. D.

28 *Næ*] Pro *valde*. Et hoc proprie Terentianum est. *Propediem*] Temporis adverbium, et significat *cito*. C.

Ut istam rem video, istius obsaturabere.
Sed ututi istæc sunt, cautim et paulatim dabis,
Si sapies. M. Faciam. C. Abi intro; vide, quid postulet.
Ego domi ero, si quid me voles. M. Sane volo:
Nam te scientem faciam, quicquid egero.

ACT. V. SCENA I.

MENEDEMUS. CHREMES.

EGO me non tam astutum, neque ita perspicacem esse, certo scio.

29 *Obsaturabere*] Id est nimiam de filio capies societatem. Quod est corporis, ad animum transtulit. Et sic plus hoc verbo intulit, quam si invenisset proprium verbum. C.

Istius obsaturabere] Facile ejus fastidium habere poteris. E.

Istius obsaturabere] I. e. istius ad fastidium usque satur eris. Plaut. in Sticho I. 1. 17. *hæ res vitæ me saturant.* Saturare his locis cum genitivo construitur, ut adjectivum *satur*. R. D.

30 *Sed ututi*] V. C. *sed hæc ista ut sunt.* L.

In Vatic. recte legitur. *sed hæc ut ut sunt.* B.

31 *Postulent*] Tanquam jure: quia jure aliquid *postulamus.* C.

Male vulgo legitur *postulent.* B.

33 *Te sciente*] Recte *sciente*. Nam *sciens* est, qui alicujus judicio rem cognoscit. *Prudens*, qui intelligentia sua aliquid sentit. Ergo *sciens* est per alios. C.

Nam te sciente faciam] Faciam te sciente, hoc est, non te ignaro. E.

Alii habent *nam te sciente faciam.* Quod non est præferendum. B.

Te scientem faciam] I. e. faciam ut scias in Andr. III. 2. 28. R. D.

1 *Ego, me non tam astutum*] Quia jam ad exitum properat fabula, fallacia detegitur per Menedemum, et Cliniæ desponsatur. Et est operæ pretium, videre senem, qui antea monebat, indigere admonitione. Et senes se multis ludibriis illudunt ultro citroque, eousque donec aperte loquens Menedemus ostendit, Bacchidem esse Clitiphonis amicam, non Cliniæ. *Ego me*] Ut insultat senex, dum alterius stultitiam et tarditatem ludibrio habet. *Non tam astutum*] Hæc jactationis cujusdam species est, fingere se non *astutum*, dum videt alterum stultiorem. C.

Ego me non tam] Hæc scena conjecturalem statum continet, quoniam argumentis collectum est, Clitiphonem amicam habere meretricem. Hoc ut probari possit, argumenta dicentur. Denique sic sumsit exordium a persona sua et Chremetis: *ego me non tam astutum*: hoc est acutum et perspectorem rerum. E.

Ita perspicacem esse] V. C. *tam persp.* in eodemque libro *esse* desideratur. L.

Sed hic adjutor meus, et monitor, et præmonstrator Chremes
Hoc mihi præstat. In me quidvis harum rerum convenit,
Quæ sunt dicta in stultum, caudex, stipes, asinus, plumbeus:
In illum nihil potest: exsuperat ejus stultitia hæc omnia.
C. Ohe, jam desine deos uxor gratulando obtundere,
Tuam esse invèntam gnatam: nisi illos ex tuo ingenio judicas,
Ut nihil credas intelligere, nisi idem dictum est centies.
Sed interim quid illic jam dudum gnatus cessat cum Syro?
M. Quos ais homines, Chremes, cessare? C. Ehem, Menedeme, advenis?

Pro *certo* Bentleius edidit *id.* Z.

Non tam astutum] I. e. non valde, non magnopere astute. v. in Ad. II. 4. 14. R. D.

2 *Adjutor*] Cum risu hæc pronuncianda: et *adjutor* proprie in re bona, *impulsor* in re mala. C.

Præmonstrator] I. e. præceptor Plaut. in Persa I. 3. 68. *præmonstra docte.* R. D.

3 *Hoc mihi præstat*] In hoc me antecedit. SET HIC. * ΙΤΑΡΑΙΤ ΡΟCΑΟΥΕΤΑ . . . ponis eum tractat (*sed hoc παρὰ προσδοκίαν dictum est. Nam præponit sibi eum, trahit autem.* Cf. vers. 5. Z.) in se multa maledicta. E.

Quidvis harum rerum] V. C. *quod harum rerum vis.* L.

4 *Caudex, stipes*] Ista injuriose dicuntur in stultum et hebetioris ingenii hominem, quemadmodum ignavum, *lapidem* appellamus. Quamvis tamen idem sit: sed non plus est. C.

Caudex, stipes, &c.] *Caudex* est truncus arboris, conversa ο in AV, fit pro *codex caudex*, sicut pro *cote cautis. Stipes* similiter est truncus cujuslibet ligni, et declinatur *stipes stipitis. Stipes* vero *stipis* est præbenda militum. Hæc singula pronuncianda sunt per ἀστεϊσμον, ut stulti vis exprimi possit. E.

Pro *dicta* repone *dictæ:* quæ lectio postulatur a præcedente *rerum*, et confirmatur duobus codd. antiquis. B.

Quæ sunt dicta in stultum] Bentl. e binis codd. legit *quæ sunt dictæ*, quia *res* præcessit. Verum vulgata lectio non mutanda, nam sæpe feminina res post se habet diversum genus Eun. V. 5. 28. v. Duker. ad Liv. I. 3. R. D.

5 *In illum nihil*] Hoc est quod supra dixi, contra opinionem dictum: nam adjecit, *exsuperat stultitia ejus hæc omnia.* E.

6 *Ohe!*] Interjectio est, satietatem usque ad fastidium designans. *Obtundere*] *Obtundit*, qui sæpe repetendo aliquid dicit. *Obtundere*] Est translatio a fabris, qui sæpe repetunt tundendo aliquid mallio, et idem *obtundunt* et hebetant. C.

Gratulando] *Gratulari* est proprie gratias agere, et gratulationes sunt gratiarum actiones. v. Græv. ad Cic. ad Div. XI. 18. R. D.

9 *Cessat cum Syro?*] Bene *cessat*, tanquam desidiosus. Nam *cessant* desidiosi, *requiescunt* defessi. C.

10 *Quos ais homines*] Hic Menedemus incipit alloqui Chremetem, ut faciem detegat. *Ehem! Menedeme, advenis?*] Sic tanquam expectatus: et ad-

Dic mihi, Clitiæ, quæ dixi, nunciastine? M. Omnia.
C. Quid ait? M. Gaudere adeo cœpit, quasi qui cupiunt nuptias.
C. Ha, ha, he. M. Quid risisti? C. Servi venere in mentem Syri
Calliditates. M. Itane? C. Voltus quoque hominum fingit scelus.
M. Gnatus quod se assimulat lætum, id dicis? C. Id. M. Idem istuc mihi
Venit in mentem. C. Veterator. M. Magis, si magis noris, putes
Ita rem esse. C. Ain' tu? M. Quin tu ausculta. C. Mane, hoc prius scire expeto,
Quid perdideris: nam ubi desponsam nunciasti filio;

ventus proprie exspectatorum necessariorumque dicitur. Et *hem* est particula ostendens gaudium de adventu. C.

Ex uno acad. abest *Chremes:* in altero regio additum est *per tempus.* Repone, *quos ais homines cessare?* C. *Ehem, per tempus, Menedeme, advenis.* And. IV. 4. 44. *per tempus advenis.* B.

12 *Quasi qui capiunt*] In Andria, *ita tum discedo ab eo, ut qui se neget filiam daturum.* C.

Veterrimi ex nostris *adeo occepi.* B.

13 *Ha, ha, he!*] Vox nimii cachinni, et accommodata Chremeti, qui credebat Menedemum decipi in filio, et assimulate illum petere uxorem. C.

14 *Itane?*] Sic lege, ut quasi eludat Chremetem: qui passus est, se a servo decipi. *Fingit*] Format: si tristes sunt, lætos reddit. *Fingere* proprie est figuli, qui formas ducit ex luto. C.

Vultus quoque hominum] Adhuc perseverat Chremes, ut credat a Syro ad Menedemum (vel adde *fallendum*, vel *ad* muta in *adversus.* Z) compositam esse fallaciam, ita ut et vultus hominem sceleratissimum fingat. E.

Vultus quoque hominum fingit scelus] I. e. scelestus ille efficit, ut Clinia vultum suum componat, simulando quemlibet habitum, ut lætum vel tristem se simulare posset, ut res postulat. Ita hunc locum explicat Io. Rivius. Cæs. de B. G. I. 39. *hi neque vultum fingere neque interdum lacrimas tenere poterant.* R. D.

15 *Se assimulat*] Refertur ad id, *voltus hominum fingit.* C.

16 *Venit in mentem*] Sic dicit, quia scit ab illo deceptum Chremetem. *Veterator!*] Vetus est in astutia. C.

Si magis noris, putes] Hic jam aperit veritatem Menedemus. Magis qualis sit Syrus, intelligas, si magis quæ fecerit cognoscas. E.

17 *Ita rem esse*] Vultuose pronunciandum. Quod si Chremes sciret se a Syro deceptum, vere illum *veteratorem* appellaret. *Mane*] Deceptus Chremes aliter percipit verba Menedemi, quam ipse loquatur, et ab illo imprudens eluditur. C.

Mane, hoc prius] Cum narrare vellet Menedemus, ut crederet Syrum adversus Chremetem potius insidias tetendisse, intercedit et dicit, quidnam perdiderit, quod negatum a Menedemo est. Unde se mirari vehementer dicit, quod hæc non fuerit suspicatus E.

Ne versus claudicet, lege *manedum*, quod sæpe apud Plautum occurrit. B.

18 *Desponsam nunciasti*] V. C. *desponsatam.* L.

Continuo injecisse verba tibi Dromonem scilicet,
Sponsæ vestem, aurum, atque ancillas opus esse; argentum ut dares.
M. Non. C. Quid non? M. Non inquam. C. Neque ipse gnatus? M. Nihil prorsus, Chreme.
Magis unum etiam instare, ut hodie conficerentur nuptiæ.
C. Mira narras: quid Syrus meus? ne is quidem quicquam? M. Nihil.
C. Quamobrem? M. Nescio; equidem miror, qui alia tam plane scias.
Sed ille tuum quoque Syrus idem mire finxit filium,
Ut ne paululum quidem suboleat esse amicam hanc Cliniæ.

19 *Injecisse verba*] I. e. dixisse, mentionem fecisse. *Injicere* simpliciter sic est apud Cicer. ad Attic. XVI. 5. *Bruto cum sæpe injecissem de* ὑποστολῇ pro Quintio c. 21. *quod Hortensium quia nuper injecit* i. e. cujus obiter mentionem fecit. R. D.

20 Versus causa repone, *spónsae aurum, véstem, ancillas, ópus esse, argentum, &c.* Certe *atque* abest ab omnibus nostris vett. B.

21 *Non*] Ridicula negatio. Illa vero Virgiliana amara Ecl. III. 2. *non: verum Ægonis. Quid? Non?*] Cum admiratione repetit *non*. C.

Pro *quid* lege *qui*. B.

22 *Hodie conficerentur nuptiæ*] Incipiet paulatim detegi fallacia. Nam hoc signum est, Cliniam non falso velle Antiphilam. C.

23 *Ne is quidem quicquam?*] Ἀποσιώπησις admirantis. Hoc magis mirum videtur, quod nec Syrus verba injecerit, ad extorquendum argentum. C.

24 *Alia tam plane scias*] Pulchra ironia in eum, qui deceptus sit. C.

Nisi malis hic omnem sententiæ venerem extingui, verbum *nescio* ipsi Chremeti tribue. B.

25 *Ille tuus quoque Syrus*] Quem tantum *veteratorem* putas. *Finxit filium*] Refertur ad id quod Chremes supra dixit, *voltus quoque hominum fingit scelus*. C.

Sed ille tuum quoque] Hic jam prorumpit in narrationem. *Ille*, inquit, *Syrus mire tuum finxit filium*, ut amicam ejus tu Bacchidem suspicari non possis. Hæc argumenta colligit a factis: *mitto jam osculari et amplexari*. Deinde a loco, quod *in ultimis ædibus retro conclave* positum sit, quo eis *introlatus est lectus*: utique dicessio hæc longe a conspectu multorum posita, ideo sumta conspicitur, ut magis facisus celaret. Deinde quod ingressi sunt *solus Clitipho et sola Bacchis*. Hæc dicens a præcedentibus argumentatur, quid consecutum sit, scilicet concubitus. Unde quia rem conjecturaliter collegerat, addit, *operuere ostium, et, Clinia hæc fieri videbat?* Fieri enim non potest, ut si amica Cliniæ esset meretrix, ipso præsente cum altero adolescente concluderetur. Qua re probata Chremes vehementer exclamat, memor coenæ datæ, *decem dierum vix mihi est familiæ*. Ut dicat, haud esse, unde familiam sustentet. E.

Finxit filium] I. e. formavit. Metaphora ducta est ab iis, qui lentam et sequacem materiam formant. Horat. de Arte. poet. v. 366. *voce paterna fingeris ad rectum*. Statius Silvar. V. 3. 192. v. Casaubon. ad Pers. III. pag. 244. et Drak. ad Sil. Italic. I. 441. R. D.

26 *Suboleat*] Tractum e sensu odo-

C. Quid ais? M. Mitto jam osculari atque amplexari: id nil puto.
C. Quid est, quod amplius simuletur? M. Vah! C. Quid est? M. Audi modo:
Est mihi in ultimis conclave in ædibus quoddam retro:
Huc est intro latus lectus; vestimentis stratus est.
C. Quid postquam hoc est factum? M. Dictum factum: huc abiit Clitipho.
C. Solus? M. Solus. C. Timeo! M. Bacchis consecuta'st ilico.
C. Sola? M. Sola. C. Perii! M. Ubi abiere intro, operuere ostium, C. Hem!

randi. Et *sub* ibi minuit, i. e. ut nec etiam panxillum appareat, vel paululum sentiatur, id scilicet, quod sequitur. C.

Recte veterrimus noster *subolat*, uti Faernus habet. Alter *subolet*. Cæteri *suboleat*. B.

Suboleat mihi] *Subolet mihi* significat sentio, suspicor. Plaut. in Pseud. I. 5. 7. *atque id jam pridem sensi ego et subolet mihi.* Eadem metaphora in Ad. III. 3. 43. est *olfacere* pro *sentire*. R. D.

27 *Quid ais?*] Nonnunquam perturbati intercessoris est dicere, *quid ais?* sed hoc loco metuentis est, non interrogantis. *Mitto jam osculari*] Color rhetoricus. *Osculari*] Hæc est quarta amoris linea. Nam sunt quinque: prima *visus*, secunda *colloquii*, tertia *tactus*, quarta *osculi*, quinta *coitus*. *Id nihil puto*] Sic dicimus quando habemus aliquid majus ad confirmandum. Ita dicit: nil puto *osculari* et *amplexari*, in comparatione ad illud quod sequitur. C.

29 *Conclave*] In Eunucho, *virgo in conclavi sedet*. Est autem *conclave*, separatior locus in interioribus tectis: vel quod intra eum loca multa et cubilia clausa sint adhærentia triclino: Et est neutrum. Festus autem ait, *conclavia* dici loca, *quæ una clave clauduntur*. Cicero autem in de Oratore, II. 86. cepit *conclave* pro *triclinio*, in quo epulabantur convivæ, loquens de Simonide, qui quum esset evocatus a duobus juvenibus ad januam, interea *conclave*, inquit, *quo epulabatur scopas, super convivas corruit*. Valerius, I. 8. 7. in Extern. autem vocat illum locum *triclinium*, cum de eodem Simonide faceret mentionem, in capite de miraculis. C.

Versus causa præfer lectionem *est mihi ultimis*. B.

In ultimis ædibus] I. e. in ultima parte ædium. R. D.

31 *Dictum ac factum*] I. e. æque cito factum est hoc, ac dictum. Et hoc sermone celeritas facti indicatur. Vel intellige quod vulgo dici solet, statim dictum, statim factum. Illud autem dicendi genus, *dictum* ac *factum* vim habet cujusdam aut adverbii, aut interjectionis, quod quidem sumtum est a communi loquendi modo; neque adhiberi debet verbum, quoniam eo addito vim suam perdere videtur. Melius est igitur, ut pro adverbio aut interjectione sumatur; ut, *me miserum! proh Deum atque hominum fidem! malum!* et alia multa. C.

33 *Sola*] Hoc magnum argumentum quintæ lineæ, quod *sola cum solo* fuerit. *Operuere ostium*] Ab obstando. sicut *aperio* significat recludo, sic *operio* interdum significat claudo, uti hic. C.

Operuere ostium] I. e. clauserunt in Phorm. V. 3. 33. Contrarium est *ostium aperire*. v. Gronov. ad Tacit. Annal. XII. 6. R. D.

Clinia hæc fieri videbat? M. Quidni? mecum una simul.
C. Fili est amica Bacchis, Menedeme: occidi!
M. Quamobrem? C. Decem dierum vix mihi est familia.
M. Quid? istuc times, quod ille operam amico dat suo?
C. Immo quod amicæ. M. Si dat. C. An dubium id tibi est?
Quemquamne animo tam communi esse, aut leni putas,
Qui se vidente amicam patiatur suam?
M. Quidni? quo verba facilius dentur mihi.

34 *Quidni?*] *Quid nisi? Una simul*] Idem fere signant: sed hic ponitur altera earum particularum ad ornatum, ut sonorior reddatur oratio. C.

Mecum una simul] *Una* et *simul* per pleonasmum junguntur, ut apud Plaut. in Mostell. IV. 343. *i mecum una simul.* R. D.

36 *Familia*] Hoc loco pro re *familiari* ponitur. Unde in judicium venit de lite familiæ heroiscundæ, i. e. hereditatis. Cicero in lib. de Oratore. I. 56. *idem herciscundæ familiæ causam agere non possit.* C.

Familia] *Familia* interdum ponitur pro re familiari vel patrimonio. Sic in legib. XII. tabularum scriptum est *pater familias ut super familia pecuniave sua legaverit, ita jus esto* v. Auct. ad Herenn. I. 23. Sic apud ICtos *herciscere familiam* i. e. bona hereditaria dividere. v. Ulpian. in lege 195. §. 1. Pandectar. de verbor. signific. et Ernestium in clave Ciceron. v. familia. Ratio inde est quod olim magna pars opum servis. quos familiam dicebant, constabat. R. D.

37 *Operam dat*] Facete dictum a sene. C.

Quid? istuc times] Inscitia se rem probatam habere Menedemus illudit faceta satis urbanitate. E.

38 *Si dat*] Suspendendum, et est ἐλλειψις, quasi dicat, nescio. *Dubium id tibi est?*] Jam credit Chremes se esse deceptum. C.

39 *Communi et leni*] Quod si *comi*, intellige *comi* pro benigno et mansueto; nam *comes* homines dicuntur, qui errantibus viam ostendunt benigne ac non gravati. C.

Animo tam communi] *Communis* ut Græcis κοινός. Theogn. Ἔστω κοινὸς ἅπας ὁ βίος, καὶ ὁμόφρονα πάντα. Petrus Chrysol. Serm. 164. *quia pauper, communis est semper, patet omnibus.* L.

Repone, *quemquámne tam animo cómi esse et leni putas.* Faernus recte repudiat *communi*, non modo ob sensum, sed etiam ob quosdam libros: in quibusdam enim *comi* reperiatur, in aliis sit scriptum *cōi*, ut adeo pro *communi* et *comi* possit accipi. Deinde pro *aut* omnes fere nostri, *et.* B.

Communi] *Communis* est modestus, nihil præcipuum sibi tribuens præ aliis, civilem dicunt Suetonius et alii illius ætatis scriptores, Nep. in Att. c. 3. *sic se gerebat ut communis infimis videretur* Lactant. V. 22. v. Juretum ad Symmachum II. 79. et Græv. ad Ciceron. ad Div. IV. 9. Sed hic ratio versus exigit *animo comi* non *communi*, quæ voces centies inter se commutantur. v. Græv. ad Cicer. de Offic. III. 5. et Drak. ad Liv. XXV. 12. R. D.

40 *Amicam patiatur suam*] Subaudi, *subagitari.* Et est honesta ἔλλειψις in re turpi. Virg. Ecl. III. 8. *novimus et qui te.* C.

41 *Quid ni?*] Pro, *cur non.* Et hæc verba proprie sunt deridentis. C.

Ut facilius mihi verba dentur] Hæc facta sunt. E.

C. Derides? merito mihi nunc ego succenseo.
Quot res dedere, ubi possem persentiscere,
Nisi essem lapis? quæ vidi! væ misero mihi!
At ne illud haud inultum, si vivo, ferent:
Nam jam. M. Non tu te cohibes? non te respicis?
Non tibi ego exempli satis sum? C. Præ iracundia,
Menedeme, non sum apud me. M. Tene istuc loqui?
Nonne id flagitium'st, te aliis consilium dare,
Foris sapere, tibi non posse auxiliarier?
C. Quid faciam? M. Id quod me fecisse aiebas parum:
Fac te patrem esse sentiat: fac ut audeat
Tibi credere omnia, abs te petere et poscere;

Ah, ah, eh, quod in libris quibusdam extat, abest recte a melioribus. Nam risus non videtur locum habere. B.

42 *Merito mihi nunc ego succenseo*] Hic jam ab argumentis, quæ a Menedemo dicta sunt, alia colligit Chremes de præterito, quod *illum in sinum meretricis viderit manum inserere*. E.

Lege et distingue, *derides? merito*. Ut *mihi nunc ego succénseo*. Sic infra V. 4. 20. B.

Derides, &c.] Petron c. 58. absolute dicit *deridere, aut ego non me novi, aut non deridebis*, ubi v. interpretes. R. D.

43 *Quot res dedere*] Scilicet se i. e. quot res evenerunt in Hec. III. 3. 20. Liv. XXVIII. 5. *prout tempus ac res se daret* ubi v. interpretes. R. D.

44 *Ni essem lapis?*] Superius, *nam exuperat ejus stultitia hæc omnia*. Et plus est quam *caudex, stipes, asinus* C.

Versus postulat, *nisi si essem lápis*. B.

46 *Nam jam!*] Ἀποστόμωσις. H. e. ex hoc tempore exheredabo eum, aut aliquid tale. Virgil. Æn. 1. 135. *quos ego!* C.

Nam jam] Affectio est illa irascentis, de qua sæpe diximus. Ut quod ait Virgilius, Æn. I. 139. *quos ego?* E.

Non te cohibes] I. e. non contines, non comprimis iram tuam. Sic de dolore Servius Sulpic. ad Cic. IV. 5. *visne tu te cohibere et meminisse, hominem te esse natum*. R. D.

47 *Non ego tibi exempli*] Παράδειγμα est, ad deterrendum dictum. E.

48 *Tene istuc loqui?*] Virgilius, Æn. I. 37. *mene incepto desistere victam*. C.

49 *Aliis consilium dare*] Hinc illud Servii Sulpitii ad Cicer. Fam. IV. 5. *denique noli te oblivisci Ciceronem esse, et eum, qui aliis consueveris præcipere, et dare consilium*. C.

Nonne id flagitum'st] Fr. Pith. *nonne istud fl.* L.

50 *Foris sapere; tibi non*] Menander: μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός. L.

Cod. nostri omnes habent, quod versus postulat, *non posse te auxiliarier*. B.

Foris sapere] I. e. sibi non cavere, et aliis consilium dare ut Phædr. loquitur I. 9. 1. R. D.

51 Lege, *id quod tu mé fecisse aibás parum*. Certe unus ex Meadinis habet *tu*. B.

52 *Fac te patrem*] Comœdiarum vice versa sunt omnia. Nam ille qui accipiebat ante consilium, nunc dare cœpit. Mores enim per comœdiam expressit, et qualis humana hominum vita declaratur. E.

Repone, *fac té esse pátrem ut séntiat: fac*, &c. Ita *pátrem* est in ictu. Certe *esse patrem* est in cod. acad. et edd. vett. et, *ut*, habet cod. vet. B.

Ne quam aliam quærat copiam, ac te deserat.
C. Immo abeat multo malo quovis gentium, 55
Quam hic per flagitium ad inopiam redigat patrem.
Nam si illi pergo suppeditare sumtibus,
Menedeme, mihi illæc vero ad rastros res redit.
M. Quot incommoditates in hac re accipies, nisi caves!

54 *Copiam*] Facere *copiam* sui quasi se familiarem exhibere, et præsentiam suam non denegare. Interdum significat concedere facultatem. Fac ergo ne quærat aliam facultatem. C.

Copiam] I. e. rationem inveniendæ pecuniæ. R. D.

55 *Immo abeat*] Hoc terribiliter pronunciandum: et verba proprie rigidi et asperi patris. *Quovis gentium*] *Gentium*, in fine superflua adjunctio: sicut *interea loci*. Dat tamen quandam αὔξησιν pronuncianti. C.

Alii codd. pro *multo* habent *potius* quod præferendum videtur. B.

Multo malo] Pro multo magis vole. in Hec. I. 2. 35. Cic. ad Attic. XV. 15. *domi manere si possum, multo malo.* Sic *malo potius* in Ad. II. 2. 14. v. Bentl. ad h. l. R. D.

56 *Flagitium*] *Facinus. Flagitium* more militari dicitur, res *flagitatione*, hoc est, inorepatione digna. Nam *flagitare* est personare, inde *flamma* et *flagella*, quod hæc non sint sine sonitu et crepitu. C.

Quam hic per flagitium] Glossar. *flagitium ἀτόπημα, βία.* siguate *βία*, nimirum ut βιάζεσθαι ἐπ' ἀισχεῖ; quo significatu hic *flagitium* intelligi potest. Inde *flagitare*. Apul. Metam. IX. *nudatum supinatumque in ventrem execrandis uredinibus flagitabant*, Cato apud Festum, *interoutibus stupris flagitatus*, et *flagitatores*. Calpurn. Declam. 20. *improbi flagitatores, qui detrimenta puritiæ suæ mutuo dedecore compensant.* Et *flagitiosus coitus* apud Firmicum. quamvis hæc de puerorum amoribus rectius dicantur. L.

57 *Si pergam*] *Perseverem.* alias *pergere* est ire. Multi codices habent *sumtibus*, quod non multum placet, nisi sic dicas: *si pergam suppeditare illi filio*, i. e. inservire, indulgere illi sumtibus dandis. Vel *sumtibus*, i. e. per sumtus. C.

Duo recte pro *illi* habent *illius*. Sic *ejus sumtus*, III. 1. 44. B.

Suppeditare sumtibus] Dativus *sumtibus* eodem modo capiendus, quo *relinquere arraboni* supra III. 3. 42. v. Periz. ad S. Min. III. 3. p. 386. R. D.

58 *Vere ad rastros*] Quasi dicat, *id quod tu Menedeme absentia filii exercebas*, hoc est, *rem rusticam, id ego inopia facere cogar.* C.

Ad rastros res] Ad rastros sum non dolore, sed paupertate redituras. R.

Cum *res redit* absolute dici soleat, pro *illæc* scribe *illic*, quod in cod. regio a prima manu fuit. Dein pro *vero* omnes nostri recte, *vere*. B.

Mihi vere ad rastros res redit] H. e. mihi necessario præ egestate, non, ut tibi, voluntario præ animi ægritudine, rastri sunt sumendi, ut manibus victum quæram. Respicit ad I. 1. 36. de vi vocis *vere*. v. Burmann. ad Valer. Flac. c. IV. 633. R. D.

59 *Quot incommoditates*] Satis comice dixit: nam hoc nomen, leve quiddam significat: ut in Eunucho, *immo enim vero infeliciter. Nam incommoda alia sunt dicenda, Parmeno. Capies*] Alibi *inimicitias caperem. Capere* proprie dicimus, cum id quod in nobis est, assumimus. Unde *capere* pro eligere ponitur. C.

Quot incommoditates] Ms. R. et V. C. *quot incommoda tibi in hac re capies.* L.

Ut metro consulatur, repone, *quod incommodi tibi in hac re*, &c. Certe *quod* est in Bemb. et Meadiano. B.

Difficilem ostendes te esse, et ignosces tamen
Post; et id ingratum. C. Ah nescis, quam doleam. M. Ut lubet.
Quid hoc, quod volo, ut illa nubat nostro? nisi quid est
Quod mavis. C. Immo et gener, et affines placent.
M. Quid dotis dicam te dixisse filio?
Quid obticuisti? C. Dotis? M. Ita dico. C. Ah! M. Chreme,
Ne quid vereare, si minus: nil nos dos movet.
C. Duo talenta pro re nostra ego esse decrevi satis;
Sed ita dictu opus est, si me ais salvom esse, rem, et filium,

60 Pro vulgari *ostendis* recte Bemb. Victor. et unus e nostris habent *ostendes*. B.

61 *Et id ingratum*] V. C. *et id erit ingratum*. L.

62 *Quid hoc, quod volo*] Convertit Menedemus sermonem ad conjugium faciendum Cliniæ et Antiphilæ. *Nisi quid est*] Honeste petit, quod officium est probi et honesti viri, q. d. honeste peto, nolens impedire, quin alteri tradas, si videas, te melius filiæ tuæ consulturum. C.

Pro *rogo* nostri codd. *volo*. B.

Quid hoc quod volo] Male nonnulli expungunt vocem *hoc*. Nam elegantem idiotismum esse docet Gronov. ad Plauti Bacchid. II. 3. 15. ubi similiter est *quid hoc? qua causa eum hinc in Ephesum miseram*. R. D.

63 Et *affines*] Uxoris, *cognati* sunt: *affines*, mariti. Unde multi gradus sunt, et veluti rami propinquitatis, in *affinitate* et *cognatione* dispositi. C.

Quod mavis] V. C. *quod malis*. L.

64 *Quod dotis dicam te dixisse*] Proprium juris est verbum, cum dicitur dos, quod exprimitur, *quid obticuisti?* Posteaquam dos petita est, Chremes diu deliberavit consilium quærens, non quo summam quæreret dotis, * (adde, *sed quo filium dotis nomine terreret et corrigeret* Z.) quod intelligi datur ex sequentibus. Compromissa dote adjungit, *si me vis salvum*: aliter enim filium corrigi non posse credit, nisi dotis nomine omnia bona filiæ promisisse videatur, unde crederet filius exheredem se. Denique *id*, inquit, *mirari te simulato*, ut ad ejus notitiam veniat. Quam quidem rem cum intellexisset (*quæsivisset* Z.) Menedemus, explanat, se idcirco promisisse, ut *animum* adolescentis *luxuria et lascivia diffluentem inopia retunderet*, et ad integram frugem necessitate revocaret. E.

In editione Bentleii pro *filio est filiæ*, quod operis tribuendum esse censeo. Z.

Quid dotis dicam] *Dicere dotem* proprie dicitur pro dotem promittere, dotem constituere Ovid. Fastor. VI. 394. *dictas ex inguine dotis opes*, ubi plura Heinsius. R. D.

65 *Quid obticuisti?*] Sic dixit, quasi puderet Chremetem dicere, quod parva dos videretur: nam *tacemus* consilia: *reticemus* dolores: *obticemus* quorum nos pudet. C.

67 *Pro re nostra*] Facite *rem suam* extenuat. C.

68 Lege meliore numero, *séd ita dictu est ópus, si me vis sálvom esse et rem et filium*. B.

Me mea omnia bona doti dixisse illi. M. Quam rem agis?
C. Id mirari te simulato, et illum hoc rogitato simul,
Quamobrem id faciam. M. Quin ego vero, quamobrem id facias, nescio.
C. Egone? ut ejus animum, qui nunc luxuria et lascivia
Diffluit, retundam; redigam, ut quo se vortat, nesciat.
M. Quid agis? C. Mitte; sine me in hac re gerere mihi morem. M. Sino,
Itane vis? C. Ita. M. Fiat. C. Age jam, uxorem ut arcessat, paret.
Hic ita, ut liberos est æquom, dictis confutabitur.
Sed Syrum. M. Quid eum? C. Egone? si vivo, adeo exornatum dabo,

69 *Quam rem agis?*] Hoc est quasi perturbati intercessoris. C.

70 *Illum rogitato*] Pulchra admonitio, ut perterrefaciat filium. C.

72 *Luxuria*] *Luxuria* a *luxu*, i. e. superfluitate derivatur. *Lascivia* autem designat quandam petulantiam et importunitatem, exsultando et delectando in sua turpitudine. Hæc tamen differentia non observatur; sed indifferenter illis duobus utimur pro eodem significatu. C.

Luxuria diffluit] H. e. luxuria nimis et immodice indulget Cic. de Off. I. 30. *quam sit turpe diffluere luxuria.* Columella XII. 1. v. Duker. ad Flor. IV. 12. 905. R. D.

73 *Diffluit*] Persius, Sat. III. 20. *diffluis amens.* C.

Retundam] I. e. reprimam ne diffluat luxuria. R. D.

Ut quo se vertat nesciat] Formula eorum qui consilii inopes sunt. in Hec. IV. 1. 1. *perii quid agam? quo me vertam?* R. D.

74 *Quid ais?*] *Ais* dicimus de iis, qui vana loquuntur. C.

Omnes nostri, *mitte ac sine*: quo versus fit numerosior. B.

75 *Fiat*] Concessio irati adversus pertinacem. C.

Arcessat, paret] V. C. *præparet.* L. Bemb. habet recte *ac jam*, pro vulgari *age jam.* B.

76 *Dictis*] Quia liberi *verbis* objurgandi sunt: servi vero *verberibus* puniendi. C.

Dictis confutabitur] Solis sermonibus male tractabitur. E.

Confutabitur] *Confutare* proprie est aquam ebullientem reprimere, ne exundet. v. Scalig. ad Fest. v. *refutare.* metaphorice, reprimere, coercere, castigare in Phorm. III. 1. 13. Qui hodie latine scribunt, hoc verbo tantum utuntur de scholasticis disputationibus, sed veteres multo amplius. Cato. ap. Gell. VII. 3. Cic. de provinc. consular. c. 13. ad Div. I. 9. v Gronov. Observ. I 19. 22. R. D.

77 *Sed Syrum!*] Ἀποσιώπησις, scilicet *puniam. Quid eum?*] Scilicet punies. modus interrogandi. *Si vivo*] Subjungit affirmationem. C.

Sed Syrum!] Cum utique majora tormenta servo minatus sit, irascentis more, quod esset facturus, exprimere non potuit. *Adeo exornatum*] Id est, comtum, per εἰρωνίαν. E.

Versus inprimis gratia repone, *sed*

Adeo depexum, ut dum vivat, meminerit semper mei:
Qui sibi me pro ridiculo ac delectamento putat.
Non, ita me Di ament, auderet hæc facere viduæ mulieri,
Quæ in me fecit.

ACT. V. SCENA II.

CLITIPHO. MENEDEMUS. CHREMES. SYRUS.

ITANE tandem quæso, Menedeme, ut pater
Tam in brevi spatio omnem de me ejecerit animum patris?

Syrûm. M. *Quid eum? 'Ego, si vivo, eum ádeo exorn.* &c. B.

Exornatum dabo] *Exornare aliquem* per antiphrasin ponitur pro fœdare verberibus, virgis in aliquem animadvertere. Eodem sensu in Ad. II. 1. 22. R. D.

78 *Adeo depexum*] Hoc verniliter more senum iratorum lege, et intellige contrarium. C.

Adeo depexum] Hoc est, compositum pœnis et tormentis. E.

Adeo depexum] Non. Marcell. cap. I. L.

Lege, *adeo pexum, utque ut dum vivat*, &c. Tres codd. optimi habent *usque ut dum*. B.

Depexum] Bentlei. reponit simplex *pexum* cujus rationes vide. *Pectere* comici dicunt pro *flagris cædere*. Plaut. in Men. V. 7. 28. *pecte pugnis*. R. D.

79 Lege ex veterrimis nostris, *pro deridiculo*: quod et versus poscit, et Plautus Tacitusque usurparunt. B.

Pro ridiculo] Pro *ridiculo* nonnulli libri habent *deridiculo*. *Deridiculum* est valde ridiculum. Nam præpositio *de* ut in aliis compositis, significationem intendit. Liv. XXXIX. 26. et ibi Duker. R. D.

80 *Viduæ mulieri*] Bene personam abjectam delegit, quæ ludibrio habetur, et quia *mulier*, et quia viro orbata. C.

Viduæ mulieri] Facilis enim illusio est in eam, quæ et mulier et vidua est. E.

Facere viduæ mulieri] Quinctil. déclam. 338. *imbecilla res est femina, et affert infirmitati naturali non leve pondus, quod vidua est*. L.

Omnes libri rationi trochaici serviunt, *facere hæc viduæ*. B.

1 *Itane tandem*] Restat ad tranquillitatem rerum omnium, ut Clitipho verbis patris perterritus, in viam redeat, et uxorem ducat. *Itane*] Sic incipit, ut qui se a patre abdicatum putet. *Tandem*] Hic expletiva conjunctio. Cicero, Catil. I. 1. *quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra?* Alias ponitur pro *tamen*: ut, *in qua civitate tandem arbitrare te vivere?* Nonnunquam pro *saltem*. C.

Itane tandem] Ad satisfaciendum valet hæc scena, et veniam petit. E.

Omnes nostri recte, *quæso est*. B.

2 *Est ut ejecerit*] Per periphrasin comicis usitatam dicitur pro *ejecit*. Sic in Hec. IV. 1. 44. R. D.

Quodnam ob facinus? quid ego tantum sceleris admisi miser?
Volgo faciunt. M. Scio tibi esse hoc gravius multo, ac durius
Cui fit: verum ego haud minus ægre patior: id qui nescio,
Nec rationem capio, nisi quod tibi bene ex animo volo.
Cl. Hic patrem adstare aiebas? M. Eccum. Ch. Quid me incusas, Clitipho?
Quicquid ego hujus feci, tibi prospexi et stultitiæ tuæ.
Ubi te vidi animo esse omisso, et suavia in præsenti a

3 *Admisi*] Αὔξησις est. plus est *admittere*, quam *facere*. Alibi, *hæc te admittere indigna*. C.

4 *Vulgo id faciunt*] Ad purgationem peccati, si nihil aliud habemus, argumentum ab exemplo aliorum sumimus, qui idem factitaverunt. Sed multo magis valet, si ab exemplo omnium sumitur. C.

Vulgo faciunt] Quod meretrices omnes amant adolescentes. Et argumentatur: quia, quod omnibus licet, uni licet. E.

Vulgo faciunt] I. e. alii quoque adolescentes meretriciis amoribus irretiuntur, quod ille causæ suæ prodesse putat. Nam multi, ut Cic. ait ad Div. IV. 3. *quod exemplo fit, id etiam jure fieri putant*. R. D.

5 *Cui fit*] Quoniam id te propius tangit, sive tua magis refert. *Haud minus ægre*] Verum amicum agit Menedemus, qui æquum ex incommodo amici dolorem capit. C.

Distingue, *ægre patior. Id qui, nescio nec rationem capio.* Nam *id qui* est eur faciat, nescio. B.

Verum ego haud minus] Hic locus ita distinguendus: *verum ego haud minus patior: id qui nescio nec rationem capio. id qui* significat cur. quamobrem faciat. v. Bentlei. ad h. l. R. D.

7 *Quid me incusas*] Bene *incusas*: quia filio major est pater. C.

Quid me incusas] Serv. Æn. lib. I. ad versum 410. L.

Incusas] Servius ad Æn. I. 410. notat *incusare*, proprie esse superiorem arguere, *accusare*, parem vel inferiorem. Sed hoc discrimen nihili est. v. Drak. ad Liv. IX. 11. R. D.

8 *Quicquid ego hujus feci*] *Hujus* absolute: ut per ἔκλειψιν desit *rei*. In Hecyra, *ne quid sit hujus oro*. Alibi, *nihil me istius facturum, pater. Ego hujus feci*] Semper gravis inceptio orationis, quæ exordium sumit a pronomine. C.

Quicquid ego hujus] Quicquid ego tale feci. E.

Quicquid hujus feci] Priscian. lib. 14. L.

9 *Animo omisso*] *Negligenti*. Alibi, *et enim metuas ne ab re sint omissiores paullo. Et suavia quæ essent, prima habere*] Sallustius, Catil. 36. *quæ prima mortales ducunt*. Et *prima* modo ad laudem, non ad ordinem pertinet. In Eunucho, *nihil prius, neque fortius. Suavia in præsentia*] Voluptates licet *in præsentia* sint suaves, semper tamen secum junctam habent pœnitentiam. C.

Et suavia in præsentia] Ut tantum præsentia cogitates, neque de futuris curam gereres. E.

Animo omisso] H. e. negligenti, dissoluto. Auctor ad Herenn. IV. 37. *animis estis simplicibus et mansuetis* ubi v. cl. Ernestum, qui præfert lectionem codicis, qui addit *et omissis*. Sic in Ad. V. 3. 45. Sueton. in Tiber. c. 52. *animi fluxioris*. R. D.

Quæ essent, prima habere, neque consulere in longitudinem:
Cepi rationem, ut neque egeres, neque ut hæc posses perdere.
Ubi cui decuit primo, tibi non licuit per te mihi dare;
Abii ad proxumos, tibi qui erant: eis commisi et credidi.
Ibi tuæ stultitiæ semper erit præsidium, Clitipho:
Victus, vestitus, quo in tectum te receptes. CL. Ei mihi!
CH. Satius est, quam te ipso herede hæc possidere Bacchidem.
S. Disperii! scelestus quantas turbas concivi insciens!
CL. Emori cupio. CH. Prius quæso disce, quid sit vivere:
Ubi scies, si displicebit vita, tum istoc utitor.
S. Here, licetne? CH. Loquere. S. At tuto? CH. Loquere. S. Quæ ista'st pravitas,

10 *Prima habere*] I. e. præcipue curare in Ad. V. 4. 4. R. D.

Consulere in longitudinem] I. e. consulto agere quæ prosunt in longum tempus. *Consulere* exquisite dicitur pro rem bene gerere, consulto agere. Cato ap. Gell. VII. 3. Liv. XXI. 16. ubi v. Gronov. R. D.

11 *Cepi rationem*] H. e. inveni modum. C.

12 *Primo, tibi non licuit per te mihi dare*] H. e. tu non permisisti, tuis moribus obsistentibus. Vel, tui mores non postulaverunt, me dare tibi bona mea, *cui decuit*, i. e. justum fuit me dare bona mea, quia jure debebas mihi succedere, nisi obstitissent mores. C.

Ubi decuit] Quia primo tibi non licuit dare. Hoc enim optimum est parentibus, semper filiis bona tradere. Sed hoc cum mihi non licuerit, proximo tibi qui erat tradidi, hoc est leviro, qui sororem tuam ducit uxorem. E.

13 *Ad proximos*] Bene *ad proximos* ad quos spectat post filium hæreditas. C.

14 *Ubi tuæ stultitiæ sit præsidium*] Circa victum atque vestitum: et tectum habeas quo te recipias. E.

15 *Victus, vestitus*] Ostendit, quid sit illud præsidium stultitiæ. *Victus* alimonia ad vitam sustentandam; *vestitus* cultus sive ornatus ad tegendum corpus. *Receptes*] Alibi, *meum receptas filium*. Et frequentativo usus est, quod non raro, sed frequenter poterit se recipere. C.

17 *Turbas concivi*] I. e. concitavi. Liv. II. 29. *non miseriis sed licentia tantum concitum turbarum*. ubi v. Drakenb. R. D.

18 *Vivere*] Cum virtute et ratione intelligas. C.

Disce quid sit vivere] Lactant. lib. 3. cap. 18. *de vita quereris, quasi vixeris, aut unquam tibi ratio constiterit, cur omnino sis natus. Nonne igitur tibi verus ille et communis omnium pater Terentianum illud jure increpaverit?* Prius disce quid sit vivere. L.

19 *Vita*] Hoc loco *actus* et *mores*. In Phorm. *quem ego viderim in vita optimum*, id est, *in actu et moribus*. C.

20 *Quæ ista est pravitas?*] Deriva-

Quæve amentia est, quod peccavi ego, id obesse huic?
CH. Ilicet.
Ne te admisce. nemo accusat, Syre, te; nec tu aram tibi,
Nec precatorem pararis. S. Quid agis? CH. Nil succenseo,
Nec tibi, nec tibi: nec vos est æquom, quod facio, mihi.

tio criminis in se est. Et bene optimi servi fungitur officio. C.

Quæ istæc est] Servus iram domini in personam suam inclinare cupiens, ut adolescenti possit succurrere, interponit hæc verba. E.

Cum sequatur *amentia est*, quod omnium fere codd. fide comprobatur, pro *istast* lege *istæc*. B.

20 *Pravitas*] I. e. perversa agendi ratio. R. D.

21 *Ilicet*] *Ilicet* semper finem rei significat, ut *actum est*. *Ilicet* per syncopen, quod significat *ire licet*. Sic judices de concilio dimittebantur, suprema dicta cum præco pronunciasset. *Ilicet* ergo increpatio est, quia interloquendo impedit Chremetem narrantem. C.

22 *Nec tu aram*] Præsidium. Miseri ad *aram*, ut tuti sint, confugere solent. Ovid. Trist. IV. 5. 2. *unica præsidiis ara reperta meis*. C.

Nec tu aram tibi] Quæcunque de hoc ritu dici possant, jam alibi notata. Plutarch. περὶ δεισιδαίμ. Ulpian. lib. 17. §. 12. ff. de ædil. edict. Achill. Tatius libr. 8. καὶ τοῖς μὲν ποταμοῖς αἱ τῶν ἱερῶν ἀσφάλειαι διδόασι καταφυγήν· ἐγὼ δὲ μηδὲν ἀδικήσας, ἰκέτης δὲ τῆς Ἀρτέμιδος γενόμενος, τύπτομαι παρ' αὐτῷ τῷ βωμῷ. Cui non absimilis locus Plauti in Rudent. III. 3. Euripid. in Andromacha: Ἔχει γὰρ καταφυγὴν, ὃν μὲν πέτραν, Δοῦλοι δὲ βωμοὺς θεῶν. Hinc etiam ἱδρῦται οἱ οἰκέται, ἀπο τοῦ καταφεύγειν εἰς τὴν ἑστίαν, Etymol. magnum. L.

Nec tu aram tibi nec precatorem] I. e. non opus est, ut in aram confugias, aut mittas, qui pro te deprecetur. Olim servi supplicium metuentes in aram confugiebant aut precatorem, qui iratum dominum mitigaret, sibi parabant. Plaut. in Mostell. V. 1. 45. Quoniam vero etiam alii supplices ad aras tanquam asyla confugere solebant, *ara* pro profugio dici cœpit. Cic. de Nat. Deor. III. 10. *tanquam in aram confugitis ad Deum*. Ovid. Epist. I. 110. *tu citius venias portus et ara tuis* ubi v. Heins. adde Lindenbrog. ad h. l. *Precator* idem est qui *deprecator* in Phorm. I. 2. 90. Plaut. in Pseud. II. 2. 12. v. interpr. ad Petron. c. 131. R. D.

23 *Neque precatorem pararis*] Alibi *ad precatorem abeam*. Et *precari* aliquando idem, quod *deprecari*, hoc est, a se crimen depellere. Hinc *deprecatio*. *Nihil succenseo*] *Succensere* is dicitur, qui cum amare debeat, læsus irascitur. C.

Nec precatorem pararis] Ne, inquit, ut adsolent servi, velis et tu habere precatorem, qui pro te roget. Vobis enim non irascor, cum multa feceritis: ita æquum est et mihi vos ne irascamini. Post iracundiam apta sententia est. E.

Nec precatorem] De precatore Plautus in Asinar. II. 4. 9. *precator assiet, malam rem effugies nunquam*. Idem in Epid. V. 2. 21. *nil moror mihi precatorem*. Paulus I. C. in l. 43. §. 1. ff. de ædilit. edict. et alibi sæpe. L.

24 Nostri habent, *nec tibi, nec huic*. Sed Erasmi et Faerni *nec tibi, nec tibi* non videtur repudiandum: nempe vultu et nutu hæc aguntur: primo Syrum, dein filium intuetur; ut Plaut. Capt. II. 3. 87. *et tua et tua ornatus reveniam ex sententia*. B.

S. Abiit; vah, rogasse vellem. CL. Quid? S. Unde mihi peterem cibum:
Ita nos alienavit: tibi jam esse ad sororem intelligo.
CL. Adeon' rem rediise, ut periculum etiam fame mihi sit, Syre?
S. Modo liceat vivere, est spes. CL. Quæ? S. Nos esurituros satis.
CL. Irrides in re tanta, neque me quicquam consilio adjuvas?
S. Immo et ibi nunc sum et usque id egi dudum, dum loquitur pater:
Et, quantum ego intelligere possum. CL. Quid? S. Non aberit longius.
CL. Quid id ergo? S. Sic est, non esse horum te arbitror. CL. Quid istuc, Syre?

25 *Abiit*] Quo facilius terreret, senex discessit. E.

Repone *abiit? rogasse vellem.* C. *Quid, Syre?* S. *Unde mi peterem cibum?* B.

26 *Tibi jam esse ad sororem*] Ms. R. *ita nos alienavit sibi: jam isse ad sororem*, &c. L.

Omnes fere nostri habent recte *abalienavit*, ut sint iambici. B.

Nos alienavit] *Alienare* et *abalienare* significat alienos reddere et e familia ejicere. v. interpr. ad Liv. XLI. 8. Sic infra V. 4. 6. *alienus*, qui non pertinet ad familiam. R. D.

27 *Ut periculum etiam fame mihi est, Syre?*] Quod est extremum miseriarum. Etiam *fame fames* apud antiquissimos in quinta declinatione nominum variabatur, ex quo potest esse genitivus casus: quia C. Cæsar in libro de Analogia, *hujus die* et *hujus specie* dicendum putat. Sallustius in Jugurtha cap. 97. *vix decima parte die reliqua.* Vel si septimus casus. C.

Adeone rem] Optimum equidem sensum ex necessitate collectum in dolore adolescens collocavit quippe cum postremum omnium malorum fames sit. Denique *(etenim* Z.) *obscœnamque famem, quæ prima pericula vito? Æn.* III. 367. E.

Lege *periculum etiam a fame;* aut *periclum fame*, genitivo vetusto, ut *periclum mortis.* B.

Periculum famæ] *Famæ* est genitiv. obsoletus pro famis. v. Gell. IX. 14. et Bentl. ad h. l. R. D.

28 *Esurituros satis*] Παρὰ προσδοκίαν quando aliter respondemus, quam exspectamus. C.

30 *Dudum id egi*] Scilicet ut adjutorem te consilio. C.

Ibi nunc sum] I. e. in eo sum, id ago: quam formulam supra explicuimus. R. D.

31 *Quid?*] Interrupit Syri sermonem Clitipho. *Non aberit*] Perficit, quod dicere inceperat, q. d. *pater, qui simulavit se abscedere et relinquere proximis sua omnia, non erit absens diu. Hæc enim est fictio, ut depellaris a domo paterna.* C.

Non aberit longius] Scilicet consilium, quod quæro. R. D.

32 *Non esse horum te arbitror*] Quasi cum odio *horum* dixit: et eo magis quod nec te filium dixit. C.

Satin' sanus es? S. Ego dicam, quod mihi in mentem est: tu dijudica.
Dum istis fuisti solus, dum nulla alia delectatio,
Quæ propior esset, te indulgebant, tibi dabant: nunc filia
Postquam est inventa vera, inventa est causa, quæ te expellerent.
Cl. Est verisimile. S. An tu ob peccatum hoc, esse illum iratum putas?
Cl. Non arbitror. S. Nunc aliud specta: matres omnes filiis
In peccato adjutrices, auxilio in paterna injuria

Sic est] Diu finxit, se nescio quid cogitare, servus: reperit tamen astute. Consulit uti dicat hunc adolescentem (*horum parentum se* Z.) filium non esse, et quærit argumenta, quod, antequam puella esset inventa, hunc diligebant: postea exheredatur. Adjicit et illud, eum matres semper pro filiis intervenire consueverint, nunc in iracundia non rogat mater. Compellit igitur adolescentem, uti parentes roget. aut enim precibus ad misericordiam commoturus est ambos, aut suos parentes facile cognoscet. Sed conventum ex posteriore oratione cognoscimus, cum dixit *satis recte*. Cum enim in periculo majore positus fuerit filius, tum facile parentibus potes movere pietatem, vel pacem ab iracundo patre suscipere. *Pacem* autem dixit veniam, ut Virgil. Æn. IV. 56. *pacemque per aras exquirunt:* id est, benevolentiam ac veniam. E.

Lege *qui istuc*, ut sæpe alias; *cur, quamobrem istuc?* B.

Quid istuc] I. e. quomodo hoc arbitraris. v. Bentl. ad. h. l. R. D.

33 Alii, *in mente est;* alii omittunt *est*. sed meliores libri *in mentem est*. Sic sæpe Plautus; et Noster Adel. IV. 1. 12. Cf. Gellium I. 7. B.

34 *Dum istis fuisti solus*] Satis verisimilis ratio adolescenti imprudenti et parum provido: ideo statim subjicit: *est verisimile*. C.

35 *Indulgebant*] Faciles erant, tibi permittentes multa, quæ volebas. C.

Quæ propior] V. C. *quæ prior*. L.

Te indulgebant] Antique pro *tibi* ut in Eun. II. 1. 16. ubi v. Donat. R. D.

Filia vera] I. e. non supposita. Veram filiam opponit Clitiphoni, quem aliunde adsumtum putabat. Sic si locus capitur, non opus esse videtur emendatione Bentleii. Ita Sueton. in Calig. c. 19. R. D.

36 A duobus nostris abest *vera;* in aliis sedem mutat; in uno deest *inventa*. Cur autem *filia vera*, cum falsam nunquam sustulerint? Repone, *postquam est inventa, inventa vero est causa, qua*, &c. Amat Terentius verba sic duplicare; supra I. 2. 32. et Hec. II. 1. 45. B.

37 *Iratum putas?*] Bene *iratum*, ob peccatum. *Iratus* est, qui ex aliqua re lacessitus irascitur. *Itacundus*, ex parva vel nulla causa. C.

Lege, *peccatum hoc tám esse illum iratúm putas?* B.

38 *Matres omnes filiis*] Menander: ἐστὶ δὲ μήτηρ φιλότεκνος μᾶλλον πατρός. Apul. Florid. 3. *servulus callidus, et amica illudens, et uxor inhibens, et mater indulgens*. L.

39 *Paterna injuria*] Quam patres inferunt filiis, non quæ patribus infertur a filiis. Eodem sensu est *injuria parentum* supra I. 2. 30. R. D.

Solent esse: id non fit. CL. **Verum dicis. quid ergo nunc faciam, Syre?**
S. Suspicionem istanc ex illis quære: rem profer palam:
Si non est verum, ad misericordiam ambos adduces cito;
Aut scibis cujus sis. CL. **Recte suades; faciam.** S. **Sat recte hoc mihi**
In mentem venit: namque adolescens quam minima in spe situs erit,
Tam facillime patris pacem in leges conficiet suas.
Etiam haud scio, an uxorem ducat; ac Syro nil gratiæ.

40 *Id non fit*] Mater tibi non est adjutrix: et hoc prope verisimilius. *Verum dicis*] Prius autem dicebat, eum dixisse aliquid *verisimile*. C.

41 *Suspicionem istanc*] Quæ turbat tuam mentem, videlicet, an sis eorum filius, nec ne. C.

Excidit ex fine versus conjunctio *aut*, ut respondeat sequenti *aut*. B.

42 *Ad misericordiam*] Quia parentes veri filiis cito ignoscunt. C.

43 *Aut scibis cujus sis*] H. e. si est verum. B.

44 *Minima in spe situs erit*] Nam si non se esse filium crediderit, eo miserabilior videbitur patri: et citius ad misericordiam commovebit eum. *Situs*] Hic inflectitur *situs, a, um*, i. e. situatus, constitutus. C.

Faernus edidit, *nam quam adolescens maxime spe situs erit, tam facillume patris*, &c. Guyetus correxit *spe citus*, i. e. notus depulsus. Ego reponendum puto, *namque adolescens quam in minima spe situs, erit, tam* difficillume *patris pacem in leges conficiet suas*. Callidissimus enim servus, qui hoc consilio non minus rem suam, quam Clitiphonis agit, *sat recte*, inquit, excogitavi; spem bonam adolescenti injeci se facile ex hoc malo emersurum; ne si animo plane dejecto sit, quidvis imperatum faciat: ille uxorem interveniat, ego crucem. Sic enim nunc perterrefactus uxorem capit, ille pacem sibi impetrat, ego pœnæ relinquor. B.

Quam minima tam facillime] Cum præcedit *quam* cum superlativo, interdum sequitur *tam* cum superlat. in Ad. III. 4. 56. Sallust. in Jug. c. 31. ubi v. Cortium.

In spe situs] I. e. spem habens. Notanda hæc locutio ut rarissima. R. D.

45 *Pacem in leges*] H. e. secundum eas leges et conditiones, quas dare patri voluerit in ea pace ineunda. Nam cum pax inter aliquos conficitur, lex aliqua aut conditio in ea facienda solet allegari, i. e. adhiberi. Sensus ergo illius orationis est: filius componet pacem cum patre, suo arbitrio, et secundum eas leges et conditiones pacis, quas voluerit. C.

Patris pacem in leges] I. e. patrem sibi reconciliabit conditionibus, quibus ille volet. Plaut. in Asinar. I. 3. 81. *quod poscis in leges meas dabo*. Liv. XXXIII. 30. *pax data Phillippo in has leges est* R. D.

46 *An uxorem ducat*] Chremes discedens et patriam relinquens ducet uxorem scilicet Sostratam. *At Syro nil gratiæ*] Tu Clitipho ita tibi parentes reconciliabis; ego autem nil sum gratiæ apud illos habiturus, h. e. nullo modo potero illis gratus esse. C.

Ac Syro nihil sit gratiæ] Certus sum quod ex hoc consilio in gratiam est filius reversurus, ut fortasse etiam concedat veniam, et uxorem ducere compellat. E.

Pro *an* omnes nostri *anne*. recte. B.

Quid hoc autem? senex exit foras: ego fugio. adhuc quod factum'st
Miror, continuo non jussisse abripi me. ad Menedemum hunc pergam.
Eum mihi precatorem paro: seni nostro fidei nihil habeo.

ACT. V. SCENA III.

SOSTRATA. CHREMES.

PROFECTO nisi caves tu homo, aliquid gnato conficies mali:
Idque adeo miror, quomodo
Tam ineptum quicquam tibi in mentem venire, mi vir, potuerit.
C. Pergin' mulier odiosa esse? nullamne ego rem unquam in vita mea 4

47 *Quid autem hoc?*] Hæc vox est timentis. C.

48 *Ad Menedemum hunc*] Ms. R. *hinc nunc ad Menedemum pergam.* L.

Lege, *miror non jusse me abripi hinc: nunc ad Menedemum hunc pergam.* Nostri habent, *miror non jussisse ilico arripi me: hinc,* &c. B.

49 *Seni nostro fidei*] Non credam seni quasi ignoscenti, itaque Menedemum precatorem parabo. E.

Lege ex cod. regio, *seni nostro nil fidei habeo.* B.

1 *Profecto nisi caves*] In hac scena continetur imago quædam dissidii inter virum et uxorem, qui natura morosi atque difficiles sunt. *Tu homo*] Cum contemtu et stomacho pronunciandum. Et dicit, *tu homo,* et postea subito mulierum natura redit ad lenitatem, discedente indignatione. C.

Profecto nisi] Coercet hic uxor maritum, quod exheredationem filii velit errore. Ex illo consilio sexus jam continuo notatur, quasi morum vitium est (post *velim* interpunge, et cætera sic corrige, PERGIN MULIER. *Illo nomine femineus sexus jam continuo notatur, et quasi morum convicium est* Z.); ut alibi: *tu, inquam, mulier, quæ me omnino lapidem, non hominem putas.* Aliud tamen est *mulierem* dicere per naturam, aliud per vitium *(convicium).* E.

3 *Ineptum quicquam*] Bene *ineptum.* Nam *ineptum* est, quod a quovis reprehenditur. *Venire in mentem*] *Venire in mentem* veteres non recordationis causa tantum, sed etiam recogitationis *(cogitationis)* considerationisque posuerunt. C.

Bentleius edidit, *quicquam tibi venire in mentem.* Z.

4 *Pergin' mulier*] Sic solent mariti uxoribus dicere, cum illæ adversantur. Et est energia similis. Sensus igitur est: pergin' mulieris partes exercere et officium, quæ semper vult loqui et marito repugnare. C.

Volui, quin tu in ea re mihi fueris advorsatrix, Sostrata?
At si rogitem jam, quid est quod peccem, aut quamobrem hoc faciam, nescias:
In qua re nunc tam confidenter restas, stulta? S. Ego nescio?
C. Immo scis, potius quam quidem redeat ad integrum hæc eadem oratio.
S. Oh, iniquos es, qui me tacere de re tanta postules.
C. Non postulo: jam loquere: nihilo minus ego hoc faciam tamen.
S. Facies? C. Verum. S. Non vides quantum mali ex ea re excites?
Subditum se suspicatur. C. Subditum! ain' tu? S. Certe inquam, mi vir.

Repone ex nostris fere omnibus, *Oh, pérgin mulier ésse? nullamne égo rem unquam in vitá mea volui, quin tú in ea re mi advorsátrix fueris, Sóstrata?* Quanto acerbius est hoc, *mulier esse*, quam si addas *odiosa?* B.

Pergin mulier esse] I. e. pergisne molesta, rixosa esse? Nam *mulier* hic cum magna vi dicitur Petron. c. 42. *sed mulier qua mulier milvinum genus.* v. Rutil. Lup. I. 43. et quæ ibi diximus. R. D.

6 *Quod peccem*] Notat mulierum imprudentiam et imperitiam, quæ ut plurimum ignorant quæ prava aut recta sunt. C.

At si rogitem] Quam stultus (*stulta* Z.) sis perspice. Quid faciam vides, cur faciam nescis, unde stulte resistis. R.

Lege *at si jam rógitem*. Præterea tolle plenam distinctionem post *nescias*: et noli seq. versum per interrogationem efferre. Deinde pro *hoc* ex nostris repone *id*, h. e. mihi in hac re adverseris. B.

7 *Tam confidenter*] Recte *confidenter*. Nam *confidentia* sæpius in malam: *fiducia* vero in bonam partem accipitur. Alibi, *O ingentem confidentiam! Nescio*] Sic lege, ut intelligas contrarium. C.

Confidenter restas] Plaut. *etiam nunc restas, carnifex?* L.

Restas] I. e. resistis, adversaris. Ovid. Fast. II. 749. *victa cades, melioribus restas.* Sallust. in fragm. 955. v. Gron. ad Liv. IV. 58. et XXVI. 3. R. D.

8 *Hæc eadem oratio*] In reg. exempl. τὸ *hæc* deest. L.

Hæc in nullo ex nostris est. Repone, *immo scis potius. quam quidem redit ad integrum eadem oratio.* Scias an nescias, perinde est. Ad integrum redit eadem oratio; sive scire te hoc dicam, sive nescire. Uva eademque oratio est in re tua, *scire* et *nescire*. B.

Scis potius] Immo potius concedam te scire. R. D.

9 *De re tanta*] Scilicet in periculo filii. C.

Illud *oh* præcedenti versui appone. B.

12 *Subditum se*] Id est, *suppositum*. Juvenalis Sat. VI. 601. *transeo suppositos.* Mulieres, quæ parere non possunt, et ut placeant maritis, se gravidas fingunt, et aliquarum inopum mulierum filios supponunt, et pro suis edunt (*educunt*). *Ain' tu?*] Pro *aisne?* Et est percontativum verbum. C.

C. Confitere tuum non esse? S. Au! obsecro te, istud inimicis siet.
Egon' confitear meum non esse filium, qui sit meus?
C. Quid? metuis ne non, quum velis, convincas esse illum tuum?
S. Quod filia est inventa? C. Non: sed quod magis credendum siet,
Id quod est consimilis moribus,
Convinces facile ex te natum: nam tui similis est probe:

Subditum se suspicatur] Hic jam intelligendum, venisse adolescentem, et matri, hoc est, mitiori de parentibus, suam suspicionem indicasse. E.

Illud *subditum* in responso Chremetis recte vidit Faernus esse subditium, repugnante versu. Postrema ob codd. auctoritatem lege, *certe sic erit*. Cæterum T. Faber vult legi *suspicatur*, quia Sostrata nondum potuerit resciscere, Clitiphonem suspicari se esse subditum, cum neque Syrum, qui id consilii dederit, neque filium convenerit. Meræ sunt nugæ et næniæ. Nam Clitipho, ubi supra 43. dicit, *recte suades, faciam*, statim domum abiit, et matri in Gynæceo narravit, patre in alia parte ædium agente, dum Syrus solus secum sex sequentes versus loquitur. Igitur Clitipho primum domi matri rem aperuit, quam in seq. scena 4. repetit. Quare nec Sostrata ut in re nova est consternata, sed lente respondet, *obsecro, mi gnate*. Deinde si legas *suspicetur*; si nemo indicaverit, efficitur, ut Sostrata vel ipsa dubitaverit, sitne verus filius, quod plane est ridiculum; vel omnium sagarum et divinarum annum sit princeps et magistra. B.

Subditum] *Subdere* proprie est falsum in veri locum supponere, quod etiam *subjicere et supponere* dicunt. Liv. XL. 9. *isti unum Demetrium filium te habere, me subditum et pellice genitum adpellant*. Tacit. Anal. XIV. 40. Sueton. in Ner. c. 7. ubi v. Oudendorp. Vulgo cives subjectos barbare vocant *subditos*. R. D.

Sic erit] Pro *sic est*. fut. pro præsenti. v. in Phorm. V. 3. 18. R. D.

13 *Ah!*] Obsecrantis. Modo blandientis et misericordiam moventis. *Inimicis siet*] Hæc imprecatio sic usurpatur ab Ovidio, ut illius propria sit. C.

Tuum non esse] V. C. *tuum non esse filium*. L.

Verba *tuum non esse* recte absunt a cod. Bemb. Illud quoque *te* recte omittitur a cod. vet. Contra omnes habent *istuc nostris inimicis siet*. B.

Istuc inimicis sit] De hac abominandi formula. v. Broukhus. ad Propert. III. 6. 20. et not. ad Eun. IV. 3. 13. R. D.

15 *Convinces*] Verbum judicii est. In judiciis *convicti* proprie dicuntur, qui causa ceciderunt. C.

16 *Quod filia est inventa?*] Exinde putas posse inveniri hunc esse filium meum, quod et inventa est filia? Hoc est, eodem pacto ut et hic noster, quemadmodum et illa inventa est, inveniri possit. E.

Sed quod magis] Ms. R. *sed quo magis*. L.

Nostri omnes *quo magis*. Recte. Deinde elegantia responsi ne pereat, dele *id*. B.

18 *Tui similis*] Nam plerumque filii consimiles sunt parentum moribus. Dicimus cum genitivo, cum morum similitudinem, aut doctrinæ ostendimus. sed dicimus, *similes tibi*, cum dativo, cum qualitatem similem ostendere laboramus. C.

Bentl. post *te* inseruit, *esse*. Z.

Nam illi nil vitii est relictum, quin sit et idem tibi.
Tum præterea talem, nisi tu, nulla pareret filium.
Sed ipse egreditur: quam severus! rem, cum videas, censeas.

ACT. V. SCENA IV.

CLITIPHO. SOSTRATA. CHREMES.

SI unquam ullum fuit tempus, mater, quum ego voluptati tibi
Fuerim, dictus filius tuus tua voluntate: obsecro,
Ejus ut memineris, atque inopis nunc te miserescat mei;
Quod peto et volo, parentis meos ut commonstres mihi.
S. Obsecro, mi gnate, ne istuc in animum inducas tuum,
Alienum esse te. CL. Sum. S. Miseram me. hocine quæsisti, obsecro?

19 Nostri omnes recte, *quin itidem sit tibi*, modo post *quin* inseras *id*. Cæterum pro obscuro *relictum* malo *innatum*. B.

21 *Quam severus!*] Nam facie ipsa videtur quandam probitatem ostendere: re vero, alius est. C.

Rem, cum videas, censeas] Cum videas, ex vultu mores ejus agnoscas. E.

Rem cum videas censeas] Cum hominem intus noveris, censeas severum esse. Sarcasmus. ut Plaut. Bacc. IV. 6. 14. B.

Rem cum videas censeas] I. e. cum hominem intus noveris, censeas severum esse. Est sarcasmus quem recte cepit Bentl. R. D.

1 *Si unquam ullum fuit tempus*] Adhuc filius matrem sollicitam reddit, dum petit, ut parentes commonstret: et ex hoc facilius pervenitur ad tranquillitatem omnium rerum. C.

Si unquam ullum] Ad commovendam pietatem commemorat præteritos affectus, cui sic facilius possit ignosci. Ut Æn. IV. 317. *si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam dulce meum.*—E.

Si ullum unquam fuit tempus cum ego voluptati tibi fuerim] Hoc elegantissima circumscriptione dicitur pro: si unquam tibi voluptati fuerim Cic. de Orat. I. 1. R. D.

2 *Tua voluntate*] Quasi innuit illam de industria illum voluisse appellari filium. C.

3 *Miserescat*] Habemus *miseret, misereat*, et *miserescit, misereat* in eadem significatione, ejusdem naturæ. Habemus etiam *misresco is*. Virgil. Æn. II. 145. *his lacrimis vitam damus, et miserescimus ultro*. C.

4 *Quod peto et volo*] *Peto*, inquit, quasi *precario*. Nam proprie aliquid *precario petere* dicimur. C.

Quod peto et volo] Priscian. lib. VII. L.

5 *Obsecro te, mi gnate*] Verba propria matris desperatæ. C.

6 *Sum*] Hæc vox simplex terribiliter pronunciat. *Miseram me!*] Per ex-

Ita mihi atque huic sis superstes, ut ex me atque hoc natus es.

Et cave posthac, si me amas, unquam istuc verbum ex te audiam.

Ch. At ego, si me metuis, mores cave in te esse istos sentiam.

Cl. Quos? Ch. Si scire vis, ego dicam: gerro, iners, fraus, helluo, 10

clamationem præ dolore dicitur, q. d. *dico, verum est, me miseram esse,* quod dictum interjectionis vice fungitur. *Quæsisti?*] Excogitasti, seu somniasti, ut dici solet, ut mihi dolorem incuteres. Vel *quæsisti hoc?* i. e. investigasti et interrogasti hoc ab aliquibus, ne esses filius proprius, non suppositius? C.

Alienum] *Alienus* est qui non pertinet ad familiam. Hinc *propinqui* et *alieni* opponuntur a Cicer. de Amicit. c. 5. et pater qui filium alteri mancipio dat, eum dicitur *alienare.* v. interpret. ad Liv. XLI. 8. R. D.

7 *Huic sis superstes*] Mos jurandi antiquus parentum. Et bene inducitur mater mitior patre, et quæ *adjutrix sit in paterna injuria filio.* C.

Ne versus claudicet, ex duobus codd. repone *ut éx me atque* ex *hoc nátus es.* B.

Ita mihi atque huic sis superstes] I. e. quam sancte opto et voveo, ut mihi et patri tuo superstes sis tam sancte tibi affirmo. Solenne piorum parentum votum est, ut liberos sibi superstites relinquant. v. Ovid. I. 101. et Brisson. de form. VIII. p. 684. R. D.

8 *Si me amas*] Hæc verba blandientis matris sunt, et quæ valde de filio sollicita sit. C.

9 *Si me metuis*] Matri dat verba suavia, patri vero aspera. Illa inquit, *si me amas*: hic, *si me metuis.* C.

10 *Quos?*] Supple, *mores dicis esse in me; seu me cavere, ne sint in me. Gerro, iners, fraus*] Hæc dicuntur in abjectissimum quemque et nullius precii hominem. *Gerro*] *Gerro,* ut *Servius* dicit, a *gerendo.* unde *nugigerulus,* qui nugas gerit; vel ut *Nonius* et *Festus,* a *gerris.* Nam *gerræ* sunt nugæ et ineptiæ, sic dictæ, ut *Festus* refert, quod quum Athenienses Syracusas obsiderent, et crebro *gerras* poscerent, irridentes Siculi *gerras* clamitabant, quum *gerræ* prius dicerentur, ut idem *Festus* ait, crates vimineæ. Propter illam irrisionem Siculorum factum est, ut *gerræ* pro nugis et contemtu dicantur. Hinc *congerro.* Plaut. in Persa, I. 3. 9. *jam pol ille hic aderit, credo, congerro meus. Iners*] I. e. otiosus, ignavus, sine arte et industria vivendi, ut vult *Servius. Fraus*] Fraudulosus seu fraudulentus, seu culpabilis. Nam, ut inquit *Ulpianus, fraus est ipsa noxa,* i. e. oulpa, et quasi quædam preparatio poenæ. Interdum etiam pro *pœna* ponitur in jure, ut sit *Servius.* Item et *fraus* pro periculo poni invenitur; ut, *erit illa res fraudi,* id est, periculo. Hoc *Servius.* Ponitur autem hic *fraus* pro fraudulento, ut alibi scelus pro scelesto. *Helluo*] *Vorax.* Catul. in Cæsarem, XXVII. 16. *an parum helluatus est?* Insatiabilis, inquit *Servius,* seu immoderate bona sua consumens, inquit *Festus.* Inde *helluor, aris,* i. e. effundere bona sua luxuriose ac immoderate. C.

Gerro, iners] *Gerro* est piscis nullius saporis vel momenti. aut *gerro* (*gerra.* vid, Cuper. Observ. I. 18. Z.) dicuntur machinamenta, quæ adversus civitates fiebant, magno impetu cum * dejicerent (*ut magno impetu muros dejicerent* Z.) eadem *gerras* appellabant.

Ganeo, damnosus: crede, et nostrum te esse credito.
CL. Non sunt hæc parentis dicta. CH. Non, si ex capite sis meo
Natus, item ut aiunt Minervam esse ex Jove, ea causa magis
Patiar, Clitipho, flagitiis tuis me infamem fieri.
S. Di istæc prohibeant. CH. Deos nescio: ego quod potero, sedulo.
Quæris id quod habes, parentis: quod abest, non quæris, patri
Quomodo obsequare: et ut serves, quod labore invenerit.

Helluo] Est invasor, et qui plurimum consumit. E.

Fraus, helluo] Ms. R. *helluo, glutto.* L.

Gerro] Est homo levis et ineptus. v. Fest. in hac voce. R. D.

11 *Ganeo*] Veteres *ganeum*, meretricum tabernam dixerunt, ἀπὸ τῆς γῆς, quod ipsa sit in terra. Hinc *ganeo* deducitur, qui meretrices sequitur. *Damnosus*] Recte hoc postremum cum superioribus convenit. *Damnosus*] I. e. damni quicquid tuis parentibus afferens. ut jam fecisti, extorquendo a me per servum decem minas Bacchidi. C.

Ganeo] Tabernis operam dans et conviviis turpioribus. E.

Ganeo] I. e. qui ganea frequentat. *Ganea* vel *ganeum* est locus vino, epulis, aleæ, libidini destinatus. v. Voss. in Etymol. R. D.

Damnosus] *Damnosus* est, qui facultatibus suis damnum affert, prodigus, profusus. Suet. in Ner. c. 31. *non in alia re damnosior, quam in ædificando* ubi v. Græv. Sic *damna* dicuntur pro impensis, sumtibus. Quinctilian. declamat. 337. v. Menagium in amœnitatib. Juris c. 39. R. D.

12 *Parentis*] Scilicet qui filium amet. *Non, si ex capite sis meo*] Hæc ingenti clamore pronuncianda: et sic ostendit Chremes filium non debere abjicere spem patris, etsi ab eo verba aspera audit. C.

13 *Aiunt*] Bene *aiunt*, de re fabulosa et ficta. C.

Ea causa] Supplendum *tamen*. Nam *si*, quod præcedit, ponitur pro *etsi*. Sæpe *tamen* deest post *etsi* et *quanquam* in Ad. II. 1. 5. in Hec. IV. 4. 26. *etsi jam dudum fuerat ambiguum hoc mihi nunc non est.* v. quæ annotavim. ad Aquil. Roman. junctum Rutil. Lupo p. 190. R. D.

15 *Deos nescio*] Modus loquendi præsertim iratorum. *Enitar*] Ne infamis fiam. C.

Omnes libri habent *enitar sedulo*. præter Bembinum, ubi enitar abest. B.

Dii istæc] Scilicet prohibeant. Formula abominandi. R. D.

Deos nescio] Scilicet an prohibituri sint. Sic supra II. 4. 16. *nescio alias* h. e. quid aliæ fecerint nescio. R. D.

16 *Quæris quod habes*] Scilicet parentes. *Quod abest non quæris*] Hoc est, quemadmodum patri obsequaris; et est compositum ex contrariis, quæ figura dicitur ἀντίθετον, vel πάρισον, id est, æquatio sententiæ. E.

17 *Invenerit*] Id est, *acquisiverit*: Alibi, *labore inventa mea cui dem bona* C.

Bentleius omisit illud *ut*. Recte. Nam corrumpit elegantiam. Z.

Non mihi per fallacias adducere ante oculos? pudet
Dicere hac præsente verbum turpe: at te id nullo modo
Piguit facere. CL. Eheu, quam ego nunc totus displiceo mihi:
Quam pudet! neque quod principium inveniam ad placandum, scio.

ACT. V. SCENA V.

MENEDEMUS. CHREMES. CLITIPHO. SOSTRATA.

ENIMVERO Chremes nimis graviter cruciat adolescentulum,
Nimisque inhumane. exeo ergo, ut pacem conciliem. optume
Ipsos video. CH. Ehem, Menedeme, cur non arcessi jubes

18 *Abducere*] Ἀποσιώπησις honesta. Noluit dicere meretricem, præsente matre. C.

Pro *non mihi*, quod turbat sensum, repone *ten mi*. B.

20 *Piguit facere*] V. C. *puduit facere*. L.

Bemb. et alii aliquot, *facere puduit*: tres ex nostris *puduit facere*: cæteri *piguit facere*. B.

Displiceo] *Displicere sibi* dicuntur, qui dolore afficiuntur, quos pœnitet facti. Cic. ad Attic. II. 18. 21. *displiceo mihi nec sine summo scribo dolore*. Pro eo Terentius in Hec. IV. 1. 28. dicit *se ipsum odisse*. R. D.

21 *Principium inveniam*] Ms. R. *principium incipiam*. L.

Bemb. *incipium*. at in Vat. et Basilic. *incapiam*. Forte leg. *captem*: ut captare occasionem, tempus, et alia. B.

Principium incipiam] Insolens locutio. Bentleius e vestigiis veterum librorum legit *neque quod principium captem*, ut captare tempus, occasionem et alia. R. D.

1 *Enimvero Chremes*] Intervenit persona, cujus gratia pax consilietur: ita ut omnia tranquilla sint et composita, prout comœdiæ finis postulat. *Enimvero*] Hoc loquitur Menedemus solus apud se. *Enimvero*] Nonnunquam principium est aliquid per iram dicturi. C.

Enimvero Chremes] Procedit Menedemus, ut omnis persona in postrema parte præsens sit. Venia datur filio, ut cunctus error possit absolvi. Adhuc tamen perseverans Chremes convenit Menedemum, ut filiam ducat (adde *filius*, aut, *Clinia*. Z.) E.

2 *Pacem*] I. e. concordiam inter patrem et filium. v. supra V. 2. 45. R. D.

3 *Hem*] Interjectio percipientis eum, quem volebat. *Arcessi*] Bene *arcessi*: qui proprie *arcessitur* uxor, dum ad virum ducitur. C.

Filiam, et quod dotis dixi, firmas? S. Mi vir, te obsecro,
Ne facias. CL. Pater, obsecro, ut mihi ignoscas. M.
Da veniam, Chreme:
Sine te exoret. CH. Egone mea bona ut dem Bacchidi
dono sciens?
Non faciam. M. At id nos non sinemus. CL. Si me
vivom vis, pater,
Ignosce. S. Age, Chremes mi. M. Age quæso, ne
tam offirma te, Chreme,
CH. Quid istic? video non licere, ut cœperam, hoc
pertendere.
M. Facis ut te decet. CH. Ea lege hoc adeo faciam;
si facit
Quod ego hunc æquom censeo. CL. Pater, omnia
faciam: impera.
CH. Uxorem ut ducas. CL. Pater. CH. Nihil audio.
M. Ad me recipio;

4 *Mi vir*] Putat Sostrata, id quod erat fictum, esse verum, timebatque ne pater penitus exheredaret filium, omnia tribuens filiæ. *Obsecro*] Nil significantius. Nam *orare*, est placidos petere. *Obsecrare* vero, iratos rogare. C.

5 *Ne facias*] Hæc timebat ne omnia bona illi traderet. C.

Bentl. omisit *ut*. Z.

6 *Sciens*] Quod pejus esset, quam si nesciret. C.

Recte in Bemb. et in duobus nostris antiquis, *exorent*, uxor scilicet et filius. Tum ne versus justo longior sit, tolle illud *egone*. B.

7 *Si me vivum vis*] Hoc solo verbo poterat placare patrem. Nam pater filii vitam omnibus rebus anteponit. C.

Tres codd. optime non agnoscunt illud *id*. B.

8 *Ne tam obfirma te*] I. e. noli te tam obstinatum ostendere. Ille enim dicitur se obfirmare in aliquo proposito, qui obstinate ac pertinaciter in illo perseverat, tanquam immobilis truncus. Et est translatio sumta a repagulo obfirmando. C.

Ne obfirma] H. e ne obstinate et pertinaciter in proposito persiste, v. not. ad Eun. II. 1. 11. R. D.

9 *Pertendere*] In Eunucho: *si incipies, neque pertendes gnaviter*. Alii legunt *perpendere*. C.

Pertendere] H. e. eo usque tendere, tunc perficiam. R. D.

10 *Faciam; si facit*] Ms. R. *si id facit*. L.

Omnes nostri, *si id faciat*. Lege igitur, *si id facit*. B.

12 *Pater*] Tantum dicit hoc verbum, non statim volens dare responsum, tanquam prius deliberaturus. *Nihil audio*] Aversus et indignatus Chremes hæc dixit. *Ad me recipio*] Hoc dicendi genere sæpius *Cicero* utitur in suis epistolis, et præcipue commendatitiis. Interdum sumitur pro *promittere*. C.

Ad me recipio] Id est, ego facio (*faciam*) ut hic promittat. E.

Nil audio] I. e. nullam excusationem accipio. R. D.

Ad me recipio] I. e. promitto, spon-

Faciet. CH. Nil etiam audio ipsum. CL. Perii. S. An dubitas, Clitipho?
CH. Immo, utrum volt. M. Faciet omnia. S. Hæc dum incipias, gravia sunt,
Dumque ignores: ubi cognoris, facilia. CL. Faciam, pater.
S. Gnate mi, ego pol tibi dabo illam lepidam, quam tu facile ames,
Filiam Phanocratæ nostri. CL. Rufamne illam virginem,
Cæsiam, sparso ore, adunco naso? non possum, pater.

deo scilicet ipsum uxorem ducturum. Plautus in Mil. glor. II. 2. 74. *tute unus si recipere hoc ad te dicis, confidentia est.* Eodem sensu *recipio in me* dicit Cic. ad Div. XIII. 17. Absolute *recipere* est in Phorm. V. 7. 9. R. D.

13 *An dubitas*] I. e. an recusas, an tergiversaris. Cic. ad Div. XIII. 9. R. D.

14 *Immo, utrum volt*] Permissio patris ironica. C.

Hæc dum incipias] In exordio habent hæc semper difficultatem, ubi aggressus fueris, facilia fiunt. E.

Dum incipias gravia] Lactant. lib. 6. cap. 23. *omnia gravia sunt, dum ignoras: ubi cognoveris, facilia.* L.

16 *Ego tibi illam*] Hic illudit, ut joco tristitia solvatur, cum promittit filiam nescio cujus, admodum fœdam. E.

Pro *illam*, nostri mendose *puellam.* B.

Lepidam] I. e. venustam. *Lepor* et *lepidus* habent quidem domicilium in verbis, sed transferuntur ad alia quæ delectationem afferant. v. Manut. ad Cic. ad Div. VII. 1. R. D.

17 *Rufam*] *Rufus* color et *ruber* idem est. De Rufo colore A. Gellius in secundo Noctium Atticarum cap. 26. multa verba facit. C.

Illam virginem] V. C. *illam puellam.* L.

18 *Casiam*] Idem Gellius (ibidem) inquit: *nostris autem Latinis veteribus cæsia dicta est, quæ a Græcis γλαυκῶπις dicitur, ut Nigidius ait, de colore cæli, quasi cælia.* Dantur cæsii oculi Minervæ, cœrulei Neptuno. *Sparso ore, adunco naso?*] Hæc duo nimiam arguunt deformitatem, et adjuvant Clitiphonem in recusatione. Indecens nasus vituperatur, sed magis in muliere. *Sparso ore*] I. e. habentem os sparsum et latum seu extentum. *Non possum; pater*] Plus patrem commovit, quam si dixisset, *nolo.* C.

Cæsiam] Id est, oculis abtortis (forte *glaucis* Z.) vel cæsuras, id est, rugas habentem; aut lenticulosam. *Sparso ore*] Id est, dissoluto. aut *ore* dixit vultu, et significat *sparso*, asperso, quasi maculis quibusdam infecto vultu. E.

Cæsiam, sparso ore] Glossar. φάκοψις, *lentiginosus, sparso ore.* L.

Cæsiam] I. e. quæ habet oculos glaucos vel cæruleos. Sæpe Minervæ cæsii oculi tribuuntur. v. Heins. ad Ovid. Art. Amat. II. 659. Sed non omnes hunc oculorum colorem probasse patet etiam ex Hec. III. 4. 26. R. D.

Sparso ore] *Sparsum os* dicitur vultus rufis oculis distinctus, lentiginosus. *Spargere* est distinguere. Virgil. Ecl. II. 41. ubi v. Burmann. Sparsum os lentiginosum vocat Valer. Maxim. I. 7. 6. ubi v. interpretes, inprimis Bentl. ad Hec. III. 4. 27. R. D.

Adunco naso] *Aduncus nasus* in virginis vitio ponitur. Modice aduncum

CH. Heia, ut elegans est! credas animum ibi esse. S. Aliam dabo.
CL. Quid istic? quandoquidem ducenda est, egomet habeo propemodum
Quam volo. S. Nunc laudo, gnate. CL. Archonidi hujus filiam.
S. Perplacet. CL. Pater, hoc nunc restat. CH. Quid? CL. Syro ignoscas volo,
Quæ mea causa fecit. CH. Fiat. Ω. Vos valete, et plaudite.

CALLIOPIUS RECENSUI.

in pulcherrima Aspasia laudat Ælianus Var. Histor. XI. 1. in viris nasus aduncus magni animi index habebatur. R. D.

19 *Elegans est!*] Hic ad formam refertur: sed sæpius ad orationem et ad verba. *Animum ibi esse*] Verba apta ei, qui sibi multum tribuit. C.

Ut elegans est!] Id est, prudens in discernendis puellis. quia *ibi*, id est, in hac electione totus est. Quod vero subjunxit *Arconidis filiam*; aut Bacchidem dicit, aut aliam quamlibet, ad quam adolescens contumeliis patris appulerat animum. E.

Elegans] I. e. fastidiosus in eligendo, v. Not. ad Eun. III. 1. 18. R. D.

Animum ibi esse] I. e. cogitare de eligenda uxore. R. D.

20 Cum *quid istic*, quod consentientis est, hic locum non habeat: amplectimur Bembini *immo*. B.

21 *Archonidi hujus*] Priscian. lib. 6. L.

Priscianus p. 706. laudat *Archonidi filiam*: sed non habet *hujus*: hoc Bembino debemus. Nostri *Arconidis filiam*. B.

22 *Syro ut ignoscas*] Petit veniam etiam Syro, sed non omnium factorum, ne infinitum esset quod petere videtur. Et transfert in se crimen servi, dicens; *quod fecit, mea causa fecit*. E.

GLOSSARIUM

VOCUM QUARUNDAM

APUD PUB. TERENTIUM.

EX VETERI CODICE.

HEUS, ohe, ehodum, *vocandi.*
Antehac, quoad, posthac, *temporis.*
Usquam, uspiam, nusquam, quopiam, *loci.*
Amabo, sodes, hem, mea tu, *blandientis.*
Pol, Edepol, Castor, Hercle, *jurandi.*
Eu, euge, eia, age, agedum, *hortandi.*
Nullus, *pro non.*
Utut, *qualitercunque.* Ubiubi, *ubicunque.* Cuicui, *cuicunque.*
Heu, heu, *dolentis.*
Hui, phy, papæ, *admirantis.*
Vaha, *deridentis vel indignantis.*
Atat, *expavescentis.*
Ha ha he, *deridentis.*
Heu heu, au au *flentis.*
Nequicquam, *frustra.* Neutiquam, *nullo modo.*
Itidem, *similiter.*
Apprime, *valde.*
Atqui, *certe.*
Potis est, *potest:* pote, *potes.*
Etsi, tametsi, *pro quamvis.*
Qui, *quare vel quomodo.*
Quam, *quantum.*
Maxime, *sæpe pro libenter.*
Eccum, *ecce eum, vel ipsum.*
Ecca ipsa, *ecce en ipsa.*
Hicce, *pro hic,* hiccine, *pro hicne:* hiice *pro his:* istoccine, *pro istone,* hujusce, *pro hujus:* hiiscine, *pro hiisne.*
Illicon' *pro illicone.*
Malum, *interjectio.*
Tute, *tu ipse.*
Scelus, *quandoque pro scelesto.*
Periculum, *pro experientia.*
Res, *pro prædiis vel utilitate.*
Facinus, *quandoque factum.*
Mala, *maxilla.*
Dica, *scedula.*
Angiportum, *via arcta.*
Occipio, *incipio.*
Cesso, *tardo.*
Faxo, faxim, *pro faciam vel fecerim.* Faxint, *facient, fecerint.*
Dedo, *do:* dedim, *dabo:* duint, *dent.*
Sies, *pro sis:* sient, *pro sint.*
Face, *pro fac.* Adduce, *pro adduc.*
Mitte, *pro dimitte.* Rogo, *pro interrogo.*
Offendi, *pro inveni.*
Mane, *pro ausculta.*
Opperior, *exspecto.*
Percontor, *inquiro.*
Maturo, *accelero.*
Obtundo, *eneco, de magna molestia.*
Concedo, *obedio.*
Exigo, *expello et sperno.*
Arcessor, *vocor.*
Vereor, *timeo:* revereor, *observo.*
Calleo, *callide scio.*
Abnuo, *nego et subtraho.*
Refello, *contradico.*
Gannit, *latrat, inaniter loquitur.*
Disperii, *per deos perii.*
Posterdie, *pro postridie, hoc est,* postero *die*

Astu, *astutia vel providentia.*
Astu *pro civitate.*
Misere, *interdum pro immo derate.*
Præviso, *videre desidero.*
Sedulo, *intento.* Utiliter, *studiose.*
Ex animo, *sine dolo.*
Ambages, *verba frustratoria.*
Phaleræ, *insidiosa.*
Clientela, *servitium, vel multitudo clientum.*
Conclamatum, *satis dictum.*
Facessere, *libenter et cum desiderio facere.*
Id propterea, *propter id.*
Ostentare, *vane se jactare vel ostendere.*
Propediem, *brevi vel cito.*
Diem, *breve tempus:* Ætatem, *tempus longum significat, adverbialiter.*
Debacchari, *furere, a furore non cessare.*
Despicatus, *despectus.*
Ærumna, *molestia vel miseria.*
Flocci facere, *contemnere, despicere.*
Lacessere, *provocare.*
Suffarcinatus, *succinctus.*
Jurandum, *pro jusjurandum.*
Exemplum facere, *id est, pœnam constituere.*
Potesse, potis esse, *posse.*
Quis, *pro qui.* Quivis, *pro quavis.*
Quisnam, *pro quænam.*
Sycophanta, *pro comedone.*
Succenturiatus, *sub centuria positus.*

Londini imprimebat J. F. DOVE, in Area quæ est Divi Joannis.

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine of five cents a day is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

DUE MAY 28 1915